Staa... ...bliothek
Reg... ...sburg

C

Historia.

Daniæ.

Nro 287.

SCRIPTORES

RERUM DANICARUM

MÆDII ÆVI,

PARTIM HACTENUS INEDITI,

PARTIM EMENDATIUS EDITI,

QVOS

COLLEGIT, ADORNAVIT,

ET

PUBLICI JURIS FECIT

JACOBUS LANGEBEK,

SACR. REG. MAJ. A CONSILIIS STATUS ET TABULARII

SANCTIORIS PRÆFECTUS.

TOMUS I.

HAFNIÆ 1772.

TYPIS VIDUÆ ANDR. HARTV. GODICHE,

PER FRIDER. CHRIST. GODICHE.

Staatl. Bibliothek
Regensburg

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI, DOMINO

CHRISTIANO

SEPTIMO,

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM,

GOTHORUMQVE REGI,

SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ

ET DITMARSIÆ DUCI,

OLDENBURGI DELMENHORSTIQVE COMITI,

DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX,
DOMINE CLEMENTISSIME,

Dudum celeberrima Europæ Regna, Germania, Italia, Gallia, Anglia, ſuis Medii Ævi Scriptoribus Hiſtoricis publicatis gloriantur. Qvantum in univerſa omnium gentium & particulari cujusqve populi Hiſtoria lumen accenſum ſit, poſtqvam edi cœperunt Scriptores veteres, optime judicare poſſunt, qvi Hiſtoricam ſcientiam profitentur, qviqve ad aliqvam Hiſtoriæ particulam elaborandam iisdem utuntur.

Noſtra Dania, imo noſter Septentrio, inter illas regiones eſt, qvibus ea gloria, ea utilitas hactenus denegatur. Habemus Scriptores, ſed pauciores forte & minores qvam alii. Habuimus plures, ſed perditos. Mirum ſimul & dolendum eſt, reliqvias noſtras nimis diu latuiſſe. Non defuerê viri docti, curioſi, ſolertes, qvi hunc apud nos defectum obſervarunt, qviqve eidem medelam adhibere optaverunt. Nec forte defuerê Reges, neqve Mæcenates, qvi tales tantosqve conatus promoviſſent, ſi modo ſeria manus operi accesſiſſet. Sed qvicqvid ſit, nihil talium apud nos hucusqve provenit. Ne-

ſcio,

ſcio, qvo fato, & hæreo, fortunæ an fortitudinis malæ gratiæ hoc infortunium attribuam. Suſpenſio animi non minus ac lacuna rei familiaris ſæpius obex eſt magnorum conatuum.

Tuo ævo, REX AVGVSTISSIME, Tuo demum ævo, qvod qvam vellem beatum prædicare, ſervata fuit EDITIO SCRIPTORUM DANIÆ MEDII ÆVI. Spe meliorum temporum, inter omnes turbines, omnesqve miſerias, qvibus proxime præcedenti anno luctabamur, animus mihi incesſit talium Scriptorum Collectionem, theſauri mei partem, divulgandi. Incertus, qva fortuna, ad opus me accinxi. Laborem alacriter perſecutus ſum, donec prodiit Tomus hic Primus, qvem, Regio Tuo Nomini conſecratum, Tibi, REX CLEMENTISSIME, ea qva decet ſubjectione, exhibeo.

Ipſe PATER TUUS immortalis & glorioſiſimæ memoriæ Itineris mei Svecici, cui multa ex jam editis & poſtmodum edendis Cimelia debeo, auctor fuit & vere auguſtus promotor. Cur non iis, qvæ Magnus ille Rex auſpicatus eſt, Tu incrementa dares, cui GLORIAM EX AMORE PATRIÆ qværere propoſitum eſt. Et cui plus, qvam Regi, in manu ſit, publica & ad gloriam patriæ intenta moliminaſuffulcire? Tu ſumtus meos Subſcriptione Tua Regia aliqvantum levaſti. Tua erit auguſta munificentia, qvæ & continuationem hujus Libri

& pub-

& publicationem ceterorum, qvibus vitam, valetudinem, fortunasqve meas impendi, operum maturabit. Cui ergo potius, qvam Tibi, AVGVSTISSIME, Tibi Regi meo, Tibi Patri Patriæ, Tibi ſoli, qvod confidimus, ſtudiorum noſtrorum Statori maximo optimo, primitias hasce nuncuparem.

Summus rerum omnium arbiter, cujus digito nos tactos agnoſcimus, omnes adverſitates, qvæ Tuam & noſtram patriam affligunt & minantur, feliciter avertat. Ille cuncta conſilia Tua in bonos lætosqve eventus dirigat. Ille Tuam & noſtram Regiam Domum nobis in ſecula innumerabilia conſervet. Ille Te ſalvum nosqve in Tua ſalute tutos ſemper & incolumes faciat. Ex intimis cordis receſſibus ſic voveo, hiſce miſericordiam altisſimi Moderatoris indeſinenter imploro,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI TUÆ

Subjectisſimus & fide, qva par eſt, devotisſimus ſervus

JACOBUS LANGEBEK.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Poſt longam & fere deſperatam Patriæ exſpectationem, prodeunt in lucem publicam, opella mea ſecundante, SCRIPTORES RERUM DANICARUM MEDII ÆVI. Sub qvo titulo comprehendo omnia, tam ab indigenis, qvam ab exteris ſcripta, qvæ non modo *Regna Daniæ* & *Norvegiæ*, eorumqve *Provincias* & *Inſulas*, verum etiam *Ducatus*, *Comitatus*, ac *Dominia* cuncta, Sceptro REGIS DANORUM AUGUSTISSIMI & olim & nunc parentia, concernunt. Majora puto ac minora *Chronica*, *Annales*, *Hiſtorias* omnis generis, *Regum Series*, *Perſonarum illuſtrium memorabiliumqve Catalogos*, *Genealogias*, *Vitas*, *Necrologia*, *Topographias*, horum omnium *Fragmenta*, &, ut verbo dicam, qvicqvid talium, noſtro ævo ab antiqvitate relictum, mihi fors, niſus, & labor, in manus tradiderint.

Fuerê ante me viri eruditiſſimi, haud pauci, & hoc noſtro & præcedentibus Seculis, qvi, exemplo Germanorum, Gallorum & Anglorum, excitati, conſilia de colligendis edendisqve *Medii Ævi Scriptoribus Danicis*, mente volverunt. Viros celeberrimos, *Lindenbrogium*, *Ludewigium*, *Weſtphalium*, aliosqve exteros, non memoro, qvi aliqvot tales, ſed mutilos & corruptos, collectionibus ſuis immiſcuerunt. De noſtris eſt oratio; ex iis laudare debeo *Joannem Svaningium*, *Andream Vellejum*, *Nicolaum Kragium*, *Jonam Venuſinum*, *Chriſtianum Longomontanum*, *Ericum Tormium*, *Petrum Spormannum*, *Olaum Wormium*, *Chriſtianum Oſtenfeldium*, *Chriſtianum Wormium*, *Severinum Lintrupium.* Hi vero an manus operi ſerio admoverint, & qvantum in hoc genere præſtiterint, mihi ignotum eſt. Vereor autem, in primo partu hæſiſſe eorum conſilia, & a plerisqve nihil præter nudos Scriptorum Syllabos, ex qvibus aliqvot videre mihi contigit, chartæ mandatum fuiſſe. In horum uno Syllabo, An. 1718. ſcripto, inter alia recenſentur, *Andr. Welleji* de ſcribenda

P R Æ F A T I O.

Hiſtoria Danica conſilium, *Olai Wormii* Sciagraphia edendorum aliqvot Rerum Danicarum Scriptorum, *Chriſt. Longomontani* Idea diſpoſitionis Hiſtoriarum Danicarum. Incertum eſt, an temporis anguſtia, laboris operoſitas ac moleſtia, multimoda & difficilis Codicum rerumqve antiqvarum transſcriptio & collatio, an manuſcriptorum indigentia, an etiam Mæcenatum & nervi rerum gerendarum penuria, qvæ magna ſæpius molimina morata eſt, præſtantes hoſce viros a tam laudabili conatu deterruerint. Utinam vero propoſitum ſuum tam felix tamqve glorioſum qvisqve perfeciſſet, multa illi nobis rara ac chara conſervaſſent, qvæ dudum injuria temporum, incuria hominum & ignorantia, blattæ & tineæ, ignis, aqva, mador, putredo, imo ipſa vetuſtas, aliiqve caſus infortunati abstulerunt. Solum Metropolis noſtræ Hafnienſis incendium, qvod Anno 1728. Bibliothecis Danicis reiqve noſtræ literariæ univerſæ funeſtum adeo fuit, jacturam nobis, etiam in hac parte, irreparabilem adtulit.

Præ ceteris omnibus laudari merentur *Thomas Bartholinus* junior & *Arnas Magnæus*, qvorum uterqve magnos rerum antiqvarum apparatus congeſſit, editioni ſine dubio deſtinatos, ſi modo vitæ eorum tempus ſuffeciſſet. Horum labores, qvorum major pars aut in Codicibus aut in Apographis adhuc ſupereſt, amplisſimam operi meo auctoritatem & ſingulare decus tribuunt. Recentiorum adhuc inſtituta in medium proferam. Illuſtris *Grammius* noſter, niſi eum mors aliiqve caſus præveniſſent, Monumenta ejusmodi Patriæ colligenda & edenda olim meditabatur, qvod poſtea probatum dabo. Imo ante haud plures annos Illuſtrisſimus Comes THOTTIUS de Scriptoribus Medii Ævi digerendis & per gregem Eruditorum publicandis plus ſimplici vice & mihi & aliis deſiderium ſuum expoſuit, qvod utiqve dubio procul optatum ſortitum fuiſſet effectum, ſi non rerum vicisſitudines eximia magni Herois cogitata abrupiſſent. Spem interim ex promisſis ejus foveo, hoc opus meum, ſi qvid hujus generis in vaſtisſimo penu ejus librario aſſervatur, locupletatum & adornatum fore.

Ad *Grammium* ut redeam, illum talia molimina foviſſe, non modo me ex ipſius ore ſæpius audiviſſe recordor, verum etiam documento qvodam probare poſſum, qvod, ſi recte memĩni, ab ipſa ejus manu habeo. Eodem vir ſummus hujusmodi magnum opus promiſiſſe ejusdemqve prolegomenorum contenta dediſſe videtur. Aptum omnino rei meæ dignumqve illud habeo, qvod heic in Grammiani nominis memoriam verbotenus inſeratur:

„ *Sum-*

„ *Summaria Capitum:* §. 1. De cauſis, cur Danica Hiſtoria pa-
„rum exteris nota, & cur noſtra gens tantam Hiſtoricorum copiam
„non protulerit ab omni ævo, qvanta alibi habetur. 2. Qvid ju-
„dicandum de fontibus Hiſtoriæ noſtræ, qvorum *Saxo* in Præfa-
„tione ſua & *Sveno Aggonis* meminerunt, ac de illis, qvos laudant
„*Pontanus*, *Wormius*, aliiqve recentiores. 3. Unde tanta fabula-
„rum ſeges in vetuſtiſſimi ævi hiſtoriis noſtris? Et an jure tales no-
„bis imputantur præ ceteris nationibus? 4. Unde ſuas vetuſtiorum
„temporum hiſtorias habuerint *Saxo* & *Sveno?* [paulo diverſe ab
„§. 2.] & qvinam in eis defectus. 5. Qvæ fata fuerint Hiſtoriæ no-
„ſtræ usqve ab iis *Saxonis* & *Svenonis* temporibus ad *Arnoldum Hvit-*
„*feldium.* Et qvi poſtea, in iſto ſcil. intervallo qvatuor ſeculorum,
„ſcriptum aliqvid reliqverint. 6. Qvid de *Hvitfeldio* judicandum,
„ejusqve merita & defectus. 7. Qvid de *Pontano*, *Meurſio*, *Be-*
„*ringio*, *Svamingio*, &c. 8. Qvid reſtet, adhuc præſtandum, op-
„tandumqve, ut meliorem Hiſtoriam, pro manca & mutila, & ni-
„mium ſæpe incerta, habeamus. Qva occaſione, de jactura tot
„Monumentorum facta per ultimum incendium. Item, de *Diplo-*
„*matibus*, & *Annalibus*, longe pluribus, qvam qvos ediderê Do-
„minus *de Ludewig* aliiqve, publicandis. 9. De ſubſidiis ad noſtram
„Hiſtoriam ex Scriptoribus exteris, iis ſcilicet, qvos nec *Saxo*, nec
„*Hvitfeldius*, aut alii, vel legerunt, vel legere aut habere ſuo ævo
„potuerunt. 10. Interim amplectendum grato animo, qvod iſti
„egregii viri, *Saxo* inprimis & *Hvitfeldius*, nobis operæ præſtite-
„runt. Absqve iis enim ſi foret, in majoribus tenebris verſaremur.
„Qvod exemplis demonſtrandum. 11. Qvî factum [ſed hoc forſan
„ad §. 8. rectius pertineret], ut nemini ante *Hvitfeldium*, nemini
„poſt eum, in mentem venerit, *Monumenta publica* edere. Ubi
„de *Svamingio* & *Wellejo*, & *Wormio*, *Er. Tormio*, atqve pluribus,
„varia curioſa & notatu digna. 12. De eximia prorſus cura Regis
„CHRISTIANI IV. & affectu ſtudioqve ejus erga Hiſtoriam patri-
„am. Sed inprimis de ſapientiſſimo conſilio Cancellarii ejus Magni
„*Chriſtiani Friſii* de Kragerup, qvod tamen optatum effectum haud
„ſortitum eſt ab omni parte. 13. Cum ejusdem Cancellarii curæ &
„conſilio *Pontanum* Hiſtoriographum debeamus, dicendum, qvo-
„modo id factum, & qvibus rebus qvoqve apparatu inſtructus ad
„ſcribendum venerit. Ubi breviter de ejus vita. Vel potius ad
„eam, qvæ nobis jam eſt ad manus, ablegandus lector. 14. An
„digne exſecutus id operæ *Pontanus?* ubi de virtutibus ejus & de-
„fectibus. 15. Animadverſiones & ſtricturæ in varia ejus narrata.

„Sed breviter & carptim, eoqve modo, qvo utuntur *Grævius* &
„*Burmannus* in Præfationibus ad Scriptores Hiſtoricos Italiæ & Sici-
„liæ. 16. Plura poſſent dici. Sed acqvieſcet his lector; nam nec
„omnia vacavit percurrere, nec ita tamen rem abſolutam daremus.
„Id demum plenius fiet aliqvando, ubi *Monumenta illa, qvæ adhuc*
„*magno numero latent, exemplo Anglorum Germanorumqve publicam*
„*lucem aſpicient.* Qvod optandum".

Non Satis conſtat, an ex his aliqva aut qvanta *Grammius* elaboraverit. Dolendum autem eſt maxime, nihil eorum, qvæ ſpe præſumſit, in publicum emanaſſe, hujusqve illuſtris viri, perinde ac ceterorum omnium, egregia in hac parte conſilia irrita cecidiſſe.

Mihi tandem, cui, præter labores a juventute inſumtos, fere omnia deſunt, in ſortem venit perficere, qvæ viris ſummis & me apparatu multo inſtructioribus ſuccedere noluerunt. Et utinam, qvæ vellem, præſtare valerem. Gloria & amor patriæ meæ, qvi uterqve, in qvamcunqve etiam partem ſyſtema noſtrum vertas, periclitari admodum videtur, mihi ſtimulos addidit. Ad majores ſolito auſus opus eſt certa qvædam animi diſpoſitio, certusqve fervor, qvibus, deficiente etiam Mæcenate neqve ſuppetentibus fortunis, ſublevatur tandem induſtria, laboriqve aſſiduo ſolatium adſpergitur. Auſpicia meliora diu proſpectavi. Spe demum fruſtratus, animum non demiſi, ſed in maxime turbidis temporibus, qvalia proxime ſuperioribus annis Daniam noſtram obſcurarunt, promtum in arena cepi conſilium, omnibus obſtaculis ex oculo remotis, & anteqvam ab ultima ſenectute præventus fuero, edendi *Scriptores noſtros Medii Ævi Hiſtoricos*, qvotqvot mihi ſuppetunt, eaqve in parte honori Patriæ, qvantum in me fuit, conſulendi.

Nec minus utilitatem reſpexi, qvæ inde provenire poſſet, ſi omnes adhuc ſuperſtites Hiſtoriæ noſtræ fontes, tam editi, qvam hactenus inediti, in uno corpore digeſti comparerent, qvod loco Bibliothecæ iis inſerviret, qvi in Hiſtoriæ noſtræ parte aliqva aut ſcribenda aut emendenda qvidqvam ſolito perfectius præſtare cupiunt. Sunt enim, qvi ſcatebras ipſas adire aventes, tales manu exaratos theſauros omnesqve ejus generis ſeorſim editos ac partim raritate diſtinctos libellos habere commode non valent. Sunt, qvibus ad vaſtiora & recondita librorum Sacraria accesſio præcluſa vel denegata penitus eſt.

Aliqvot ſupra triginta anni currunt, ex qvo Chronica & Annales rerum Danicarum conqvirere, codicesqve obvios exſcribere incepi, nullo qvidem alio animo, qvam ut eisdem Bibliothe-

culæ

culæ meæ pretium aliqvod & ornamentum parerem, privatoqve meo amicorumqve uſui inſervirem. Re autem maturius & magis ſerio conſiderata, ſatius duxi, publicis commodis ſervire, qvam pati, ut ea, qvæ longo tempore, multo labore, magnisqve ſumtibus comparavi, poſt fata mea appropinqvantia diſſiparentur & adverſis exponerentur caſibus. Haud pauca eorum, qvæ collegi, amicorum favori debeo. Plura ex Bibliothecis Hafnienſibus publicis habeo. Varia etiam, in Itinere meo Svecico, Holmiæ, Upſaliæ, Lundiæqve, ſingulari ſuperiorum & amicorum benevolentia, obtinui. In præmiſſo ſingulis opuſculis prooemio mancupia eorum, & unde ea nactus fuerim, indicavi.

Fontes, ſi non omnes, at certe plurimos, qvibus uſus eſt *Hvitfeldius*, in hoc opere dubio procul reperiet lector. Diplomata taceo; illa enim diverſo ab hoc operi publico deſtinata ſunt, qvod, Deo vitam largiente, propediem me foris daturum ſpero. Interim ex ſcriptis, qvæ tempore *Hvitfeldii*, & usqve ad Incendium Hafnienſe, extiterunt, plura nunc deſideramus, & deperdita credimus, niſi præcipuo qvodam fortunæ beneficio ex latebris aliqvando proreperent. Hinc Regiſtrum aliqvot Scriptorum adjungam, qvi, licet mihi ex titulis noti ſint, aut plane interierunt, aut ſaltem ſe manibus meis ſubduxerunt. Longe plures extitiſſe, qvorum ne qvidem tituli hodie cogniti ſunt, nullum poteſt eſſe dubium.

Chronicorum, qvæ nunc edo, ac Fragmentorum pleraqve, ut multas novas, hactenus ignotas & majoris momenti res, ita haud paucas minutias ac res nihili, imo abſurda plurima & falſa continere, qvis non deprehendet. Nihilominus, ut unicuiqve auctori & opuſculo ſua fides & auctoritas conſtet, nihil in eo mutare, nihil excludere, nihil addere volui, niſi urgente neceſſitate & præcipua qvadam ac indicata cauſa ductus. Omnium nationum veteres Scriptores iisdem nævis, qvibus noſtri, laborant; Sic enim tempora & corruptus cujusqve ſeculi guſtus ferebant. Attamen viri, qvi eos ediderunt, eruditi Textum eorum immutatum, & qvalis aut in autographis aut in apographis habetur, protulerunt, prudenti & exercitato lectori ſemper bona mixta malis diſcernere integrum relinqventes.

Qvæcunqve aut ex aliorum apographis aut ex libris impreſſis heic dedi, intacta, & qvalia illa inveni, exhibui. In iis autem, qvæ ex autographis, membranis & codicibus ipſe exſcripſi, ſepoſitis abbreviationibus, plena & integra verba & qvaliter ad literam legi debent, exaravi, ea de cauſa, ut ab ignaris & criticis omnem ſcrupulum omnesqve falſas lectiones removerem. Orthographiam de ce-

tero eandem, qvam codices monſtrant, propter majorem antiqvitatis fidem, retinui, ſcribendo ſcilicet *e* pro *æ*, *t* pro *c*, *c* pro *t*, *hoſtium* pro *oſtium*, *ymnus* pro *hymnus*, &c. Sententias, qvas in autographis aut non aut male interpunctas inveni, ipſe ubiqve, ne ab aliis prave legantur & explicentur, neceſſariis punctis ac commatibus diſtinxi; Veteres enim paucis punctis, nullis commatibus, aliisve diſtinctionis notis, utebantur. Ut autem & operi decus & artis diplomaticæ peritis voluptatem aliqvam contraherem, ex præcipuis qvibusdam codicibus *Scripturæ Specimina*, tabulis æneis inciſa, addidi, unde de codicis vetuſtate & ſingulari ſcripturæ genere facilius judicetur.

Latina omnia huic operi deſtinavi. Propter affinitatem tamen materiæ paucula, in lingva Saxonica inferiori ſcripta, ſubrepſerunt, e. gr. Legendæ de S. Willehado & S. Anſchario. Ne dicam de admodum paucis, qvæ lingva Danica veteri ſive Islandica & Anglo-Saxonica habentur, qvibus verſio latina accesſit. Ex qvo fonte unusqvisqve libellus exſcriptus & unumqvodqve fragmentum deſumtum ſit, ubi primitivus codex reperiatur, cujus idem ætatis, fidei & conditionis ſit, in præmiſſo unicuiqve prologo breviter explicavi. Annalibus, Necrologiis, & ejusmodi librorum generi, eo tutius fidendum eſt, qvo certius res geſtæ, qvas continent, ſtatim atqve contigerunt, iisdem inſcripta cernuntur.

Notæ, qvas paucas & breviores promiſi, alicubi prolixiores evaſerunt. Qvod, rogo, lectori nauſeam non movent; Nunqvam enim, ut ſpero, ad oſtentationem & præter neceſſitatem ſic in immenſum creverunt. In iis forte nova aliqvot detecta, obſcura qvædam illuſtrata, errores veteres discusſos, certas qvæſtiones ſi non ſolutas, certe peritiorum disqviſitioni propoſitas, invenies. Neqve omnes libellos annotationibus meis dignatus ſum, eos ſolum, qvos vel antiqvitatis vel materiæ dignitas præ ceteris commendat. In ante editis ſolum exſtantiores notavi errores, leviores collationi uniuscujusqve relinqvens. Lectiones variantes, ubi neceſſe fuit, ubiqve obſervavi.

Plura in hanc meam Scriptorum veterum Collectionem præfari ſuperfluum duco, cum ſingulis opuſculis ſua, ut ſupra monui, prolegomena præpoſuerim. Latinitati meæ indulgeat ſapiens lector. Sat eſt bene voluiſſe, ſatius potuiſſe. Feci ego, qvæ debui.

Hafniæ die 5. Septembris 1772.

ELENCHUS
SCRIPTORUM TOMI PRIMI.

I. Vetuſtiſſima Regum Septentrionis Series, *Langfedgatal* dicta, a Japheto ad *Haraldum Harfager* Norvegiæ & *Horda-Knutum* Daniæ Reges. Pag. 1—6.

II. Genealogia Regum Anglo-Saxonum ab Odino ejusqve majoribus deducta. Pag. 6—9.

III. Series triplex Regum Septentrionis, a *Ragnaro Lodbrok* ad *Haqvinum* Magni filium Norvegiæ, *Ericum Memved* Daniæ, & *Birgerum* Sveciæ Reges. Pag. 10—13.

IV. Catalogus Regum Daniæ a *Dan* ad *Waldemarum II.* Pag. 13. 14.

V. Series ac brevior Hiſtoria Regum Daniæ a *Dan* & *Lother* ad *Waldemarum II.* Pag. 15—18.

VI. Nomina Regum Daniæ a *Dan* ad *Ericum Glipping.* Pag. 19.

VII. Incerti Auctoris Genealogia Regum Daniæ a *Dan* & *Angul* ad *Chriſtophorum I.* Pag. 20—25.

VIII. Series Runica Regum Daniæ prima. Pag. 26—30.

IX. Series Runica Regum Daniæ altera. Pag. 31—34.

X. *Cornelii Hamsfortii* Series Regum Daniæ a *Dano* ad *Fridericum II.* Pag. 34—42.

XI. *Svenonis Aggonis* filii compendioſa Regum Daniæ Hiſtoria a *Skioldo* ad *Canutum VI.* Pag. 42—64.

XII. Catalogus Regum Daniæ brevior. Pag. 64—66.

XIII. Series Regum Daniæ ab *Haraldo Klak* ad *Waldemarum II.* P. 66—68.

XIV. *Petri Olai* Minoritæ Roſkildenſis Chronica Regum Danorum a *Dano* ad obitum *Johannis* Regis. Pag. 68—148.

XV. Regum & Gentis Danorum Hiſtoria a Dáno usqve ad Annum 1288. dicta vulgo *Chronicon Erici Regis.* Pag. 148—170.

XVI. Petri Olai Minoritæ Roſkildenſis Annales Rerum Danicarum a *Cimbrorum* exitu ad An. Chriſti 1541. Pag. 171—197.

XVII. Annales, ab Anonymo circa Albiam, ad Annum usqve 1265. conſcripti. Pag. 197—212.

XVIII. Annales Rerum Danicarum Esromenſes, a Nato Chriſto ad Annum 1307. Pag. 212—250.

XIX. Annales Fratrum Minorum Wisbyenſes ab Anno 67. ad An. 1525. Pag. 251—266.

XX. Chronologia Rerum Danicarum Secunda, Auctore *Cornelio Hamsfortio* Cimbro, ab An. 687. ad An. 1448. Pag. 266—334.

XXI. Annales Danici Bartholiniani ab An. 777. ad An. 1200. P. 334—342.

XXII. Vita *Sancti Willehadi* a b. *Anschario* conſcripta. Pag. 342—360.

XXIII. Legenda de *Sancto Willehado*, lingvâ Saxonica inferiori. Pag. 360-365.

XXIV. De Eccleſia Bremenſi Vetus Scriptum. Pag. 366. 367.

XXV. Anonymi Neſtvedenſis Chronologia Danica ab An. 821. ad An. 1300. Pag. 368—372.

XXVI. Anonymi Roſkildenſis Chronicon Danicum ab Anno 826 — 1157. Pag. 373—387.

XXVII. Anonymi veteris Rerum Danicarum & Svecicarum Chronologia ab An. 826. ad An. 1415. Pag. 387—398.

XXVIII. *Ermoldi Nigelli* Narratio Metrica de Baptismo HARALDI Danorum Regis An. 826. Pag. 398—424.

XXIX. Nomina Regum Daniæ ab An. 827. usqve ad An. 1171. Pag. 424-426.

XXX. Vita *S. Anscharii* Archiepiſcopi Hamburgenſis, a *S. Remberto* conſcripta. Pag. 427—495.

XXXI. Chronologia Rerum Septentrionalium Ævi Anschariani. P. 496-561.

XXXII. *Gvaldonis* Poëma de Vita *S. Anscharii* Archiepiſcopi Hamburgenſis. Pag. 561—621.

XXXIII. Legendæ veteres de *Sancto Anschario*. Pag. 621. ſqq.

Regi-

Regiſtrum

Scriptorum aliqvot de Rebus Danicis, qvi aut deperditi ſunt, aut mihi ad manus nondum venerunt.

1. Chronicon Rerum Danicarum ab Anno 800. ad 1483, dialecto Saxoniæ inferioris conſcriptum.
2. Broder *Nigels van Sore* Daniſche Rym-Kronicke.
3. Diarium *S. Anſcharii*, in qvo itinera ſuæ Miſſionis ad convertendos Septentrionales annotavit. De qvo vid. infra p. 428.
4. Poëſis Anglo-Saxonica de bellis, qvæ *Beowulfus* qvidam *Danus*, ex *Regio Scyldingorum Stirpe* ortus, geſſit contra *Sueciæ Regulos*. Vid. Hickeſii Theſaur. Lib. II. p. 219.
5. *Gotcelinus Bertinianus* de Miraculis Auguſtini Lib. I. *Cum Danorum exercitus*. Vid. Baleus de Scriptor. Britan. P. II. p. 128.
6. De *Geſtis Danorum*, qvaliter *Danemarchia* multos procreavit, qvi regnum Francorum ab omni parte vaſtaverunt, incenderunt, ſubjugaverunt, Libris octo, cum Supplementis. Vid. Th. Smith Catal. Mss. Bibl. Cotton. p. 149.
7. Vetuſtiſſima Chronica *Danorum* in Anglia regnantium. Vid. Thom. Rudborne ap. Wharton T. I. p. 246. Conf. Baleus de Script. Brit. p. 170.
8. *Joannis Pyke* de *Regibus ex Danis* Liber unus. Vid. Baleus de Script. Brit. p. 170.
9. *Everbelmi* Abbatis Altimontis Hiſtoria *Popponis*.
10. *Geſta S. Olai*, citata ab Erico Olai p. 29. & alibi.
11. *Erici Odſon* Narrata de rebus Norvegicis. Vid. Snorr. Sturl. T. II. p. 326. 331. 333. 335.
12. *Guilh. Petiti* calumniæ de *Sverro* Rege Norvegiæ. Vid. Bartholini Antiqvit. p. 235.
13. *Geſta Danorum* in duobus Voluminibus, An. 1386. legata Capitulo Roſkildenſi a *Semundo Johannis* Canonico. Fuit forte Hiſtoria *Saxonis Grammatici*.
14. *Joach. Konninck*, Guſtrovienſis, Cœnobii Ottonienſis Scribæ, Hiſtoria *S. Canuti* Martyris latina, ab Hiſtoria Ælnothi plurimis in locis diverſa.
15. *Arnfaſti Monachi* libellus de Miraculis *S. Canuti* Regis. Grammii Orat. in Dán. Biblioth. T. VII. p. 483.
16. Statuta Convivii S. Canuti Regis in Othenſe martyrizati. Uffenbach. Biblioth. Mss. p. 219.
17. Hiſtoria *Petri Dani*, Comitis Scrinnenſis, auctore *Chriſtophoro Manlio*. Felleri Monum. p. 43.
18. Hiſtoria *S. Canuti Ducis* per Elienſem Epiſcopum Scotiæ.
19. Epiſtolæ *S. Wilhelmi* Abbatis de Paraclito.
20. *Burchardi de Plexen* Vita *S. Vicelini* eleganter compoſita. Evermot de Epiſc. Aldenb. ap. Paullini p. 167.
21. Anonymi Poëma vernaculum de rebus geſtis *Canuti VI.* & *Waldemari II.* ab An. 1199. ad 1228.
22. Chronologica varia ab An. 1020. ad 1400.

23. *Jacobus Mosle* de Miraculis *S. Andreæ.* Grammii Orat. in Dán. Biblioth. T. VII. p. 510.
24. Carmen de S. Andrea Slaulosiensi.
25. *Uffonis* Archiepiscopi Literæ. Ex Membrana Acad. Hafn. ante incendium.
26. Documenta ad Abbatiam Wæ in Scania pertinentia.
27. De Miraculis *S. Erici* Regis, seu Annales Miraculorum ab An. 1250. ad 1309, auct. *Johanne de Othonia.* Vid. Grammii Orat. in Dán. Bibl. T. VII. p. 500.
28. De *Waldemaro* Rege in pugna contra *Estones b. Nicolaum* honorante.
29. De *Tukone* Electo Arusiensi, qvi Historiam S. Clementis complevit.
30. De *S. Theodgaro* in Thuringia nato.
31. Liber de Miraculis Reliqviarum ossium & vestimentorum *S. Wilhadi* apud *Wiburgenses*, in membrana scriptus. Marm. Dan. T. II. p. 213.
32. *Nicolai Brun* Episcopi Slesvicensis Annales. Grammii Orat. in Dán. Bibl. T. VII. p. 499. Vide & infra p. 266.
33. Fragmentum Historiæ Monasterii Ryensis S. Laurentio dicati. Pontopp. Marm. Dan. T. II. p. 131.
34. *Torkilli* Abbatis Monasterii S. Claræ Historia ejus Monasterii, ab aliis continuata. Grammii Orat. in Dán. Bibl. T. VII. p. 481.
35. Chronica *Magistri Eylardi Schonevelt*, citata ab. Herm. Cornero. Grammii Meursius p. 527.
36. *Joh. Ruffi* Chronicon Lubecense anecdotum Saxonice scriptum. Molleri Cimbr. Lit. T. I. p. 576.
37. Vita Reginæ *Christinæ*, *Johannis* Regis uxoris, auctore *M. Olao Baggero*, Vicario Ottiniano. Resenii Biblioth. p. 331.
38. *Hiembeckii* & *Joannis Draxholmii* Annales. Vid. infra p. 171.
39. *M. Joh. Langii* Annales. Vid. infra p. 266.
40. *Joh. Bugenbagii* Relatio de Itinere suo in Daniam, qvam ad Jo. Frid. Elect. Sax. 1539. perscripsit. Servatur adhuc in Biblioth. Helmstadiensi.

Hæc & ejusmodi plura, si benevolo Lectori obviam fierent, mihi in gratiam patriæ ut communicet, obnixe rogo.

I.

Vetuſtiſſima Regum Septentrionis Series, *Langfedgatal* dicta, a Japheto ad *Haraldum Harfager* Norvegiæ & *Horda-Knutum* Daniæ Reges.

Series hæc ultimam præ ſe fert antiqvitatem, &, licet pauca admodum apud nos monumenta a chriſtianæ religionis initiis ad noſtram usqve ætatem, iniuria temporum, pervenerint, incredulum tamen adeo neminem eſſe oportet, ut dubitaret, primos chriſtianismi temporum homines a maioribus ſuis ethnicis, ſi non ſcripto, certe orali traditione, primorum Regum nomina ac geſta præcipua accepiſſe. Eadem primi ſcriptores, ſive monachi fuerint, ſive alii, in literas retulere. Ex horum ſcriptis, ſuccedentibus ſeculis, alius poſt alium apographa fecit, qvorum reliqviæ qvædam ad noſtrum ævum feliciter penetrarunt. Tales inter hanc, antiqviſimam origine, *Regum Seriem* merito cenſemus, qvam *veteres Norvegi* ſive potius *Islandi*, qvorum laudabili cura ea nobis cum eiusmodi pluribus conſervata eſt, inſigniverunt nomine *Langfedgatal*, qvæ vox *Genealogiam* ſive *Majorum Seriem* denotat. Ea *Series* qvantæ antiqvitatis qvantæqve fidei ſemper fuerit habita, ex *Snorrone Sturlæo* diſcimus, qvi eandem ut primarium inter fontes ſuos agnoſcit. Eadem longe ante uſus eſt *Arius Froda*, primus Islandorum ſcriptor, ſed dolendum eſt, eum tantum particulam eiusdem libello ſuo de Islandia, qvi ſolus ex omnibus ſcriptis eius iam ſupereſt, inſeruiſſe, nullo tamen alio fine, qvam ut monſtraret, ſe ipſum & conterraneos ſuos Breidafiordos *atavis ſeptentrionis Regibus* eſſe editos. Qvod propoſitum etiam plures Islandorum Hiſtorici in originibus coloniæ ſuæ ſcribendis prodiderunt. Ideo ipſis, invitis qvidem, non tanti intererat, ſi lapſus memoriæ aut calami irrepſerit, ſiqve genealogiæ ipſorum non omnibus numeris abſolutæ eſſent. Erravit certe *Arius*, dum cognomen *Vendilcraca*, qvod Ottaro competit, *Egillo* applicavit. Sic forte in pluribus & ille & ceteri. Sed ut ad Seriem noſtram *Langfedgatal* redeamus, illam *Stephanius* in Notis ad Saxonem Gramm. p. 106. *Odini Genealogiam* nominat. Et *Torfæo* in Serie Reg. Dan. p. 270. eadem *indubitatæ auctoritatis monumentum* cluit. Doctiſſimus ille *Torfæus* ibid. p. 211. ſqq. *duplicem* hanc *Genealogiam*, tum *Regum Daniæ*, cum Regis Norvegiæ *Haraldi Pulchricomi* per Sveciæ Reges ab Odino deductam, latine verſam, omiſis tamen *Odini* majoribus, ac ita non integram, primus apud nos (a) publicavit, uſus ad hoc, præter *Origines Norvegicas* in Codice Flateyenſi contentas, *duobus perantiqvis Codicibus* membraneis, altero Bibliothecæ Reſenianæ, qvi forte 1728. incendio periit, altera ab *Arna Magnæo* communicato. Ultimus hic Codex, niſi omnino fallor, eſt idem, qvi adhuc in Donatione Magnæana Bibl. Ac. Hafn. No. 415. in 4to ſupereſt, & ex qvo meum, qvod hic integrum, lin-

gva

(a) Ante eum *Verelius* Notis ad Hervarar Sagam p. 39. 40. *Langfedgatal* noſtrum inſeruit, ſed etiam qvoad Odini maiores æqve imperfectum, eiusdem poſteros ſolum recenſens.

gva autentica, & addita verſione latina, exhibeo, apographum exſcripſi. Ut autem qvanta licuit adcuratione procederem, meum cum exemplari manu ipſius *Arnæ Magnæi* deſcripto contuli. De præſtantisſimo hoc & optimæ notæ *Codice* monere habeo, eum jam decem ſolum integris ac illæſis foliis conſtare, duorum autem foliorum in fronte relicta fruſta maioris olim perfectionis teſtes ſunt. Eodem continentur, (1) *Nomina* omnium *Sinuum maritimorum Islandiæ*, qvorum tamen plurima ob foliorum mutilationem deſunt. (2) *Catalogus Pontificum Romanorum* a Petro ad Clementem V. qvi 1305. electus eſt. (3) *Computum eccleſiaſticum Islandice*, cum variis Aſtronomicis, inter qvæ Obſervationes *Stiörnu-Odda*. (4) *Annales* a Nato Chriſto, primo univerſales, a Seculo vero nono de rebus præſertim ſeptentrionis & Islandiæ usqve ad Annum 1313. in qvo finiunt, at, qvod dolendum maxime eſt, ii ab Anno 999. ad An. 1270 duorum ad minimum foliorum lacunam habent. (5) *Catalogus Epiſcoporum & Abbatum Islandiæ* usqve ad initium Seculi XIV. (6) *Nomina Provinciarum Norvegiæ*. (7) *Series* antiqvisſimorum Regum, *Langfedgatal* dicta. (8) *Triples Series* Regum Norvegiæ, Daniæ & Sveciæ, a Regnero Lodbrok ad initium Seculi XIV. continuata. Deniqve (9) *Fragmentum Hiſtoriæ* HARALDI BLAATAND & SVENONIS filii eius, Regum Daniæ, islandice ſcriptum, & ab Adamo Bremenſi mutuatum. Ad *ætatem Codicis* qvod attinet, iurare audeo in verba *Arnæ Magnæi*, qvi inſertæ ſchedulæ hanc annotatiunculam inſcripſit: *Scriptus eſt hic liber Anno 1313. & qvædam illius ante dictum annum.* Qvod tam ex ipſa ſcriptura, qvam ex prædictis catalogis & annalibus, qvi omnes circa ea tempora concorditer deſinunt, ſagacisſimus ille vir collegit. Habentur in Bibliotheca Academiæ noſtræ plura, ſed recentiora, huius *Langfedgatal* ſ. Genealogiæ exemplaria, nullum vero qvoad perfectionem cum hoc comparabile. De *Auctore* ſive potius huius Codicis ſcriptore nihil nobis proditum eſt, præterqvam qvod ex lectione Annalium eius conjicere licet, eum *Islandum* fuiſſe ac librum in Islandia ſcripſiſſe. Ut autem maiorem Codici auctoritatem conciliem, ſcripturæ eius ſpecimen, & qvidem hoc ipſum *Langfedgatal* noſtrum, ære excuſum, adiungere placuit. *Triplici* hocce monumentum *Serie* abſolvitur, prima eſt *majorum Odini* a Noacho, ſecunda *Regum Daniæ* ab Odino ad Horda-Knutum, tertia maiorum *Haraldi Pulchricomi* Regis Norvegiæ ab Odino usqve per Reges Sveciæ. Prima autem Series a Noa ad Odinum eadem fere eſt, qvæ exhibetur in Præfatione Eddæ edit. tam Reſenii qvam Göranſonii, nominibus tamen qvibusdam aut diverſimode & prave ſcriptis aut plane omiſſis.

LANGFEDGATAL

fra Noa til varra Konunga.

Japhet Noa ſvn, fadir *Japhans*, fadir *Zechim*, favdur *Ciprus*, f. *Celius* (b), f. *Saturnus* i Krit, f. *Jupiter* (c), f. *Darius*, f. *Erichonii* (d), f. *Troes*, f. *Ilus* (e) *Lamedon*, f. *Priami* (f) Konungs i Troeo.

Mimon eda *Memmon* (g) het Konungur i Troeo. Han atte dottur Priami Konungs.

Þeirra ſvn het *Tror*, er ver Kollum Þor (h).

GENEALOGIA

a Noacho ad Reges noſtros.

Japhet filius Noachi, pater Japhani, pater Zechimi, pater Cipri, pater Celii, p. Saturni Cretenſis, p. Jovis, p. Darii, p. Erichonii, p. Troes, p. Ili, p. Lamedonis, p. Priami Regis Troiæ.

Mimon ſive Memmon dicebatur Rex Troiæ. Ille habuit filiam Priami Regis.

Horum filius erat Tror, qvem nos Thor vocamus.

Han

(b) Mythologi veteres Saturno *Coelum* patrem tribuunt, hinc maiores noſtri *Celium* qvendam finxere.

(c) *Jupiter* a Norræno *Thor*, ɔ: lingva boreali *Thor* dicitur; Eddæ Præfat. Ab hoc ſeptimus deſcendit alter ille *Thor*, qvi Memnonis filius & ſeptentrionalium Deus princeps venditatur. Vid. infra Not. (h).

(d) Apollodoro *Erichthonius* filius Dardani & pater Trois.

(e) Hic deeſt in Codice f. ɔ: *faudur*, Ilus enim erat pater Laomedontis Regis Troiæ.

(f) *Odinum* pro *Priamo* habuerunt veteres, vid. Eddæ Præfat.

(g) *Memnon* notus ille veſtutatis heros eſt, qvi Troianis ſubſidio venit. Prologus Eddæ edit. Dan. nomen ſcribit *Munon* ſive *Mennon*, edit. Svec. *Menon*.

(h) De *Thoro* illo vid. *Torfæi* Ser. Reg. Dan. p. 118. Sicuti *Odinum* qvidam pro *Mercurio* habent, ita *Thorum* pro *Jove* ſecundum Prologum Eddæ. *Lucano* Pharſal. L. 1. v. 446. Jupiter *Taranes* dicitur, ſi lectio vera ſit.

langfedgatal ſyna á vatnaleid.

Japhet. hans ſ. Gadir iaphans ſ. Zechim. ſ. Gadyr. cyprus ſ. Gelk.
ſ. Satorn alsrit ſ. Jupiter ſ. Dard. ſ. Erichonij. ſ. troes. ſ. Assa-
lamedon. ſ. þann es troco. Wmmon het sa memnon het ker
troco. hans dottir þann es Prasyn het troy er v kollu
por. h v Gadir hlodna. Fra. ſ. emridi. his. ſ. Vngedyn. h. ſ.
Vngenet. his. ſ. moda. his ſ. magi. hs. ſ. seskef. Seseef
Bedvig. Athra. Itermann. Heremod. Scealdna. Beap.
Eat. Godulfr. finn. frealaf. Voden. hans kollu v Oden.
praisim co konar pleitarleg ett vord alfyma heim sins.
hinar tyr kia tegr. hiplödi sromverom norder hegat.
oden. Norder vsoxnu. Hugmyryr. siolnir.
Balande. Visbuk. Domaldr. domark. dyggvi. Dagr.
Agnskialfar boandi. Alrekr. Dugun. Iorunde. skoy hin
gamle. Egill vnnadolgr. Ottar Geindil kraka. Aspl
at upplavl. Hysteyn. Ingiark Brat onundr. Ingialdr
illradi. Olafr helgia. Halda hvit brein. Hysteyn.
Halfdan mitdi. Godrodr gamlagiarn. Halfdan svarti.
Haraldr harfagri.

dagr. Skuder. h. ſ. fridleifr. h. ſ. fridfrodr. h ſ. fridleifr. h. ſ.
Hawark handrain. h. ſ. frodi. h. ſ. varmundr vit. h. ſ. Olafr
hvitaskald. h. ſ. dagr vnkullati. frodi fridsami. h. ſ. vid
leifr. frodi fraekn. h. ſ. Ingialdr starkadr. potk. h. ſ. Half-
dan brodd. hs. Helgi throandi. h. ſt. Rolfr kraki. helga. ſ.
Hrarekr hnaggvan bogi. hinn alle. ſ. frodi. h. ſ. Halfdan. h. ſ.
Hrarekr slongvan bogi. h. ſ. Haraldr hilditonn. h. ſ. Sigurd
hring. Randver. ſ. radbarz. ſ. brodur haraldar. hilditonn
bra moder v. Audr diupudga. dott. Svarf. vidfadma son
Halfdans snialla. son Valdars mitda. hvar ſ. ſ. Halfdan. ſ. Ingialdr
Ragnar lodbrok. son. Sigurdar hrings. Sigurdr ormr i auga. ſ. starka
B. ſ. hardaknutr. h. ſ. so

Han var fadir *Hloriþa.*	*Ille pater erat Hlorithæ.*
Þeirra ſvn *Einridi.*	*Filius eorum Einridus.*
Hans ſvn *Vingeþorr.*	*Eius filius Vingethor.*
Hans ſvn *Vingener.*	*Eius filius Vingener.*
Hans ſvn *Moda.*	*Eius filius Moda.*
Hans ſvn *Magi.*	*Eius filius Magus.*
Hans ſvn *Seſkef* vel *Seſcef* (i)	*Eius filius Seſkef vel Seſcef.*
Bedvig.	*Bedvig.*
Athra.	*Athra.*
Itermann.	*Itermannus.*
Heremotr (k).	*Heremotus.*
Scealdna (l).	*Scealdna.*
Beaf (m).	*Beafus.*
Eat (n).	*Eatus.*
Godvlfi.	*Godulfus.*
Finn.	*Finnus.*
Frealaf (o).	*Frealafus.*
Voden (p), þan kollvm ver ODEN.	*Voden, qvem nos Odenum vocamus.*
Fra honom ero komnar fleſtar Konunga ættir i nord alfvna heimſins. Han var Tyrkia Konungr. Han flydi firir Romveriom nordr hegat.	*Ab eo deſcenderunt plurimæ Regum ſiirpes in plaga mundi ſeptentrionali. Erat ille Rex Turcarum. Fugit a Romanis aqvilonem verſus.*

ſit. Qvem tamen locum de *Thoro* noſtro loqvi recte dubitat *Schoningius* de Orig. Norv. p. 316. Dudo Script. Norm. p. 62. de Gothis aſſerit: „Sacrificabant olim, venerantes *Thur* Deum ſuum, cui non aliqvod pe„cudum neqve pecorum, nec liberi Patris, nec Cereris litantes donum, ſed ſangvinem maſtabant ho„minum, holocauſtorum omnium putantes pretioſiſimum, &c.“ Conf. qvæ *Procopius* edit. Grotii p. 261. de *Thulitarum Marte* eiusqve humanis hoſtiis narrat. it. *Matth.* Weſtmonaſt. p. 183. Nomina, qvibus *Thorum* inſigniverunt Scaldi noſtri ſ. vetuſtiſſimi Septentrionis Poetæ, leguntur Eddæ Parte II. Idem liber *Thorum* eiusqve geſta prolixe deſcribit Mythol. 19. 38. 39. 41. 55. 56. 57. De *Thori* effigie, ut cernebatur in fanis Norvegiæ, legatur Ol. Tryggv. Saga P. II. p. 101. 112. Adamus Bremenſis ap. Lindenb. p. 28. 61. eum & *Thor* & *Thorſtan* nominat, ejus cultum apud Sveones copioſe deſcribens. *Reginaldus* Princeps Danus, Rex Northumbriæ, victoria de Anglis & Scotis circa 943. potitus, minas in Religioſos S. Cuthberti jactando, hac formula utitur: *Juro per Deos meos potentes THOR & OTHAN, qvod ab hac hora inimiciſſimus ero omnibus vobis*, referente Sim. Dunelm. ap. Twysden p. 74. Conf. Sax. Gram. p. 23. 41.

(i) Omnes iſtæ generationes a *Seſcef* ad *Vodenum*, & qvidem iisdem nominibus, occurrunt in Genealogia Regum Anglo-Saxonicorum proxime ſeqventi, hoc tantum diſcrimine, qvod qvatuor ibi obvia nomina in noſtra deſiderentur.

(k) Huius nomen *Odinus* abnepos uni filiorum ſuorum dedit, docente Edda P. II.

(l) Hunc noſtri *Skiold* dixerunt, ut Eddæ Prologus monet, nominans eum *Skialdun.* Eſt idem, qvi in Geneal. Regum Anglo-Sax. ſcribitur *Sceldva.* Ethelverdus L. III. eum *Scyld* nominat. Huius ex atavis ſuis nomen Othinus indidit uni filiorum ſuorum, *Skiold* dicto, qvem Regem Danorum fecit. Vid. *Torfæi* Ser. Reg. Dan. p. 246.

(m) De *Beafo* vid. qvæ infra ad *Geneal. Reg. Angloſax.* Not. (o) dicta ſunt.

(n) *Eat* eſt idem, qvi in Geneal. Regum Anglo-Saxon. *Geat* ſive *Geta* vocatur, unus ex veterum heroibus, divinis honoribus olim cultus. Vid. infra *Geneal. Angloſax.* Not. (m).

(o) Odini patrem noſtri *Fridleif* vocarunt, teſtante Eddæ Prologo. Anglo-Saxones eum *Friduwaldum* nominant, cujus patrem qvædam exemplaria *Frelafum* avumqve *Finnum* faciunt, vid. Prolegom. Sim. Dunelm.

(p) De *Odino* ſive *Wodeno* vid. qvæ infra ad *Geneal. Angloſaxon.* Not. (i) dicuntur. Amicus meus Perill. *Submius* Lib. de Odino p. 49. *Vodenum*, qvi in Geneſogiis Regum Anglo-Saxonicorum occurrit, diverſum omnino & recentiorem omnibus *Odinis* noſtris eſſe putat. Sed, ut mihi videtur, *Wodenus* ille Regum Anglo-Saxonum atavus, cuius poſteri multis poſt ipſius ævum ſeculis Angliam intraverunt, unus idemqve fuit cum

Vodeno

ODEN.	*Odenus.*
NIORDR (q) i Noatvnvm (r).	*Niordus in Noatuna.*
YNGUI FRÆYR (s).	*Yngvi Frœyr.*
FIOLNER (t).	*Fiolnerus.*
SVEGDIR.	*Svegderus.*
VALLANDE (u).	*Vallandus.*
VISBVRR.	*Visburus.*
DOMALLDR.	*Domaldus.*
DOMARR.	*Domarus.*
DYGGVI.	*Dygvius.*
DAGR.	*Dagus.*
AGNI Skialfar boandi (v).	*Agnius Skialfæ maritus.*
ALREKR.	*Alrecus.*
YNGUI.	*Yngvius.*
JORVNDR.	*Jorundus.*
AVN hinn gamle.	*Aunus grandævus.*
EGILL Tunnadolgr (x).	*Egillus Tunnicida.*
OTTARR Vendilkraka (y).	*Ottarus Vendilcraka.*
AÞILS at Vppſavlvm.	*Athilus Upſalenſis.*
EYSTEINN.	*Eyſteinus.*
YNGVARR.	*Yngvarus.*
BRAVT ONVNDR.	*Braut-Onundus.*
INGIALLDR Illradi.	*Ingialdus Aſtutus.*
OLAFR Tretelgia.	*Olavus Lignarius.*
HALDAN Hvitbeinn.	*Haldanus Albipes.*
EYSTEINN.	*Eyſteinus.*
HALFDAN Milldi.	*Halfdanus Mitis ſive Munificus.*
GVDRÖDR Gavfoglati.	*Gudrodus Magnanimus.*

HALF-

Vodeno in Langfedgatal obvio ſive *Othino* eo, a qvo Reges noſtri & totius ſeptentrionis deſcendunt, qvod ex collatione utriusqve & noſtræ & Anglo-Saxonicæ Genealogiæ haud obſcure patet; *Wodenus* enim ſive *Othinus* filium *Bældæg* habuit, qvem noſtri *Balder* dixere, *Wodenus* etiam utrobiqve eosdem plane maiores habuit. Si vero inter Odini aut maiores aut poſteros, ſive in Anglicis ſive in noſtris Regum Genealogiis, generationes aliqvot interierint, hoc in rebus adeo antiqvis nemini mirum videatur, nec contra reliqvam convenientiam, ut res alicuius momenti, conſiderandum veniat. *Erbelwerdus* edit. Savilii fol. 474. 476. *Odinum* hunc & *Woddan* & *Wothen* nominat, vocans eum priori loco *Regem Barbarorum, qvem poſt infanda dignitate ut Deum honorantes, ſacrificium obtulerunt pagani victoriæ cauſa ſive virtutis*, poſteriori loco *Regem multarum gentium, qvem pagani nunc ut Deum colunt aliqvi.* Per *paganos*, ni fallor, intelligit maiores noſtros Septentrionales.

(q) Secundum præfationem Eddæ, *Niordus* idem eſt ac ipſe *Odinus.*

(r) *Noatuna*, nomen Sedis regiæ Niordi, ſupereſſe putatur in *Nostuna* prædio rurali prope Upſaliam. *Edda* fab. 2. mythicam explicationem *Noatunæ* profert. *Noatunam* haud procul Sigtuna ſitam fuiſſe, colligitur ex Snor. Sturlæo p. 6.

(s) In altera Parte Eddæ *Yngvi* & *Freyr* ut duo nomina diſtingvuntur, & credibile eſt, duas perſonas fuiſſe.

(t) Genealogiæ huius *Langfedgatal* exemplar, qvod *Verelius* Not. ad Hervarar Sag. p. 39. producit, inter *Yngvi Freyr* & *Fiolnerum* lacunam fuiſſe indicat, his verbis: *hier vantar* ɔ: hic deeſt aliqvid.

(u) Alii hunc *Vanlandum* ſcribunt. Vid. *Torfæi* Ser. p. 217, *Snor. Sturl.* T. I. p. 16.

(v) De ratione cognominis huius, lege *Snorr. Sturl.* T. I. p. 23.

(x) Unde *Egillo* hoc cognomen, vid. *Snorr. Sturl.* T. I. p. 34.

(y) Cognomen Ottari *Vendilkraka* patri eius *Egillo* male tribuitur ab *Ario Froda*, vid. edit. Buſſæi p. 76.

HALFDAN Svarti. *Halfdanus Niger.*
HARALLDR Harfagri (z). *Haraldus Pulchricomus.*

ODEN. *Odenus.*
SKIOLDR hans ſvn. *Skioldus filius eius.*
FRIDLEIFR hans ſvn. *Fridleifus filius eius.*
FRIDFRODE hans ſvn. *Frodus pacificus filius eius.*
FRIDLEIFR hans ſvn. *Fridleifus filius eius.*
HAVARR *Handrami*, hans ſvn. *Havarus Manufortis filius eius.*
FRODE hans ſvn. *Frodus filius eius.*
VARMUNDR *Vitri*, hans ſvn. *Varmundus ſapiens filius eius.*
OLAFR *Litillate*, hans ſvn. *Olavus Manſvetus filius eius.*
DANR *Mikillate* (a). *Danus Magnanimus ſive ſuperbus.*
FRODE *Fridſami*, hans ſvn. *Frodus Tranquillus filius eius.*
FRIDLEIFR (b). *Fridleifus.*
FRODE *Fækni* (c), hans ſvn. *Frodus Vegetus filius eius.*
INGIALDR *Starkadar foſtri*, hans ſvn. *Ingialdus Starcadi alumnus filius eius.*
HALFDAN brodir hans. *Halfdanus frater eius.*
HELGI oc HROAR hans ſynir. *Helgius & Hroarus filii eius.*
ROLFR Kraki, *Helga* ſvn. *Rolfus Krake Helgii filius.*
HRÆREKR *Hnaggvanbaugi* (d), *Ingiallz* ſvn. *Hræcus Hnaggvanbaugus Ingialdi filius.*
FRODE hans ſvn. *Frodus filius eius.*
HALFDAN hans ſvn. *Halfdanus filius eius.*
HRÆREKR *Slaungvanbaugi* hans ſvn. *Hræcus Slaungvanbaugus filius eius.*
HARALLDR *Hilditaunn* hans ſvn. *Haraldus Hilditannus filius eius.*
SIGVRDR HRINGR *Randveſſ* ſvn, *Radbarz* ſvnar, brodur *Haraldar Hilditannar.* Þeirra moder var *Avdr Divphvgda* (e), dotter *Ivars Vidfadma*, ſonar *Halfdanar Snialla* (f), ſonar *Valldars Millda*, *Hroars* ſonar, *Halfdanar* ſonar, *Sigurdus Ring, Randveri filius, Radbardi filii, fratris Haraldi Hilditanni. Mater eorum erat Auda Prædives, filia Ivari Vidfadmi, filii Halfdani Diſerti, filii Valdari Munifici, filii Hroari,*

(z) Hanc Genealogiæ Langfedgatal partem, *Verelius* Not. ad Herv. Sag. p. 39. ex Codice, qvem *Ærrarboga* nominat, edidit, eo tamen diſcrimine, qvod ab Ingialdo Illrada Sveciæ Reges continuentur ad Ericum Emundi filium. Ita *Arius Vreda* ab Haraldo Hvitbein diſcedit ad Aborigines Islandorum. *Torfæus* Ser. Reg. Dan. p. 217. collaterales aliqvot ex *Snorr. Sturlæo* addit.

(a) Cur hic non additur, ut de ceteris, *hans ſun*, bene obſervavit Clariſſ. *Schoningius* de Chronologia Hiſt. Norv. p. 50. Conf. Annot. *Torfæi* Ser. Reg. p. 214.

(b) Sicut de *Dano*, ita hic de *Fridleifo* nec dicitur, *hans ſun*, qvod probe obſervandum. Ita ſe habet exemplar *Verelii* Herv. Sag. p. 40. Idem tamen de *Dano* addit *hans ſun. Torfæus* Ser. Reg. Dan. p. 13. 14. 15. *Fridleifum* filium *Frodii* facit.

(c) Ceteri habent *Frækni* ſ. *Frækne*, qvod forte rectius.

(d) Apud *Verelium* Herv. Sag. p. 40. ex hoc *Hræcke Hnaggvanbaugi* male duo nomina fabricantur.

(e) Ceteri omnes *Audam* cognominant *Diupaudga*, prædivitem. Hoc autem cognomen *Diupbugda* alium ſenſum videtur inferre, ut ſcil. *Auda* fuerit femina *profundi animi, magni conſilii, prudentiſſima.*

(f) Arnas Magnæus hic interſerendum vult: *ſonar Haralldz gamla*, ex alio forte Codice.

ſonar, *Ingialdz* ſonar (g) *Starkadar foſtra* (h).

RAGNAR LODBROK ſvn *Sigurdar Hrings.*

SIGVRDR *Ormr i avga* hans ſvn.

HAVRDA KNVTR hans ſvn (i).

Hroari, filii Halfdani, filii Ingialdi Starcadi alumni.

Ragnarus Lodbrok filius Sigurdi Ring.

Sigurdus Angvioculus filius eius.

Horda-Knutus filius eius.

(g) Pro *Ingialdz ſonar* Arnas Magnæus reponendum vult *brodur Ingialdz.*

(h) Ut eo melius diſtingvantur generationes, a Frodio Frækne ad Regnerum Lodbrok allatæ, ſeqventem inde Genealogiam explicatius contexui, qvæ ab illa *Torfæi* Ser. Reg. p. 215. in eo differt, qvod hic occurrant duo *Halfdani*, alter frater, alter filius *Ingialdi*, & duo *Hroari*, nepotes eiusdem *Ingialdi*, unus ex filio, alter e fratre, ex qvo ultimo Torfæus maiores *Regneri Lodbrokii* deducit. Deinde apud Torfæum inter *Valdarum Milde* & *Halfdanum Snialle* ponitur *Haraldus Grandævus*, qvi hic non occurrit. Sed probe inqvirendum, anne *Torfæi Series* rectior ſit, cui etiam conſentiunt correctiones ab *Arna Magnæo* factæ, ſed unde illæ ſumtæ ſint, ipſe non ſignificat. En noſtram Genealogiam ad ductum Codicis factam:

Frode Frækne.

Ingialdr Starkadar foſtre.		Halfdan.
Hrærekr Hnauggvanbaugi.	Halfdan.	Helgi. Hroar.
Frode.	Hroar.	Rolfr kraki.
Halfdan.	Valldar Milde.	
Hrærekr Slaungvanbaugi.	Halfdan Snialle.	
Haralldr Hillditavn.	Ivar Vidfadme.	
	Avdr Diuphugda.	
	1. Hrærekr Slaungvanbaugi.	
	2. Radbard.	
1 Haraldr Hilditaun.	2 Randver.	
	Sigurdr Hring.	
	Ragnar Lodbrok.	

(i) Apud *Verelium* Herv. Sag. p. 40. loco *Hordaknuti*, immediate poſt *Sigurdum* ponitur *Gorm hin gamle*, qvi alias *Sigurdi* nepos habetur.

II.

Genealogia Regum Anglo-Saxonum ab Odino eiusqve maioribus deducta.

Propter affinitatem rei, & ut magis vindicetur præinſertæ Genealogiæ Regum noſtrorum vetuſtiſſimæ, *Langfedgatal* dictæ, auctoritas, adjicere lubet, ex Scriptoribus Anglorum antiqvis, Genealogiam Regum Anglo-Saxonicorum ab inclyto Rege Ælfredo ad *Odinum* usqve & per huius maiores ad Noachum deductam, qvæ ex magna parte cum noſtra probe convenit. Differentiam autem in nominum ſcriptione, ut & generationum qvarundam hinc & inde prætermiſſionem, in rebus tam antiqvis, præſertim apud auctores adeo longe diſitos ac pæne nullam communionem habentes, non eſt qvod advertemus. Unusqvisqve enim auctor ſuum propoſitum ſecutus eſt, pleriqve nimiæ brevitati ſtuduerunt, nec omnes æqve inſtructi fuerunt rerum notitia, qvidam etiam rem negligentius tractaverunt. Ne dicam de mendis ac defectibus, tam librariorum qvam typographorum incuria admiſſis. Mirandum potius eſt, aliqvid eiusdem maiorum

iorum gentilium traditionis apud diverſas tamqve disjunctas nationes & poſt tot Seculorum decurſum adhuc ſupereſſe. Sunt ex noſtris docti viri, qvi contendunt, Scriptores noſtros veteres, qvoad Genealogiam *Odini*, ſua qvædam narrata ex Anglicis ſumſiſſe. Cum autem olim noſtri Juti, Angli, Dani, & Norvegi ſedes ſuas in Anglia fixerint, Angli e contra non ad nos venerint, mihi veriſimilius videtur, noſtros notitiam illam de *Odini* apud nos cultu, deqve eius propinqvis & maioribus, in Angliam ſecum invexiſſe, Anglisqve, ſi non ſcripto, tamen ore, tradidiſſe. Adhæc conferendo utrasqve, Anglorum noſtrorumqve, vetuſtiſsimas Genealogias, qvisqve deprehendet, noſtros easdem longe pleniores temporumqve rationi forte magis conſentaneas conſervaſſe. At non ideo primævos noſtros ſcriptores nævis ac erroribus abſolvo; cum enim omnia in traditione orali & memoria humana pendebant, non potuit non accidere, qvin multa manca, mutila & minus accurata tam in nominibus qvam in rebus ſubrepſerint. Minime autem ſpondeo pro remotiſsimorum temporum generationibus, iis præcipue, qvæ *Japhetum* inter & *Thorum* a noſtris recenſentur. Inſtituta igitur collatione, utriusqve, qvantum fieri poteſt, conciliationi ſtudendum, unaqve ex altera ſupplenda aut emendanda eſt. *Genealogia Anglo-Saxonica*, qvam hic exhibeo, deſumta eſt, ut accuratiſsima & ceteris purior ex vet. *Chronico Saxonico* editionis Gibſonianæ p. 77. & ſupplera ex iis exemplis, qvæ in ſua ſcripta retulerunt *Aſſerius Menevenſis* p. 3. 4. *Etbelverdus* Lib. III. *Ordericus Vitalis* Script. Norm. p. 639. *Wilhelmus Malmesbur.* ed Savilii fol. 22. b. *Simeon Dunelm.* ap. Twysden in Prolegom. it. p. 119. 138. *Ailredus Rievall.* ibid. p. 350. *Radulf de Diceto* ib. p. 529. *Joan Wallingford* ap. Thom. Gale T. I. p. 535. *Albericus* Mon. P. I. p. 186. collatis etiam eiusdem Genealogiæ apud alios fragmentis.

Æthelwulf (a), wæs Ecgbyrhting.
Ecgbyrht (b) Ealhmunding.
Ealhmund (c) Eafing.
Eafa Eopping.
Eoppa Ingilding.
Ingild (d) wæs Ines (e) brodor, Weſt-Seaxna cyninges. And hie wæron Cenredes ſuna.
Cenred wæs Ceolvalding.
Ceolwald Cuthaing.
Cutha Cuthvining.
Cuthwine Ceavlining.
Ceavlin (f) Cynricing.
Cynric Creoding (g).
Creoda Cerdicing.
Cerdic wæs Eleſing.
Eleſa Esling.
Esla Geviſing.
Gevis Viging.
Vig Freavining.

Æthelwulfus fuit Ecgbyrhti filius.
Ecgbyrhtus Ealhmundi.
Ealhmundus Eafæ.
Eafa Eoppæ.
Eoppa Ingildi.
Ingildus fuit Inæ frater, occidentalium Saxonum Regis. Et hi erant Cenredi filii.
Cenredus fuit Ceolwaldi.
Ceolwaldus Cuthæ.
Cutha Cuthwini.
Cuthwinus Ceawlini.
Ceawlinus Cynrici.
Cynricus Creodæ.
Creoda Cerdici.
Cerdicus fuit Eleſæ.
Eleſa Eslæ.
Esla Gewiſi.
Gewiſus Wigi.
Wigus Freawini.

(a) An. 836. *Æthelwulfus*, pater *Ælfredi* Regis, regnare cœpit. Chr. Sax. p. 73.
(b) An. 800. *Ecgbryhtus* capeſſit regnum. Chr. Sax. p. 68.
(c) An. 784. *Ealhmundus* regnavit in Cantio. Chron. Sax. p. 63.
(d) An. 718. *Ingild* moritur.
(e) An. 688. *Inas* capeſſit regnum.
(f) An. 560. *Ceawlinus* regnum capeſſit.
(g) Chron. Saxon. p. 15. *Creoda* omittitur, & *Cynricus Cerdici* filius dicitur. Hi An. 495. appulerunt in Britanniam, An. 519. *Cerdicus* in Weſtſaxonia regnare cœpit, cui mortuo An. 534. ſucceſſit *Cynricus* p. 18. 19.

Freavine Frithugaring.	*Freawinus Frithugari.*
Frithugar Bronding.	*Frithugarus Brondi.*
Brond (h) Bældæging.	*Brondus Bældægi.*
Bældæg Vodening.	*Bældægus Wodeni.*
Voden (i) Frithuvalding.	*Wodenus Frithuwaldi.*
Frithuvald Freavining.	*Frithuwaldus Freawini.*
Freavine (k) Frithuvulfing.	*Freawinus Frithuwulfi.*
Frithuvulf Finning.	*Frithuwulfus Fimi.*
Finn (l) Godvulfing.	*Fimus Godwulfi.*
Godvulf Geating.	*Godwulfus Geatæ.*
Geat (m) Tætvaing.	*Geatus Tætwai.*
Tætva (n) Beaving.	*Tætwaus Beawi.*
Beav (o) Sceldvaing.	*Beawus Sceldwaæ.*

Huius

(h) Alibi & sæpius *Brand* scribitur. De his *Odini* posteris vid. Eddæ exemplar, qvo usus est *Torfæus* Ser. Reg. Dan. p. 109.

(i) Joanni Wallingford ap. Th. Gale T. I. p. 535. nomen *Odini* scribitur *Guodden.* Chron. Saxon. p. 13. ad An. 449. *Anglorum* Duces fuerunt duo fratres *Hengestus* & *Horsa*, qvi erant filii *Wihtgilsi*, Wihtgilsus *Wittæ*, Witta *Wectæ*, Wecta *Wodeni.* A *Wodeno* originem ducebat omne nostrum genus Regale, itemqve Suthhymbrorum. Sicuti hic qvinqve solum videmus generationes ab *Odino* ad *Hengistum*, ita ex eodem Chronico Saxonico monstratur, fuisse ab *Odino* ad *Cerdicum* An. 495. decem generationes, ab *Odino* ad *Idam* 547. decem, ab *Odino* ad *Ællam* 560. duodecim, ab *Odino* ad *Ceolwulfum* 597. tredecim, ab *Odino* ad *Pendam* 626. duodecim, ab *Odino* ad *Offam* 755. sedecim, ab *Odino* ad *Ætbelwulfum* 854. viginti tres generationes, inclusa ubiqve & prima & ultima persona. Hanc observationem, ut conducibilem ad veram *Odini* Chronologiam investigandam, apponere volui. Ailredus Abbas Rievall. ap. Twysden p. 351. de *Odino* ita scribit: „A *Sem* genealogia ducitur usqve ad *Woden*, qvi tantæ auctoritatis fuit „apud suos, ut *feriam qvartam*, qvam Romani gentiles *diem Mercurii* appellabant, eius nomini conse„crarent, qvæ consvetudo ab Anglis hodieqve servatur, vocant enim eundem diem *Wodnesdei*, id est, „*diem Woden.*" Conf. Fordun Scotichron. T. II. 491. Ordericus Vitalis addit: *Hic magnæ sublimitatis inter suos & potentiæ fuit.* Rarius anecdoton Genealogiæ *Odini* interserit Albericus p. 187., hæc narrans: „*Woden*, qvi *Mercurius* dictus, & in *Gothlandia insula habitavit*, qvæ est in illo mari mediterraneo, qvod „inter *Daciam* & *Poloniam* situm vergit ad orientalem septentrionem, ibi in illa insula dabat responsa „qvasi divinus. Unde legitur in *Historia Longobardorum*, qvod cum *Ybor* & *Agyon* primi duces eorum „ad istum *Woden* venissent, prædixit eis, qvod fortunati esse deberent, & ita qvasi Deus habitus est, „licet etiam post incarnationem Christi extiterit" Conf. ibid. p. 23. Qvæ de Oraculo *Wodeni* sive *Godan* & uxoris eius *Freæ* Paulus Diaconus Warnefridi habet, leguntur Libro I. cap. 8. 9. De Odini effigie & cultu apud Sveones Vid. Adam. Brem. ap. Lindenbr. p. 61. 62.

(k) Pro *Freawino* Asser. Menev. habet *Frealaf.*

(l) Ex duobus nominibus *Finno* & *Godulfo* Asserii Editio p. 4. unum nomen *Fingodwulf* male composuit. Sic Orderico Vitali p. 639. *Findggoldvvlf.*

(m) De *Geata* sive *Geta* observant Asser. Menev. Ordericus Vitalis, & Sim. Dunelm. *paganos* eum jam dudum *pro Deo veneratos* fuisse, citantes Sedulium Poetam Seculi V. Qvibus suffragatur Ailredus Rievall. dicens: Ipse [*Geta*] *tantæ sapientiæ & virtutis* habitus est, ut *a paganis pro Deo coleretur.* Conf. *Neunii* testimonium de numine *Geatæ* ap. Th. Gale T. I. p. 105. Idem, qvi *Eat* in Langfedgatal, de qvo ibi Not. (n). In Prologo Eddæ dicitur *Jat.* Forsan hic *Geat* sive *Geta*, si venia conjecturæ detur, fuit primus, antiqvissimus & verus *Othinus*, cuius & nomen & numen posteriores illi sibi vindicarunt, & a qvo forte *Goti*, *Getæ* & *Joti* nominis originem traxerunt. Eam olim opinionem fovit diligentissimus antiqvitatum nostrarum Scrutator Jonas Venusinus, *Gotos* scil. a *Guoten* sive *Othino* dictos, Vid. Bartholin. Antiqv. p. 70. Mihi eo potius hæc sententia arridet, qvod *Beaf* pater *Geatæ*, testante Prologo Eddæ, apud maiores nostros *Biar* s. Baur dictus est, & ex ipsa Mythologia Eddica novimus, *Odini* primi patrem *Bor* vocatum fuisse. Conf. *Leibnit.* Script. Brunsv. T. I. p. 33. Not. (**).

(n) *Tætva* nec in Langfedgatal nec in Eddæ Prologo obvius.

(o) *Beav* ap. Ethelverdum *Beo*, in Langfedgatal *Beaf.* De hoc ita Prologus Eddæ: *Biaf* qvem nos dicimus *Biar* sive *Baur.* Forte est idem ille *Bor*, qvem antiqvissimo *Odino* patrem Edda tribuit. At, si *Tætva* interseretur, fit *Geatæ* sive huius *Odini* avus.

Huius Sceldvæ filius *Sceaf* ab Aſſerio & Auctore Chronici Saxonici, qvi hiſtoriam eius forte pro fabula habuere, omiſſus eſt, ſed ab Ethelverdo, Wilhelmo Malmesbur. & Simeone Dunelmenſi aliisqve reſtituitur, addita de eo ſingulari hac narratione (p):

Sceaf iſte, ut fertur, in qvandam inſulam Germaniæ *Scandzam*, de qva *Jordanes* Hiſtoriographus Gothorum loqvitur, appulſus navi ſine remige puerulus, poſito ad caput frumenti manipulo dormiens, ideoqve *Sceaf* nuncupatus, ab hominibus regionis illius pro miraculo exceptus, & ſedulo nutritus, adulta ætate regnavit in oppido, qvod tunc *Slasvic*, nunc vero *Haitheby* appellatur. Eſt autem regio illa *Anglia vetus* dicta, unde *Angli* venerunt in *Britanniam*, inter *Saxones* & *Gothos* (q) conſtituta. *Sceaf* fuit filius Heremodii &c.

Sceldvea (r) Heremoding.	*Sceldwea Heremodi.*
Heremod Itermoning.	*Heremodus Itermoni.*
Itermon Hathraing.	*Itermonus Hathræ.*
Hathra (s) Hvalaing.	*Hathra Hwalæ.*
Hvala (t) Bedviging.	*Hwala Bedwigi.*
Bedvig (u) *Sceafing* (x). Thes filius *Noe*. Se væs geboren in thære earce *Noe*.	*Bedwigus Sceafæ, filii Noe, qvi natus eſt in arca Noe.*

(p) Hæc ilsdem fere verbis Matth. Weſtmonaſt. p. 166. & Albericus Mon. p. 187. repetunt, excepto tamen, qvod ibi pro *Scandza* legitur *in Scania inſula qvæ eſt in Dacia.* In Malmesburienſi male habetur *Scamphra* pro *Scandza* & *Eitheiſi* pro *Haitheby*. Ethelverdus Scriptor Seculi X. *Scani* pro *Scandza* habet. Ejusdem integram narrationem, ut vetuſtiorem & ſimpliciorem, huc apponere lubet: *Ipſe SCEF cum uno dromone advectus eſt in inſula oceani, qvi dicitur SCANI, armis circumdatus, eratqve valde recens puer, & ab incolis illius terræ ignotus, attamen ab eis ſuſcipitur, & ut familiarem diligenti animo eum cuſtodierunt, & poſt in Regem eligunt.* Celeb. *Schoningius, Sceaf* hunc ipſum *Odinum* fuiſſe, putat, de Orig. Norvegor. p. 298. ſq.

(q) Wilh. Malmesbur. *Giotbos* habet.

(r) *Sceldvea* idem eſt; qvi in præcedenti Langfedgatal *Scealdna* dicitur, de qvo ibi Not. (l). Hunc *Ethelverdus* ap. Savilium fol. 479. *Scyld* nominat *Sceſi* filium. Ni fallor, eſt idem *Scyld Scefing*, ex cuius poſteris *Beovulfus* qvidam Danus fuit, qvi bella cum Regulis Sveciæ geſſit, de qvo vetuſtum Poema Anglo-Saxonicum in Biblioth. Cotton. habetur, *Hickeſii* Theſ. T. II. p. 219. Eadem fere nomina, *Skioldus Skilfingi* filius, occurrunt in veteri Hiſtoria Norvegica, Vid. *Ol. Tryggv. Saga* T. II. p. 333. *Torfæi* H. N. P. I. p. 178. qvod ideo ſolum moneo, ut videant critici, qvam facile in errores ac confuſiones propter nominum ſimilitudinem trahamur.

(s) In Langfedgatal *Astra* ſ. *Asbra*. De eo prologus Eddæ: qvem nos dicimus *Annan*.

(t) *Hvala* in Langfedgatal & Prologo Eddæ omiſſus.

(u) Apud Aſſerium Menevenſem *Bedvig* eſt *Semi* filius, *Noachi* nepos. In Prologo Eddæ edit. Reſen. vitioſe legitur *Lieding*.

(x) Omnes *Vodeni* ſive *Odini* maiores ad hunc *Sceafum* usqve ſunt plane iidem, iisdemqve fere nominibus diſtincti, qvi in noſtro ante allato *Langfedgatal* occurrunt, qvatuor tamen perſonæ plures in Anglo-Saxonica Serie qvam in noſtra comparent. Pro *Sceafo* Aſſerius Menev. & Ailredus Rievall. *Sem* legunt, Langfedgatal *Seſcef*, Prologus Eddæ Edit. Dan. *Cesperth*, Edit. Svec. *Seſſmeg*. Forte rectius ad hunc *Sceafam* referenda ſunt, qvæ ſupra allata, in qvibusdam exemplaribus interpolata ſunt. Inter hunc & Noachum Scriptores Anglos generationes qvam plurimas omiſiſſe, qvis non videt. Earundem qvasdam noſtrum *Langfedgatal* reſtituit. Ex rebus autem & nominibus tam remoti tamqve obſcuri temporis aliqvot interiiſſe, non inirum.

III.

Series triplex Regum Septentrionis, a Ragnaro Lodbrok ad Haqvinum Magni filium Norvegiæ, Ericum Menved Daniæ, & Birgerum Sveciæ Reges.

Ex eodem vetuſto Codice membranaceo, unde primum monumentum *Langfedgatal* deſumtum eſt, & de qvo ſatis ſupra dictum, etiam triplex hæc Series meamet manu exſcripta eſt, & poſtea verſione latina aucta. Ubi prior deſiit, hæc incipit, poſterosqve RAGNARI LODBROKII, trium horum regnorum Reges, recenſet, Norvegiæ ſcil. usqve ad HAQVINUM Magni filium, Daniæ ad ERICUM Menvedum, Sveciæqve ad BIRGERUM, qvi omnes tres Reges contemporanei ineunte Seculo XIV. floruerunt. Tertiam trium harum Seriem, Regum ſcilicet Sveciæ, a Ragnaro Lodbrok ad Birgerum, edidit olim *Ericus Benzelius* ad calcem *Vaſtovii* ſui, cum nulla alicuius momenti differentia, niſi in nominum qvorundam ſcriptione, & qvod *Ingo Steinkilli* filius ibi ponatur ut ſolus & ſeorſim regnans, cum in noſtro Codice *Ingo, Halſtein*, & *Blotſvein* ut conregnantes collocantur. Fruſtum hoc Seriei Regum ſeptentrionalium *Benzelius* deſumſit ex manuſcriptis codicibus Delagardianis No. 12, & 36. Unde etiam, ni fallor, *Verelius* Herv. Sag. p. 39. ſua *Langfedgatalii* fragmenta habuit. Ii autem Codices, qvantum conjicio, recentiori ævo ſunt ſcripti, & ex partibus noſtris in Sveciam ſuperiori Seculo cum reliqvis Collectaneis Stephanianis delati. *Auctor*, qvisqvis fuerit, ſive Norvegus ſive Islandus, vixit dubio procul ſub auſpiciis Seculi XIV. qvando ſcil. tres ſupradicti Reges, in qvibus Series ſuas terminat, Daniam, Sveciam & Norvegiam regebant. Sed non dubium eſſe poteſt, ei ad manus fuiſſe longe vetuſtiores Regum ſeptentrionalium Catalogos, qvos ſecutus eſt. Qvod vero Auctor adverſariæ olim in Norvegia factioni, qvam *Baglos* vocarunt, faverit, a me infra Not. (f) obſervatum eſt.

RAGNAR *Lodbrok.*	*Ragnarus Lodbrok.*
SIGURDR *Ormr i avga.*	*Sigurdus Angviocuhis.*
Aſlaug (a).	*Aſloga.*
Sigurdr Hiort.	*Sigurdus Hiort.*
Ragnildr (b).	*Ragnilda.*
Norregs Konungar.	*Reges Norvegiæ.*
HARALLDR *Harfagri.*	*Haraldus Pulchricomus.*
EIRIKR *Blodæyx.*	*Ericus Blodöxe.*
HAKON *Godi.*	*Haqvinus Bonus.*
HARALLDR *Grafelldr.*	*Haraldus Grafeld.*
HAKON Jarll en *Riki.*	*Haqvinus Comes Dives.*
OLAFR *Tryggva ſvn.*	*Olavus Trygvii filius.*
Eirikr Jarl. SVEIN Jarl. oc HAKON (c).	*Ericus Comes. Sveno Comes. & Haqvinus Comes.*
OLAFR hinn *Helgi Haralldz* ſvn.	*Olavus Sanctus, Haraldi filius.*
KNVTR hinn *Riki.*	*Kanutus Dives.*

SVEINN

(a) *Aſlauga*, filia *Sigurdi Angvioculi*, nupta *Helgio hin Hvaſſe*, mater erat *Sigurdi Hiort. Snor. Sturl.* T. I. p. 67.

(b) *Ragnilda*, filia *Sigurdi Hiort* Regis Ringarikiæ, nupſit Regi *Halfdano Svarte*, eiqve peperit *Haraldum Pulchricomum*. Sn. Sturl. T. I. p. 69. 71.

(c) *Haqvinus* Comes junior, nepos *Haqvini* Comitis ſenioris ex filio, & nepos KANUTI MAGNI Regis ex ſorore *Gyda*, qvi partem illam Norvegiæ regebat, qvam, poſt *Olavi Trygvinii* cædem, in regni partitione pater ejus *Ericus* Comes obtinuerat.

SVEINN *Alfivu* ſvn.	*Sveno Alfivæ filius.*
MAGNUS *Riki* (d) *Olafs* ſvn.	*Magnus Dives, Olavi filius.*
HARALLDR hin *Hardradi.*	*Haraldus Imperioſus.*
MAGNUS hinn *Godi.*	*Magnus Bonus.*
OLAF hinn *Kyrri.*	*Olavus Tranqvillus.*
MAGNUS *Barfættr.* HAKON *þoris foſtre* (e).	*Magnus Nudipes. Haqvinus Thoreri alumnus.*
SIGURDR *Jorſalafar.* EYSTEINN. OLAFR.	*Sigurdus Hieroſolymipeta. Eiſteinus. Olavus.*
HARALLDR *Gilli.* MAGNUS *Blindi.*	*Haraldus Gille. Magnus Coecus.*
INGI. SIGURDR. EYSTEINN.	*Ingius. Sigurdus. Eiſteinus.*
HAKON *Herdibreidr.*	*Haqvinus Robuſtus.*
MAGNUS *Erlings* ſvn.	*Magnus Erlingius.*
SVERRIR *Magnus.*	*Sverrerus Magnus.*
HAKON.	*Haqvinus.*
INGI. ERLINGR *Steinveg.* PHILIPPUS (f).	*Ingius. Erlingus Steinveg. Philippus.*
HAKON *Gamli.*	*Haqvinus Senior.*
HAKON *Vngi.*	*Haqvinus Junior.*
MAGNUS hinn *Godi.*	*Magnus Bonus.*
EIRIKR *Magnus.*	*Ericus Magni filius.*
HAKON *Magnus.*	*Haqvinus Magni filius.*
þesſir ero Dana Konungar.	*Hi ſunt Danorum Reges.*
RAGNAR *Lodbrok.*	*Ragnarus Lodbrok.*
SIGVRDR *Orm i avga.*	*Sigurdus Angvioculus.*
HAURDA KNUTR.	*Horda-Kanutus.*
GORMR hinn *gamle.*	*Gormus Grandævus.*
HARALLDR.	*Haraldus.*
SVEINN *Tyguſkegg.*	*Sveno Furcatæ barbæ.*
KNVTR *Riki.*	*Kanutus Dives.*
HAVRDA KNVTR.	*Horda-Kanutus.*
MAGNUS *Riki, Olafs* ſvn.	*Magnus Dives Olavi filius.*
SVEIN *Vlfs* ſvn.	*Sveno Ulfonis filius.*
HARALLDR *Hein, Sveins* ſvn.	*Haraldus Hein Svenonis filius.*

(d) *Magnus* ille, Olavi Sancti filius, a Snorrone Sturlæo & fere ubique *Bonus* cognominatur, hic vero *Rike* i. e. dives ſive potens. E contra cognomen *Bonus* in hac Serie tribuitur Regibus, *Magno* filio Haraldi Haardraade, & *Magno Lagabæter.*

(e) Cognomen *Hakonis* in Codice vix legi poterat, ſed ex *Snor. Sturlæo* T. II. p. 196. reſtitutum eſt. Erat ille *Haqvinus*, nepos *Haraldi Haardraade* ex filio Magno Rege & conrex patruelis ſui *Magni nudipedis.*

(f) Tres iſti, *Ingius* ac *Erlingus*, qvi ſe filios Regis *Magni Erlingii* profeſſi ſunt, & *Philippus*, fuere *Reges Baglorum*, non totius Norvegiæ. Unde patet, primum huius Seriei Auctorem parti illi faviſſe, ſiqvidem hos in numerum generalium Regum refert, prætermittens alios, ſcil. *Guttormum* Sverreri ex filio Sigurdo nepotem, & *Ingium* Baardi filium, Sverreri ex ſorore nepotem, qvi *Birkebenorum* & ſanioris partis Norvegiæ Reges erant. Prædictos *Erlingum* & *Philippum* Rex Daniæ *Waldemarus II.* Anno 1204. Tunsbergæ Homines ſuos fecit, illum Regem, hunc Ducem Norvegiæ conſtituendo, *Chron. Erici* ad h. a. Conf. *Chron. Norv.* Ed. Dan. p. 539.

KNVTR *Helgi, Sveins* ſvn.	*Kanutus Sanctus Svenonis filius.*
OLAFR *Sveins* ſvn. VIII. ar.	*Olavus Svenonis filius. Octo annis.*
EIRIKR *Ey godi, Sveins* ſvn. VIII. ar.	*Ericus Eygode Svenonis filius VIII. annis.*
NICKOLASS *Sveins* ſvn. XXX.	*Nicolaus Svenonis filius. XXX. ann.*
EIRIKR *Eimmi.* III. ar.	*Ericus Emun. III. annis.*
ERIKR *Lamb.* V. ar. (g).	*Ericus Lam. V. annis.*
SVEIN *Svidandi.* VIII. ar.	*Sveno Moleſtus. VIII. annis.*
VALDEMARR. XXV. ar.	*Valdemarus. XXV. annis.*
KNUTR. XX. ar.	*Canutus. XX. annis.*
VALDEMAR. XXXIX. ar.	*Valdemarus. XXXIX. annis.*
EIRIKR. IX. ar.	*Ericus. IX. annis.*
ABEL. III. ar.	*Abel. III. annis.*
CRISTOFORUS.	*Chriſtoferus.*
EIRIKR.	*Ericus.*
EIRIKR *Eiriks* ſvn.	*Ericus Erici filius.*

Reges Sveciæ.

RAGNAR *Lodbrok.*	*Ragnarus Lodbrok.*
BIORN *Jarnſida.*	*Biorno ferrei lateris.*
EIRIKR *Biarnar* ſvn.	*Ericus Biornonis filius.*
EIRIKR *Ræfils* ſvn.	*Ericus Ræfilli filius.*
EMUNDR. oc BIORN *at Havge.*	*Emundus. & Biorno Haugenſis.*
EIRIKR *Emundar* ſvn.	*Ericus Emundi filius.*
BIORN ſvn hans. Lara (h).	*Biorno filius eius.*
EIRIKR *Sigrſæli.* oc OLAFR (i).	*Ericus Victorioſus. & Olavus.*
OLAFR *Sænſki* (k).	*Olavus Svecus.*
AVNUNDR JACOB.	*Amundus Jacobus.*
EMUNDR *Olafs* ſvn.	*Emundus Olavi filius.*
STEINKELL.	*Steinkellus.*
HAKON (l).	*Haqvinus.*
INGI *Steinkels* ſvn. oc HALLSTEIN. oc BLOT-SVEINN.	*Ingius Steinkelli filius. & Halſteinus. & Blot-Sveno.*

INGI.

(g) In computatione annorum regiminis hujus Regis haud ſatis exactus videtur Auctor, in ceteris qvodam modo defendi poteſt. Forte ERICO demit eos annos, qvibus OLAVUS Regis nomen uſurpavit.

(h) Qvid ſibi velit hoc *Lara*, difficulter dixerim. Vix credo, illud eſſe cognomen *Olavi* infra ſcripti. Vellem id potius ita diſtingvere *L. ara* & ad *Biornonem* Regem referre, ſi modo regnum ejus *L. annos* duraſſet, qvod vix fidem meretur. *Arnas Magnæus* in ſuo apographo etiam legit *Lara*, nulla addita explicatione.

(i) *Olavus* ille, Styrbiörni pater, frater & conrex *Erici victorioſi*, obiiſſe creditur circa An. 964. aut 966. *Wilde* ad Puffend. P. II. p. 352. *Dalin* T. I. p. 587.

(k) *Olavus* Rex, qvem Sveci alias *Skotkonung* cognominant, & hic & a *Snorrone Sturlæo* ſæpius cognomine *Sænſki* ſive *Sönſki* inſignitur, qvod idem erit ac *Svenſke* ɔi *Svecus*. Qvo ſenſu vox a Scaldis ſ. Poëtis veteſtis *Thiodulfo*, *Thormodo* & *Sigvato* uſurpatur, *Sonſcri thiod*, populus Svecicus, *Kong Sonſcan*, Rex Svecus, *Her Sönſcan*, exercitus Svecus, Vid. Sn. Sturl. T. I. p. 37. 42. 274. 672.

(l) Hunc Svecorum Hiſtorici recentiores putant fuiſſe *Haqvinum* illum Ivari filium, Norvegum, qvem Rex *Haraldus Haardraade* Comitem creavit, eiqve *Ragnhildem* filiam *Magni Boni* uxorem dedit. Vetuſtus Catal. Reg. Svec. qvem Illuſt. *Ihre* edidit, *Haqvinum* Weſtrogothum facit, eiqve cognomen *Röde* ɔ: Ruffum attribuit, Conf. *Act. Lit. Svec.* T. I. p. 256.

INGI. oc PHILIPPUS *Hallſteins* ſynir.	*Ingius, & Philippus Hallſteini filii.*
ROGNVALLDR ſvn *Olafs Nes Konungs.*	*Rognvaldus filius Olavi Reguli.*
KOLR *Blotſveins* ſvn, hann Kollodu Sviar EIRIK ARSÆLA (m).	*Kolus Blotſveni filius, hunc Svecі Ericum Arſæl nuncupaverunt.*
SAVRKVIR *Kols* ſvn.	*Sverkerus Koli filius.*
EIRIKR *Helgi, Eatvardar* ſvn.	*Ericus Sanctus Eadvardi filius.*
MAGNUS *Heinreks* ſvn (n).	*Magnus Henrici filius.*
KARLL *Savrkuis* ſvn.	*Karolus Sverkeri filius.*
KNVTR *Eiriks* ſvn.	*Canutus Erici filius.*
SAVRKUIR *Kars* ſvn. XII. ar.	*Sverkerus Karoli filius. XII. annis.*
EIRIKR *Knutz* ſvn. IX. ar.	*Ericus Canuti filius. IX. annis.*
JON *Savrkuis* ſvn.	*Joannes Sverkeri filius.*
EIRIKR *Eiriks* ſvn.	*Ericus Erici filius.*
VALDEMARR *Birgiſſ* ſvn.	*Valdemarus Birgeri filius.*
MAGNUS *Birgis* ſvn.	*Magnus Birgeri filius.*
BIRGIR *Magnus* ſvn.	*Birgerus Magni filius.*

(m) Gratum Svecis acceptumqve vetuſtioris ſui Regis nomen huic *Kolo* inditum eſt, utpote eo regnante felix terræ fertilitas obvenit, Vid. illuſtr. *Dalin* T. I. p. 536. T. II. p. 73.

(n) *Magnus* ille qvoad paternum genus fuit Princeps Danus, filius *Henrici Skarcleri* ſive *Skakalar*, & nepos *Svenonis*, filii Regis SVENONIS ESTRITII, ſed maternum genus ex *Regibus Sveciæ* ducens, unde ad hoc regnum dolo & vi diu adſpiravit, donec illud tandem An. 1160. interfecto *S. Erico Rege*, capeſſivit. Sed anno proxime ſeqventi, prælio inferior, in fuga occiſus eſt.

IV.

Catalogus Regum Daniæ a *Dan* ad *Waldemarum II.*

Ex Apographo *Arnæ Magnæi*, qvi Catalogum hunc exſcripſit ex Manuſcripto in 4to, qvod ante incendium Anni 1728. in Bibliotheca Acad. Hafn. Capſa Cypriani Ord. 3. extiterat. *Auctor* qvidem nomine ignotus eſt, ſed circa finem Seculi XII. & initio Seculi XIII. vixiſſe exinde videtur, qvod Catalogum Regum ſuum cum WALDEMARO II. finierit, & Reges, qvi ſuo parentumqve ſuorum tempore vixere, *modernos* dixerit. Reges noſtros Auctor in tres claſſes diſtinxit. Qvoad primam, in numero Regum nimis parcus eſt. Qvoad ſecundam, in annis & recenſione Regum vitioſus. Qvoad tertiam vero, in utroqve adcuratior videtur. *Olavum*, a Scanienſibus Regem electum, in numerum Regum Daniæ refert, unde Scanum genere Auctorem fuiſſe ſuſpicari licet.

In Cathalogo Regum Daniæ, ne inqviſitorem nimia verborum inplicitate urgeam, tres diſtinctiones faciendas arbitror. Primam in primos, licet ſint Pagani, tamen Reges. Secundam in antiqvos Chriſtianos, Tertiam in modernos Catholicos; ut ita per ſingula capita deſcendens, tam præcedentium qvam ſubſeqventium & nomina & tempora enucleatius inveſtiget.

Incipit prima distinctio in antiqvos Reges paganos.

Primus DAN.
Secundus THRUGHI.
Tertius HARALD.
Qvartus RING.
Qvintus SNYO.
Sextus BYORN.
Septimus FROTHE.
Octavus GORM.
Nonus GUTHORM.

Incipit secunda distinctio.

Primus HARALDUS regnavit anno Dominicæ incarnationis DCCCXXVII.
Secundus ERICUS DCCCXLII.
Tertius ERICUS DCCCLVII.
Qvartus ERICUS DCCCLXXI.
Qvintus FROTHE Rex Danorum & Anglorum, regnavit DCCCCIIII.
Sextus HARALDUS DCCCCLV.
Septimus SVENO MXXV.
Octavus KANUTUS MXXIX.
Nonus MAGNUS & Danorum & Normannorum Rex erat MXL.
Decimus HARALDUS (*) MXLIIII.
Undecimus SVENO Senex MXLV.
XII. HARALDUS filius ejus MLXXIIII.
XIII. KANUTUS, alter filius, MLXXXI.
XIV. OLAVUS, tertius filius, MLXXXVII.
XV. ERICUS BONUS, qvartus filius, MXCV.
XVI. NICOLAUS, qvintus filius, MCIIII.

Incipit tertia distinctio in modernos.

XVII. ERICUS EMUNE MCXXX.
XVIII. ERICVS AGNUS MCXXXVII.
XIX. OLAVUS MCXXXIX.
XX. SVENO MCXLVI.
XXI. KANUTUS MCXLVI.
XXII. WALDOMARUS MCLV.
XXIII. KANUTUS filius ejus.
XXIV. WALDEMARUS, alter filius ejus.

(*) *Haraldus* hic vix alius esse potest, qvam ille, de qvo *Adamus* Brem. ed. Lindenbr. p. 31. ita: „In qvo colloqvio soror *Magni* Regis (Dan. & Norv.) *Ordulfo* filio Ducis desponsatur. Qvi, vix peractis nuptiis, „in gratiam cognati qvendam HAROLDUM Danorum Principem, redeuntem ab urbe Apostolorum, „trans Albiam obtruncavit innoxium. Cujus mortis causa ea fuit, qvod de Regali stirpe Danorum genitus, *sceptro propior*, qvam *Magnus*, esse videbatur. Ea res initium calamitatis peperit in familiam „Ducis". *Haraldus* iste, tacentibus licet aut potius nescientibus Historicis nostris, a parte qvadam Danorum aut aliqva provincia post mortem *Harde-knuti* electum sive destinatum fuisse Regem, conjicio. Hoc igitur præ ceteris Auctor noster anonymus præcipuum habet, qvod *Haraldo* inter Reges Daniæ locum assignet, & forte hic ex nostris unicus est, qvi nobis hoc anecdoton reliqvit. Qvis autem & cujus filius fuerit *Haraldus* ille, omnino ignoramus. Ex mea conjectura, potuit esse nepos *Kanuti Magni*, aut ex fratre *Haraldo*, cujus apud Ditmarum Merseburgensem, Auctorem Encomii Emmæ, Annalistam Saxonem, Saxonem Grammaticum, aliosqve fit mentio, aut forte potius ex filio *Svenone* Rege Norvegiæ, cum tantopere ab eo timuerit *Magnus* Rex, ut in ejus gratiam occideretur. Sed tum tenerum adolescentem fuisse *Haraldum* necesse est.

V.

Series ac brevior Hiſtoria Regum Daniæ a Dan & Löther ad Waldemarum II.

Ex Apographo *Arnæ Magnæi*, qvi Seriem hanc exſcripſit ex Manuſcripto in 4to, qvod ante incendium Anni 1728. fuerat in Biblioth. Acad. Hafn. Capſ. Cypriani Ord. 3. *Auctor* qvidem ignoratur, ſed vixit tempore WALDEMARI II. Hanc vero Seriem, poſt Eſtlandiam devictam, ſcripſiſſe videtur, & qvidem circa 1220. vel paulo poſt, certe ante captivitatem Regis, cujus alias ſine dubio mentionem feciſſet. Ab *Adamo Bremenſi* aliqva eorum, qvæ tradit, mutuatus eſt, ex. gr. de *Legibus Haraldinis*, & plura.

DAN & frater ſuus LÖTHAR: a qvo *Dania*.
BÖGI filius *Dani*.
SKYLD filius *Lödö* (a).
GRAM filius *Skild* (b).
GUTHORM.
HADDYNGR.
FROTHI hin FRÆGÆ.
HALDAN.
HELGI.
ROLF.
HIARWARD.
HOTHAR filius *Hothbroddar*.
RORIC SLAGANBOGI.
WIGLATH.
WERMUND.
UFFI.
DAN.
HUGLEKÆR.
FROTHI hin FRÖKNE.
DAN hin STORLÆTENE.
FRITHLEVER.
FROTHI hin FEMILDE.
INGELD.
OLAF.
HARALD filius *Olaf*.
FROTHI frater *Harald*.
HALDAN hin BIARRAMI, frater *Harald*.
UNGU filius *Haldan*.
SEWALD.
SIWALD.
SYGAR.
SYWALD.

(a) Legendum forte *Lötharis*.
(b) *Skyld* & *Skild* idem qvi aliis *Skiold* dicitur.

Tunc *qvinqve Reges* pariter in Dania regnabant,
BURGAR in *Scania.*
HUNDING in *Sialand.*
HANI in *Phiune.*
HATHAR & RÖGNI in *Jutland.*
HARALD HILDETAN.
RING nepos ejus.
OLY hin FRÖKNE.
ÖMUND.
SYWARDUS filius *Ömmder.*
JARMUNREK filius *Siward.*
BRODER filius *Jarmun.*
SYWALD filius *Brother.*
SNIO filius *Sywald.*
BYORN filius *Snio.*
GORM GAMLE.
GÖTRIC hin GIAFMILDI. Hic, *Freſis* itemqve *Nordalbingis* & *Slavorum* populis tributo ſubactis, Karolo Magno bellum minabatur.
OLAF filius ejus.
HEMMING filius *Olaf.* Hic nepos *Getric*, ſuccedens in Regnum, pacem fecit cum Karolo, *Egdoram* fluvium accepit regni ſui terminum.
SYWARD, & SYWARD RING, nepotes *Getrici.* Hi ambo prælium inierunt pro ſceptro; ſed utriqve ceciderunt in acie cum undecim milibus.
LOTHBROKI, filius *Siward Ring.*
HARALD CLAC, qvi & *Herioldus* dictus eſt. Hunc expulerunt filii *Getric*, qvi & *Godefrid* dictus eſt; qvi fugiens venit ad *Liudewicum* Imperatorem, filium Karoli Magni: a qvo Chriſtianam fidem ſuſcepit. Reverſus eſt in Daciam, comite ſancto *Ansgario* Epiſcopo.
ERIC, filius ejus, Chriſtianus. Hujus tempore fertur, Danos transiſſe per Ligerim fluvium: Turonis ſuccendiſſe: per Secanam Pariſius obſediſſe: Imperatorem timore pulſum eis terram ad habitandum dediſſe. Tunc Saxonia vaſtata eſt a Danis. *Brun* Dux occiſus eſt cum aliis X. Comitibus. Duo Epiſcopi truncati ſunt. Tunc Freſia depopulata eſt. Trajectum civitas exciſa. Coloniam & Treveres incenderunt. Aqvisgrani eqvis ſuis ſtabulum fecerunt, qvod per annos LXXX. permanſit usqve ad tempora Ottonis Magni, tunc deſtructum eſt. Magoncia ob metum eorum inſtaurari cœpit. Perſecutionis hujus erant præcipui tyranni *Eric* & *Orwich*, *Godafrith*, *Rodulf* & *Ingvar.* Crudelisſimus tamen omnium fuit *Ingvar* filius *Lothbroki.* In Angliam cum miſisſent unum ex ſociis ſuis *Haldan;* & illo ab Anglis occiſo, Dani conſtituerunt in loco ejus *Gundredum.* Ex eo tempore Freſia & Anglia ſub ditione Danorum permanſerunt.
ERIC UNGI, filius *Eric*, Chriſtianus, hic converſus ad fidem conſtituit primus apud *Sliaswic* cum ſancto Ansgario Eccleſias.
SYWARD filius Regneri Lothbroki.
LOTA CNUT, filius Eric & filiæ Syward.
SVEN LANGFOT filius *Cnut.*
FROTHI victor Angliæ, filius *Sven.*
GORM ENSCI.

HARALD

HARALD filius *Gorm.*
GORM filius *Harald.*
Abhinc *Chriſtiani* fuerunt *Reges.*

HARALD BLATAN filius *Gorm.* Ad hunc *Haraldum* veniens *Unni* Archiepiſcopus Bremenſis, & accepta ab eo licentia, fidem publice prædicavit, & eccleſias conſtituit. Ipſe *Haraldus* poſtea a magno *Ottone* devictus, regnum ab eo ſuſcepit, & baptizatus eſt una cum uxore ſua & parvulo filio ſuo, qvi nominatus eſt *Svein Otto*, eo qvod ipſe *Otto* Imperator eum de ſacro fonte levaverit. Iſte *Haraldus* tam populo *Saxonum* qvam *Freſis* & *Transalpinis* (c) & *Danis* leges & jura conſtituit, qvæ adhuc pro autoritate Dani ſervare contendunt. Hic a filio ſuo, ſenio grandævus, regno pulſus, vulneratus, ex acie in Slaviam fugiens venit, ubi etiam mortuus eſt. Corpus ejus a ſuis in patriam reportatum, in civitate *Roſkild* tumulatur.

SVEN TIVUSKEG filius *Harald.*

KANUTUS *Senex*, filius *Sven.* Hic contra Sanctum *Olaf* Regem Norveciæ continuum bellum habuit, & victor exiſtens obtinuit *Norvegiam.* Poſt hæc cum mille armatis navibus transfretavit in Angliam, triennio obſeſſa inſula, *Adelrad* Rex Anglorum obſeſſus obiit, relinqvens filium *Edwardum*, qvem ſuſcepit ab *Imma* Regina, qvæ ſoror fuerat *Ricardi* Comitis Normannorum. *Kanutus* victor exiſtens, ipſam *Immam* duxit uxorem, genuitqve ex ea filium *Hartheknut.* *Svein* & *Haraldus* concubina geniti fuerant. Poſt mortem ejus ſuccedunt in regnum ejus filii, *Haroldus* in Angliam, *Svein* in Normanniam, *Harthecnut* in Daniam.

KANUTUS DURUS. Hic erat Regis *Kanuti* Senis & *Immæ* Reginæ filius. Hic contra *Haroldum* fratrem ſuum, Regem Angliæ, a Dacia veniens, in Flandria claſſem adunavit. Sed *Haroldus* morte præventus bellum diremit. *Harthecnut* Daniam poſſedit & Angliam. Interea *Svein* obiit in Norvegia frater *Harthecnut.* Tunc Normanni elegerunt *Magnum* filium Sancti *Olaf* a concubina.

MAGNUS BONUS filius Sancti *Olaf* de Norvegia. Qvi Daniam invadens, obtinuit duo regna, *Harthecnut* cum exercitu morante in Anglia. Qvi mox adverſus *Magnum* pugnaturus, conſangvineum ſuum *Svein* præfecit claſſi. *Svein* victus a *Magno*, cum in Angliam rediret, *Harthecnut* mortuum reperit. Sed electus ab Anglis *Edvardus*, frater Hartheenut ex Imma Regina, pacem cum *Svein* faciens, conſtituit eum, ſe mortuo, Regem & hæredem. Sic *Svein* in Daniam reverſus eſt. *Magnus* Rex Sclavos fines ſuos invadentes ad ulciſcendum *Radeburg* Principem eorum, qvi a Danis occiſus erat, in campeſtribus *Heideba* XV. milia paganorum occidit. Pax reddita eſt Chriſtianis.

SVENO MAGNUS, nepos Kanuti Senis, hic erat filius *Ulf* Ducis & *Margaretæ*, qvæ erat ſoror *Kanuti* Regis, cum *Magno* multa prælia geſſit. Tandem victus *Sveno*, fugiens venit ad *Jacobum* Regem Sveonum. Cujus fultus auxilio, regnum repetens patrum ſuorum, *Magnum* a Dania expulit. Qvi denuo bellum inſtaurans, in navibus obiit. *Sveno* victor exiſtens, Angliam cum exercitu adiit. Sed *Edmardus*, vir ſanctus & juſtus, pacem eligens qvam bellum, Regi Danorum tributum obtulit, & ipſum poſt ſe regni hæredem fecit. Sic *Sveno* tria regna obtinuit, Danicum, Normannicum & Anglicum.

HARALD filius *Svenonis.*

KANU-

(c) Legendum *Transalbinis.* Verba *Adami Brem.* Ed. Lindenbr. p. 21. non nihil immutat Auctor.

KANUTUS *Sanctus*, alius filius ejus, hic fugiens a Jutia in Fiuniam occisus est in *Othense*, in ecclesia Sancti Albani martyris.

OLAVUS tertius filius ejus. Hujus tempore *fames* vehemens fuit in Dania. Hic subitanea morte defunctus est.

HERICUS Cyprius, IIII. filius ejus. Hic propter homicidium peregre profectus Hierosolymam, obiit in insula qvadam, qvæ vocatur *Kyber* (d).

NICHOLAUS, V. filius ejus, hic fugiens a Scania in Jutiam, occisus est in *Hethubu.*

ERIC EMUN, filius Erici Cyprici. Hic, audita morte fratris sui Sancti *Kanuti*, fugit in Norvegiam. Denuo idem reversus in Daniam, cum *Magno Nicholai* Regis filio multa prælia gesit. Ad ultimum eum in Scania cum IIII. Episcopis & cum multo exercitu occidit in loco, qvi vocatur *Fotwic*, & *Nicholaum* Regem fugavit. Qvi postea in *Hethubu* occisus est a civibus. Ipse vero *Hericus* postmodum occisus est in Jutia.

ERIC LAMB filius *Hacun* (e), nepos *Herici Cyprii.* Hic cum magna prudentia gubernabat Daciam. Deinde firmissima pace facta, in patria sua monasterium adiit, & accepta tonsura & habitu Monacum professus, etiam feliciter hujus mundi miseriis valefecit, deinde bono fine qvievit in Domino.

SUENO filius *Erici Emun.* Hunc Scanienses & Selandenses elegerunt in Regem. Sed Juti eum reprobantes, elegerunt *Kanutum* filium Magni filii Nicholai Regis, & constituerunt eum super se Regem. Unde facta est longa concertatio inter *Svenonem* & *Kanutum.* Ad ultimum *Sveno* pulsus est. Deinde sub specie pacis reversus in Daciam, *Kanutum* & *Constantinum* dolo occidit *Roscildis*, & prævaricatus est pactum & fœdus & jusjurandum. Postmodum in Jutia dimicans cum *Waldemaro* filio Sancti *Kanuti* Martyris, infeliciter occubuit, justo Dei judicio dignum insidiarum suarum consecutus finem.

KANUTUS filius *Magni*, filii *Nicholai* Regis. Hic a *Svenone* dolo occisus est *Roscildis.*

WALDEMARUS *Primus*, filius sancti *Kanuti* Ducis & Martyris, filii *Erici* Cyprii. Hic *Slaviam* vicit, perdomuit, & ad Christianitatem coëgit.

KANUTUS filius Waldemari primi. Hic *Nordalbingiam* vicit, & Comitem *Adolfum* captivum abduxit.

WALDEMARUS, frater *Kanuti*, filius *Waldemari primi.* Hic *Estlandiam* vicit, & ex parte ad Christianitatem coëgit.

(d) i: *Cyprus* insula, hinc *Ericus Cyprius* a nostro dictus, qvi aliis *Bonus* s. *Eigoibe* cognominatur.

(e) De *Haqvino* illo vid. infra ad *Sven. Aggonis* Cap. VII. Not. (n).

Herthmt vomma re-	Vtta
gnandanomm	Dan
Dan.	Hughlicher
Hunlı.	Frodhi hín frokne.
Lother.	Dan hín dwelanne.
Skiold.	Frithlener hwam.
Gram.	Rodhi frithgothe.
Swibdagh.	Hiarni
Gudheim.	Frithlef
Hadung.	Frodhi hín hermoder.
Frodhe hín fraghar	Inggiard.
Haldan.	Olef.
Roe	Harald.
Helghi.	Frodhi.
Rolf Krake.	Harald.
Inarwand.	Haldan hín biarghrāmi.
Hether.	Vngun.
Roric dumggenboghe.	Smalo.
Vnglet	Sighar.
Vermund blinde.	Swald

VI.

Nomina Regum Daniæ a Dan ad Ericum Glipping.

Hanc Seriem, ex Codice Seculi XIII. & melioris notæ membraneo in 4to minori, qvi in Regio Antiqvitatum Archivo Holmensi asservatur, manu sua exscriptam, mihi ante aliqvot annos Holmia transmisit amicus meus b. Dn. Assess. *Nicolaus Reinbold Brocman.* Nomen suum *Auctor* non prodidit, vixit autem, ut liqvet, Seculo XIII. & scripsit sub Rege ERICO GLIPPING, qvi est ultimus Regum, qvos recenset. Sed qvoad remotiores a suo tempore Reges, eum ex multo vetustioribus fontibus hausisse, nullus ambigo.

Hec sunt nomina Regum Danorum.

DAN.
HUMLI.
LÖTHER.
SKIOLD.
GRAM.
SWIBDAGH.
GUDTHORM.
HADDUNG.
FROTHE hin FRÆGHÆ.
HALDAN.
ROE.
HELGHI.
ROLF KRAKI.
JIARWARD.
HÖTHER.
RÖRIC SLANGGENBÖGHI.
VINGLET.
VUERMUND BLINDE.
VFFÆ.
DAN.
HUGHLEKER.
FROTHI hin FRÖKNE.
DAN hin STORLATNE.
FRITHLEUER HWATI.
FROTHI FRITHGOTHE.
HIARNI.
FRITHLEF.
FROTHI hin FÆMILDÆ.
INGGIÆLD.
OLEF.
HARALD.
FROTHI.
HARALD.
HALDAN hin BIÆRGHRAMMI.
VNGWI.
SIUALD.
SIGHÆR.
SIWALD.
ÖSTMAR. Tunc qvinqvepertita fuit Dacia.
BURGAR in *Scania.*
HUNDING in *Siælandia.*
HANI in *Fiunia.*
HATHER & RÖGNI in *Jucia.*
HARALD HILDETAN.
RING.
OLI hin FRÖCNÆ.
ÖMUND.
SIUARD.
BUTHLI.
JARMUNDREK.
BROTHER.
SIUALD.
SNIO.
BIORN.
HARALD.
GORM hin GAMLÆ.
GÖTRIC hin GIEFMILDÆ.
OLEF.
EMMING.
SIUARD.
RÆGNÆR LOTHBROKI.
KLAC-HARALD.
REGHNER.
SIWARD.
ERIC.
LOTÆ KNUT.
FROTHI Victor Anglie.

GORM ENSKÆ.
HARALD.
GORM.
HARALD BLATAN.
SUEN TIUGHÆSKIÆG.
GAMLÆ KNUT.
HARDE KNUT.
MAGNUS.
SUEN ÆSTRETHSUN.
HARALD HEN.
Sanctus KANUTUS in *Othenſö*.
OLÆF.
ERIC hin EGOTHÆ.
NIGLES.
ERIC EMUN.
ERIC SPAKÆ.
SUEN.
KNUT.
VUALDEMARUS I.
KNUT.
VUALDEMARUS II.
VALDEMARUS III.
ERICUS filius *IV. Secundi.*
ABEL.
CHRISTOFORUS.
ERICUS.

VII.

Incerti Auctoris Genealogia Regum Daniæ a Dan & Angul ad Chriſtophorum I.

Brevem hunc de Succesſione Regum Daniæ tractatum primus in lucem protraxit *Stephanus Johannis Stephanius*, & qvidem ex eodem Codice Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis membraneo, ex qvo *Svenonem* ſuum *Aggonis* & CANUTI M. *Leges caſtrenſes* exſcripſit, & una cum his ad calcem edi curavit, *Soræ* 1642. in 8vo. *Auctor* etſi incertus & anonymus ſit, certum tamen eſt, eum ante & poſt medium Seculi XIII. ſub WALDEMARO II. filiisqve ejus Regibus ERICO, ABELE & CHRISTOFORO I. floruiſſe, ac ſub initiis regni ERICI GLIPPINGII ſcripſiſſe, qvod cuivis ipſum legenti facile pateſcit; priorum enim Regum pæne nuda nomina, horum autem etiam facta qvædam recenſet. Religioſum eum fuiſſe, vix dubitari poteſt. Qvædam ille particularia adfert, alibi haud obvia. Partium ERICI ac CHRISTOFORI ſtrenuum agit fautorem, hoc præ ceteris Hiſtoricis ſingulare habens, qvod vitam & geſta CHRISTOFORI I. impenſius laudet. Codex, ni fallor, unde deſcriptus eſt, fatali urbis incendio Anni 1728. cum plurimis aliis periit.

Præfatiuncula.

Tametſi priſcorum Regum Principumqve geſta, licet perpetua digna ſint memoria, facile oblivionis caligine involvantur, eo qvod certæ eorum traditioni nemo ſeriam impenderit curam. Attamen, ne de cetero certa Regum regnorumqve ſucceſſio oblivioni tradita plane depereat, ſingulorum *Daniæ Regum nomina & ſucceſſiones*, breviter tantum, enarrare ſtudebo.

Nomina & Succesſiones Regum.

Primi Danorum Principes extiterunt DAN & ANGUL.
Poſt qvos principatum tenuit LÖTHER filius *Dan.*
Huic ſucceſſit SKIOLD, filius ejus. Hi omnes *Principatum* tenebant tantum.

Deniqve

Deinde patrio in regno ſucceſsit HADING, qvi primus regio ſceptro regaliqve decoratus diademate, *Rex* meruit appellari.

Qvo defuncto, ſucceſsit filius ejus FROTHO.

Huic ſucceſsit HALDANUS.

Hic duos genuit filios, HELGHI Regem, & ROE Ducem.

Rex vero HELGHI geminam ſuſcitavit prolem, videlicet ROLF KRAKI & *Vrſam* ſororem ejus.

Poſt *Rolf* HIARTVARUS.

Poſt hunc regnum obtinuit HÖTHER filius *Horthbrod.*

Huic ſucceſsit filius ejus Rörik.

Poſt hunc regnavit filius ejus WIKLEK.

Huic ſucceſsit filius ſuus & hæres regni egregius WERMUNDUS, qvi ob eximiam virtutis prudentiam *Prudens* eſt cognominatus.

Hic filium genuit elegantiſſimum UFFONEM, qvi ſolus contra duos in monomachia egregiè triumphavit.

Poſt qvem regnavit filius ſuus DAN.

Et poſt hunc filius ſuus HUGHLEK.

Huic ſucceſsit filius ſuus FROTHI cognomine *Frökne.*

Poſt hunc filius ſuus DAN SUPERBUS, qvi tributarios fecit *Saxones.*

Huic ſucceſsit FRITHELS CELER.

Poſt hunc regnavit FROTHI puer *Bonus.* In cujus temporibus Redemptor mundi carnem ſuſcepit humanam.

Poſt qvem filius ejus FRITHLEPH.

Poſt hunc filius ejus FROTHE LARGUS.

Huic ſucceſsit INGELD.

Poſt qvem OLAVUS.

Hic genuit Regem FROTHONEM.

Cui ſucceſsit frater ſuus HALDANUS.

Poſt hunc INGI filius ejus.

Deinde filius ejus SIGHAR.

Poſt qvem ſimul *quinqve* regnaverunt.

Proximus his extitit HARALDUS HILDARTAN.

Cui ſucceſsit nepos ejus RING.

Poſt hunc ÖMUNDUS.

Deinde OLY.

Poſtea filius ejus SIWARDUS.

Huic ſucceſsit JARMUNDUS KOKER, filius ejus.

Poſtea frater ejus BROTHER.

Item ſecundus BROTHER.

Poſtea SYWARDUS, filius ejus.

Deinde filius ejus GORM.

Cujus filius extitit GÖTRIK, contemporaneus *Karoli Magni.*

Poſt hunc frater ejus OLAVUS.

Cui ſucceſsit filius ejus HEMMING.

Poſt hunc filius ejus RÖRIK.

Deinde filius ejus HARALDUS.

Poſtea filius ejus SNIO.

Huic ſucceſsit filius ejus BIORN.
Poſt hunc filius ejus SIWARDUS.
Poſt qvem frater ſuus, cognomine RING.
Hujus filius extitit REGNER LOTHBROKI.
Poſt hunc regnum obtinuit ERICUS.
Item ſecundus ERICUS.
Et tertius.
Poſtea ſucceſsit SYWARDUS filius *Regneri.*
Deinde ENNÆGNUP.
Poſtea filius ejus HARALDUS.
Poſt hunc filius ejus KANUTUS Primus.
Poſtea SIWARDUS.
Deinde filius ejus GORM.
Succesſit filius ejus HARALDUS.
Cujus filius extitit GORM LÖKE, cujus uxor Regina illa excellens extitit THYRA DANMARKEBOT.
Cujus filius extitit HARALDUS BLATAN.
Qvi filium ſuſcitavit SVENONEM TYUGHÆSKÆG, qvem, eo qvod patrem proſcripſisſet, *Slavi* ter captum in ſervitutem redegerunt.
Poſt cujus obitum, regnum hæreditavit KANUTUS *inſignisſimus.* Qvi, licet diverſis hymenæis, geminos hæredes ſuſcitavit, qvorum alteri, id eſt, KANUTO DURO, *Datiam* commendavit.
Deinde ſucceſsit MAGNUS BONUS, filius beati *Olavi* Regis & Martyris, qvi apud *Lyurſkog* ſuper *Slavos* & *Saxones* triumphavit.
Huic ſucceſsit SVENO nepos *Inſignis Kanuti.*
Poſt qvem *qvinqve filii Reges* ſucceſsive regnum obtinuerunt.
HARALDUS, qvi *Leges Danis* tribuit.
KANUTUS, apud *Othiniam* martyrio coronatus.
OLAVUS FAMELICUS.
ERICUS BONUS, qvi Jeroſolymam profectus, in *Cypro* inſula reqvieſcit.
NICOLAUS his proximus extitit.
Huic ſucceſsit ERICUS, filius *Erici Boni.*
Hoc in *Vrnenſi Placito* a *Plog Nigro* interfecto, alius ERICUS regnum ſuſcepit, qvi *Agnus* cognominatus eſt.
Huic ſucceſsit KANUTUS, *Magni* filius.
Tunc *tres Reges* in Datia conregnabant.
KANUTUS ſupradictus,
SVENO, *Erici* a Plog interfecti filius, &
WALDEMARUS, Sancti *Kanuti Ringſtadenſis* filius.
KANUTO autem a SVENONE Rege *Roſkildis* interfecto, & eodem SVENONE in bello *Gratha* occiſo, prædictus WALDEMARUS Primus Monarchiam Datiæ poteſtative in magna pace obtinuit.
Qvo defuncto, filius ſuus eidem ſucceſsit KANUTUS.
Huic ſucceſsit frater ejus WALDEMARUS *Secundus.*
Hic qvatuor habuit filios legitimos, diverſis tamen conjugibus. Nam a prima uxore, filia videlicet Regis Bohemiæ, MARGARETA nomine, nobili Regina, filium ſibi æqvivocum genuit, qvem in Regem electum fecit ſibi conregnare. Qvi parvo

parvo vivens tempore, a ſeculo nimis mature ſubtractus eſt. Poſt cujus matrem defunctam, aliam duxit uxorem, nomine BERENGARIAM, filiam Regis Portugalliæ, de qva tres genuit filios, his nominibus: Primus nominatus *Ericus*, medius *Abel*, ultimus *Chriſtoforus*. Cumqve mortuus eſſet primogenitus filius ſuus WALDEMARUS *Tertius*, qvem ſibi regni conſortem eſſe voluit, ex tribus reliqvis *Ericum*, reliqvorum fratrum primum, omnium Datiæ principum conſenſu ſecum regnaturum, in regni ſolio ſolenniter collocavit. WALDEMARO igitur feliciter qvadraginta annis regnante, tandem ſenex & plenus dierum, regni rebus decenter diſpoſitis, obiens in pace, appoſitus eſt ad patres ſuos, hæredem regni & regiæ poteſtatis reliqvens ERICUM majorem, de qvo ſupra fecimus mentionem.

Qvi ERICUS, regni libere nactus habenas, poteſtatem regiam honeſtis decoravit moribus, ſuis benevolus & adverſariis terribilis. Suſtinuit qvoqve multas ab æmulis ſuis adverſitates, donec, prævalente malignantium conſilio, in *Vigilia Sancti Laurentii*, cum eo, qvi ſe oderat, qvaſi amico colludens, inopinate capitur, iniurioſe trahitur, ferreis mancipatur compedibus, & ſic in cymbam, absqve Dei reverentia, projectus, per fluvium *Slæ* ad ulteriores partes ejusdem fluminis velociter transvehitur. Videns igitur ſe Rex devotus in lethi conſtitutum confinio, recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, nautas illos, mortis ſuæ conſcios, obnixe rogavit, tempus ſibi vel brevis poenitentiæ & confeſſionis non negari. Qvod qvidam eorum, nam inter ſe & in hoc diſſidebant, aliis moram temporis cauſantibus, ad ultimum tamen in hoc, non ſponte, ſed qvaſi coacti, conſentiunt, ut ad villam, qvæ proxima erat, mitteretur, & ei presbyter adduceretur. Qvo adveniente, idem Rex vehementer geſtiebat. Nihil enim in retro actis temporibus tam ardenter deſideraverat, ſicut in præſenti articulo, exitum ſuum devota munire contritione. Nam qvantum exiguitas permiſit temporis, ſiqvidem vehementer ab interfectoribus ſuis, ſangvinem ſuum, canum more lepuſculum inſeqventium, ardenter ſitientibus, urgebatur, confeſſionem ſuam prædicto ſacerdoti cum maxima cordis contritione agere procuravit, interiorem animi dolorem exteriori demonſtrans manifeſtatione. Capillos ſiqvidem regii capitis, aureo qvondam diademate circumvinctos, propriis manibus violenter cœpit avellere, oculos lacrimis irrorare, faciem qvondam decoram & venuſtam ungvibus crudeliter ſulcare, pectus ſtrenui cordis habitaculum pugnis attrociter tundere, & omnia membra, qvibus ſe peccaſſe meminit, pœnis condignis, prout permittebatur, punire, exorans miſericordem miſericordiæ promiſſorem, ut ſolita benignitate & conſveta bonitate, ſui licet indigni propitiari non abnueret. Poſt factam igitur confeſſionem, clamoſe vocatus ad jugulum, cum ex omnibus divitiis regalibus nihil amplius haberet, diffibulans ſe, eandem fibulam auream & tunicam, qva induebatur, ultimam eleemoſynam daturus, ſacerdoti ſæpedicto tradidit, ſimul ſe ejus orationibus commendans, animam autem divinæ clementiæ transmittens bonitati, innuens memorati confeſſori ſuo, ut clam fugiens, curſu ſe celeri abſentaret. Qvod & facere non diſtulit. His ita feliciter peractis, mora ſepoſita, ſtatim adſunt miniſtri diaboli, absqve ulla compaſſione victimam Domini ſævis manibus rapientes, & intra navem indecenter trahentes, uni eorum jubent hoſtiam dominicam decollando victimare. At ille timore perterritus, ſe aliqvantulum, tanqvam tali opere indignum, primo cœpit velle abſolvere. Poſtqvam autem promitteretur ei pecunia, arrepto gladio, bis caput amputavit regium. Peracta igitur cœde tam miſerabili & inaudita, tollentes corpus exanime, alligata galea ipſius impoſito capite, ne ab aliqvo hominum poſſit inveniri, ad ipſius Martyris brachium dextrum, ſubmerſerunt in flumen, & ſic ad ſce-

leris principem miniſtri ſceleris revertentes, patrati facinoris infauſtos reportavere rumores. Tunc factum eſt gaudium *Abellianis*, luctus & moeror ingens fit *Ericianis*. Statim namqve captivantur nobiliores de hominibus ERICI, capti vinculantur, vinculati cuſtodiæ mancipantur. Sed hæc hactenus. Altera autem die, qvæ miſerandæ neci fuit proxima, piſcatores pro opere ſuo in eundem locum devenientes, & retia ſua in capturam piſcium laxantes, trahebant ad littus maris Martyris venerabilis venerabile corpus. Et cum animi admiratione intuentes, tum caput a corpore avulſum, tum corpus a capite ſeparatum, hæſitabant præ pavore, qvid dicerent. Diligentius autem intuentes caput venerabile, corpusqve Martyris & Regis glorioſum, tandem ex ipſis lineamentis, ſignisqve olim ſibi notis, agnoverunt illuſtrem qvondam Regem & Dominum ſuum. Et impoſitum in navim ſic cum caſſide & indumentis, compedibusqve circa tibias exiſtentibus, cum honore, qvo poterant, transtulerunt ad *civitatem Slesvicenſem*, ad *Eccleſiam Prædicatorum*, ſepelientes illud ibidem, eisdem *Fratribus* devote coadjuvantibus, & ad paſſionem tanti talisqve theſauri gaudio exultantibus non modico. Qvod ibidem aliqvanto tempore reqvievit humatum, donec per *Epiſcopum* ejusdem civitatis ad *majorem Eccleſiam beati Petri* apoſtoli honorifice transfertur, translatum condigno honore colitur, & jugibus miraculis illuſtratur. Nunc libet miſericordis Dei benigniſſimam ſuper prædicto opere pietatem admirari, admirando glorificare, glorificando laudare, laudando magnificare. Qvi verax in promiſſis, in hoc Rege & Martyre, qvod qvondam per Prophetam ſuum amicabiliter & dulciter proteſtatus eſt, dicens: In qvacunqve hora ingemuerit peccator, ſalvus erit, fideliter & veraciter adimplevit. Dicendo enim: Qvacunqve hora, excluſit extremæ neceſſitatis dubietatem, & ultimæ confeſſionis & poenitentiæ, dicendo: Salvus eris, ſpem condonavit veniæ. Confirmavit qvoqve eximiam beati Auguſtini ſententiam, dicentis: Poenitentia nunqvam eſt ſera, ſi fuerit vera. Qvod in hoc Rege & Martyre, ab impiis innocenter & crudeliter occiſo, veraciter qvotidie demonſtratur. Licet enim in ætate juvenili conſtitutus, vanus fuerit & lubricus, & ſeculo, tanqvam delicatus, non modice deditus, peccata tamen ſua abolita, propter probroſæ mortis amaritudinem, & veram cordis, de qva ſuperius diximus, contritionem, crebra teſtantur miracula, qvæ fiunt ad tumulos ipſius, ubi videlicet primo ſepultus eſt, & in loco, ad qvem poſt aliqvod tempus translatus eſt, in loco etiam, ubi Deo donante nunc reqvieſcit. Nam ſuperſunt multi teſtes veridici, qvi ad glorioſam ejusdem corporis glebam viderunt coecos receptis luminibus clare videre, deformiter contractos, uſu gradiendi recepto, firmiter ambulare, ſurdos audire, & mutos loqvi, mortuos inſuper reſuſcitari. Cujus necem tam indigne huic Sancto, & tam violenter illatam juſtus judex Dominus non eſt paſſus inultum eſſe. Nam is, qvi ejusdem necis princeps fuit & auctor, haud longo poſt tempore in ſuo & a ſuis truculenter, Domino illi reddente talionem, interfectus eſt. Qvi vero hujus operis conſilium & auxilium adminiſtravit, in civitate *Kyl* profugus & exul miſerabiliter occiſus periit (a). Qvi autem ſceleſtis manibus rem perfecit nefandam (b), apud *civitatem Colonienſem* in rota pœnali contritus, corpus montibus, animam autem pœnis infernalibus miſerabiliter transmiſit perpetuo cruciandam.

Hoc ergo piisſimo Rege, ſcilicet ERICO, cum omni reverentia memorando, ſicut prælibatum eſt, ex ſeculi ærumnis tam feliciter ad regna ætherea translato, ſubrogatur ei frater ſuus, ABEL nomine, ſed re *Cain*, & in regni ſolium ſolenniter ſublevatur.

(a) Conf. *Herm. Cornerus* ap. Eccard. T. II. p. 894, *Alb. Stadenſ.* p. 222.

(b) *Hermannus* ſcil. *Karchwerder*, Vid. *Herm. Corner.* l. cit. It. *Annal.* ap. Lindenbr. p. 260.

levatur. Cujus opera anteacta, cum omnibus ſint notiſſima, ſupervacaneum judico exponere, præſertim cum longe ultra fines Datiæ ferocitatis ejus rumores, qvam in fratrem ſuum, *Ericum* prædictum, *Laghi Guthmundi* filio, a qvo conſiliorum ſuorum ſumma dependebat, mediante & inſtigante, machinatus eſt, pervenerint. Fertur etiam alius, cujus nominare nomen nolumus (c), ne videamur infamare perſonam velle, huic conſilio peſſimo ſe, plusqvam debuit, immiſcuiſſe. Qvi licet adeptis tumeat opibus, & ſano vigeat corpore, & elatione tumeat poteſtatis, tamen ſanorum credens conſilio, utiliter ſibi & animæ ſuæ provideret, ne tempus pœnitentiæ a Deo ſibi indultum, ſe intra ſe colligens, perdere, & ſic poſtmodum in manus Dei, in qvas horrendum eſt incidere, qvod meruit, incurrendo reciperet.

Prædicto ergo ABEL, Rege Danorum, ſatis ſtrenue qvoad ſeculum regente, tandem infra biennii a nacto imperio tempus profectus in *Jutlandiam*, ut rebelles corrigeret, ibidem a *Freſis* interfectus eſt, bibens & ipſe amarum calicem, qvem prius fratri propinaverat, Unde a ſuis ad *Sleswik* translatus, ſepultus eſt ipſe in *Eccleſia Sancti Petri*, ubi fratrem ſuum prius ſepultum commemoravimus.

Cui ſucceſſit ultimus fratrum, qvos ſupra retulimus, re & nomine CHRISTOFORUS, ad nominis ſui jugiter attendens etymologiam. *Chriſt-offer* enim *Chriſti oblatio* interpretatur. Patriſſans ſiqvidem, patris ſtuduit opera feliciter exercere, patiens ad injurias, nec earundem præproperus vindicator, ſed tamen non oblivioſus indultor, religionis religioſus cultor, in bello miles ſtrenuus & animoſus, eleemoſynis pie intentus, caſtitate a fratribus plurimum diſcrepans, prudens eloqvio, moribus comptus, & omni virtutum honeſtate præclarus; excepto, qvod pugnum contractum raro voluit in palmam oſtendendo porrigere. Hic, ut prædictum eſt, caſtitatis pudore adornatus, nec nobili, nec alicui ignobili, decus corporis ſui tradere voluit polluendum, donec conſilio fratrum & amicorum, filiam *Zambor*, nobiliſſimi Slavorum Principis, & fratris *Zvantepolk*, Regis Pomeranorum, MARGARETAM nomine, ſibi aſſumeret in matrimonium. Qvi, ut prædictum eſt, in Regem, communi omnium conſenſu, in *placito Wigbergenſi* rite electus, a nobili *Uffone* Archiepiſcopo, *Lundis* in Eccleſia metropolitana ſolenniter in Regem conſecratur, cum eadem, qvam diximus, MARGARETA, nobili conjuge ſua, ut, ſicut prius unus extiterat thorus & thalamus, ſic poſtmodum poteſtatis & regni honor eſſet idem & unus. Qvales is etiam pertulerit ab æmulis ſuis, ſe invidioſe odientibus, injuriarum contrarietates, teſtes ſunt, qvi cum illo belli pericula ſuſtinuerunt plurima. Cum vero aliqvanto tempore regnaſſet, & prædictum regnum in pace ſibi eſſet ſubjectum, filium ſuum, qvem ei in *Lalandia*, ante regnum acqviſitum, prædicta nobilis conjux ſua genuit, Regem, cum communi conſenſu omnium Heroum regni, deſignavit, & omnium militum, facto eidem hominio, deſignatum confirmavit. Cui hoſtis antiqvus invidens, membris ſuis in mortem ipſius perſvaſit intideliter conſpirare, donec perſecutione ſua & conſilio, ipſius exitum ſitientes, compellerent morti ſubjacere. Deniqve ajunt, eum veneno vitam finiiſſe. Mortuus eſt autem in *civitate Ripenſi* chriſtianiſſimus Rex CHRISTOFORUS, Anno Dominicæ incarnationis M.CC.LIX. & ſepultus in *Eccleſia ſanctæ Mariæ*. Et regnavit filius ejus ERICUS poſt eum. De cujus profectu & exitu, qvoniam nil certi habemus, aliis relinqvimus enarrandum.

Explicit Genealogia Regum Danorum.

(c) Qvantum conjicere poſſum, fuit ille, qvem nominare non vult, *Tyge Poſt*, ſub Regibus *Abele* & *Chriſtoforo I.* rei ærariæ Præfectus, vir dignitate, divitiis & ſplendore familiæ conſpicuus, qvi maligni *Abelis* adverſus fratrem conſilii particeps fuit, docente *Chronico Sialandiæ* p. 65.

VIII.

Series Runica Regum Daniæ prima.

Duplicem hanc & proxime seqventem Regum Danorum Seriem, veteri lingva nostra scriptam, *Olaus Wormius* cum Versione latina & Notis edidit Hafniæ 1642. in folio. Eandem ex vetusto Codice membranaceo, *literis Runicis* exarato, & unico forte sui generis, exscripsit. Codex iste, qvi merito rarissimus dici potest, feliciter adhuc supersit, & in Donatione Magnæana Bibl. Ac. Hafn. No. 28. in 4to servatur, lacunas non modo easdem, de qvibus conqveritur *Wormius*, sed & plures, dolenter ostendens. Continet Codex, præter *Legem* nostram *Scanicam* & *Limites inter Daniam & Sveciam*, circa calcem hasce *duas Regum series*, qvarum prior post tempora Wormii magnum defectum perpessa est, adeo ut nihil ejusdem, præter frustum illud a VERMUNDO usqve ad HITHINGUM Frothonis filium, jam relictum sit. Qva de causa Wormianam exscripsi editionem, ac cum iis adcurate contuli, qvæ adhuc in *Codice Runico* supersunt. Runarum autem loco, latinis usus sum characteribus, nulla alia circa scripturam mutatione facta, præterqvam qvod ᚦ Runicum per *th* expressserim. *Versionem Wormianam* retinui qvidem, at hic & illic, qvod in rebus antiqvis malo, simplicitati Textus paulo magis accommodatam. *Auctor* hujus Regum Catalogi *Anonymus* est, sed, cum ultimus, ab eo nominatus, Rex sit ERICUS MENVEDUS, qvi An. 1319. obiit, videtur sub eo aut paulo post ejus tempora vixisse. Illum e *Scania* oriundum fuisse opinor, qvod *Olavum Haraldi* filium inter Danorum Reges numerat. Non solum Reges, sed etiam, qvot rescisscere potuit, *Reginas* enumerare, propositum ei fuisse liqvet. Mirum autem est, tam de hoc nostro, qvam de ceteris omnibus, qvi Catalogos Regum scripsere, fere omnes in Regum numero, ordine, & appellationibus ab invicem omnino discrepare; unde satis clare patet, eos communem non habuisse fontem, nec semper unum alterum exscripsisse, sed unumqvemqve suas traditiones & relictas a majoribus schedulas seqvutum fuisse, qvas omnes, qvoad vetustiores Reges, Saxone Grammatico antiqviores fuisse necessum est; alias enim Historicum tantæ auctoritatis secuti fuissent auctores, qvorum pleriqve post eum vixerunt; nisi dicere velis, Historiam ejus in certis claustris ita sepultam latitasse, ut in paucorum conspectum ac usum prodierit. Sed de omnibus ejusmodi Catalogorum Regum auctoribus dissimulare neqveo, eos qva remotissima tempora multa fabulose, & qva recentiora haud pauca mendose retulisse. Iis nihilominus talibus qvalibus carere neqvimus, siqvidem qvilibet semper aliqvid, in ceteris non obvium, continet. De *ætate Codicis*, qvi solius curiositatis gratia, ut puto, *literis Runicis* exaratus est, nec propterea majorem auctoritatem ac fidem habere meretur, nihil aliud judicare possum, qvam qvod Seculo XIV. scriptus sit. *Scriptor* autem sive *Librarius*, qvi forte Monachus fuit, nomen suum in fine libri prodidit, hac usus formula: *Var fatbir ther i himmiriki er, göme TULI fran unt ok vanthe*, ɔ: *Pater noster, qvi est in cœlis, servet TULI a malo & periculis.* Inferius adhuc iisdem literis Runicis & cum Notis cantatoriis ita adscriptum: *Drömde mik en dröm i nat um helgi ok erlik KEL*, ɔ: *Somniavi somnium hac nocte de sancto & discreto KETILLO.* Unde enasci potuit conjectura de hujus *Tulii* patria sive habitationis loco, *Wiburgo* forte Jutiæ; Viburgensium enim patronus fuit olim *Sanctus Ketillus.* Ex variis in fronte *Codicis* annotatis apparet, eum ante medium Seculi XVI. fuisse *Antonii Bryske* de Langesö, Cancellarii Regni, ex cujus Sororis *Ceciliæ Bryske* donatione in possessionem celebris illius Medici *D. Petri Severini* ut cimelion aliqvod transiit. Postea ad *D. Olaum Wormium pertinuit*, a cujus filio *Wilhelmo Wormio* donatus est *D. Olao Borrichio*, qvi illum involucro pergameneo, qvod adhuc habet, vestivisse videtur, & sua manu hunc in tergo titulum scripsisse: *Leges Danicæ scriptæ charactere Runico.*





HER BYRIAS KUNUNGA TALLIT.

DAN heet then förſte Kunung i Danmurk, ther var fore gus byrth. Af hannom kallis *Dammurk*. GRETE het Drotning hans ok *Humli* het fadur hans.

Tha var LOTHER Kunung, *Dans* ſun. ULUILTH het Drotning hans.

Tha var GRAM Kunung.

Tha var HADINGER Kunung *Grams* ſun. HARDGRIPA het Drotning hans.

Tha var FROTHE Kunung *hin Harede*, ſun *Hadings*.

Tha var HALDAN Kunung, *Frothi* ſun. THORA het Throtning hans.

Tha var ROE Kunung.

Tha var ROLF KRAKA *Helga* ſun Kunnung.

Tha var HOTTER Kunung. HYLTHA het Drotning hans.

Tha var RÖRIK *hin Raſk*.

Tha var VITHLEFI Kunung *Röraks* ſun. ANNA het Drotning hans.

Tha var VERMUND Kunung *Vitlefs* ſun.

Tha var UFFI Kunung *hin Starke*, *Vermunda* ſun.

Tha var DAN Kunung UFFA ſun.

Tha var HUTHLEF Kunung, ok *Uffa* ſun.

Tha var FROTHE Kunung *hin Storletan*, *Hughleks* ſun.

Tha var DAN Kunung *hin Dahfulli*, *Frotha* ſun.

Tha var FRITHLEF Kunung, *Dans* ſun. FALKA het Throtning hans.

Tha var FROTHE Kunung *hin Frethgothe*, *Frithlefs* ſun. ULVILD het Drotning hans.

Theſi varo alli fore Gus byrth, ok var tha Gus byrth i *Frotha* Konungs dahum.

Tha var FRITHLEF Kunung, *Frotha* ſun. ERIDA het Drotning hans.

Tha var FROTHE Kunung *hin Harthe*, *Frithlefs* ſun.

HIC INCIPIT NUMERUS REGUM.

Dan dictus eſt primus Rex Daniæ ante Chriſtum natum. Ab eo Dania nomen ſortita eſt. Greta nominabatur Regina ejus, & Humli pater ejus.

Tum erat Lother Rex, Dani filius. Ulvilda dicta Regina ejus.

Tum erat Gram Rex,

Tum erat Hadingus Rex Grami filius. Hardgripa dicta Regina ejus.

Tum erat Frotho Hirſutus Rex, filius Hadingi.

Tum erat Haldanus Rex, Frothonis filius. Thora dicta Regina ejus.

Tum erat Roe Rex.

Tum erat Rolf Kraka Rex, filius Helgonis.

Tum erat Hotterus Rex. Hylda dicta Regina ejus.

Tum erat Röricus Celer Rex.

Tum erat Vithlefus Rex, Rörici filius. Anna dicta Regina ejus.

Tum erat Vermundus Rex, Vitlefi filius.

Tum erat Uffo Fortis Rex, Vermundi filius.

Tum erat Dan Rex, Uffonis filius.

Tum erat Huthlefus Rex, etiam Uffonis filius.

Tum erat Frotho Magnificus Rex, Hugleki filius.

Tum erat Dan Clarus Rex Frothonis filius.

Tum erat Frithlefus Rex Dani filius. Falka dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Frotho Pacificus Rex, Frithlefi filius. Ulvilda dicta Regina ejus.

Hi erant omnes ante nativitatem Domini. Diebus autem Frothonis natus eſt Chriſtus.

Tum erat Frithlefus Rex, Frothonis filius. Erida dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Frotho Durus Rex, filius Frithlefi.

Tha var INGELD Kunung, *Frotha* ſun. SVARTE het Drotning hans.

Tha var OLAF Kunung, *Ingels* ſun ok *Svarto.*

Tha var FROTHE Kunung *hin Frökne*, *Olafs* ſun. ALLOFTH het Drotning hans.

Tha var HALDAN Kunung, *Frotha* ſun. THORILDA het Drotning hans.

Tha var HITHING Kunung hin *Höueſke*, ok *Frotha* ſun. HILDA het Drotning hans.

Tha var ASMUNTH Kunung, *Hidins* ſun.

Tha var UNGUIN Kunung, ok *Hidins* ſun.

Tha var Kunung SUARTBANE *Unguins* ſun.

Tha var SIGER Kunung *Suarthe* ſun.

Tha var ALF Kunung *Sigers* ſun.

Tha var REGNFR Konunk *Alfbane.* RATHA het Drotning hans.

Tha var BUTHAR Kunung i *Skane.*

Tha var HUNTHINGER Kunung i *Sielanth.*

Tha var HANMARK Kunung i *Fyen.*

Tha var HAGNAR Kununk i *Jutlanth.*

Tha var RÖREKH Kunung i *Lalanth.*

Alle *Vaidghe Regners* ſunar af *Rathe.*

Tha var HARALTH Kunung *Hylthetan*, ſun (a). ASA het Drotning hans.

Tha var RING Konung, *Haralths* ſuſter ſun *Hylthetans.*

Tha var OLAF Konung *Rings bane.*

Tha var EMUNDER Konung, *Olafs* ſun. ASA het Droming hans.

Tha var BOTHAR Kunung *Jarmunda* ſun.

Tha var SNIE Kunung.

Tum erat Ingildus Rex, Frothonis filius. Svarta dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Olavus Rex, Ingelli & Svartæ filius.

Tum erat Frotho Strenuus Rex, Olavi filius. Allofda dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Haldanus Rex Frothonis filius. Thorilda dicta Regina ejus.

Tum erat Hithingus Modeſtus Rex, etiam Frothonis filius. Hilda dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Asmundus Rex, filius Hidini.

Tum erat Ungvinus Rex, etiam Hidini filius.

Tum erat Svartbane Rex, Ungvini filius.

Tum erat Sigerus Rex, Svarthe filius.

Tum erat Alfus Rex, Sigeri filius.

Tum erat Rex Regnerus Alfi interfector. Ratha dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Butharus Rex Scaniæ.

Tum erat Humlingus Rex Sielandiæ.

Tum erat Hammarkus Rex Fioniæ.

Tum erat Hagnarus Rex Jutiæ.

Tum erat Rörecus Rex Lalandiæ.

Omnes Regneri Validi ex Ratha filii.

Tum erat Haraldus Hyldetan Rex, filius . . . . Aſa dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Ringo Rex, Haraldi Hyldetani ex ſorore nepos.

Tum erat Olavus Ringonis interfector Rex.

Tum erat Emundus Rex Olavi filius. Aſa dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Botharus Rex, filius Jarmundi.

Tum erat Snio Rex.

Tha

(a) Deeſt patris nomen.

Tha var BIÖRN Kunung *Jarnſithe.*

Tha var HARALTH Kunung *Biörns* ſun.

Tha var GORM Kunung *hin Gamle*, *Haralths* ſun.

Tha var GODRINGE Kunung, *hin Gamle Gorms* ſun.

Tha var OLAF Kunung *Goders* ſun.

Tha var HEMING Kunung *Olafs* ſun.

Tha var SIUARTH Kunung *Hemming* ſun.

Tha var REGNER Kunung *Lodbroghe.* THORE het Drotning hans, ok anner SVANLETHE.

Tha var SIUARTH Kunung ſun *Regners Lodbroghe.*

Tha var ERIK Kunung, ok *Regners* ſun.

Tha var LOTHNE KNUT Kunung.

Tha var FROTHE Kunung hin *Friſkhe.*

Tha var GORM Kunung *hin Enſke*, *Frotha* ſun.

Tha var GAMPI (b) Kunung *Gorms* ſun.

Tha var GORM Kunung *Gampi* ſun. THYRI het Drotning hans.

Tha var HARALTH BLATAN Kunung, förſte Kriſten Kunung i Danmurk. THORE het Drotning hans.

Tha var SUEN THYGHESKEG, *Haralths* ſun, Kunung. THYRA het Drotning hans, ok anner YMMA (c).

Tha var Gamle KNUT Kunung. ALUITHA het Drotning hans, ok anner YMMA.

Tha var HORTHA KNUT Kunung, *Knuts* ſun.

Tum erat Biorno ferrei lateris Rex.

Tum erat Haraldus Rex, Biornonis filius.

Tum erat Gormo Grandævus Rex, filius Haraldi.

Tum erat Godringus Rex, filius Gormonis Grandævi.

Tum erat Olavus Godrici filius Rex.

Tum erat Hemingus Olavi filius Rex.

Tum erat Sivardus Rex, filius Hemmingi.

Tum erat Regnerus Lodbroghe Rex. Thora dicta eſt Regina ejus, & altera Svanleda.

Tum erat Sivardus Rex, filius Regneri Lodbroghe.

Tum erat Ericus Rex, etiam Regneri filius.

Tum erat Kanutus Hirſutus Rex.

Tum erat Frotho Vegetus Rex.

Tum erat Gormo Anglicus Rex, filius Frothonis.

Tum erat Gampi Rex filius Gormonis.

Tum erat Gormo Rex, Gampi filius. Thyra dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Haraldus Blatan Rex, primus chriſtianus Rex Daniæ. Thora dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Rex Sveno Thygeſkeg, Haraldi filius. Thyra dicta eſt Regina ejus, & ſecunda Ymma.

Tum erat Kanutus Senior Rex. Alvitha dicta eſt Regina ejus, & ſecunda Ymma.

Tum erat Hortha-Knut Rex, Kanuti filius.

Tha

(b) In hoc nomine, inſcitia auctoris, commiſſam eſſe confuſionem ſuſpicor, ortam ex cognomine *Gamle*, *Senior*, qvod GORMONI tribuitur. In *Serie Runica altera* non occurrit. Vide interim, qvæ *Wormius* Ser. Reg. p. 14. ad hunc locum cōmentatus eſt.

(c) In nominibus uxorum SVENONIS TIUGSKÆG toto cœlo errat auctor noſter, cum prior fuerit *Gunilda*, poſterior *Sigrida*.

Tha var MAGNUS Kunung, *Eriks* ſun hin Iltha i *Norghe* (d).

Tha var (e) *Osritha* ſun Kunung.

Tha var KNUT *Suen* ſun Kunung. ETLE het Drotning hans.

Tha var ungi OLAF Kunung *Suens* ſun.

Tha var ERIK Kunung *hin Argeſte* (f), ok *Suens* ſun. BOTILDA het Throtning hans.

Tha var NIKLAS Kunung, ok *Suens* ſun. MARGARETA het Drotning hans.

Tha var ERIK EMUN Kunung, helga *Knuts* ſun (g) i *Ringſtatha* ligar.

Tha var OLAF (h) Kunung, *Haralts* ſun *Kyſſa*.

Tha var ERIK LAMB Kunung.

Tha var SUEINR Kunung, *Erik Emuma* ſun. ETLA het Drotning hans.

Tha var VALTHEMAR Kunung, helga *Knuts* ſun. SOFIA het Drotning hans.

Tha var KNUT Kunung *Valthemars* ſun. GERTHRUT het Drotning hans.

Tha var VALTHEMAR Kunung, *Valthemars* ſun. MARGRETA het Drotning hans, ok anner BERINGERTH.

Tha var VALTHEMAR hin unge *Valdemars* ſun Kunung. MARETE (i) het Drotning hans.

Tha var ERIK Kununk (k). METTILD het Drotning hans.

Tha var KRISTOFER Kunung. MARGRETE het Drotning hans.

Tha var ERIK Kunung, *Kriſtofers* ſun. AGNES het Drotning hans.

Tha var ERIK ſun *Eriks* kunung. INGEBORG het Drotning hans.

Tum erat Magnus Rex, filius Erici Mali in Norvegia.

Tum erat Aſtrithæ filius Rex.

Tum erat Kanutus Svenonis filius Rex. Edla dicta eſt Regina ejus.

Tum erat junior Olavus Rex, filius Svenonis.

Tum erat Ericus Peſſimus Rex, etiam Svenonis filius. Botilda dicta Regina ejus.

Tum erat Nicolaus Rex, etiam Svenonis filius. Margareta dicta eſt Reg. ejus.

Tum erat Ericus Emun Rex, filius Canuti Sancti Ringſtadiæ qvieſcentis.

Tum erat Olavus Rex, Haraldi Keſſie filius.

Tum erat Ericus Lamb Rex.

Tum erat Sveno Rex, filius Erici Emun. Edla dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Valdemarus Rex, filius Sancti Canuti. Sophia dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Kanutus Valdemari filius Rex. Gertrudis dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Valdemarus Rex, filius Valdemari. Margareta dicta eſt Regina ejus, & ſecunda Beringaria.

Tum erat Valdemarus junior Rex, filius Valdemari. Mareta dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Ericus Rex. Mechtildis dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Chriſtoferus Rex. Margareta dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Ericus Rex, filius Chriſtoferi. Agnes dicta eſt Regina ejus.

Tum erat Ericus filius Erici Rex. Ingeborgis dicta eſt Regina ejus.

(d) Falſo *Magnus* hic dicitur fuiſſe filius *Erici Mali*, per qvem auctor ſine dubio intelligit Ericum Haqvinium Norvegiæ Comitem; Notiſſimum enim eſt, *Magnum S. Olavum* Regem patrem habuiſſe.

(e) Hic deeſt nomen Regis, ſcil. SVEN Aſtridæ filius. Hujus filii & ſucceſſoris, HARALDI Regis, Auctor oblitus eſt.

(f) Huic cognomini vitium ineſſe videtur, ſive ab auctore ſive a Runarum ſcriptore admiſſum. ERICUS alias ab optimis Hiſtoricis cognominatur *Egoth*, *Eigothe*, *Eiegod*, ſive *Bonus*. Vid. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 231. *Suhms* Forbedringer p. 121. Et forte pro *Argeſte* legendum *Argote*, Vid. *Ser. Run. alteram* Not. (g).

(g) ERICUS EMUN non filius ſed frater erat *S. Kanuti* Ducis.

(h) Hunc OLAVUM, a Scanienſibus Regem electum, pleriqve e Regum numero excludunt. Hinc igitur, auctorem hujus Seriei Scanum fuiſſe, ſuſpicari licebit.

(i) Erratum in hujus Reginæ nomine, qvod *Eleonora* fuit, non *Margareta*.

(k) Hic ABEL Rex, forte incuria Scriptoris, omiſſus eſt, cujus Regina fuit MECHTILDIS; Uxor autem ERICI erat JUDITH ſive JUTTA.





IX.

Séries Runica Regum Daniæ altera.

Ex eodem Codice membraneo Runico, de qvo ad proxime præcedentem articulum necessaria monui, *Olaus Wormius* hoc, una cum priori, edidit fragmentum. Altera hæc Series priore plenior & adcuratior videtur, non enim nuda nomina, sed etiam facta qvædam profert, & in multis cum Historia gentis Danorum sive *Chronico Erici* concordat. Licet in numero Regum & nominibus qvibusdam dissentiat, adeo ut *Wormius* non dubitet asserere, aut hujus fragmenti auctorem ex *Chronico Erici* sua excerpsisse, aut hoc illum locupletasse. Est hæc Series ejusdem cum priore ætatis, scripta scilicet, ut videtur, Seculo XIV. si non tempore Regis ERICI MENVEDI, certe haud longe postea, sed de *Auctore* ejus æqve inscii esse cogimur. In Codice, hujus Seriei initium deest, & sex ad minimum Reges desiderantur. Qvantum autem hujus fragmenti tempore *Wormii* supererat, adhuc An. 1771. integrum in Codice nostro Runico habetur, cum qvo exscriptum Textum circumspecte contuli.

. . . *Ellespont* (a) ok van *Dynu burh* (b) til Ikat.

Tha var FROTHE Kunung, *Hadings* sun, han drap en draga, ok Ikatathe annan tima *Thydistland*, ok *Frisland*, ok *Britamiam*.

Tha var HALDAN Kunung *Frotha* sun, han drap sina bröder, fore thy at han vildi hava rikit.

Tha var RO (c) *Frotha* sun, han bygdi föst *Roskeldo*.

Ok HELHE Kunung, hans brother, drap Kunung *Hotbrod* af *Sueriki*, ok Ikatathe thrithia tima *Thybthistlant*.

Tha var ROLF Kunung *Krake*, *Helhe* sun, i hans tima var *Hialti* og *Bierghi*, ok hans magh het *Jarnar*.

Tha var HOTHER Kunung i *Sueriki*, i hans tima var BALDER *Thoulma* sun Kunung af *Sialande*.

Tha var RODRIK Kunung, *Höthbers* sun, i hans tima varu *Slenge* ok *Vege*, ok *Orvendel* drap *Slenga*, ok *Ambluthe*

. . . *Hellespontum & Duneburgum tributo subjecit.*

Tum erat Frotho Rex, filius Hadingi, hic draconem occidit, & secundo Teutoniam, & Frisiam, & Britanniam subjugavit.

Tum erat Haldanus Rex, filius Frothonis, hic fratres suos interfecit, ut regnum haberet.

Tum erat Ro Rex filius Frothonis, hic primus Roskildam condidit.

Et Helgo Rex, frater ejus, Hotbrodum Sveciæ Regem occidit, & Teutoniam tertium subjugavit.

Tum erat Rolfo Kraka Rex, Helgonis filius. Ejus tempore videbant Hialte & Biarghe, & socer ejus dictus est Jarnarus.

Tum erat Hother Rex Sveciæ, cujus tempore Balderus Thoumiæ filius erat Rex Sialandiæ.

Tum erat Rodricus Rex, filius Hötheri, cujus tempore vigebant Slengus & Vegus, & Orvendillus Slengum occi-

(a) Islandi veteres *Hellespontum*, nomine more suo mutato, dixerunt *Ellipalta*, Snor. Sturl. T. II. p. 73. Per *Hellespontum* autem & *Saxo* & plures nostrorum in medio ævo, qvoad antiqvissima tempora, intellexisse videntur *Livoniam* & partem aliqvam *Russiæ*, ac per *fretum Hellesponticum* partem illam *Maris Balici*, qvæ regiones eas alluit. Vid. *Hvitfeld* p. 6. Grammii Not. ad Meurs. p. 109. Conf. *Stephanii* Not. ad Saxonem p. 49.

(b) *Saxo* p. 12. *Dunam urbem, invictis murorum præsidiis vallatam* nominat, qvæ ad *Dunam* Livoniæ fluvium olim exstructa & munita fuisse videtur. Conf. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 16.

(c) Deest vox *Kunung*.

drap ATER (d) HAN, the varu Kununga i *Jutlande*, ok hans mah het *Vithlek.*

Tha var VERMUND Kunung, *Vithlesth* ſun. I hans tima var *Göte* ok *Vihi Fröthvins* ſynir, the hefndu fathurs a Kunung *Atilt* af Sueriki.

Tha var UFFI STARKI, *Vermunda* ſun, han ſkatathe fiarthe ſinni *Thydiskulande.*

Tha var DAN Kunung *Uffa* ſun, ok HUHLEK Kunung *Uffa* ſun, han drap tva höfthinga af *Sueriki*, *Hemoth* ok *Hagrim.*

Tha var FROTHE Kunung, *Huhlesth* ſun, han drap *Freger* Kunung af *Norhthe* ok ti therra hertva (e).

Tha var DAN Kunung *Dahfulli*, *Frotha* ſun, han var a tolfta vintri, tha han ſkatathe femte ſinni *Thyhthisland.*

Tha var FRITHLEF *Dans* ſun, han ſkattathe *Britanniam.*

Tha var FROTHE Kunung *Frithgothe*, *Frithlafs* ſun, i hans tima var *Jeſus Kriſtus* föd i Juthalande.

Tha var FRITHLEF Kunung, *Frithgotha* ſun, han drap Kunung *Amend* af Norehe ok en grim draka.

Tha var FROTHE Kunung, *Frithlefs* ſun. I hans tima kum *Starkathar Storverka* ſun, han drap *Viſius.*

Tha var INGGIELD Kunung, *Frotha* Kunung ſun, i hans tima drap *Starkather* ſiu ſynir *Svertings.*

Tha var FROTHE Kunung, *Olafs* ſun, han drap ſin brother, fore thy at han vildi ratha rikit.

Tha var HALDAN Kunung, *Frotha* ſun, han giorthe marth dyr thing.

Tha var SIUALD Kunung, i hans tima flythi *Starkather* af ſtrith.

Tha var GUTHRITH *Sihthars* ſyſtur ſun, i hans tima varo fem höfthingga i *Dannmark*, ok *Suerikis* Kunung ſkipathe en *ragge* at vartha Kunung i Danmark.

dit, & Ambluthus Aterum & Hamum interfecit, qui erant Reges Jutiæ, ejusqve ſocer dictus eſt Vithlegus.

Tum erat Vermundus Rex, filius Vithlethi. Cujus tempore vigebant Götus & Vihus, filius Fröthvini, qvi parentis mortem in Atislo Rege Sveciæ ulti ſunt.

Tum erat Uffo Fortis Rex, filius Vermundi, qvi Teutoniam qvarta vice tributariam fecit.

Tum erat Danus Rex, filius Uffonis, & Huglegus Rex, Uffonis filius. Hic duos proceres Sveciæ Hemodum & Hagrimum occidit.

Tum erat Frotho Rex, Hugleſti filius, qvi Fregerum Norvegum decemqve ejus duces.

Tum erat Danus Clarus Rex, filius Frothonis. Iſte duodecimo ætatis anno Teutoniam qvinta vice tributariam fecit.

Tum erat Frithleſus Dani filius Rex, qvi Britanniam tributo ſubdidit.

Tum erat Frotho Pacificus Rex, filius Frithlaſi. Qvo regnante, Jeſus Chriſtus in Judæa natus eſt.

Tum erat Frithleſus Rex, Frithgodii filius. Hic Amendum Norvegiæ Regem ac immanem draconem occidit.

Tum erat Frotho Rex, Frithleſi filius, cujus tempore venit Starkatherus filius Storverki, ille Viſium interfecit.

Tum erat Ingieldus Rex, Frothonis Regis filius, cujus tempore Starcatherus ſeptem Svertingi filios interfecit.

Tum erat Frotho Rex, filius Olavi, Is fratrem ſuum trucidavit, ut ſolus regnum obtineret.

Tum erat Haldamus Rex, Frothonis filius, qvi multa præclara patravit.

Tum erat Sivaldus Rex, cujus tempore Starcatherus e prælio fugit.

Tum erat Guthridus Rex, Sigthari ex ſorore nepos, qvo regnante qvinqve Primores regnum Daniæ tenuerunt, & Rex SveciæRaccamRegemDaniæ conſtituebat.

Tha

(d) Hic deeſſe videtur *ok* ↄ: &.

(e) Legendum forte *hertuga.*

Tha var HALDAN Kunung, han var en thriuin helethe i ſin vapn.

Tha var HARALD HILDITAN, han giorte marh dyr thing.

Tha var OLLE Kunung, han var ſua grim at aſynum, at *Starkathar* fiol nither a ſin kne fore han.

Tha var EMUNDER *Olla* ſun Kunung, i hans tima lot *Starkathar* drepa ſik af *Hathero.*

Tha var SIHER Kunung, ok hans brother BUTHEL.

Tha var LARMUND (f) Kunung, han drap *Ismar* Vinda Kunung.

Tha var SNIO kunung, i hans tima unna *Danir* Lumbardi.

Tha var GÖTRIK kunung, han ſkattathe ſiata tima *Thydistland*, ok elte Keiſar *Karl.*

Tha var REHINAR Kunung *Lothbroke*, han giorthe manhhe dyre gerninga, ok hafthe tolf ſynir.

Thâ var ERIK kunung, förſt Kriſten af Danmark af Sancto *Ansgario.*

Tha var LOTA KNUT kunung, han do heden.

Tha var FROTHE Kunung, han van *Enghland.*

Tha var GORM Kunung *Anſke.*

Tha var GORM Kunung *Gamble*, ok hans Drotning THYRI.

Tha var HARALD BLATAN Kriſtin.

Tha var SUEN TIUHHUSKEG.

Tha var KNUT *Gamble*, han förthe förſt Kloſtormen i Danmark.

Tha var MAHNUS Kunung *Olafs* ſun.

Tha var SUEN Kunung *Eſtredo* ſun.

Tha var HARALD Kunung; ok hans brother KNUT i Othenſö, ok OLAF HUNGER.

Tum erat Haldanus Rex, qui heros fuit ſtrenuus in armis.

Tum erat Haraldus Hildetan Rex, qui multa præclara perpetravit.

Tum erat Ollo Rex, qui adeo efferus aſpectu erat, ut Starcatherus procideret in genua coram eo.

Tum erat Emundus Ollonis filius Rex, cujus tempore Starcatherus ſe occidi curavit ab Hathero.

Tum erat Siherus Rex, & frater ejus Buthelus.

Tum erat Larmundus Rex, qui Ismarum Regem Slavorum occidit.

Tum erat Snio Rex, cujus tempore Dani Lombardiam occuparunt.

Tum erat Gotricus Rex, qui ſexta vice Teutoniam tributariam fecit, & Imperatorem Karolum fugavit.

Tum erat Regnar Lothbroke Rex, qui multa præclara edidit facinora, & duodecim habuit filios.

Tum erat Ericus Rex, primus in Dania ad Chriſtum converſus a Sancto Ansgario.

Tum erat Lota Knut Rex, qui mortuus eſt pagamus.

Tum erat Frotho Rex, qui Angliam vicit.

Tum erat Gormo Anglicus Rex.

Tum erat Gormo Grandævus Rex, cujus Regina Thyra.

Tum erat Haraldus Blatan Rex, chriſtianus.

Tum erat Sveno admorſæ barbæ Rex.

Tum erat Canutus Senior Rex, qui primus in Daniam religioſos induxit.

Tum erat Magnus Rex, filius Olavi.

Tum erat Sveno Rex, Eſtridæ filius.

Tum erat Haraldus Rex, & frater ejus Canutus Ottonienſis, & Olavus Famelicus.

Tha

(f) Vitio Scriptoris, ni fallor, hic legitur *Larmund* pro *Jarmund* ſive Jarmarus.

Tha var EREK *Argothe* (g), ok NIKULAS.

Tum erat Ericus Bonus Rex, & Nicolaus.

Tha var EREK EMUNE.

Tum erat Ericus Emune.

Tha var EREK LAMB.

Tum erat Ericus Lamb.

Tha var SUEN (h).

Tum erat Sveno.

Tha var VALMAR, og hans fynir KNUT ok VALDEMAR.

Tum erat Valdemarus, & filii ejus Canutus & Valdemarus.

Tha var VARDEMAR (i) og hans brother Sankte EREK, er martiliether var vither *Slesvik*, ABEL, ok KRISTOFER.

Tum erat Valdemarus, & frater ejus Sanctus Ericus, qui martyrizatus est prope Slesvicum, Abel, & Christoferus.

Tha var ERIK kunung.

Tum erat Ericus Rex.

Tha var EREK, *Ereks* kunungs sun, *Inggiborhth* het Drotning hans.

Tum erat Ericus, Erici Regis filius, cujus Regina dicta est Ingeborgis.

(g) Cognomen *Argothe*, licet illud culpa describentis corruptum ex *Eigoth* censeant *Wormius* Ser. Reg. p. 27. & *Grammius* Not. ad Meurs. p. 231. melius tamen est illo *Argeste* in priori Serie Runica obvio, &, ut credo, studio ab Auctore Regi ERICO, ut honorificum cognomen, tributum; *Argoth* enim idem fere dicere vult ac *Arsæll* o: Annonæ ubertate felix, qvo cognomine Sveci olim Regem qvendam suum dilectum ERICUM dignati sunt, *Dalin* T. I. p. 536. T. II. p. 73. Et sicut huic, ita nostro ERICO BONO magnam terræ fertilitatem, gode Aar, obvenisse, ex Historiis certum est. Sic *Olafs* Haraldi Pulchricomi filia *Arbot* cognominata est, o: Annonæ levatrix, qvæ annonæ remedium attulit, *Torfæi* H. N. T. II. p. 27. 52.

(h) Hic prætermissus CANUTUS V. Conrex Svenonis & Valdemari, Roskildiæ occisus.

(i) Vitiose in Codice scriptum *Vardemar* pro *Valdemar*.

X.

Cornelii Hamsfortii Series Regum Daniæ a Dano ad Fridericum II.

Hanc Seriem diligentissimus antiqvitatum nostrarum & Historiæ patriæ Cultor D. *Cornelius Hamsfort* Anno 1585. conscripsit, & amico suo *D. Joanni Langio* dedicavit. Auctor ille, etsi ad Medium Ævum proprie non pertinet, nec certissimos ac satis antiqvos Scriptores ubiqve laudat, ut sunt *Jo. Magnus*, *Crantzius*, *Fossius* & *Vellejus*, ad manus tamen semper habuit haud pauca majorum nostrorum vetustiora scripta historica, ex qvibus in hoc opusculo *vetus qvoddam Chronicon* & *scriptos Annales* citat. Ut *Annales Francicos*, *Anglicos*, *Hirsaugienses*, *Saxonem*, aliosqve melioris fidei ab eo allegatos fontes vetustos fileam. Cumqve ejusmodi veterum monumentis instructus fuerit, qvorum haud parca nobis jam desunt, ex iisqve varia anecdota, vix alibi obvia, retulerit, eo pronior fui, scripta ejus proxime ad vetustiorum Scriptorum classem accensere. Apud magnum gentis nostræ Historicum *Hvitfeldium* magni pretii fuit *Hamsfortius* noster, eiqve in Historia tam civili qvam ecclesiastica qvasi auctor classicus & dictator præcipuus. Apographum hujus Scripti Hamsfortiani, ex Ms. Donationis Delagardianæ No. 52. descriptum, ante aliqvot annos, procurantibus amicis meis *Brocmanno* & *Lidenio*, Upsalia nactus sum.

Regum

Regum Danorum Series,

qvorum tempora annorum reperiri poſſunt.

Reverendo viro, Doctrina, Pietate, Virtute præſtanti, D. *Joanni Langio* (a), Aſſonienſi, Liberalium Artium Magiſtro ac Profeſſori S. Theologiæ ordinario, amico ſuo ſingulari d. d. t.

cIↃ IↃ xxcv. *Cornelius Hamsfortius.*

Cimber.

DAN Humeli filius, primus Rex Danorum, iniit regnum anno ab orbe condito 2673. Hoc ex hiſtoria *J. Magni* colligitur, qvi ab *Erico I.* Gothorum rege efflu-xiſſe usqve ad *Danum* circa annos 660 ſcribit, ac *Ericum* iniiſſe anno poſt cladem univerſalem diluvii 357 (.) Regnavit *Dan* Annis . . .

Interjecto inde multorum annorum intervallo apud Danos temporibus *Caroli Magni* regnavit GOTORICUS Gormonis F. qvi & *Gotofredus* (c) dicitur, pugnavit feliciter contra Saxones, Sveones, Friſeos. Cum *Carolo Magno* bellum geſſit, tandem in Friſia conſpiratione demeſticorum occiditur anno Chriſti 808. Villi Heneti deditionem eodem anno Regi *Gotorico* fecerunt: gloriari ſe Regem non ſolum Danorum, ſed Saxonum, Friſiorum, & Henetum, qvibus auxiliantibus, Obotritos oppugnavit; Captum eorum regulum *Gattliebum* laqveo necavit. *Traſiconem* coëgit filium obſidem dare, impoſito tributo. Hoc bello *Reimaltus* vel *Reimoldus* Gotorici e fratre nepos occubuit belli dux. Linones & Smeldingi ſocii Gotorici & Danorum oppugnati a *Carolo* Cæſaris filio. Cæterum Dani ejusdem *Gotorici* auſpiciis *Rethrum*, emporium nobile Henetum, capiunt. Conditum qvoqve eodem anno *vallum Danicum* (d) in Iſthmo Cimbrico. In ſeqvente anno ad limites univerſi regni conveniunt oratores regis cum legatis Cæſaris. De pace fruſtra actum. Cæſar per *Eidoram* & *Trenam* fluvios ad fines Danorum delatus claſſe *Holingſtadii*, Danus *Slievici* ſubſtitit. Diſtant ea loca inter ſe duobus miliaribus in iſto Iſthmo Cimbrico. Recrudeſcente igitur bello, Obotritorum Regulus *Thraſico*, qvod oppugnaſſet Villos Danorum Socios *Rethre* contra fidem datam, confoditur a Danis. Subſtituitur ab iſdem *Sclaomirus* in locum *Thraſiconis*. Sub idem tempus Dani in Britanniam irruptionem faciunt. Sed ex Anglia fuſi fugatiqve. Anno, qvi ſecutus eſt, 200 navium claſſe Friſeos oppugnant, atqve iis tribus preliis devictis tributum annuum imponunt. Villi Danorum ſocii, interfecto præſidii imperialis præfecto *Othone*, *Hamburgum* funditus delent, & *Gotoricus* Rex a ſatellite trucidatur in venatione inſidiis domeſticis.

(a) *Joannes Langius*, Aſſenii in Fionia natus, artibus liberalibus operam dedit, in qvibus Gradum Magiſtri meruit, factus demum Profeſſor Theologiæ ordinarius. Num vero Profeſſor Lundenſis fuerit, ut eum *Alb. Bartholin* de Script. Dan. nominat, in dubio eſt. Potius fuit primo 1566. Scholæ Otton. Rector, deinde Theologiæ Lector & Profeſſor Ottonienſis, ac tandem Paſtor Hornenſis Fioniæ, in qvo officio obiit circa 1604. Vid. *Alb. Bartholin.* p. 74. *Molleri* Spicileg. p. 22. *Wormii* Lexicon Erudit. Dan. T. I. pag. 570. Vir multimoda eruditione præditus & rerum inprimis patriæ ſtudioſus fuit. *Corn. Hamsfort* in Chronologia ſua ſecunda, qvæ inferius prodibit, *Annales a Langio* communicatos, qvi ad Annum usqve 1314. pertingunt, laudat. Num vero *Langius* ipſe horum Annalium Auctor fuerit, an eos inter antiqva Bibliothecæ ſuæ cimelia habuerit, non conſtat. *Lyſander* qvidem eos inter ſcripta ipſius Langii recenſet, Vid. *Weſtphal.* T. III. p. 475. ſed illius teſtimonio non ſemper fides adhiberi poteſt.

(b) In his, auctoritate *Joannis Magni*, valde decipitur *Hamsfortius* noſter.

(c) Saltu præcipiti a *Dano* ad *Gotofredum* currit auctor noſter.

(d) i: *Danewerk*, notiſſimum Danorum ad Slesvicum munimentum.

OLAUS III. cognomento *Gaatdreng* iniit regnum anno 811. patri *Gotrico* ſuccedens, regnavit paucis menſibus ultra cædem paternam, ſepultus *Lethræ*.

HEMMINGUS eodem anno regnum iniit. Regnavit annis fere duobus, moritur anno 812. Succedunt SIUARDUS II. RINGO a Scanis & Selandis declaratus, & RINGO Olai filius, qvi *Amulo* in *annalibus Francicis* dicitur, a Cimbris deſignatus. Uterqve regnum capeſſit anno 813. Uterqve regnat annis 5. Bellum ſociale & civile oritur inter eos. Anno 815 RINGO Cimbrorum Rex Selandis bellum, abſente *Sivardo*, infert. REGNERUS conſors paternæ dignitatis fit, ac dux contra *Ringonem* belli conſtituitur. Ab eo tempore regnavit 40. annos REGNERUS. Hujus æmulus fuit HARALDUS CLAGIUS. Anno 817. Reges commiſſo proelio occumbunt. Foſſius habet annum 828. His ſuccedunt per factiones REGNERUS LOTBROGA, qvi in *Anglicis annalibus* nominatur *Lothrigus*, a Selandis, *Haraldus Clagius* a Cimbris electi. REGNERUS præfuit annis 37. Ejicit regno HARALDUM. Hic anno 819. a Saxonibus vi reſtituitur, iterum ejectus, Moguntiaci Anno 826. baptizatur.

HARALDUS eodem anno, duce *Regnero* & ejus liberis, regno pulſus, manendi in Saxonia impetrat poteſtatem & hoſpitium a *Ludovico* Germano Germaniarum Rege anno 845. Interea Dani diverſis ſtudiis ſecuti partes *Haraldi Clagii*, gliſcente adhuc bello civili, SIUARDUM & ERICUM Haraldi fratrem reges creant & imperii *Haraldi* abſentis conſortes. Horum *Ericus* everſam *Slievici* eccleſiam a Regnerianis inſtaurat, adnitente *Ansgario* anno 848. teſte *Velleo*. Anno 850. *Haraldus* exul in gratiam Regneri fit Apoſtata, qvare perfidiæ & proditionis inſimulatus graviſſime punitur a Saxonibus proceribus. *Ericus* & *Sivardus* ſocii ſummis niſibus oppugnant Regnerianos & *Juarum* regulum Cimbrorum, *Regneri* filium. Qvi REGNERUS ab *Hella* Hybernorum regulo captus, gravi ſupplicio afficitur, necatus in carcere anno 854. *Foſſius* habet annum 865. Filii *Senardus* & *Juarus* paternum regnum capeſſunt.

Hic brevi apud Danos regnat *Senardus*, *Sivardum* & *Ericum* ſocios & ſucceſſores *Haraldi Clagii* demiſit, occiſo *Sivardo*, ad *Sliam* amnem fugato *Erico*, qvi mortuo *Siuardo* Regneri filio ſuccedens, ſolus regnum anno fere retinuit, devictus & occiſus in prelio a *Guthormo* Haraldi Clagii filio, ipſius ex fratre nepote & tutore *Erici pueri* anno, ut videtur nonnullis, 858.

Hujus imperium excepit ERICUS II. Siuardi filius, cognomento *puer*. Hujus æmulum fuiſſe ſcribit *Foſſius Canutum Lotnam*. Eodem tempore, *Olaus Tretelia* Rex Sveonum cum filiis *Enigumpo* & *Giurdone* partem Daniæ occupat, defendens per qvinqvennium *Canutum I. Lothnam* cognomento. *Ericus puer* Chriſtianos vexat. Interea *Olaus Tretelia* moritur anno 863. relictis filiis *Enigumpo* & *Giurdone* in Dania, *Ingone* in Sveonia ſucceſſoribus. *Enigumpus* tutelam gerebat *Canuti Lothne*. *Iuarus* Regneri filius, poſtqvam reliqviſſet Daniam, contra Anglos ſtrenue pugnans occubuit anno 868. Reliqviæ Danorum *Iuarum* ſecutæ in Nortumbris delentur. Paulo poſt Dani, ducibus *Agnero* & *Ubbone* Regneri filiis, occidunt bello *Edmundum* Orientalium Anglorum Regem, & regno præficiunt *Gothormum* Danum Anno 871.

Mortuo *Erico II.* puero circa annum 873. CANUTUS LOTHNA ſolus regnum obtinet, *Erici* filius, *Haraldi Clagii* e fratre nepos. Regnat annos 11 *Giurdo*, poſtqvam 10 annis partem Daniæ tenuiſſet, necatur, *Enigumpo* fratre ſuperſtite, tutore regni *Canuti*. Hoc Rege, clades illa memorabilis Germanorum facta eſt, victo-

ribus

ribus Danis Anno 876. teſte *Crantio*. Anno 881. mortuo *Guthormo* Dano apud orientales Anglos ſuccedit *Ericus* Danus. Poſt exceſſum *Canuti Lothuæ*, filius ipſius FROTO, ut & SVENO, Daniæ regno potiuntur. Dicit *Foſſius*, mortuum eſſe *Canutum* anno 899. ſed qvam recte videat ipſe. *Froto* regnat fere biennio & moritur anno 885. Cui filius GORMO II. *Anglicus* cognomento ſurrogatur. *Sveno* regnat annis 11. Gormonis patruus. Regnavit autem *Gormo* cum patruo *Svenone* annis 6. aliis 4. ut eſt in *veteri qvodam Chronico*. *Rollo* vel *Roes* princeps Danorum, inſtaurator collapſæ Roſchildiæ, e Dania in Angliam navigat, ſuis popularibus ferens opem. Anno 887. *Gormone II. Anglico* regno Danico ſe abdicante & in Angliam profecto, frater illius HARALDUS rerum potitur circa annum 892. *Gormo* interim ad Chriſti fidem converſus, *Aluredi* Magni Regis Anglorum opera Nortumbris in Anglia præficitur & regnat annis 12. Anno ſeqvente *Rollo* Danus Gallias invadit & 12. annis affligit.

Poſthæc moritur *Sveno* circa annum 894. obtinente integrum Danorum regnum HARALDO V. per qvinqvennium, qvo etiam defuncto, filius GORMO III. regnum accipit, 31. annis regno potitus. Hic *Thyram*, Edvardi Anglorum Regis filiam, cognomento *Dan-Bota*, habuit in matrimonio. Interea *Gormone Anglico* apud Nortumbros in Anglia mortuo ſufficitur *Sithricus* vel *Sigericus*, qvi ducta Edvardi filia *Edila*, *Thyræ* Sorore, genuit *Analaphum* & *Gotufridum* Regulos. Anno poſtero, qvi fuit 905. Dani in Anglia contra *Edvardum* bella gerunt, qvibus devictis, anno ſeqvente *Edvardus*, occiſo a ſuis *Erico*, Orientalium Anglorum ditionem ſuo regno adjicit.

Sic maxima ex parte Dani fuerunt Anglia expulſi. Anno 923. *Canutus* & *Haraldus*, principes juventutis, in Angliam profecti, *Gormonis III.* Danorum tyranni filii, ab avo materno Edvardo, Rege Anglorum, morituro heredes ſcribuntur. Hinc Danorum bellum in Anglos renovatum, qvo poſtremo Anglia imperio Danico fuit ſubacta. Anno proximo *Adelſtanus*, Edvardi filius nothus, regnum invadens, victis *Analapho* & *Gothofredo*, Danis, e ſorore nepotibus, Nortumbria potitur. *Gormo III.* Tyrannus, audito mortis Canuti filii, in bello Hybernico obtruncati, nuncio, in Apoplexin incidit & moritur.

Succedit ſuperſtes filius HARALDUS VI. BLOTAN, & regnat annis 50. Iniit autem anno 931. Sexennio poſt *Adelſtanus* Anglus Nortumbriam omnem adimit Danis, profligatis iterum *Analapho* & *Gotofredo*. Seqvente anno *Haraldus* Rex Danus colonias Saxonum *Slievici* cum præfecto imperatoris delet, & *Slievicum* recipit. Decennio poſt cum imperatore *Ottbone* Magno pugnat, facit inde fœdus, & religio Chriſtiana ſuſcipitur, conſtitutis epiſcopis in Daniam, *Slievici*, *Ripis* & *Aarhuſii*. HARALDUS poſtremo, bello civili excitato, inſtructus auxiliis Henetum, cum *Svenone* filio infeliciter pugnat ad *Helgones*, & dum comitia habentur pacis conſtituendæ cauſa, per inſidias a *Tucone Trilla* vel alio dicto *Sagittario* telo trajectus, & *Julinum* delatus moritur Aprili menſe anno 980. Corpus *Roſchildiam* relatum, in æde Trinitatis, qvam ipſe exſtruxerat, conditur.

SVENO II. *Tiugſkega* parricida ſuccedit patri pientiſſimo anno 981. regnat annis 32. Alii ei tribuunt annos 23. ſed non recte. 986. Dani religionem ſuſcipiunt, adnitente *Svenone* rege jam patriæ reſtituto, ac miracula edente ſtupenda *Popone* Friſio. Anno 989. *Angliam* invadunt. Rex Anglus pacem emere cogitur pro ſoluto tributo. Anno 1003. *Sveno* Rex, una cum filio *Canuto* principe juventutis, contractis militibus & exercitu navali in Anglos movet, & eorum regem *Ethelredum* graviter

oppugnat detrectantem tributa. Seqvente anno Angliam *Frode* (e) vaſtat ferro & flamma, & ſic ſeqventibus annis: donec pulſo *Ethelredo* Angliam univerſam obtineret. Tenet annum unum Angliam, & moritur Anno 1012. ſepultus Eboraci.

CANUTUS II. *Magnus*, cognomento alio dictus *Lambertus* (f), regnat annis 24. Totam Angliam in ſuam poteſtatem redigit, necato Rege *Edmundo* anno 1017. *Edgari Regis leges* Anglis reſtituit. In Italiam cum Cæſare *Conrado* anno 1026. proficiſcitur. Anno 1028. *Norveciam*, fugato *Haraldo duro*, & *Olao Sancto* trucidato, occupat. Anno 1031. *Canutus* in Daniam *Monachos* inducit, qvi ibi nidificare coeperunt; fuerunt autem *Benedictini.* Moritur anno 1036. Succedunt patri defuncto, in Dania

CANUTUS III. dictus *Durus*, inclytus triumphis de *Roxolanis*, *Sembiis*, & *Henetis.* In Anglia *Haraldus Harefota.* *Magnus*, Olai Sancti filius, Norveciam invadit. Regnat *Canutus III.* annis 6. Anno 1040 fratri *Haraldo Harefotæ* regi bellum inferens, in Morinis claſſem inſtruit, eoqve mortuo Angliam obtinet. Eodem anno rebellionem facit *Olai* filius *Magnus* & violat pacta. Ac Norvecis annuentibus regium nomen recipit. Contra qvem ſeqvente anno mittit cum exercitu navali *Canutus* conſobrinum *Svenonem Eſtritium* & *Godoſcalcum*, principem Obotritonum. Anno altero *Canutus* Rex extinguitur veneno in vico Lamati ad Thameſin flumen, & *Sveno* re male geſta laceram claſſem in Angliam reducit, & de ſucceſſione cum *Edvardo* paciſcitur, profecturus in Regnum Norvecum, ad Regnum Danicum avitum repetendum, qvod *Magnus* ex pacto & fœdere cum *Canuto* ante inito faventibus optimatibus occupaverat anno Chriſti 1042.

Regnat MAGNUS, cognomento *Bonus*, annis 4. perpetuum cum *Svenone* æmulo bellum gerens. Devincit Henetos, occiſo in acie *Ratiburo* eorum Regulo. Moritur anno 1046. ad *Halmſtadum* (g) eqvo excuſſus fracto thorace. Sepultus *Nidroſiæ* in Norvecia.

SVENO III. *Eſtritus*, *Magnus* cognomento, iniit Anno 1047. Regnat 28. annis, cum *Haraldo Duro* Norveco Bellum geſit feliciter, item cum Henetis. Obiit anno 1074. febre abſumptus. Ipſe *Roſchildiæ* ſitus eſt juxta monumentum *Gulielmi* epiſcopi.

HARALDUS VII. *Comitiis Iſoricis* rex creatur, & patri ſuccedit. Regnat, ſecundum *Saxonem* & alios, annos 2. ſecundum nonnullos, 6. annis. Obiit anno 1076. ſepultus *Dalby* in Scania.

CANUTUS IV. Sanctus regnat annis 10. Anno Chriſti 1086. *Otthoniæ* in æde Albaniana a Cimbris & Fioniis, proditione *Blaconis*, 6. Id. Julii confoditur, una cum fratre *Benedicto.* Corpus *Otthoniæ* habetur.

OLAUS IV. *Famelicus* fratri ſuccedit. Iniit anno 1086. regnat annos 10. ac anno 1095. tædio vitæ & regni captus, cum natalitia Chriſti Dei celebrare ſolenni ſacro epulo ſatis ſplendide, ut Regem decebat, non poſſet, ſe pro ſalute patriæ devovet. Sed preces haud inanes, nec carebant (volente Deo) pondere, ſtatim repentina morte decidit.

ERICUS III. *Egota*, *Bonus*, iniit regnum Anno 1096. Regnat aliis 6. annis, aliis 7. aliis 8. aliis 9. annis. Profectus in Syriam, in inſula *Cypro* morbo extinguitur.

Anno

(e) Hic forte error librarii in nomine *Frode.*

(f) *Lamberti* nomen in Baptismo Kanutum accepiſſe, nos docet vetus Schol. (32) ad Adam. Brem. p. 26. Hinc oritur qvæſtio: Qvando & qva occaſione hoc nomen obtinuit Kanutus, & an in infantia more chriſtianorum non ſit baptizatus?

(g) Alii *Axelſtadum* ſive *Alſted* Sialandiæ habent, *Saxoni* p. 204. oppidum *Alexſtadium.*

Anno 1104. Corpus *Famaguſtæ* humatum. Uxor *Botilda* dividuo toro maritum ſecuta in Syria moritur, ſepulta in *valle Joſaphati.* Interregnum biennio tenet *Haraldus Chuſa*, *Erici* Regis filius nothus.

NICOLAUS, mortuo in *Comitiis Vibergicis Svenone*, & *Ubbone* imperium & curam Reipublicæ reſpuente, Rex *Iſoricis Comitiis* nominatur, minimus natu *Svenonis Eſtritii* filius, Anno Chriſti 1107. Regnat annis 27. aliis 28. Hoc Rege connivente, anno 1131. cædes *Canuti* Obotritorum Regis commiſſa eſt a *Magno* ipſius filio *Haralſtadii* 7. Id. Januarii. *Voldemarus*, Canuti Obotritorum Regis filius, poſt cædem patris naſcitur 18. Kl. Febr. Bellum civile & ſociale ex patricidio *Magni* oritur. ERICUS, Canuti frater, Rex ſalutatur *Comitiis Iſoricis* a Scanis & Selandis. Anno 1133. die feſto pentecoſtes, *Ericus* a Norvecico exilio reverſus, ad *Fotam Sinum* Scaniæ ſuperat regium exercitum, cæſis *Magno* Regis filio, patricida, *Petro* Epiſcopo Roſchildenſi, *Thorone* Ripenſi, *Henrico* Sveticarum partium Epiſcopo, & aliis, & 60. presbyteris. *Nicolaus* pater fuga elabitur *Slievicum:* ibi plebis conſpiratione perimitur. *Annales Hirſaugienſes* annum cladis fatalis 1134. referunt.

HARALDUS VIII. *Chuſa* (h) dictus, *Ergoti* filius, regnum tenet anno 1. Occiditur a fratre *Erico* cum filiis omnibus, excepto *Olao.*

ERICUS IV. *Emuna*, occiſo fratre, regnum iniit Anno 1135. alii habent 1136. Regnat annis 4. Bello inclytus & felix, ut nomen *Fulminis Septentrionalis* meritus ſit, ſed crudelis. Occiſus eſt a *Plogone Nigro* in *Comitiis Hvedingenſibus* Anno 1139. ſepultus *Ripis.* Succedit

ERICUS V. *Ovicula*, *Lam*, *Aqvini* filius, *Sunivæ* nepos, *Fioniis* iniit eodem anno. Regnat annis 9. Anno inſeqvente, orto bello ſociali, oppugnat *Olaum Haraldi Chuſa* filium, repetentem paterna bona & ſalutatum a *Scaniis* Regem. Duravit bellum ſociale qvinqvennio fere. *Ericus* cum Henetis infeliciter pugnans, in febrem incidit, & fit monachus, ac *Ottbonix* 1147. moritur apud *Canutios*, ibi qvoqve humatus.

SVENO Erici Emune filius, & CANUTUS V. Magni filius, hic a Cimbris, ille a Selandis & Scaniis electus, regium dominatum iniunt anno 1148. & permagnas diſcordias & bella civilia ſocialiaqve tenent armis. *Sveno* a *Canuto* & *Woldemaro*, *Canuti* Obotritorum Regis filio, regno pellitur, cum fœdus contra eum percuſſiſſent. Anno 1154. ab exilio reverſus, triumviratum regium ſuſcepit. *Canutum*, Comeſſationibus Roſchildenſibus dolo circumventum, curat confodi. *Voldemarum* fauciat profugientem, cum qvo commiſſo prelio in *Campo Grathico* occumbit, agreſtibus interceptum *Svenonem* capite minuentibus Anno 1157.

VOLDEMARUS I. ſolus regnum obtinet, cum piratis Henetis bene pugnat, Rugianos domuit Anno 1169. Patrem *Canutum* ſeqvente anno in Apotheoſin Deorum referri curat, declarato filio *Canuto* principe juventutis ac ab *Eſchillo* Pontifice Lundenſi inaugurato. Conſpirationem cognatorum *Magni* Erici Regis filii & aliorum vindicat. Cum Cæſare *Lubecæ* Anno 1181. fœdus iniit. Seqvente anno 4. Id. Maji febre extinguitur, cum regnaſſet annos 26.

CANUTUS VI. patri ſuccedit, regnat annis 20, menſibus 5, diebus 23. Bellum geſſit Vologaſtiis, Pomeranis, & *Bugislao* Bertislai filio, Anno 1184. ducibus *Abſolone* Pontifice & *Jaromaro* Rugiano. Biennio poſt Pomerania tota venit in dirionem Danorum. Dani vaſtant & populantur *Finlandiam*, qvadriennio elapſo, 1190. Anno poſtero *Voldemarus* rebellionem Regi facit, & ſeqvente capitur. Vincuntur a

(h) Apud ceteros omnes *Haraldus Keſia* nominatur.

Rege Teutones: Holſatia, Lubeca & Hamburgum ſubigitur. Moritur CANUTUS Rex anno 1202. ex veneno ſumpto, ut habetur in *ſcriptis annalibus*, *Slesvici* 4. Id. Novembr. ſepultus juxta patrem *Ringſtadii*.

WOLDEMARUS II. Victor fratri ſuccedit anno 1203. e Duce Slievicenſi factus Rex, inauguratur ab *Andrea* Pontifice Lundenſi. Hic uſurpat *titulum Regis Henetum* (i), fuit felix in imperio, devicit Teutones & Henetos. Anno 1215. filium VOLDEMARUM III. Regem & conſortem regni deſignat, jurantibus in illius verba optimatibus *comitiis Haunis*. Triennio poſt Regem inaugurari *Slievici* jubet. Anno 1223. capitur cum filio *Voldemaro III.* principe juventutis, prodentibus aulicis, ab *Henrico* Comite Sverinenſi, Non. Maji, & triennio fere captivus tenetur. Miſſus e vinculis anno 1227. Cum Holſatis male pugnat, amittit omnem *Transalbianam regionem*. Heneti qvoqve rebellarunt. Triennio poſt *Woldemaro III.* regnum confirmatur, qvi anno poſtero 4. Cal. Decemb. ſagitta percuſſus ex improviſo extinguitur. Anno vero ſeqvente 1232. *Ericus Sextus*, Regis *Voldemari II.* filius, Rex inauguratur a pontifice Lundenſi *Offone*. *Abel* Dux Cimbriæ nominatur. *Voldemarus* Rex, poſtqvam tuliſſet *Leges Danicas*, moritur anno ſeqvente VII. Cal. Aprilis 1241.

ERICUS VI. *Sanctus* patri ſuccedit: regnat annis 10. Bellum civile & fraternum cum fratre *Abele*, qvod anno 1242. inceptum, qvo bello 4to anno 1247. *Othonia* exuſta, & finitum cæde Regis *Erici*, qvi decollatur, fraude circumventus *Slievici* Anno 1250. 5. Id. Aug. Corpus deinde frater *Chriſtophorus* transtulit *Ringſtadium Slievico*, ibiqve ſepulturæ tradidit.

ABEL fratri ſurrogatur parricida: inauguratur a pontifice Lundenſi *Offone:* regnat triennio, occiſus a Friſiis Eiderſtadienſibus juxta *Mildam*, Anno 1253. medio menſis Julii, ſepultus *Slievici*.

CHRISTOPHORUS Abeli fratri ſuccedit, bellum civile geſſit & ſervile cum ſubditis. Obiit anno 1259. ſepultus *Ripis*.

ERICUS VII. Chriſtophori filius regnat annos 27. Dictus fuit cognomine *Clepping:* libidinoſus, crudelis, infelix. Victus acie capitur cum matre ab *Erico* patruele, Duce Slievicenſi, Anno 1261. triennio reſtituitur regno. Anno 1286. occiditur *Finderopi* in Cimbria XI. Cal. Decembr. Autores cædis *Jacobus* Comes Halandiæ, *Stigotus* Magiſter Eqvitum, & *Ranildus Joannis* frater atqve alii. Sepultus eſt *Vibergi*.

ERICUS VIII. *Menueta*, Erici ſuperioris filius, iniit regnum Anno 1287. Inauguratur *Lundis* a *Joanne Droſio*, Pontifice Lundenſi, proſcriptis perduellibus. *Ericum* Regem Norvecum devicit anno 1289. & Anno 1293. Anno 1311. eqveſtria Certamina *Roſtochii* celebrat: aderant 100. Comites & Principes, qvi donati ſunt inſignibus militaribus. Inſtituit qvoqve *eqveſtrem ordinem Elephantinum* (k) Anno 1314. Coërcet ſuppliciis & proſcriptione rebelles Cimbros. Moritur 1319. Id. Novemb. Sepultus *Ringſtadii*, cum regnaſſet annos 33.

CHRISTOPHORUS II. Erico fratri ſuccedit Anno 1320. Inauguratur cum filio ERICO Vortinburgi Anno 1322. Crudelis, vafer, regno pellitur Anno 1326. & VOLDEMARUS, *Erici* Ducis filius, nuper mortui Reguli, Dux Slievicenſis, Rex creatus. Anno 1335. filius ERICUS, Princeps juventutis, ab Holſatis cæſus. Seqvente anno Id. Jul. CHRISTOPHORUS Rex moerore moritur *Nicopiæ*, cum regnaſſet

(i) i. e. *Regis Vandalorum* ſive *Slavorum*.

(k) Anecdoton, qvod alibi legiſſe non recordor, ſed qva fide proditum, neſcio.

naſſet annis 17. Sepultus eſt *Soræ* in cœnobio. *Interregnum* per triennium. Anno ſequente poſt mortem Regis videlicet 1337. capitur ab Holſatis *Otthо* Regis filius, bello victus.

VOLDEMARUS IV. Chriſtophori II. filius anno 1340. regnum iniit, tenuit annis 37: Princeps calidus. Abdicavit *Voldemarus* Dux Slievicenſis Regni Danici jurisdictione, cujus ſororem *Voldemarus* Rex ducit. Anno 1345. *Jeruſolimam* proficiſcitur. Bellum cum maritimis urbibus gerens, amittit filium *Chriſtophorum*, Principem juventutis, unicum hæredem maſculum, Anno 1363. Id. Junii. Moritur pater Anno 1375. 9. Cal. Novemb.

MARGARITA & illius filius OLAUS regnum iniunt. Hic regnat annis 12. illa annis 37. Moritur OLAUS 1387. ſepultus *Soræ*. Anno poſtero MARGARETA Regem Sveonum ſuperbiſſimum ALBERTUM bello vincit, capit, & in cuſtodiam conjicit, ac *Sveoniam* in poteſtatem Danorum redigit. Obiit Anno 1412. 5. Cal. Novemb. ſepulta *Roſchildiæ*.

ERICUS IX. *Pomeranus*, adnitente Regina *Margarita*, Rex Danorum & Norveciæ declaratur Anno 1396. Regnat annis 42. Seqvente anno Rex Sveoniæ inauguratur. Conſecratus ab *Henrico*, Pontifice Upſalenſi. 1411. contra Holſatos bellum ſumpſit. Regno abdicavit 1438. Sepultus *Butoviæ* Pomeraniæ.

CHRISTOPHORUS III. *Bojoarius* iniit Anno 1439. nomine *Adminiſtratoris Daniæ*. Seqvente anno *Regium nomen* ſumens. Ducatum Slievicenſem committit *Adolpho* Holſato. Anno 1442. *Sveoniam* ingreſſus inauguratur. Inſeqvente *Ripis* coronatur a *Johanne Laxmanno*, Pontifice Lundenſi. Moritur Anno 1448. *Helſingburgi* IIX. Id. Jan. ac ſepultus *Roſchildiæ*.

CHRISTIANUS I. Oldenburgicus, *Diterici* filius, *Chriſtiani* Oldenburgici nepos, eodem anno iniit, proclamaturqve Rex Danorum, accepto vexillo a *Tuxone*, Pontifice Lundenſi, 4. Cal. Oct. & Anno Domini 1449. *Haſniæ* ab eodem Pontifice inauguratur. Obtinet *Sveoniam* Anno 1457. ſed brevi poſt amittit. Moritur Anno 1481. 12. Cal. Junii *Haſniæ*, ſepultus *Roſchildiæ*. Filium *Joannem* conſortem regni fecit Anno 1480. *Halmſtadii*.

JOANNES ſuccedit patri. Iniit eodem anno. Inauguratur *Haſniæ* a *Joanne Broſtorpio*, Pontifice Lundenſi, 15. Cal. Junii Anno 1483. Moritur *Alburgi* Anno 1513. 9. Cal. Febr. ſepultus *Otthoniæ*.

CHRISTIANUS II. ſuccedit patri. Initiatur anno 1514. a *Birgero* Gunneri filio, Pontifice Lundenſi. Profugit regno 1523. menſe April. Obiit Anno 1559. *Calundiæ*, ſepultus *Otthoniæ*.

FREDERICUS I. iniit regnum Anno 1523. contra nepotem ſuum declaratus, captaqve *Hafnia*, Anno 1524. inauguratur a *Guſtao Trolla* Upſalenſi Epiſcopo. Moritur *Gotorpi* Anno 1533. menſ. April. d. X. ſepultus *Slievici* in æde Petrina. Regnavit annis X.

Interregnum biennio, vigentibus factionibus Oldenburgenſibus.

CHRISTIANUS III. capta *Hafnia*, pulſisqve Oldenburgicis factionibus, Anno 1536. Rex deſignatur, & ſeqvente inauguratur *Hafniæ* cum DOROTHEA Regina menſ. Aug. d. XII. a *Johanne Bugenhagio* Pomerano. *Fredericus II.* illius filius, jurantibus cunctis in illius verba provinciis, Anno 1542. Rex deſignatur. CHRISTIANUS Collingæ moritur Cal. Januarii 1559. Anno Regni 24. ſepultus primum *Ottho-niæ*, deinde *Roſchildiæ*.

FREDERICUS II. eodem anno regnum iniit. Hic annus 1585. eſt, a qvo *Fredericus* regnare coepit, 27.

XI.

Svenonis Aggonis filii Compendioſa Regum Daniæ Hiſtoria a Skioldo ad Canutum VI.

Celeberrimus & Hiſtoriæ patriæ amantiſſimus, Academiæ prioris Soranæ Profeſſor, *Stephanus Johannis Stephanius* Anno 1642. primus Soræ edidit *Svenonis Aggonis filii*, primi Danicæ gentis Hiſtorici, bina, qvæ exſtabant, opuſcula, hanc ſcilicet *Compendioſam Regum Daniæ Hiſtoriam*, & *Canuti Magni Leges Caſtrenſes*, accedente *Incerti Auctoris Genealogia Regum Daniæ*, omnes ex vetuſtiſſimo Codice Membraneo ms. Regiæ Bibliothecæ Hafnienſis. Per hanc intelligenda venit Regiæ Academiæ Hafnienſis Bibliotheca, qvæ Anno demum 1728. in funeſto urbis incendio tota deperiit, unde de fato prædicti Codicis facile conjici poteſt. Auſpicato autem *Stephanius* ex illo Codice deperdito Textum *Opuſculorum Svenonis* bonum ac ſatis adcuratum nobis tradidit, Notisqve hiſtoricis pariter & philologicis illuſtravit. Textum ego Stephanianum integrum retinui, ex Notis vero ejus illa ſolum, qvæ ipſi Hiſtoriæ illuſtrandæ maxime conducunt, philologicas & minus ponderoſas ſuo pretio relinqvens, aliasqve hinc inde, ubi neceſſe viſum fuit, addens. Horum qvidem *Svenonis* Opuſculorum exemplar chartaceum ms. qvod olim *Lyſcander* exſcribi fecerat, in Bibl. Acad. Hafn. adhuc aſſervatur, ſed rudi ita & indocta manu exaratum, mendisqve adeo refertum, ut nulli mihi uſui eſſe potuerit. *Svenonem* fuiſſe primum Danicæ gentis Hiſtoricum, *Stephanius* aliiqve omnes uno ore profitentur, nec ipſe idem in Prooemio ſuo infitiatur. Vixiſſe qvidem ante eum, in Dania noſtra haud paucos Chronologos, breviorumqve Annalium & Genealogiarum Scriptores, nullum eſt dubium; unde enim alias & ille & Saxo & ſeqventes Annaliſtæ ſua remotiorum ſeculorum narrata hauſiſſent? *Sveno* autem primus revera fuit, qvi prima Syſtematis Hiſtoriæ patriæ lineamenta ducere & præcipua duntaxat Regum facta luculento verborum compendio proſeqvi aggreſſus eſt. Latino qvidem ſermone ſcripſit; exqviſitam vero, ſunt verba *Stephanii*, dictionis elegantiam non eſt qvod ab eo anxius exſpectes, qvippe qvem produxit ſeculum, qvod profunda occupaverat barbaries. Nihilominus ſupra ſordes ævi ſui interdum ſe attollit, vitioqve ætatis congenitam dicendi ſcabredinem politioris facundiæ lima detergere ſubinde conatur. Ad iſtam vero dicendi majeſtatem minime aſſurrexit, qva contubernalis ejus *Saxo*, omnibus eloqventiæ numeris inſtructiſſimus, omnes ſui ævi ſcriptores antecelluit. *Saxonem*, ut ipſe fatetur, ad ſcribendum compulit magnus Danorum Præſul *Abſalon*. Idem etiam *Svenoni*, qvi æqve ac *Saxo* in ejus clientela ac contubernio vixit, res Danicas in hiſtoriam conferendi negotium impoſuiſſe videtur. Cujus imperio *Sveno* modeſtius qvam efficacius paruit: at Saxo patroni ſui juſſa ſtupenda coeleſtis ingenii dexteritate multo felicius & prolixius exſecutus eſt; fa-

tente

Toko Dynasta Fioniæ, Ol. Trygg. Sag. p. 138.
Ux. *Thorvöra.* 2. Concubina.

Ako[4] Tokonis fil. Dyn. Fion. jussu Haraldi occisus. ib. p. 139.

Palno[1] Tokonis fil. Dyn. Fion. ib. p. 138. 140.
Ux. *Ingeburgis*, filia Ottari Com. Gothiæ.

Fiölnerus[2] Consiliarius Haraldi & Svenonis Regum, ib. p. 138-151.

Ascerus Akonis fil. Nutritor Thyræ filiæ Haraldi. Sn. Sturl. T. I. p. 320.

Toko Palnonis fil. alias *Palnatoke*, Nutritor Svenonis, Dyn. Fion. & Præfectus Jomsburgi, Ol. Tr. S. p. 141. Saxo p. 186. Sn. Sturl. T. I. p. 343.
Ux. *Olofa*, filia *Stefneri* Com. in Britannia.

Ako Palnatokonis fil. cum Svenone enutritus, Dyn. Fion. Ol. Tr. S. p. 143-160.
Ux. *Thorgunna*, filia *Weseti* Præf. Bornholmiæ, Sn. Sturl. T. I. p. 243.

Vagnus Akonis fil. Dyn. Fion. Ol. Tr. S. p. 154-194. Sn. Sturl. T. I. p. 243-258. Knytl. S. p. 72.
Ux. *Ingeburgis*, filia *Thorkilli Leire* Eqv. Norveg. Sn. Sturl. T. I. p. 247. 258.

Ako Vagni fil. Præf. Bornholmiæ & Villicus Svenonis Estritii, Torf. P. III. p. 330.

Thorgunna, Knytl. S. p. 72. 164.
Mar. *Trugotus*, Ulfonis fil. al. *Truid, Trund* f. *Throkils*. Sven. Agg. p. 181.

Astradus, Knytl. S. p. 72-140.

Ascerus Akonis fil. Stabularius Canuti S. Dipl. 1085.

Sveno Trundsson f. Throkilsson, Knytl. S. p. 72-164. Necrol. Lund.
Ux. *Inga*. Lib. Dat. Lund.

Eskillus Præfectus classis Erici Emun, Sn. Sturl. T. II. p. 319. Sv. Agg. p. 181.

Ako, Sv. Agg. p. 181.

Christiernus, Sv. Agg. p. 110. 180. Saxo p. 243. sq. Lib. Dat. Lund.

ASCERUS Archiep. Lund. Sv. Agg. p. 181. Knytl. S. p. 164. Saxo p. 250. Lib. Dat. Lund.

Sveno Ep. Vib. Sv. Agg. p. 181.

Ascerus.

Sveno, Dipl. 1145. Saxo p. 354.

Ako sive *Aggo*, Saxo p. 279. Sv. Agg. p. 111.

ESKILLUS Archiep. Lund. Knytl. S. p. 208.
Uxorem ante interdicta 1120. conjugia habuit, qvæ aut mortua aut dimissa fuit.

Asa, Lib. Dat. Lund.

Eskillus, Saxo p. 312. 354.

Christiernus, Saxo p. 354.

Ascerus Præpositus Lundensis, Saxo p. 354. 355.

SVENO *Aggonis* fil. primus Danorum Historicus, Sv. Agg. p. 70.

Filia anonyma, Saxo p. 348. 350. 355. 356.
Mar. *Karolus* Præf. sive Comes Hallandiæ.
Saxo p. 221. 263. 265. 348. Knytl. S. p. 218.

Kanutus & *Karolus.*

tentè ipso *Svenone* Cap. V. Unde *Svenonem Saxoni* synchronum fuisse pariter & Seculo XII. vixisse apparet. Scripsisse autem illum circa aut post Annum 1186, testantur ultima hujus Compendii verba, qvibus, se præsente, Hominium, qvod *Bugislavus* CANUTO præstitit, solenniter peractum edocet. In nonnullis *Sveno* a *Saxone* prorsus dissentit, utpote Islandorum Hypothesin secutus [vid. *Torfæi* Ser. Reg. p. 65.], in plerisqve tamen amice cum eo consspirat. Id imprimis observationem meretur, qvod eodem facto suam uterqve Historiam concludat, nec ultra Homagium Bugislai progrediatur. Habemus jam ævum *Svenonis* qvo vixit. Restat, ut circumspiciamus, qvis fuerit & cujas. Ipse nobis varia & haud levia vitæ suæ momenta aperit. Dum enim *Saxonem*, Absalonis comitem, *contubernalem suum* profitetur, indicat, se etiam ad magni hujus viri comitatum sacriqve ordinis viros pertinuisse, & consequenter æqve ac *Saxonem*, gradum & locum aliqvem Canonici in Capitulo Lundensi tenuisse, eo qvidem probabilius, qvod *Eskilli* Lundensis Archiepiscopi nepos ex fratre erat. Varii etiam ejus nominis, ut docet Necrologium Lundense, olim Capituli hujus membra fuere, ut sunt, *Sveno Archidiaconus*, *Svenones Diaconi* tres, *Sveno Longus presbyter*, ex qvibus forte unus fuerit, Vid. *Bringii* Mon. Scan. T. I. p. 218. sq. Porro dum narrat *Sveno*, se Hynisburgi desolationem & Bugislavi actum homagialem conspexisse, prodit, se, ut virum literatum, in expeditionibus Pomeranicis aliisqve etiam bellicis negotiis *Absalonem* ejusqve Cancellariam secutum fuisse. Splendorem deniqve natalium suorum aperte declarat, nominando patrem suum *Aggonem* & avum *Christiernum*, ut strenuos milites & sub Regibus NICOLAO & ERICO EMUN insignita fortitudine conspicuos. Utriusqve *Saxo* sub SVENONE GRATHE & WALDEMARO I. honorificam mentionem facit, *Christierni* scil. p. 243. 250. & *Acbonis* p. 279. Idem *Saxo* familiam ex Jutia oriundam docet p. 225. & 243. duos illos fratres *Ascerum* Archiepiscopum & *Christiernum* splendidissimo *inter Jutos* loco natos perhibens. Ipse etiam *Sveno* in Legibus Castrensibus Cap. XI. Genealogiam majorum suorum uberius illustrat. Floruere Seculo XII. inter Nobiles Danos tres claritate generis præcellentes & ad summum dignitatis fastigium evectæ familiæ, videlicet, *Petri Botildis*, *Absalonis* Archiepiscopi, & *Eskilli* itidem Archiepiscopi. Duorum priorum genus, aliis arreptis occasionibus, dilucidare conabor. Jam vero, ut illustrissimæ *primi Historici nostri* memoriæ qvodammodo consulam, *Genealogiam* patrui ejus *Eskilli*, hujusqve patrui *Asceri*, summorum septentrionis Pontificum & Principum familiæ, qvantum ex monumentis patriæ observare licuit, adjuncto Schemate contexam. Conf. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 252. *Möllman* de Orig. Eskilli in Act. Soc. Hafn. T. I. p. 197. sqq. *Kil. Stobæi* Tria Mon. p. 25. *Bringii* Mon. Scan. T. I. p. 216. T. II. p. 99.

Prooemium.

Qvum veterum in monumentis, operosa contemplatione, priscorum gesta, stilo conscripta elegantissimo, crebro perspicerem, diutinis suspiravi gemitibus, qvod nostrorum Regum Principumqve præclarissima gesta æterno deputarentur silentio. Qvippe cum & illi inferiores non extiterint meritis & virtutum experientia, pari præconio utiqve eos excellere conveniret. Verum crebrescentibus malis sub mundi senescentis interitum, licet, intentione laudabili, memoriæ qvis conetur illustria Heroum facta commendare, obtrectationis tamen invidiam neutiqvam declinabit. Itaqve diu mens mihi, velut in bivio, qvod dicitur, fluctuabat, utrum notam non defugiens arrogantiæ, stilo licet illepido, *Regum Genealogias*, *regnorumqve successiones*, sub Compendio, literis mandarem, aut silentio cuncta præterirem. Satius etenim autumabam, posteris nostris, qvi & vivacis ingenii armabuntur acumine, & doctrinæ floridæ copia fœcundabuntur, prævio exemplo, negligentiæ densitates penetrare, qvam committere, ut illustrium gesta Principum vetustatis obfuscarentur caligine.

Sed ut ait Martianus (a): *Ne incomperta falſitatem admiſcere videatur aſſertio*, & ne fabuloſe videar hiſtoriam enarrare, qvantum ab annoſis & veteribus certa valui inqviſitione percontari, compendioſe perſtringam. Et qvia non omnium Regum par claruit victoria, nec ſimili exultarunt omnes triumpho, (cum & Regum titulos a ſe non ambigimus diſcrepare) qvorum inſignia geſta luce clarius perſpexi, eos ad memoriam revocare conatus ſum; illorum geſtis modicam impendens operam, qvos fama glorioſa circumvolans præterit. Nam prout agreſtium, ita & principum natura communis eſt omnium, ut hunc virtutum ſtimulet titulus, illum deſidiæ denigret cupiditas; hic generoſitatis titulos ſatagat propagare, ille glorioſæ laudis diminutionem floccipendat. Illum ergo noſtra primum retexat oratio, qvem priſcorum annoſitas jugi primum commendavit memoriæ.

Cap. I.

De primo Rege Danorum.

SKIOLD Danis primum didici præfuiſſe (b). Et ut ejus alludamus vocabulo, idcirco tali functus eſt nomine, qvia univerſos regni terminos *regiæ defenſionis patrocinio* (c) affatim egregie tuebatur. A qvo primum, modis Islandenſibus (d), *Skioldunger* (e) ſunt Reges nuncupati. Qvi regni poſt ſe reliqvit hæredes, FROTHI videlicet & HALDANUM. Succeſſu temporum fratribus ſuper regni ambitione inter ſe decertantibus, HALDAN fratre ſuo interempto, regni Monarchiam obtinuit. Hic filium, ſcilicet HELGHI, regni procreavit hæredem, qvi ob eximiam virtutum ſtrenuitatem, pyraticam ſemper exercuit. Qvi cum univerſorum circumjacentium regnorum fines maritimos claſſe pyratica depopulatus, ſuo ſubjugaſſet imperio,

(a) *Martianus Capella* Lib. VIII.

(b) Seqvutus hic *Sveno* eſt *Islandorum Norvegorumqve* antiqviſſimos commentarios, qvi non a DANO, ut *Saxo Grammaticus*, ſed a SKIOLDO *Odini* filio, rerum Danicarum Hiſtoriam ordiuntur.

(c) Alludit ad vocabulum Danicum *Skiold* ɔ: clypeus, apud veteres præcipuum defenſionis inſtrumentum. Hinc *Skialdmær*, virgo clypeata, *Skialdſvein*, Scutiger. *Skialdborg*, munimentum ex clypeis militum compoſitum, qvo olim in bellis tam terra qvam in navibus utebantur, Vid. *Snor. Sturl.* T. I. p. 365. 444. 768. 792. T. II. p. 39. Conf. *Bartholini* Antiqv. p. 175. ſq. Huc pertinent locutiones: At ſkiolde for ſig, clypeis ſe munire, *Hvitfeld* p. 140. *Liggia uti um nottina undir Skioldum ſinum*, ɔ: ſcutis operti nocte ſub dio cubant, Sn. Sturl. T. I. p. 770. T. II. p. 33. *Sato their Haraldur undir ſkioldum ſinum*, ɔ: Haraldus cum ſuis ſub clypeis ſedebat, ibid. T. II. p. 146.

(d) Hoc *Stephanius* de *Carminibus* ſive *Cantilenis antiqvis* explicat, qvibus *Islandi* fortia Heroum facta in conviviis decantare ſoliti. *Saxo Grammaticus* Islandos *Tylenſes* vocat, eorumqve induſtriam in rebus hiſtoricis laudat p. 2. Edit. Stephanii. Aj *Theodorico Monacho* p. 1. 6. *Islendingorum* antiqva Carmina & ſcripta hiſtorica allegantur.

(e) *Saxo Gramm.* p. 6. etiam *Skioldungorum* nomen, vetuſtis Danorum Regibus tributum, a *Skioldo* deducit. Sic & *Edda:* Thadan er ſua ætt kominin, er *Skioldunger* heiter, thad eru *Danakonger*, ɔ: ab ipſo proſapia Skioldungorum profluxit, hoc eſt, Regum Daniæ. Conf. *Origines Norvegiæ* ap. Biörner p. 12. *Stephanii* Not. ad Saxonem p. 31. *Torfæi* Ser. Reg. p. 245. Hinc Danorum Reguli a *Sim. Dunelmenſi* in Hiſt. S. Cuthberti ap. Twysden p. 69. *Scaldingi* dicuntur. *Skioldunga Saga*, ſive Hiſtoria priſcorum Daniæ Regum a *Skioldo* deſcendentium, citatur a *Snor. Sturlæo* T. I. p. 39. Ea olim apud Norvegos & Islandos extitit, ſed deperdita eſt & nusqvam hodie reperitur, Vid. *Grammii* Not. in Meurſ. p. 7. In Bibliotheca Cottoniana aſſervatur Codex membran. qvo inter alia continetur *Poema Angloſaxonicum vetuſtum & egregium*, in qva deſcripta videntur bella, qvæ *Beovulfus* qvidam *Danus*, ex Regia *Scyldingorum* ſtirpe ortus, geſſit contra *Sveciæ Regulos*, teſtante *Hickeſio* T. II. p. 219. Miror, neminem eruditorum Angliæ curioſum fuiſſe de tantæ antiqvitatis editione, qva & ſuis propter Poeſin & noſtris Hiſtoriæ cauſa infinite gratificarentur. Tanti autem olim fuit *Skioldungorum* appellatio, ut *Rex* per excellentiam *Skioldungr* dictus ſit, Vid. Orvar Odds Saga p. 48. Alia alias priſcis ſeculis fuit *Skioldungorum* familia, a Danorum Regum diverſa, Torfæi H. N. P. I. p. 178. Ol. Trygg. Saga T. II. p. 333.

perio, *Rex maris* (f) est cognominatus. Huic in regno succesſit filius ROLF KRAKI, patria virtute pollens, occiſus in *Letbra* (g), qvæ tunc famoſiſſima Regis extitit curia, nunc autem *Roſkildenſi* vicina civitati, inter abjectiſſima ferme vix colitur oppida. Poſt qvem regnavit filius ejus RÖKIL (h) cognomento dictus SLAGHENBACK. Cui ſucceſſit in regno hæres, agilitatis ſtrenuitate cognominatus, qvem noſtro vulgari FROTHI hin FRÖKNI nominabant. Hujus filius & hæres regni extitit WERMUNDUS, qvi adeo prudentiæ pollebat virtute, ut inde nomen conſeqveretur. Unde & *Prudens* (i) dictus eſt. Hic filium genuit UFFI nomine, qvi usqve ad triceſimum ætatis ſuæ annum fandi poſſibilitatem cohibuit, propter enormitatem opprobrii, qvod tunc temporis Danis ingruerat, eo qvod in ultionem patris duo *Dani* (k) in Sveciam profecti, patricidam ſuum una interemerunt. Nam & tunc temporis ignominioſum extitit improperium, ſi ſolum duo jugularent; præſertim qvum ſoli ſtrenuitati tunc ſuperſtitioſa gentilitas operam ſatagebat impendere. Præfatus itaqve WERMUNDUS, usqve ad ſenium, regni ſui gubernabat imperium; adeo tandem ætate conſumptus, ut oculi ejus præ ſenio caligarent. Cujus debilitatis fama cum apud *transalpinas partes* (l) percrebuiſſet, elationis turgiditate *Teotonica* intumuit ſuperbia, utpote ſuis nunqvam contenta terminis. Hinc furoris ſui rabiem in Danos exacuit Imperator, ſe jam Danorum regno conqviſito ſceptrum nanciſci auguſtius conſpicatus. Delegantur itaqve ſpiculatores, qvi turgidi principis juſſa reportent præfato Danorum Regi, ſcilicet WERMUNDO, duarum rerum præfigentes electionem, qvarum pars tamen neutra extitit eligenda. Aut enim regnum juſſit Romano reſignare imperio, & tributum ſolvere, aut athletam inveſtigare, qvi cum Imperatoris Campione (m) monomachiam committere auderet. Qvo audito, Regis extitit mens conſternata; totiusqve regni procerum legione corrogata, qvid facto opus ſit, diligenti inqviſitione percontabatur. Perplexam ſe namqve Regis autumabat autoritas, utpote cui & jus incumbebat decertandi, & qvi regno patrocinari tenebatur. Vultum cœcitas obnubilaverat, & regni hæres elinguis factus, deſidia torpuerat, ita ut in eo, communi aſſertione, nulla prorſus ſpecies ſalutis exiſteret (*). Nam ab infantia præfatus UFFO ventris indulgebat ingluvici, & Epicuræorum more, coqvinæ & cellario (n) alternum officioſe impendebat obſeqvium. Corrogato itaqve

coetu

(f) *Saxo Grammat.* p. 27. ſq. Maris poſſeſſionem nactus, . . . varios pelagi receſſus vago navigationis genere perluſtrabat.

(g) De *Lethra*, in Islandorum monumentis *Hledre*, vid. *Stephanii* Not. ad Saxon. p. 74. Ab hac regni antiqviſſima Metropoli Reges Daniæ κατ' ἐξοχὴν dicebantur *Lethrarum Reges*, ibid. & p. 103.

(h) Nomen *Rokil Slaghenback* ſine dubio librarii culpa corruptum eſt ex *Rörik Slangenbege*. In *Langfedgatal* recte legitur *Hrærekr Slaungvanbaugi*. *Saxoni Grammat.* p. 48. Röricus cognominatur *Slyngebaand*.

(i) In *Langfedgatal* appellatur *Varmundr Vitri* ɔ: Varmundus Sapiens.

(k) *Keto* nempe & *Wigo*, Frowini *Slevicenſium* Præfecti filii; *Saxo Gr.* p. 61.

(l) *Transalpinas partes* errore librarii legitur pro *Transalbinas partes*; intelligit enim Auctor noſter Gentem Teutonicam *trans Albim* habitantem. Nec recte *Transmarinas* reponi voluit *Stephanius*.

(m) Eſt Danicum *Kæmpe*, & German. *Kæmpfer*, Athleta, Gladiator.

(*) Hinc ſibi forte in juventute attraxit cognomen *Litilati*, qvod non ſolum *modeſtum* ſive *manſuetum*, ſed etiam, *qvod parum boni promittit*, *qvod parvi momenti eſt*, & *baud* magnæ ſpei. Qvi autem hic *Uffo* dicitur, in Langfedgatal & Monum. Islandicis eſt *Olavus Litilati*. Hujus *Uffonis* & patris ejus *Wermundi* nomina & geſta qvædam eadem fere ſunt, qvæ in veteri Anglorum Hiſtoria occurrunt. An vero Hiſtorici noſtri en ex Anglicis mutuati ſint, qvod ſentit illuſtr. *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 31. de hoc diſceptari poſſe credo.

(n) *Coqvina* & *Cellarium*, Danice Køken og Killer.

coetu procerum, totiusqve regni placito (o) celebrato, *Alamannorum Regis* ambitionem explicuit, qvid in hac optione haud eligenda facturus sit, indagatione cumulata senior scisscitatur. Et dum universorum mens consternaretur angustia, cunctiqve indulgerent silentio, præfatus UFFO in media concione surrexit. Qvem cum cohors universa conspexisset, satis neqvibat admirari, ut qvid elinguis velut orationi gestus informaret. Et qvia omne rarum dignum novimus admiratione, omnium in se duxit intuitum. Tandem sic orsus cœpit: „ Non nos minæ moveant lacessentium, „ qvum ea *Teotonicæ* turgiditati innata sit conditio, ut verborum ampullositate glo- „ rientur, minarumqve ventositate pusillanimes & imbecilles calleant comminatione „ consternare. Me etenim unicum & verum regni natura produxit hæredem, cui „ profecto novistis incumbere, ut monomachiæ me discrimini audacter objiciam, qva- „ tenus vel pro regno solus occumbam, vel pro patria solus victoriam obtineam. Ut „ ergo minarum cassetur ampullositas, hæc Imperatori referant mandata, ut Impera- „ toris filius & hæres imperii, cum athleta præstantissimo, mihi soli non formidet oc- „ currere ". Dixit, & hæc verba dictavit voce superba. Qvi dum orationem complesset, a collateralibus senior scisscitabatur, cujusnam hæc fuisset oratio? Cum autem a circumstantibus intellexisset, qvod filius suus, prius veluti mutus, hunc effudisset sermonem, palpandum eum jussit accersiri. Et cum humeros lacertosqve, & clunes, suras atqve tibias, cæteraqve membra organica crebro palpasset: Talem, ait, me memini in flore extitisse juventutis. Qvid multa? Terminus pugnæ constituitur & locus. Taliqve responso percepto, ad propria legati repedabant.

Cap. II.

De duello Uffonis.

Supereſt ergo, ut arma novo militi congrua corrogentur. Allatisqve ensibus, qvos in regno præstantiores Rex poterat investigare, UFFO singulos dextra vibrans, in partes confregit minutissimas. Hæccine arma sunt, inqvit, qvibus & vitam & regni tuebor honorem? Cujus cum pater vividam experiretur virtutem, unicum adhuc, ait, & regni & vitæ nostræ supereſt asylum. Ad tumulum itaqve ducatum (p) postulavit, in qvo prius mucronem experientissimum occultaverat. Et mox intersigniis per petrarum notas edoctus, gladium jussit effodi præstantissimum (q). Qvem illico dextra corripiens, hic est, ait, fili, qvo numerose triumphavi, & qvi mihi infallibile semper tutamen extitit. Et hæc dicens, eundem filio contradidit. Nec mora; terminus ecce congressioni prafixus arctius instabat. Tandem, confluentibus undiqve phalangis innumerabilibus, in *Egdoræ* (r) *fluminis medianne* (s) locus pugnæ consti-

(o) *Regni Placitum*, o: Parlament, Herredag, Rigsdag, Regni Comitia.

(p) *Ducatum* o: ductum, ut duceretur.

(q) Gladio illi nomen erat *Skrep*, Saxo Grammat. p. 64.

(r) Nomen hujus fluminis varie scribitur ap. veteres. Annal. Fuldens. ad An. 811. habent *Egidoram*. Reginoni *Agidora*. Adamo Bremensi *Egdora*, sic & Helmoldo, Arnoldo Lub. & Alb. Stadensi. Saxoni Grammatico *Eydora*, *Eidorus fluvius*, *Eidorum flumen*. In Diplom. *Eidra*, *Eidria*. Vetus Chron. *Hegdora* Necrol. Nestved. *Egidur*, Ol. Trygg. Saga p. 67. *Egera*, & p. 84. *Ægisdyra*. An vero, ad sententiam Leibnitii, qvam plures viri docti arripuerunt, fluminis hujus vetustissimum nomen fuerit *Dina*, unde *Dania* nomen haberet, mihi valde dubium est. Nomen enim *Dina fluvius*, qvod occurrit ap. Geogr. Ravenn. edit. Porcheronii p. 171. ibid. p. 161. scribitur *Lina*, & si hæc lectio genuina sit, æqve de *Limæfiorda* sive *Sinu Limico*, qvi magnam Jutiæ partem intersecat, ac de *Eidora* explicari potest.

(s) *Mediamnes* vel *Mediamna* est Insula in medio fluminis, Vid. Glossar. *Du Fresne* in hac voce.

conſtituitur: ut ita pugnatores ab utriusqve cœtus adminiculo ſegregati nullius opitulatione fungerentur. *Teotonicis* ergo ultra fluminis ripam in *Holſatia* conſidentibus, *Danis* vero citra amnem diſpotitis, Rex pontis in medio ſedem elegit, qvatenus, ſi unigenitus occumberet, in fluminis ſe gurgitem præcipitaret, ne pariter nato orbatus & regno cum dolore ſuperſtes canos deduceret ad inferos. Deinde emiſſis utrinqve pugilibus, in *medio amne* convenerunt. Aſt ubi miles noſter egregius UFFO, duos ſibi conſpexit occurrere, tanqvam leo pectore robuſto infremuit, animoqve conſtanti duobus electis audacter ſe opponere non detrectavit, illo cinctus mucrone, qvem patrem ſupra meminimus occuluiſſe, & alterum dextra ſtrictum geſtans. Qvos cum primum obvios habuiſſet, ſic ſingillatim utrumqve alloqvitur, & qvod raro legitur accidiſſe, athleta noſter elegantiſſimus, cujus memoria in æternum non delebitur, ita adverſarios animabat ad pugnam: „Si te, inqvit, regni noſtri ſtimulat ambitio, ut noſtræ opis, potentiæqve, opumqve capeſſere velis opulentias, comminus „ te clientem decet præcedere, ut & regni tui terminos amplifices, & militibus tuis „ conſpicientibus, ſtrenuitatis nomen nancifcaris". *Campionem* vero hunc in modum alloqvitur: „Virtutis tuæ experientiam jam locus eſt propagare, ſi comminus „ acceſſeris, & eam, qvam pridem *Alamannis* gloriam oſtenditti, *Danis* qvoqve „ propalare non cunctaberis. Nunc ergo famam tuæ ſtrenuitatis poteris ampliare, & „ egregiæ munificentiæ dono ditari, ſi & dominum præcedas, & clypeo defenſionis „ eum tucaris. Studeat, qvæſo, *Teotonicis* experta ſtrenuitas variis artis pugillatoriæ „ modis *Danos* inſtruere, ut tandem optata potitus victoria, cum triumphi valeas exultatione ad propria remeare". Qvam qvum compleſſet exhortationem, pugilis caſſidem toto percuſſit conamine, ita ut, qvo feriebat, gladius in duo diſſiliret. Cujus fragor per univerſum intonuit exercitum. Unde cohors *Teotonicorum* exultatione perſtrepebat: ſed contra *Dani* deſperationis conſternati triſtitia, gemebundi murmurabant. Rex vero, ut audivit, qvod filii enſis diſtiliviſſet, in margine ſe pontis juſſit locari. Verum UFFO, ſubito exempto, qvo cinctus erat, gladio, pugilis illico coxam cruentavit, nec mora, & caput pariter amputavit. Sic ergo ludus fortunæ ad inſtar lunæ varius, nunc his, nunc illis ſucceſſibus illudebat, & qvibus jamjam exultatione favebat ingenti, eos novercali mox vultu, torvoqve conſpexit intuitu. Hoc cognito, ſenior jam confidentius priori ſe juſſit ſede locari. Nec jam anceps diu extitit victoria. Siqvidem UFFO valide inſtans, ad *ripam amnis* pepulit hæredem imperii, ibiqve cum haud difficulter gladio jugulavit. Sicqve duorum ſolus victor exiſtens, *Danis* irrogatam multis retro temporibus infamiam glorioſa virtute magnifice ſatis abolevit. Atqve ita *Alamannis* cum improperii verecundia, caſſatisqve minarum ampulloſitatibus, cum probris ad propria remeantibus, poſtmodum in pacis tranqvillitate præcluis UFFO regni ſui regebat imperium. Hic filium procreavit, cui DAN nomen indidit, qvi *Elatus* vel *Superbus* (t) eſt cognominatus. Huic ſucceſſit in regno filius FROTHI, qvi & *Senex* dictus eſt. Poſt qvem FRITHLEVER filius regni ſuſcepit gubernacula. Cujus filius extitit FROTHI hin FRITGOTHÆ, qvi & *Largus* dictus eſt, eo qvod largitatem ſuper omnem amplexus ſit virtutem. Nam & aurum, & argentum, velut lutum reputabat. Cui in regno ſucceſſit filius INGILD nomine. Poſt cujus tempora, longo multorum annorum intervallo, filii patribus in regno non ſucceſſerunt, ſed nepotes. altera parte tamen regali ſtirpe

(t) In Langfedgatal & Monumentis Islandorum *Dan Mikillati*, cujus cognomen alias interpretantur *Magnanimum* ſive *Magnificum*.

editi (u). Cui proxime ſucceſſit OLAUS. Hic omnes circumjacentes regiones ſtrenue ſubjugavit, adeo etiam, ut ultra *Danubium* ſeptem diætas (v) triumphando perageret. Verum ne fabuloſe, vel mendaciter, Regum redarguar tempora continuare, qvos tamen haud modico diſtare didici temporum interſtitio; cum non pigritia, verum potius referentis inopia, multos illuſtres transcurrerim: diligenti relinqvo indagandum ſucceſſori (x), ut qvod ex eclipſi prætermiſi memoriæ, ſollicitus inveſtigator ſuppleat. Poſt hæc SIWARDUS, filius REGNERI LOTHBROKI, regnum invaſit Daciæ: commiſſoqve cum Rege prælio, Regem interfecit, & regnum obtinuit. Qvi dum regno potiretur conqviſito, Regis interempti filiam thoro ſibi ſociavit. Qvam dum more conjugali cognoviſſet, Regis ſciſcitabatur filia, qvo nomine proles nuncuparetur? Cui reſpondens monuit Rex, ut poſt partum, cinguli ſui memor genitrix exiſteret. Qvæ dum partus tempus impleviſſet, Nodi (y) alludens vocabulo, KANUTUM appellavit, utpote qvod is primus in *Dacia* hoc nomine functus. Hic ſolus poſt FROTHI, cujus ſupra meminimus, regali extitit oriundus proſapia. In cujus pueritia *Emignup*, Sialandenſis Bondo, cuſtos regni fuit conſtitutus. Ut autem præfati KANUTI juventus adolevit, regni ſceptrum recepit. Succeſſu temporum filium procreavit, qvem FROTHONEM voluit nuncupare. Qvi filium genuit, qvem HARALDUM appellavit. Huic ſuccesſit filius & regni hæres GORM LÖGHÆ (z), vir deſes, tantumqve delitiis & crapulis indulgens. Cui uxor illuſtris illa extitit regina, THYRE videlicet, qvæ *regni decus* (a) eſt cognominata. Cujus glorioſæ laudis famam reticere non valeo. Solent enim illorum geſta recenſeri, qvi præſtantioris ſunt famæ.

Cap. III.

De Thyra Danmarkebot.

Hæc, qvam prædiximus, THYRA, mulier fuit omni virtute conſpicua: utpote qvam variis animi corporisqve dotibus natura beare ſtuduit. Nam & vultûm decor eximius venuſtabat, & roſa lilio maritata purpureum genis colorem inpinxerat. Inſuper caſta, pudica, faceta, omniqve urbanitate referta erat. Præterea tanto prudentiæ fulgore divina gratia mentem ejus illuſtraverat, ut Neſtoris prudentiam, Ulyſſis aſtutiam, Salomonis ſapientiam, uno fonte hauſiſſe crederetur. Et ſi fonte Baptismatis abluta fuiſſet (b), vere Regina Sabæ, qvæ ſapientiam Salomonis rimari venerat, dummodo fuiſſet Orthodoxa, haberetur. Illis temporibus *Otto* Imperator *Daciam*

(u) En hic cauſarum unam confuſionis ac defectus, qvi in vetuſtiſſimis Regum noſtrorum genealogiis & ſeriebus dominatur.

(v) ɔ: ſeptem dierum iter ſive ſpatium.

(x) *Saxonem* forte reſpicit, qvem infra ad finem Capitis V. nominat.

(y) Nodus Danice et Knude.

(z) *Löghe* priſca lingva Danica *deſidem* & *ignavum* denotat. Hinc adhuc adjectivum *Löi* & verbum *Löie* in plebeio noſtro ſermone uſitatum pro *ignavum eſſe*, *in otio bebeſcere.*

(a) Infra dicitur *Decus Daciæ.* *Saxo* p. 184. Thyram nominat *Danicæ majeſtatis caput.* Ap. *Snorr. Sturlæum* & in Monum. Island. Thyra cognominatur *Danmarkarbot*, ſic in Monum. Jelling. *Tanmarkarbut.* In ceteris Annalibus, & adhuc apud nos, honorificum agnomen *Danebod* retinet, ɔ: Danorum Salus. Eodem ſenſu qvo Haraldi Pulchricomi filia Oluſa cognominata eſt *Arbot*, annonæ levatrix, *Torfæi* H. N: P. II. p. 27. 52. & Campana qvædam Nidroſiæ *Bæarbot* ɔ: Ornamentum urbis, ibid. P. III. p. 388. Ita S. Margaretæ Scotiæ Reginæ & Patronæ cognomentum *Anglorum Deliciæ* datum eſt, *O Flaherty* Ogygia p. 490.

(b) *Saxo* aliiqve Thyram chriſtianæ religioni addictam ejusqve ſacris initiatam fuiſſe indicant. Qva de re neutiqvam dubitari poterat, ſi conſtaret, eam Principem Anglicam fuiſſe.

cium ſibi fecerat tributariam, propter Regis, ut arbitror, deſidiam, qvem ſupra meminimus gulæ tantum & delitiis inſervire. Qvinimo eo pervenit inſolentiæ, ut infamiæ diſcrimen toti regno conaretur irrogare. Qvippe ſupra memoratæ Reginæ pudicitiam ſuis pertentavit illecebris irretire (c). Miſi ſunt itaqve legati, qvi, ſub ſpecie cenſum colligendi, in conclavi Reginam convenirent, pariterqve ſalutes perferrent Imperatoris, & ſimul ejus donaria regiaqve munera offerrent. Ad hæc juſſi ſunt etiam Reginæ ſuggerere, qvanto ſatius eſſet, eam, non ſolum ob eximiam & luculentam formæ ſpeciem, ſed & ſingularem animi prudentiam, Romano præeſſe imperio, & Imperatricem exiſtere, qvam vel tributariam, vel ſaltem modici fore regni Reginam. Sit ergo, inqviunt, ſanioris conſilii propoſitum, oblatam potentiam haud incircumſpecte renuere: ſit etiam altioris prudentiæ ſpecimen, tam famoſi principis nomen majeſtatemqve in veſtræ dilectionis gremio perpetua firmitate fovere, qvam ingenti vos honore & amore amplexantem mutuo vicisſim non proſeqvi affectu. Qvod cum audiſſet THYRA Regina, ſecum deliberandi poſtulavit inducias, ut benigni & competentis reſponſi velut æqva lance tam eleganti ſalutationi ſatisfaceret. Interea legatis modicam illic moram facientibus, promiſſorum fides Reginam arctius urgebat finem præſentis inveſtigare negotii. Tandem ſciſcitantibus illis, qvidnam reſponſi domino ſuo renuntiarent; præcluis illa Heroina, & qvæ ſola dici Regina meruit, generoſi pectoris ſolertia dolum commentata, dulciſſimis blandiri cœpit alloqviis, votiqve ſe executioni paratam eſſe annuit. Grandem tamen rem ſe oſtendit inchoaturam, dum proprii viri thoro ſpreto, ad alterius connubium, tanqvam adultera, convolaret. Magna igitur pecuniæ ſumma ad rem tantam, tamqve famoſum facinus expiandum redimendumqve, opus eſſe ſignificabat. Qvare ſi voti compotes exiſtere cuperent, trium annorum cenſum ſibi indulgerent. Omni itaqve mora remota, ad Imperatorem legati celerrime proficiſcuntur, ut ipſi & reſponſum Reginæ, & reſponſi conditionem renuntiarent. Qvo accepto, Imperator alacri vultu, ingentiqve lætitia, qvod poſtulaverat THYRA, ſpopondit; dummodo obſidibus pacti præſtaret ſecuritatem. Mox Daciam repetere feſtinant legati, Imperatorisqve voluntatem Reginæ inſinuant: ſimul obſides exigunt, qvo conſtantius pacti firmitudo perſeveraret. Nec mora; Heroum filii generoſiſſimi duodecim eliguntur obſides, qvos in Saxoniam ſecum adducebant legati. Interea Regina, per univerſum regnum, edictum promulgavit, ut totius regni univerſus populus corrogatus una prope *Slesvicum* conveniret; omnesqve, qvorum in regno eſſent domicilia, ingentis valli molem, cujus celerius exſtruendi conſilium cepiſſet, propriis juſſit manibus elaborare. Illos vero, qvos rei ſimiliaris urgebat inopia, cenſus fovit ſubſidio: taliqve operi pecuniam erogabat, qvam dolo impetraverat. Nec cuiqvam ſe excipiendi prærogativam impertivit, qvin juvenes, ſenes, & adulti, cunctiqve, qvos vel infantia tenerior non impediret, vel ſenii defectus non prohiberet, operi præfato inſudarent. Qvippe adeo neceſſitas obſeqvendi univerſos urgebat, ut omnes divites & pauperes ejus agris & prædiis culturam, tanqvam coloni, impenderent. Nam prout regni regimen obtinuit, ita tunc temporis univerſam regni tellurem Reges jure dominii poſſidebant. Moenium itaqve THYRA prima conſtruxit elegantiſſimum, qvod poſtmodum *Danis*, velut indagine incluſis, a *Teotonica* rabie tutiſſimum ſemper munimen extitit (d). Cui

dum

(c) De Dania ab Imperatore tributaria facta, de Thyræ pudicitia ab eo pertentata, deqve credulitate Imperatoris a Thyra deluſa, mera figmenta ac fabulas narrare videtur Auctor noſter.

(d) Munimentum hoc Danorum, *Danevirke* dictum, Reginæ *Thyræ* opera & conſilio exſtructum ſive potius amplificatum, non *Gormone* vivente, ſed poſt ejus mortem ſub imperio *Haraldi Blaatand* confectum eſſe, docent *Saxo* aliiqve Hiſtorici veteres.

dum duorum jam annorum operam impendiſſet, tanti ædificii celebris fama ad aures convolavit Imperatoris: qvi propterea legatos iterum in *Daciam* deſtinavit, qvi callide percontarentur, ut qvid Regina tali inſudaret operi, ſi pactum violare non moliretur? Cui Regina diſertiſſima tale reddidit reſponſum: Satis admirari non valeo, cur tam eximiæ prudentiæ princeps, cujus thronum, ad ſidera ferme, divina ſublimavit gratia, qviqve conſilio perſpicaciſſimo, tot gentium feritates ſuo ſubjugavit imperio, ab inepta muliere dignatur conſilii profunditatem rimari! Suam etenim non arbitror latuiſſe ſolertiam, qvod & veſtra jam didicit experientia, commeantium peditum eqvitumqve ad nos nusqvam patere aditum, niſi per modici campi planitiem, cui jam immaniſſimi muri obicem hoc objeci intuitu, ut, qvod toti prius regno patebat pervium, nunc muri obſtaculo ſtrata comminus obſtructa, exeuntes porta cohibeat anguſtiſſima. Qvippe cum Domini mei votum ſideliter explevero, meqve voluntati veſtræ accommodavero, communi exercitui, qvem gentis noſtræ fævitia procul dubio in me armabit, perſeqvendi nos poteſtas tanti munimenti objectu facile adimitur. Qvo accepto, tam illuſtris fæminæ ſolertiam pariter ac facundiam legati oppido commendabant; & jam de voto ſecuri, hilares ad propria repedabant. Interea Regina operi inchoato vehementius inſtabat; Sicqve Teotonicæ turgiditati mulieris illuſit aſtutia. Evoluto autem trium annorum ſpatio, ingenioſi operis ſtructura, propugnaculis qvam decenter ornatis, penitus conſummata eſt. Cui nomen poſteri indiderunt, *Danævirki* (e) nuncupantes, eo qvod *Danorum ſudore patratum conſummatumqve* extiterit. Reginam vero THYRAM, cujus ingenio *Danorum* & parta & aucta libertas, non immerito *Decus Daciæ* (f) nominabant. Nec mora, electos imperii milites ad Daciam, cum ingenti pompa Imperator jubet in occurſum Reginæ proficiſci. Qvos ingenti tripudio cœtus comitatur hiſtrionum, in ſiolis, citharis, choris, & tympanis modulantes. Qvi juxta *Eidoram* metitis tentoriis, adventum illius præſtolabantur: ad Daciam paucis & potioribus delegatis, qvi Reginæ voluntatem explorarent. Qvorum cum adventum THYRA comperiſſet, accerſitis ſibi regni ſui viris ſapientioribus, in communi eos audientia ſic affata reſpondit: Qvod exigit Imperator, renuo; qvod cupit, recuſo; qvod affectat, devito, ne ſimul & profuga & adultera, regno faciam opprobrium, ſexui verecundiam, ſubditis impropertum. Nam qvod Regis & mariti mei deſidiam mihi objicitis, non eſt qvod mihi id adverſari exiſtimetis; cum meis ſolius nutibus univerſum famuletur regnum, & nihil qvæſtionis aut controverſiæ absqve noſtra terminetur conniventia; ita ut Regis pariter & Reginæ me ſciatis honore pollere. Regem vero hac ſaltem generoſitate florere ſciatis, qvod Regum undiqve ſit ſobole procreatus. Unde licet magnitudini potentiæ Imperatoriæ adæqvare ſe non valeat, regali tamen illo neutiqvam eſt inferior proſapia. Et ut brevi concludam eloqvio, a tributariæ ſervitutis jugo ego forti dextera *Danos* propediem emancipabo, nullam prorſus ſubjectionis reverentiam vobis exhibitura. Ad hanc

(e) Hoc munimentum ab ipſo *Svenone* infra Cap. IX. vocatur *Danewerk*. Nomen alias apud Auctores noſtros varie ſcribitur. *Ol. Trygg. Saga* T. I. p. 83. ſq. T. II. p. 133. & *Snorr. Sturl.* T. II. p. 27. ſq. *Knytl. Saga* p. 2. habent *Danevirki*. *Chron. Erici Danewirki*. *Chron. Sial.* p. 73. *Danæwirko*. *Helmoldus* p. 122. & *Alb. Stad.* fol. 159. *Dinewerch*. *Chron. Holſ.* ap. Leibnit. p. 30. 48. *Dennewerk*, *Dannenwerck*. Recentiores qvidam nomen detorqvent in *Dænnewebr*. *Virki* Islandis eſt Vallum, Congeries, Munimen, hinc *Ol. Trygg. Sag.* T. II. p. 9. *bid ſterkaſta virki*, *bid meſta mannvirki*, munitiſſimum vallum, ſolidiſſimum hominum opus. *Saxoni Gram.* p. 271. Munimentum noſtrum appellatur *Danorum ſtructura*, & p. 232. *Danorum opus*. Huic, qvoad nomen, congruit Monumentum aliqvod a Danis veteribus circa Moſam relictum, *Danorum opus* ſolitum vocitari, poſtea corrupte, *Danobrium*, de qvo *Geſta Abb. Medio-Mon.* ap. Martene T. III. p. 1112. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 149.

(f) Vid. paulo ante Not. (a).

hanc inopinatæ reſponſionis vocem legatorum mentes conſternatæ obſtupuerunt, & ad præfatorum procerum papiliones confuſi properabant. Ad qvos turmatim procerum turba confluxit, ſciſcitata, qvidnam cauſæ ſit, qvod curſu tam præpropero reditum accelerarent? At illi non cunctanter omni prorſus ſe referunt ſpe fruſtratos, mulierisqve circumventos verſutia. Qvo comperto, juſſi ſunt illico capitalem obſides ſubire ſententiam. Nam & hujus rei exitum illuſtris illa Regina, qvaſi futuri non ignara, diu ante præſcivit. Satius enim decrevit totius regni ſervitutem paucorum morte redimere, qvam extraneis ad internecionem famulari. Mox *Teotonicorum* ambitio, in luctum verſo tripudio, confuſa, dolens receſſit & moerens. Ut autem præcluis illa Regina, cum Rege marito, omnes ætatis ſuæ annos compleſſet, HARALDUS BLAATAND, filius ſuperſtes, qvi & regni extitit hæres, juxta ritum gentilium, in *tumulis gemellis & paribus* (g), qvaſi *illuſtribus Mauſoleis*, ſecus regis curiam in *Jelling* utrumqve parentem fecit humari.

Cap. IV.

De Haraldo Blaatand.

Hic HARALDUS, multo poſt tempore, regali ſceptro regni gubernabat imperium. Is primus idololatriæ reſpuens ſpurcitias, Chriſti crucem adoravit. Qvi dum exercitum emitteret ad immaniſſimam petram protrahendam, qvam matris tumulo, ob memoriale inſignium, deſtinavit erigendam, inteſtina orta ſeditione, tum propter novæ religionis ritum, tum propter ſervitutis jugum intolerabile, popularis cæpit effervere tumultus, adeo ut ipſum Regem plebs inſana regno expelleret. Qvi curſu celeri fugam arripiens, pedibus enim timor addidit alas, ad *Sclaviam* usqve profugus commeavit, ibiqve, pace impetrata, primus urbem fundaſſe dicitur, qvæ *Hynnisburg* (h) nuncupatur. Cujus mœnia ab Archipræſule *Abſalone* ego *Sveno*

(g) *Saxo Grammat.* p. 184. Cujus [*Thyræ*] corpus *Haraldus* amplisſimo funere elatum — non longe a patris tumulo ſepulturæ mandavit, — ubi nunc ſacrarium [*Templum* ſcil. *Jellingenſe*] perſpicere eſt, duorum conjugum *ſocialibus huſtis* interſitum. De Monumentis lapideis *Gormoni* & *Thyræ* ibi poſitis, vid. *Wormii* Mon. p. 326. ſqq. *Stephanii* Not. ad Saxon. p. 202. ſq. Contra antiqvitatem *Inſcriptionum Runicarum* horum Monumentorum dubium moverunt *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 141. & ante eum *Torfæus* in Præfat. Trifolii Hiſt. aliiqve. Qvibus hac vice aliqvid opponere mihi non eſt animus, licitum autem ſit, qvæſtiones aliqvot huc ſpectantes proponere: 1) Ubi & qvinam ſunt genuini illi *Rhythmi literis Runicis eo ævo exarati*, ex qvibus de genio lingvæ noſtræ veteris & in ſpecie de Dialecto in Dania & Jutia tum uſitata judicare licet? 2) Qvæ ſunt novitatis illa indicia, imperitiam ſermonis veteris loqventia? 3) Qvis mihi fidem interponat de Sculptoris, qvi forte Germanus fuit, peritia lingvæ & adcuratione in literis rite formandis? 4) An certi ſimus de vera & genuina harum Inſcriptionum lectione, qvalem eam hactenus habuimus? & deniqve 5) Si non ævo Haraldi inſcriptæ ſint figuræ & literæ illæ, qvo demum ævo & a qvonam Rege factum hoc ſit? *Sveno Eſtritius* eſt ſolus, in qvem caderet mea conjectura, recentiorum enim vix qvidam ejus curioſitatis fuerit, excepto *Waldemaro II.* Sed genius lingvæ vetuſtior multo mihi videtur qvam ille legis Juticæ ab eo latæ. Si vero qvis ex *ſilentio Saxonis* aliorumqve Hiſtoricorum veterum de his Saxorum Inſcriptionibus argumentari vellet, is omnino fallitur; dudum enim experti ſumus, eos longe majoris momenti res omiſiſſe.

(h) Urbs *Hynnisburg* [ſi modo haec lectio genuina ſit & autographo ipſius Svenonis conſentanea] eadem eſt, qvam *Hiſtoria Jomvicenſium* ms. *Ol. Trygg. Saga* p. 152. *Snorr. Sturlæus* paſſim, aliiqve *Jomsburgum* appellant. Eam urbem, aut certe magnam ejus partem, cum caſtellis & munitionibus, *Dan*[illegible]e HARALDO BLAATAND & qvidem ductu *Palnetokii* fundaſſe dicuntur. Poſt Palnetokium ſub SVENONE TIUGSKÆG *Sigvaldus* Jarl erat *Jomsburgo* Præfectus. KANUTUS MAGNUS filium ſuum *Svenonem* Præfecturæ Jomsburgenſi deſtinat. MAGNUS, Rex Daniæ An. 1042. factus, cognita Jomsburgenſium

ſolo conſpexi æqvari. Qvo exulante, filius in regno ſurrogatur SVENO, cognomine *Tiugeſkeg*, qvi ſanctæ Trinitatis fidem, qvam profugus tamen pater abjecerat, verus

burgenſium a Danorum imperio defectione, in Slaviam cum exercitu movet, *Jomsburgum* occupat, urbem cum munimentis ſuccendit, regionemqve circumjacentem late depopulatur, Vid. *Snor. Sturl.* T. I. p. 243. 811. T. II. p. 30. 31. Seqventi Seculo ex ruinis aliqvantum emerſiſſe eam urbem videmus, cum ab *Abſalone* mœnia ejus ſolo æqvarentur, ut hic Sveno, teſtis ipſe oculatus, narrat. Hoc ultimum *Jomsburgi* ſive [corrupto forte recentiori ævo vocabulo] *Hynnisburgi* excidium contigiſſe videtur ſub Rege *Canuto VI.* circa An. 1185. proximo anno, anteqvam Bugislaus Pomeraniæ Princeps ad homagium Regi noſtro præſtandum compulſus fuit, ut *Sveno* infra Cap. X. collat. cum *Saxone*, qvodammodo indicat, qvi ipſe Actui homagii coram adfuit. Jam redit illa diu diſputata qvæſtio, an *Jomsburgum*, indubitanter in Pomerania ſitum, eadem urbs fuerit, ac *Julinum*, decantata illa apud Hiſtoricos civitas, qvam uno qvaſi ore omnes fatentur ſituatam fuiſſe in inſula *Wollin*, cujusqve particulam in hodierno oppido *Wollino* ſupereſſe. De hoc *Julini* ſitu teſtes inſtar omnium ſunt *Chytræus* Saxon. p. 10. Conf. *Steph.* Not. ad Saxon. p. 197. & *Schwartzius* in Geogr. med. p. 440. Idem vero Illuſtr. *Schwartzius* inter *Julinum* & *Jomsburgum* omnino diſtingvit, ratus, ſe in ulteriore parte Pomeraniæ in Præfectura Dirſowenſi ad Lacum *Jame* ac in *paroecia Jamenſi* verum & ſitum & nomen *Jomsburgi* veteris reperiſſe, ibid. p. 348. 378. Conf. *ejusd. Comment. de Jomsburgo* Gryphisw. 1735. editam. Sed huic opinioni, licet ſatis ingenioſæ, contrariari videntur & loci natura & aliæ graves circumſtantiæ. *Saxo* noſter ea omnia, qvæ in Hiſt. *Haraldi Blaatand* & *Svenonis Tiugſkeg* de *Jomsburgo* narrantur, ad *Julinum* refert, & ea ubiqve pro una eademqve urbe habet. In eadem ſententia ſteterunt *Hvitfeldius*, *Stephanius*, aliiqve plures. An vero *Saxo* p. 144. per *Jumenſem provinciam* & *Imicam* intellectum velit *dictrictum Julinenſem*, incertum eſt. Qværitur deinde, an *Julinum* eadem civitas fuerit cum *Helmoldi* aliorumqve celeberrima *Winneta? Torfæus* Trifol. p. 59. in dubio eſt. *Chytræus* vero l. c. Micrælius, & *Schwartzius*, ut duas diverſas & circa ſeptem milliaria ab invicem diſtantes urbes *Julinum* & *Winnetam* diſtingvunt, hanc in littore Inſulæ olim *Uznam* jam *Uſedom* dictæ collocantes, ejusqve locum maximam partem aqvis ſubmerſum prodentes. Ut meam demum conjecturam proponam, facile iis aſſentior, qvi duas urbes *Julinum* & *Winetam* faciunt. Eas etiam ut diverſas urbes invenio in vet. Juris Lubecenſis Codice, ubi inter primos Lubecæ Senatores, ab Henr. Leone An. 1158. conſtitutos, recenſentur Garwinus ex *Julino* & Conr. Strale ex *Wineta*. Weſtphal. T. III. p. 632. *Julinum* credo in inſula Wollin &, ut docet *Saxo* p. 333. in confinio *Camini* ſitum, eamqve fuiſſe urbem, in qva Otto Bambergenſis Epiſcopus circa 1124. docuit, & qvam WALDEMARUS I. Rex aliqvoties expugnavit & evertit. *Julinum* ac *Wollinum* idem fuiſſe, evincunt etiam Diplomata Seculi XII. idem enim Wenceslaus, qvi in Dipl. Anni 1168. dicitur *Caſtellanus Julienſis*, in aliis audit *Caſtellanus de Wolyn* Vid. *Dreger* Dipl. Pom. p. 9. 19. 35. *Winnetam* autem in littore inſulæ *Uſedom* poſitam ac Rugiæ propiorem fuiſſe concedo. Hanc puto eandem fore cum *Adami Bremenſis* aliorumqve *Jumne*, *Jumpne*, *Jumneta*, ſive qvacunqve alia ratione nomen librariorum incuria detortum ſit. Et, niſi fallor, lectio *Jumne* ſive *Jumneta* mihi magis placet, qvam *Vinneta*, facile enim *ui* pro *iu* legi potuit, ſimili modo, qvo in Bedæ Codicibus aliqvi inſcite *uiti* pro *iuti* legerunt. *Codex* ille excellens *Adami Bremenſis* Seculi XIII. qvem poſſidet Illuſtr. *Sevelius*, nullibi *Julinum* ſed ubiqve *Jumne* habet. Sic in egregio, qvi meus eſt, *Helmoldi Codice*, utrobiqve Cap. 2. & 15. *Jumneta* legitur, ubi in edit. Bangerti *Vinneta*. Ap. *Alb. Stadenſem* fol. 110. b. eſt *Jumne*. Sed in *Chron. Slav.* ap. Lindenbr. p. 189. vox librarii inſcitia degeneravit in *Lunneta*. Si jam ſitum illum, qvem *Adamus* ap. Lindenbr. p. 19. ſuæ *Jumni* & ex eo *Helmoldus* p. 5. ſuæ *Jumnetæ* tribuunt, ac ſimul Mappam Pomeraniæ veteris apud Micrælium penitius inſpiciamus, *Jumne* ſ. *Jumneta* deprehenditur haud procul a *Dimino* abfuiſſe & vicina Inſulæ *Rugiæ*, Vid. *Vet. Schol. Adami* p. 59. Cum e contra, ut ſupra obſervatum, *Julinum Caminum*qve contermina ac ſolo fluvio [Divenaw] juncta fuerint. Ne dicam de nomine *Jumne* cum noſtrorum *Jomsburgo* & provincia *Jomi* Ol. Trygg. Sag. T. I. p. 152. Snor. Sturl. T. II. p. 31. pulchre conveniente. Ex his omnibus pene adducor ad credendum, *Vinnetam* ſive potius *Jumnem* aut *Jumnetam* eandem fuiſſe cum noſtrorum *Jomsburgo*. Everſionem *Vinnetæ* ſive *Jumnetæ* per qvendam *Regem Daniæ* factam, de qva *Helmoldus* p. 5. eandem fuiſſe arbitror, qvæ in *Jomsburgo* a MAGNO Rege circa 1043. perpetrata fuit, perhibentibus *Snor. Sturlæo* T. II. p. 31. & auctore *Hiſtoriæ Knytlingorum* p. 36. Hujus expeditionis MAGNI adverſus *Jumnem* etiam dilucidis verbit meminit *Vetus Scholiaſtes Adami* p. 31. Unde patet, noſtrorum *Jomsburgum* eandem cum *Jumne* ſive *Vinneta* eſſe urbem. *Alb. Crantzius* Vandal. L. II. c. 20. excidium *Vinnetæ* ad initium Seculi IX. refert, ſed aut ille falli potuit, aut urbem hanc pluries affligi. Ex ruinis *Vinnetæ* ſ. *Jomsburgi* emerſiſſe *Visbyam* Gotlandiæ, traditio vetus, Vid. Narrationem *Joh. Lubbechii* in *Rangonis* Pomer. p. 294. *Hvitfeldius* p. 49. 50. 52. 53. 74. 78. a *Saxone* ſeductus *Julinum* cum *Jomsburgo* confundit, ea vero, qvæ ibi de *Julino* narrantur, de *Jomsburgo*, *Jumne* ſive *Winneta* ſunt intelligenda. Et jus illud ac dominium, qvod in partem aliqvam Slaviæ Reges Danorum CANUTUS Magnus, MAGNUS Bonus, SVENO Eſtritius, & ERICUS Bonus ſibi vindica-

verus Dei cultor amplexus eſt, ſacriqve Baptismatis unda renatus, verbi divini ſemina univerſam regionem propagari juſſit. Succeſſu temporum interveniunt legati, qvi operam darent, ut diſcordia inter patrem & filium, regio regnantem ſolio, exorta, ad concordiam revocaretur. Statuit igitur SVENO Rex, ut pater cum *Sclavis* ſibi in *Gröneſund* (i) de pace tractanda occurreret. Qvo cum Rex, ad terminum conſtitutum, cum *Danorum* exercitu adveniſſet, patris diu præſtolatur adventum. Interea HARALDUS profugus, cujusdam *Palnonis Tokki* (k), conſiliarii ſui, ſuggeſtione monitus, liburnum remis aptisſimam ſibi fabrefecit, qvam nautis inſtruxit probatisſimis: cui & gubernatorem præfecit præfatum *Palnonem*, qvi Regi feſtinanter accelerabat occurrere. Is, qvum ad *Danorum* perveniſſet exercitum, ordinatis per foros remis, dolum commentatus, puppim ſuam puppi Regis juſſit applicari. Qvibus ſic ordinatis, prima illuceſcente aurora, Regem in reclinario dormientem clam excitavit. Expergefactus autem Rex, ſciſcitatur, qvidnam eſſet? Nos, inqvit, patris tui legati ſumus, ad te de pace tactanda transmiſſi. Qvod cum didiciſſet, patris ſtatum diligentius cupiens percontari, paulo extra navis ſuggrundam caput exſeruit. Qvem illico prætaxatus *Palno Toki* per aures & capillos corripiens, licet fruſtra renitentem, in ſuam navim, tunc potentior, attraxit invitum, & qvamvis pauxillum clamore perſtreperet, coeteris ignaris, valido remorum impulſu fugam vehementius accelerabat: nec prius laboris pertæſus deſtitit, antequam ad urbem præfatam (l) perveniſſet. Qvem *Sclavi* contuentes, populari orta ſeditione, diverſis captivatum mortibus, exqvisitisqve tormentis adjudicabant. Verum pars electa Primatum ſaniore præcellebat conſilio. Conſultius namqve autumabant cenſu eum plurimo redimendum, unde *Sclavia* perenniter locuples, exhauſtis *Danorum* opibus gauderet, qvam brevi morte trucidatus interiret. Modicum etenim communi cederet utilitati, ſi captivus mortis damnaretur exterminio. Delegantur itaqve legati, qvi *Danis* denunciarent, ut Regem ſuum trino auri & argenti pondere redimerent. Qvod diu exeqvi non diſtulerunt. Nam univerſo ferme regni cenſu coadunato, occurrentibus in *Winningha* (m) cum Rege captivato *Sclavis*, Dani SVENONEM redimere non detrectabant. Aſt ubi cenſus ejus ſolutioni non ſufficeret, decreverunt Matronæ ſuis ornatibus ſummam redemptionis explere. Igitur annulos, armillas, inaures, monilia, torqves,

vindicabant armisqve defendebant, omne ſuſpicor profectum eſſe ex acqviſita ſub HARALDO Blaatand & SVENONE Tiugſkæg *ditione Jumnenſi*, cui forte acceſſit jus in *Rugiam* inſulam longe ante a Danis qvæſitum, qvam hactenus novimus. Qvid vero ante WALDEMARUM I. noſtris cum *Julino* & *Wolunenſi tractu* interceſſerit, incertum eſt. Conf. Grammii Not. ad Meurſium p. 92. 145. 225.

(i) In Knytlinga Saga *Grænaſund* p. 242. 258. Saxoni Grammatico p. 174. 340. *Sinus viridis* appellatur, p. 187. *Sinus qvo Moen inſula a Falſtria ſecernitur*, & p. 371. *Viridis portus*. In hoc freto convenit olim claſſis Danica, ad expeditiones bellicas in Mari Baltico emittendas. Ab hoc Viridi freto, vulgo *Gronſund*, Falſtriæ Monæqve interjecto, CHRISTIANUS V. Ao. 1687. iter in inſulam Boringholm incepit, fol. H. 12. 4.

(k) Qvi hic & prænomine & agnomine *Palno Tokke* appellatur, ap. *Saxonem* p. 186. ſolum *Toko* audit. In *Hiſt. Jomsvic. Ol. Trygg.* Saga, *Knytl. Saga*, & ap. *Snor. Sturl.* T. I. p. 243. uno contracto nomine *Palnatoki* dicitur. Verum autem ejus nomen erat *Tokko Palnonis* filius. *SVENONIS Tiugſkæg* nutricius fuit, Præfectus primo Fioniæ, deinde Jomsburgi, cujus pater erat *Palno Tokonis* filius, & avus *Toke*, uterqve Fioniæ Præfectus. *Toko* hic primus eſt, a qvo genealogia Familiæ *Abſalonis* Archiepiſcopi deduci poſſe putatur.

(l) *Hynnisborg* ſive *Jomsburgum*, de qvo paulo ſupra Not. (h).

(m) *Amnem Vindingenſem*, Vindinge-Aa, in Fionia prope Nyburgum intelligi puto. Ibi plures olim Principum conventus celebrati ſunt. Apud hunc amnem An. 1353. tractatus inter WALDEMARUM IV. & Comites Holſatiæ habitus, *Heirfeld* p. 507.

torqves, & qvicqvid illis pretioſum erat, Regi liberando impendebant. Qvo expleto, Dani a Rege ſilvarum & nemorum tum primum communia impetrarunt. Mulieribus qvoqve, eo qvod prius paternæ hæreditatis prorſus eſſent exſortes, ob præſtitum ſibi a matronis favorem, & beneficiorum collationem, in poſterum primus tribuit, qvatenus ſoror fratri, de cœtero, in dimidia familiæ herciſcundæ portione communicaret. Omni namqve rationi conſentaneum duxit, ſincere dilectionis exhibitionem pari remunerationis benevolentia compenſare (n).

Cap. V.

De Kanuto Magno.

Mortuo SVENONE, filius ejus KANUTUS in regno ſucceſſit, qvem & *Senem* (o) cognominabant. Hic regni ſui terminos miræ virtutis potentia dilatavit. Nam ab ultima *Thyle* usqve ad *Græcorum* ferme imperium, virtute multiplici, circumjacentia regna ſuo aggregavit imperio. Qvippe *Hyberniam*, *Angliam*, *Galliam*, *Italiam*, *Longobardiam*, *Teotoniam*, *Norvvagiam*, *Sclaviam*, cum *Sambia*, ſibi ſubjugavit. Hic primus, dum in *Anglia* pacis tranqvillitate potiretur, *leges* condidit *caſtrenſes*, qvas pro modulo ingenioli deinceps libabimus. Hujus filia extitit *Gunnild*, illuſtris fœmina, qvam *Henricus* imperator *Conradi* imperatoris filius, ſibi matrimonio copulavit. Qvem cum Romani tumultuaria ſeditione a regio pepuliſſent ſolio, ſocerum adiens, ejus auxilium imploravit. Unde nactus occaſionem illuſtris ille præcluisqve KANUTUS, aſſumpto exercitu ſuo, primo *Galliam* depopulando invaſit; deinde ulterius progrediendo *Longobardiam* cum *Italia* devaſtavit, ac poſtmodum multimoda virtute compulit Romanos civitatem ſibi reſignare, tandemqve Imperatorem & generum throno ſuo reſtituit. Qvo peracto, cum ingenti tripudio

ad

(n) De dubiis illuſtr. *Koſod Anclerii* adverſus hanc a SVENONE Rege latam Legem, lege ejus *Hiſt. Leg. Dan.* p. 10. ſqq. Conf. *Grammii* Nót. ad Meurſ. p. 160.

(o) De variis KANUTI Regis cognominibus, vide, qvæ Illuſtr. *Suhmius* Forbedr. i Hiſt. p. 2. diſſerit. Annaliſtæ noſtri, ut & Series Regum vetuſtæ, eum cognominant Danice *Gamle-Knut*, latine *Senem*, non ob ætatem, nam qvadragenarius obiit, ſed ratione junioris KANUTI filii ejus, cujus tempore patrem primum dictum puto den Gamle, qvod hic idem eſt ac den ældre, & latine melius *Senior* reddi deberet. Hinc eum Sveno Agg. Leg. Caſtr. Cap. XI. etiam *Vterem Kanutum* nominat. Conf. Witerlags Ret, edit. Reſenii p. 549. Eodem modo tempore CHRISTIANI II. avum ejus CHRISTIANUM I. Dani nominaverunt Gamle Kong Chriſtiern, qvod latine ſonat, *Rex Chriſtiernus Senior*. Ab *incerto auctore* vetuſto, Svenoni Aggonis ſubjuncto, KANUTUS dicitur *Inſignisſimus*. Alii eum nominant den Rige, hin Riki, *Divitem*, ſcil. *Snorr. Sturl.* p. 610. *Knyl. Saga* p. 30. aliiqve Islandi veteres. Hinc in Chronol. vet. apud Benzelium p. 100. Rex *Ricberus* vocatur. Conf. *Ericum Olai* ed. Locc. p. 36. Qvod cognomen Theodoricus Monachus p. 25. per *Potentem* explicat. Tertium cognomen, qvod recentiores omnes CANUTO tribuunt, eſt *Magnus*. Sunt, qvi dubitant, an hoc ipſi qvidam veterum dederunt. Imo vero. *Saxo* non tantum p. 201. de operum ejus *magnitudine* loqvitur, ſed etiam eum expreſſis verbis p. 212. MAGNUM CANUTUM nominat. Qvod autem eidem *Saxoni* p. 205. *Canutus major* dicitur, id forte idem ſit ac *ſenior*. Sic de eo *Radulfus de Diceto* ap. Twysden p. 468. Ante eum *tantæ magnitudinis* Rex non fuerat in Anglia. Clarius autem *Magni* cognomen ei vindicare videtur *Henricus de Knyghton* ibid. p. 2317. his verbis de CANUTO loqvens: Ante qvem Rex nullus natus eſt in Anglia tam *Magnus* præter *Arthurum Magnum*. Ex noſtris ipſe *Sveno Aggonis*, ſi modo Inſcriptiones Capitum coævæ & ab ipſius manu ſint, KANUTUM bis aut pluries *Magnum* ſalutat, hic ſcil. & ad Leges Caſtrenſes. Qvi autem omnium evidentisſime eum hoc titulo decorat, eſt *Wilhelmus* Abbas in Deductione Genealogiæ Ingeburgis, qvam Anonymo adſcriptam edidit Henr. Ernſtius, ibi p. 53. KANUTUS iſte cognomento *Magnus* &c. *Adamus Brem.* p. 28. eum *glorioſisſimum* Regem KNUT, qvod *Hvitfeldius* p. 70. danice vertit: den Store Kong Knud.

ad *Franciam* usqve commeavit, *Turonisqve* profectus, beati *Martini* reliqvias *Rothomagum* potenter secum asportavit, eo qvod illam præ cæteris specialius diligeret. Præfatus qvoqve KANUTUS duos filios genuit; qvorum alterum suo appellavit nomine: qvem cognomine *Durum* vulgo nominabant, non qvod austerus vel crudelis extiterit: verum inde, qvod tale *provinciæ nomen* (p) extiterit, ex qva natalem duxit originem. Hunc pater *Daciæ* Regem præfecit. Alterum vero *Svenonem* nominavit, cui *Norvagiam* gubernandam commisit. Ipse vero *Angliam*, qvinqve ferme lustris, Regia potestate administravit. Interea filii ipsius, qvorum jam facta est mentio, patre adhuc superstite, supremum expleverunt diem (q). Qvod audiens Rex KANUTUS, patrium regnum gubernatore destitutum, ad Daciam reditum accelerabat. Et qvia in Dacia ecclesiæ novella extitit plantatio, multos pontifices & presbyteros secum adduxit; qvorum alios penes se detinuit, alios ad prædicandum delegavit. Hi per universam *Sveciam*, *Gothiam*, atqve *Norvagiam* dispersi, nec non ad *Islandiam* transmisti, verbi divini semina propagantes, multas animas Christo sunt lucrati. Inter qvos præsules *Gerbrandus* & *Rodulfus* extiterunt: qvorum alterum, nempe *Gerbrandum* (r), Roschildensi primum præfecit ecclesiæ, *Rodulfo* (s) vero

(p) Ad provinciam Jutiæ *Hardsyssel* olim *Hardesyssel* respicit auctor. Probabile videtur, HARDE-CANUTUM in Dania natum esse; Pater enim ejus An. 1019. in Daniam trajecit, integrum ibi annum moratus, dubium autem esse non potest, eum EMMAM Reginam, qvam præcedenti anno duxerat, secum habuisse. Sed qva occasione contigerit, ut Regina in illa Jutiæ parte puerpera facta sit, haud facile conjicitur. Illustri *Grammio* Not. ad Meurs. p. 132. dubius est hic Harde-Canuti natalis locus. Credit potius, CANUTUM M. vetustioris Regis ex majoribus suis *Hardecnuti* nomen filio suo boni ominis causa imposuisse, nomen autem *Hardecnuti* primi ortum & compositum esse ex Danico Haarde Knude ɔ: *durus nodus*. Grammius l. c. tres hujus nominis recenset. Vetustiorem *Horda-Knutum*, nepotem Regneri Lodbrokii, etiam in illa Jutiæ provincia *Horda* natum perhibet *Auctor Hist. Ol. Trygg.* T. I. p. 72. Islandi veteres nostrum *Haurda-Knut* s. *Hordaknut* nominant, *Adam. Brem.* ap. Lind. p. 31. *Hardecnut*. In Monetis ejus *Hardacnut*. *Theod. Mon.* p. 47. *Hartha-Knut*. Encomiastes Emmæ inter Scriptor. Norm. p. 171. hanc nominis hujus rationem reddit: „Imponunt ei vocabulum qvodammodo obtinens indicium futuræ virtutis. Vocatur siqvidem *Harde-Knuto*, nomen patris referens cum additamento. Cujus „si etymologia teutonice perqviratur, profecto qvis qvantusqve fuerit, dinoscitur. *Harde* qvidem *Velox* „vel *Fortis*, qvod utrumqve multoqve majus his in eo uno cognosci potuit, qvippe qvi omnes sui temporis viros omnium virtutum præstantia anteivit. Omnes igitur ejus virtutes enumerare neqveo". Unde qvidam Anglorum Historici ipsum, ex Gallico *Hardi*, cognominant *Fortem*, alii *Audacem*, Vid. *Lelandi* Itiner. T. IV. p. 166. T. IX. p. 78. *Spelmanni* Concil. p. 570.

(q) Mirum est, *Svenonem* & in hoc & in pluribus Historiæ CANUTI M. momentis adeo hallucinatum esse.

(r) De hoc *Gerbrando*, per CANUTUM M. cum aliis Episcopis ex Anglia in Daniam adducto, Diœcesi Roskildensi præfecto, sed ab *Unvano* Archiepiscopo Bremensi in via capto, vid. Adam. Brem. ap. Lind. p. 27. An. 1022. *Gerbrandus* Episcopus in Anglia fuit, ibiqve magno Concilio, qvod CANUTUS Rex cum Episcopis & Magnatibus Angliæ habuit, interfuit, ac Privilegio Elyensibus dato subscripsit, hac formula usus: *Ego Gerbrandus Roscylde parochiæ, Danorum gente, confirmavi*, Vid. *Th. Gale* Script. Angl. T. I. p. 523. Conf. *Saxo* p. 196.

(s) Videntur mihi tres ejusdem nominis *Rodulfi* Episcopi, eodem Seculo XI. fuisse *Slesvici*, scil. primus hic a CANUTO MAGNO constitutus. Hic *Ekkibardo* An. 1025. mortuo, de Coloniensi Clero electus, successit, *Annal. Hildesh.* ap. Leibnit. T. I. p. 725. Hic An. 1027. in Concilio Moguntino adfuit, *Joannis* Script. Mog. p. 289. Hic etiam An. 1028. una cum *Reginoldo* Episc. Oldenb. interfuit Synodo Francofurtensi, a CONRADO Imp. celebrato, *Vit. Godehardi* ap Leibnit. T. I. p. 493. *Presbyter* Chron. Numburg. p. 130. Secundus *Rudolfus*, qvem *Bezelinus* Archiep. Hamb. An. 1039. ex Capellanis suis ordinavit in *Sliasvig*, *Adam. Brem.* ap. Lind. p. 31. *Alb. Stadens.* fol. 119. b. Is An. 1041. adstitit in Dedicatione Ecclesiæ Transaqvensis Monasterii, *Schaten* Annal. Paderb. p. 522. Is Comitiis An. 1042. a MAGNO BONO Rege Dan. celebratis interfuit, *Adam. Brem.* p. 31. Alb. Stad. fol. 120. b. Tertius *Rodulfus* sive *Radolfus*, qvem, referente *Adam. Brem.* p. 55. 56. *Adelbertus* Archiep. Brem. de Clericis suis ordinavit in *Sliasvig*. Ille An. 1071. Dedicationi Ecclesiæ majoris Mindensis interfuit, *Chron. Mind.* ap. Meibom. T. I. p. 561. Conf. *Leibnit.* T. II. p. 172. *Cypræus* Hist. Episc. Slesv. duos solum ultimos *Rodulfos* habet, primum nesciens.

Slesvicenſem regendam tradidit eccleſiam. Qvum autem pluribus regnis ſolus non poſſet operam impendere, nepotem ſuum SVENONEM, licet impuberem, regio illuſtravit honore, *Datiamqve* ei gubernandam commendavit. Cujus pater extitit *Ulf Sprakæleg* cognomine (t), mater vero ſoror Regis *Eſtrith*. Defuncto KANUTO rege, nepos ejus SVENO, ab avunculo antea inauguratus, regni gubernacula ſuſcepit. Qvi modico tempore rerum tranqvillitatem obtinuit. Qvippe rex Norvagiæ MAGNUS, beati *Olavi* regis ex concubina filius, inſtructa claſſe *Daniam* invaſit. Cui Rex SVENO occurrens, juxta *Helghames* (u) navale cum eo commiſit bellum, in qvo MAGNUS triumphavit, obtinuitqve *Jutiam*, *Fioniam*, & *Sclaviam*. Qvem dum victor in *Scaniam* perſeqvi moliretur, in *Sialandia* (v), caſu inopinato, eqvi ſternacis præcipitio, arbori illiſus interiit. Ac poſtmodum SVENO reſtitutus regno, inqviete illius poſſedit gubernacula. Hunc *Regum Patrem* turba nominavit agreſtis, eo qvod numeroſa filiorum prole uberrimus extiterit. Inter qvos ſucceſſive *qvinqve* regio fulſerunt diademate. Qvorum geſta ſuperfluum duxi plene recolere, ne crebrius idem repetitum faſtidium pareret legentibus: qvum, illuſtri Archipræſule *Abſalone* (x) referente, contubernalis meus *Saxo* elegantiori ſtilo omnium geſta prolixius exponere decreverit. Nec eſt prætereundum, qvod hæc priſca veterum invaluerit conſvetudo, ut ad regum inaugurationes, in *Iiſore* (y), Danorum univerſa turba confluereт, ut eo in loco, aſſentientibus omnium civium ſuffragiis, regium nomen rerumqve ſummam obtinerent. Mortuo itaqve SVENONE Rege, filius ejus HARALDUS, qvem ob benignitatis mollitiem, *Cotem* (z) cognominabant, ſucceſſit in regno.

Hic

(t) *Sprakaleg* non *Ulfi*, ſed patris ejus *Thorgilſis* ſive *Thrugilli* cognomen fuit, teſte *Saxone* p. 193. *Snor. Sturlæo* T. I. p. 627. *Knytl. Saga* p. 6. 36. Nihilominus *Ericus Olai* p. 20. 33. 36. & recentiores omnes eum uno qvaſi ore *Ulphonem Sprakeleg* appellant. *Ulfo* autem, Comes a KANUTO M. creatus, nominabatur ſimpliciter *Ulf Jarl*. Hunc *Adam. Brem.* ed. Lindenbr. p. 26. *Wolf Ducem Angliæ* nominat, *Chron. Erici* autem *Ulf Comitem Angliæ*. Et facile credi poteſt, eum jure incolarum in Anglia donatum fuiſſe, utpote Affinem Regis, & primum inter Proceres, qvi CANUTUM in Angliam ſeqvuti fuerant, Knytl. Saga p. 12. De hujus Comitis origine diſputabili, alia data occaſione, meam ſententiam aperiam. Cognomen *Sprakeleg*, *Loccenius* Not. ad Er. Olai p. 211. explicat de eo, qvi eſt *impeditæ linguæ*. *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 179. aliiqve *Agilem* exponunt.

(u) *Helgenæs* eſt promontorium Jutiæ, & qvaſi peninſula, inter Arhuſium & Ebeltoftam e regione Samſoæ ſita, cujus deſcriptionem lege in *Atlante Dan.* T. IV. p. 353. *Saxoni* p. 186. *Helgenes littus* memoratur. Prælium hoc navale, ni fallor, eſt idem, qvod *Knytlinga Saga* p. 38. ad oram Jutiæ *ſupra Aruſiam verſus auſtrum* commiſſum narrat. *Theodorus Mon.* p. 52. ex hoc uno duo prælia facit. Conf. tamen *Snor. Sturl.* T. II. p. 37. De memorabili hac pugna navali Poetæ coævi *Arnor* & *Thiodulfus* carmina cecinerunt, Sn. Sturl. T. II. p. 45.

(v) De circumſtantiis & loco mortis Regis MAGNI varie diſcrepant Scriptores. Cum *Saxone* p. 204. *Sveno* noſter facile conciliari poteſt, uterqve enim ex lapſu eqvi cauſam mortis arceſſit, & in *Sialandia* factum memorat, *Saxo* addit nomen oppidi *Alexſtadiam*, qvæ eſt pagus haud procul Sora, jam dictus *Alſted*.

(x) *Abſalonem* Archiepiſcopum Hiſtoriæ ſcribendæ auctorem Saxoni fuiſſe, ipſe etiam *Saxo* p. 1. teſtatur.

(y) Celebratiſſimus in Annalibus noſtris locus, ad extremam Sialandiæ oram poſitus, circa fauces ſinus *Iſefiord*. Ibi olim Reges ſæpe electi, ibi conventus populi habiti ſunt, aliæqve res inſignes contigerunt. Eundem *Saxo* p. 42. *Portum Iſoram* nominat, p. 189. *Portum cui glaciei freqventia agnomen peperit*, p. 292. 331. *Portum Isörenſem* & *Fauces Isöricas*, Conf. p. 213. 229. 242.

(z) Dani eum nominabant HARALD HEIN, *Knytl. Saga* p. 54. Sn. Sturl. T. II. p. 190. *Hein* ſive *Heen* in lingva veteri ſeptentrionis eſt *Cos mollis*, Vid. *Eddæ* Mythol. 56. Rationem hujus cognominis nimis exaggerat *Saxo* p. 212. 213. deformando HARALDUM, ut obtuſi admodum cordis juvenem, perpetuo inertiæ ſopore oppreſſum, ignavum, deſidem. Hoc HARALDO ob benevolentiam & nimiam indulgentiam cognomen datum frater ejus & ſucceſſor CANUTUS Rex in Comitiis publicis Danis exprobrat: Meum, inqvit, jam erit, opprobrium, qvo injuſte illius benignitatem excepiſtis, reponere, ac futurus ſum vobis *coxe* durior, *Knytl. Saga* p. 54.

Hic primus *leges* (a) Danis in Regiæ electionis loco, jam dicto, præscripsit atqve rogavit.

Cap. VI.

De Sancto Kanuto Othoniensi.

HARALDO defuncto, frater ejus KANUTUS in regno succesſit, qvem *Othoniensis ecclesia* coronatum gloriatur habere Martyrem: non, ut qvidam arbitrantur, propter nimiam crudelitatis sævitiam, vel jugum intolerabile, qvod plebi crudelis irrogaverat. Hæc enim causa extitit persecutionis. Tempore, qvo potestatis plenitudine floruit, paterni sui avunculi (b) se doluit exhæredatum potentia. Collecto itaqve exercitu, classeqve congregata, qva *Angliam* (c) expugnaturus invaderet, in *Humla* (d), qvæ tunc temporis portus maris extitit, totum exercitum jussit convenire. Qvi dum instructa classe subsolani prosperitatem præstolaretur, subitus rumor Regis auribus intonuit, qvi in *Slesvvik* regni proditionem perdoceret exortam. Qvi cursu rapido omniqve festinantia illuc iter accelerabat, qvatenus conspirationis pessundaret primordia. Qvo cum venisset, & sceleris autores vinctos & captivatos suæ mancipasset custodiæ, ad classem, qvam casu reliqverat, inopinato cursu præpropere festinabat, suos illic arbitratus reperire, ubi eos reliqverat. Qvum autem ad locum venisset prædestinatum, contumaciter & inobedienter universos ad sua didicit remeasse. Qvi nimio furore succensus, qva meritorum compensatione tantæ transgressionis notam percelleret, secum sollicite perscrutatur. Nam anxius divisa mente revolvit, rigori fore detrahendum, ubi plurimorum strages jacet: nec commune scelus tanta noverat austeritate plectendum, qvanta foret excessus privatæ personæ coercendus.

Prout

(a) HARALDUS ob legislationem suam & ob legum a se latarum severitatem neglectani odium Potentiorum incurrisse videtur. Id haud obscure cliens Absalonis & Magnatum *Saxo* p. 213. 214. indicat, *Leges Haraldi* de singulorum congressionum abrogatione deqve Jurisjurandi introductione, ut pauperum libertati faventes qvidem, sed religioni pestiferas, depingendo. De ea tamen legum emendatione, ut populo accepta & rejectis abusibus justitiæ magis consentanea, idem Historicus noster sic fateri cogitur: *Qvem morem Dani pertinaciter retentum ad hoc usqve tempus obstinate usurpant, adeo ut vita magis qvam eo carere cupiant, salutemqve suam pro ipsius observatione devoveant.* Auctori anonymo, qvi exeunte Seculo XII. vixit, ap. Westphal. T. I. p. 1413. HARALDUS audit *Vir optimus, Rector justissimus; Hic*, pergit ille, *silvas, a solis potentibus obsessas, communes fieri jussit.* Sola hac lege a potentioribus cognomen *inertis* ac *inutilis* Regis mereri potuit, dum *Silvas* olim *communes*, a SVENONE TIUGSKÆG vero privatis venditas, vid. *Saxo* p. 186. jam publico & communi usui restituit. Audi etiam elogium, HARALDO ejusqve legibus ab *Ælnothо Monacho*, scriptore fere coævo, & qvi tempore fratrum ipsius vixit, tributum, ita p. 19. habens: „HARALDUS, patrium nactus imperium, populi votis admodum favere, eisqve *Leges & Jura*, non „tam qvæ vellent eligere, immo qvæ vel qvales elegissent, posteris reservandas, regali studebat auctoritate „decernere. Unde *Leges ab eo sanctitas Dani usqve in hodiernum* ab electis & eligendis sibi Regibus expe„tunt, eumqve, veluti *pacis ac libertatis publicæ provisorem*, pro concessis ab eo Legibus, laude & favori„bus extollunt". Conf. qvæ de legibus hujus Regis erudite commentatur Illustr. *Kofod Ancher* Hist. Leg. Dan. p. 31. sq.

(b) *Kanuti* videl. *Magni.* In eandem sententiam sunt verba *Saxonis* p. 219. Conf. *Knytl. Saga* p. 78.

(c) De hac a CANUTO An. 1085. in Angliam destinata expeditione, & de præparatione WILHELMI ad defendendam patriam, legantur *Chron. Sax.* ed. Gibson p. 185. *Sim. Dunelm.* ap. Twisden p. 213. *Henr. Knygbton* ibid. p. 2352. aliiqve Anglicarum Rerum Scriptores, ex nostris *Ælnothus Mon.* p. 27-30. *Saxo Gram.* p. 217. *Knytl. Saga* p. 78-87. *Sn. Sturl.* T. II. p. 193. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 218.

(d) Portus in Jutia ad Sinum Limicum, in paroecia *Humlum* territorii Skodburgensis, Vid. *Atlas Dan.* T. V. p. 829.

Prout itaqve Regis rigor dictaverat, ſingulis *gubernatoribus qvadraginta Marcas* (e) ſolvendi incumbebat neceſsitas, *Nautas* qvoqve ſingulos *trium Marcarum* urgebat ſatisfactio, eo qvod Regis exercitum diſſipando deſtruxerint. Qvem dum legis rigore cenſum, ſingulas viſitans provincias, exigeret, exactionis a *Wandalis* (f) inchoavit primordia. Qvæ gens dura & indomita, innocentis ſitiens cruorem, pro cenſu rabiem miniſtravit. Qvippe tanta popularium turba confluxerat, ut ne unicus qvidem, qvi proprio gauderet domicilio, remanendi haberet prærogativam. Qvorum cum Rex comperiſſet inſolentiam, inſtantis maleficii occaſionem declinare ſtatuit. Verum prævaricatores hoſtis antiqvi ſatanicis ſuggeſtionibus imbuti, in caput Regis deſæviunt, plebsqve profana principi ſuo lethum machinatur. Siniſtri qvippe rumoris fama ubiqve locorum increbuit, Regis ſævitiam ingentibus injuriis & calumniis univerſam regni ſui gentem exacerbaſſe & ad iram provocaſſe. Nec prius plebeculæ rabies furioſa ceſſavit, qvam tota *Jutia* expulſum ultra *medium tranſitum* (g), *Othoniam* usqve perſeqverentur. Ubi illuſtris princeps & de patria ſua optime meritus, Martyrio coronatus, animam ſanctiſſimam Deo creatori commendavit. Qvo defuncto, frater ipſius OLAVUS in regni Danici ſucceſſionem ſurrogatur. Cujus temporibus fames extitit validiſſima, adeo etiam, ut vulgaris eum aſſertio *Famelicum* (h) nuncuparet. Ab OLAVI exceſſu frater ejus ERICUS BONUS imperium capeſſit, qvi &, juxta ſolennem iſtius ſeculi morem, crucis inſignia ſuſcepit. Hinc *Jeroſolymam* profectus, in reditu, fato conceſſit, inqve *Cypro* inſula ſepulturam nactus eſt. Hic regni tempore, generoſa natorum ſobole, licet variis Hymenæi ſucceſſibus, parens extitit glorioſus. Nam & *Kanutum Ringſtadenſem*, patrem WALDEMARI Regis genuit, *Henricum* (i) qvoqve, patrem SVENONIS Regis, & *Haraldum Keſiæ* (k), patrem *Biörn ferrei lateris* (l), undecimqve fratrum ipſius. Poſt ERICUM frater ejus NICOLAUS regnavit, qvem *Grandævum* vulgo nominabant, eo qvod ſeptem luſtris imperio Danico potitus ſit. Hic filium ex legitimo ſuſcitavit matrimonio, qvem re & nomine *Magnum* appellabat; Nam ad inſtar Saulis regis, ſuper univerſos regni milites & coævos, ab humeris & ſurſum eminebat.

Cap.

(e) Hæc ita *Saxo* p. 218. *Gubernatorum* ſingulis qvadragena *nummum talenta*, terna *Remigum* unicuiqve mulctæ loco numeranda propcnens. Hinc liqvet, *talentum nummorum* ap. Saxonem idem eſſe atqve alias *Marcam* ſcil. *denariorum*.

(f) *Saxo* p. 219. æqve ac noſter, eos *Wandalos* appellat, qvi provinciam Jutiæ *Wendſyſſel* dictam inhabitant, olim *Wendileſyſſel*, Æthelwerdo Mon. p. 37. *Wendle*, Knytl. Sag. p. 90. *Vandilſkaga*. *Saxoni* alias vocantur *Vendilenſes* & Crantzio *Wenzuli*, Vid. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 219.

(g) Fretum illud anguſtum inter Fioniam & Jutiam Auctor indigitat, vernacula noſtra *Middelfart-Sund*. *Saxoni* p. 3. *anguſti admodum æqvoris interjectus* Fioniam a continenti abrumpit. *Knytl. Saga* p. 62. 102. *Medalfararſund*.

(h) Apud *Saxonem* p. 223. OLAVUS etiam titulum *Famelici* ſuſtinet, ſic & in aliis Annalibus noſtris. In Chron. Sial. p. 6. *Olaf Fames*. In Serie altera Runica *Wormii*, ut & in *Chron. Erici*, apud *Petrum Olai* aliosqve, vocatur *Olaf Hunger*, qvo cognomine eum Dani ob moleſtum ejus regimen & incidentem famem graviſſimam immortalitati commendabant. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 223.

(i) Apud *Saxonem* & reliqvos fere omnes *Ericus* vocatur, qvi poſtea Rex factus cognomento *Emun* decoratus eſt.

(k) Vocabulum *Keſia*, qvod cognominis loco *Haraldo* datum eſt, ſignificat in lingva veteri noſtra *baſiam*; Danice et Kaſeſyyd. Huic duo alii cognomines occurrunt *Haraldi Keſia*, alter longe vetuſtior, d. qvo *Thorſt. Vikingſ. Saga* p. 88. *Torfæi* H. N. T. I. p. 214. alter recentior circa 1205. in Norvegia, de qvo *Chron. Norv.* ed. Dan. p. 546. Ex procero forte ac ſimul gracili corpore hoc ſibi cognomen contraxerunt, *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 233.

(l) Danis dicebatur *Biörn Jernſide*, Islandis *Jarnſida*, Knytl. Saga p. 170. Ille, teſte *Svenone* Cap. VII. ob eximiæ ſtrenuitatis claritatem *Ferreo* cognominatus eſt latere. Idem & nomen & cognomen *Biörn Jernſide* plures ante hunc habuere, Vid. *Hairfeld* p. 16. 112. Cognomen etiam *Jrenſide*, *Ferreum latus*, ob vigorem & fortitudinem *Edmundus* Angliæ Princeps meruit, *Bromton* ap. Twisden p. 903. *Knyghton* ibid. p. 2316.

Cap. VII.

De Sancto Kanuto Ringſtadenſi.

Regnante in Dania NICOLAO, *Kanutus*, ERICI BONI filius, vir prudens, ſtrenuus, omniqve virtutis probitate pollens, Dux factus Slesvicenſis, claruit. Qvi & ſingulari fortitudine efferam Sclavorum rabiem compeſcuit, ſuæqve ditioni ſubjugavit. Sed conſpicuis ejus virtutibus incitata effervescere cœpit invidia, adeo ut exiterint, qvi optimo Principi lethum machinarentur. Semper enim Regibus ſuſpecta eſt recens nata potentia, omnisqve poteſtas impatiens conſortis erit. *Magnus* namqve *Kanuti* patruelis, ſpreto conſanguinitatis vinculo, adhibito ſibi *Henrico Skatelar* (l), *Ubbone* (m), & *Haqvino* (n), aliisqve conjurationis ſociis, tanqvam ſuper arduo regni negotio, de *Kanuto* trucidando, in conclavi qvodam peſtifera captabat conſilia. Deinde *Kanutum* in ſilva penes *Haraldſtatbe* (o) ſine arbitris ſibi obvium venire jubet. Cui intrepidus Chriſti athleta, nullius ſibi criminis conſcius, occurrere non detrectavit: ſed ſanctæ crucis vexillo inſignitus, non clypeo protectus aut galea, duobus tantum comitatus ſatellitibus, luporum rabiem mitiſſimus agnus, in denunciato occurſus loco, præſtolabatur. Mox ſceleris autores advenere, lupi ovinis induti exuviis, loricas & galeas pileis contegentes & palliis. Nec mora. Verum Iſraelitam, & conſobrinum, perfidi conjurati trucidare feſtinant, animamqve cœlo ſatagunt transmittere, qvæ carnis ergaſtulo prius extitit incluſa. Cujus exanime corpus poſtmodum Chriſti fideles humandum deferunt *Ringſtadiam*, ubi compluribus rerum indiciis

(l) Is *Svenone*, filio Regis SVENONIS ESTRITII, fratre ERICI BONI & Nicolai Regum, patruo *S. Canuti* Ducis, erat genitus, *Saxo* p. 235. *Knytl. Saga* p. 188. Sn. Sturl. T. II. p. 393. Ibi *Henricus* cognominatur *Hallte* ɔ: claudus. Dani & Sveci cognomentum ei *Skateler* ſive *ſkatelar*, qs. Stadelaar, imponebant, *Chron. Sial.* p. 16. 18. *Eric. Olai* p. 44. vocabulo, ut obſervat *Torfæus* H. N. T. III. p. 503, ab Islandorum *Skokul* Genitiv. *Skokular* ɔ: claudicans excepto. Hinc *Audun Skokul* unus ex primis Islandiæ colonis, *Ol. Trygg. Saga* T. II. p. 89.

(m) *Ubbo* hic, qvi *Haqvinum* filium habuit, Saxo p. 236. videtur fuiſſe frater NICOLAI Regis, non ejus *gener* ejusdem nominis, qvi *Ingritbam* filiam NICOLAI ex pellice uxorem habuit, *Saxo* p. 230.

(n) *Haqvinus* ſororem Canuti Ducis in matrimonio habuit, *Saxo* p. 238. filiam ERICI BONI ex concubina, *Saxo* p. 225. nomine *Ragnbildem*, Knytl. S. p. 162. Torfæus P. III. p. 522. Hvitfeldius & Pontanus eam *Annam* nominant, unde, neſcio. De origine hujus *Haqvini* Scriptores diſcrepant. *Saxo* p. 238. eum cognomine & genere *Jutum*, *Knytl. Saga* p. 162. eum *Hakon Norræni* ɔ: *Norvegum* appellat. Uterqve hac ratione conciliari poteſt. *Ubbo*, qvem Saxo p. 236. *Haqvini* Patrem nominat, non ille *Ubbo*, qvi Nicolai gener erat, præfecturam forte aut prædia in Jutia habuit, unde *Haqvinus* in Jutia natus *Jutus* dici potuit. Cum vero maternam originem ex Norvegia traxerit, *Norræni* dictus eſt. Mater enim Haqvini *Sunniva*, Saxo p. 240. Knytl. Saga p. 162. fuit filia generoſi illius Comitis Norvegi *Haqvini Ivarii*, qvi in prælio Nitzaenſi ſaluti Regis SVENONIS ESTRITII conſuluit, & *Ragnbildis*, cui pater erat MAGNUS BONUS Rex Norv. De *Ubbone* autem marito *Sunnivæ* & patre *Haqvini* mihi ſuſpicio eſt, eum fuiſſe majorem fratrem NICOLAI Regis & SVENONIS ESTRITII filium, qvi, ERICO BONO mortuo, ſecordiæ conſcientia & ob imbecillitatem animi coronam regni recuſavit, *Saxo* p. 229. Cum enim Dani, poſt obitum ERICI EMUN, ejus nepotem ex ſorore ERICUM LAM Regem elegerint, credo eos ejusdem tam paternum qvam maternum genus reſpexiſſe. *Haqvinus* autem cur potius a matre *Sunniſuſon*, qvam a patre, dictus ſit, conjectu haud difficile eſt. Cum enim pater *Ubbo* nullius frugis & conſeqventer haud magnæ exiſtimationis fuiſſe videatur, mirum non eſt, *Haqvinum* a matre, utpote virilis animi & excellentioris prudentiæ matrona, cognominatum eſſe. De *Haqvino* autem notandum, eum, licet conſiliorum particeps factus ſit, partes tamen *Magni* deſeruiſſe, ac cum amicis *b. Canuti* feciſſe, ut *Saxo* p. 240. indicat.

(o) *Haraldſtatbe* eſt parœcia & villa ruralis, prope Ringſtadium in territorio Ringſtadienſi ſita, ab *Haraldo* qvodam olim loci domino ſic dicta, jam Harreſted dicitur. *Saxo* p. 239. locum Oppidum *Haralſtadium* nominat. Silva autem, in qva cædes *Canuti* perpetrata eſt, ab honorifico nomine, qvo eum Dani ſalutabant, poſtea *Lavards-ſkog*, Lavardi ſilva dicta eſt: illum enim *Knut Lavard* appellabant, *Knytl. Saga* p. 190. *Hvitfeldio* p. 98. ſilva illa dicitur *Hareſted-ore*.

diciis ingens ſanctitatis ejus ſplendor eluxit. Verum tanti ſceleris immanitas ingentis ſeditionis fomentum poſtmodum in regno ſuſcitavit. Nam in fratris ultionem, ERICUS, cum patruo ſuo regnante NICOLAO, Dei inſtigatus digito, ad pugnæ certamina ſuſcitatur: jam omnium ſuffragiis regio donatus nomine. Qvi licet crebro conflixerint, hæc tamen certaminum loca extiterunt famoſiora. Primum etenim in *Rynebierg* (p) prælio decernentibus illis, NICOLAUS obtinuit, avumqve meum *Chriſtiarnum* captivavit, ferreisqve vinctum compedibus, ad *caſtrum* qvoddam prope *Slesvicum*, cuſtodiæ mancipandum delegavit. Succeſſu temporum ad pontem *Othenshylle* (q) decertantium facta eſt congreſſio. Ubi dum acrius confligerent, pars itidem NICOLAI prævaluit. Dum ergo ERICI exercitus terga verteret, captus illico fuiſſet, niſi *Biörno*, qvi ob eximiæ ſtrenuitatis claritatem *Ferreo* cognominatus eſt *latere* (r), adjuncto ſibi patre meo *Aggone*, pontis in medio viriliter reſtitiſſet. Hi namqve duo tanta audacia jaculorum imbrem repulerunt, ut qvaſi columnæ æſtimarentur immobiles. Nam incurſantium furorem mirifica ſtrenuitate propulſabant, pontis tranſitum egregie defenſantes, adeo ut hinc inde peremtorum cadaveribus amnis gurgitem ſicco pede utrimqve pertranſirent. Nec prius a pontis tuitione deſiſtebant, licet plagis qvam plurimis lacesſiti, qvam Rex fugiendo naves conſcendiſſet. Qvem ſubito inſecuti, in *Scaniam* (s) fugitantem comitabantur. Poſteaqvam vero NICOLAUS Rex bino jam congreſſu triumphaſſet, ERICUM nepotem ſuum & hoſtem prorſus e regno ejicere nitebatur. Qvem dum, claſſe congregata, in *Scaniam* perſeqvitur, ad ſinum appulit, qvam vulgus *Fotavik* (t) conſvevit nuncupare. Cui plebs Scanienſium ſemper probitate pollens, univerſæ terræ multitudine corrogata, caterva decenter ornata, occurrere non detrectavit: initoqve congreſſu, *Magnum* Regis filium, jam dicti ſceleris autorem, cum duobus præſulibus (u), ad tartara trucidantes transmiſerunt. NICOLAUS itaqve Rex victus, nato pariter & hærede orbatus, *Slesvi-*

(p) *Rynebierg*, hodie *Rönneberg*, eſt villa forte ruralis in Scania, haud procul Landskronia ſita, ex qva totum territorium *Rynebiargbæret*, jam Rønnebergherred, dictum eſt. Locus montoſus eſt, a ſitu nomen habens, compoſitum ex *Hraun* ɔ: petroſis & cohærentibus montibus, ut *Weſtman* in Skaanſke Handlingar p. 17. Illuſtr. *Dalin* T. I. p. 418. horum montium, *Runebærga-bögar*, meminit, & cum *Andr. Strobæo* Scan. Antiqv. p. 13. credit, gigantem *Rane* cum ſociis ſepultum eſſe in colle *Runebærga*. Falluntur ſine dubio, qvi locum prælii Rynebergenſis in Jutia qværunt; Connexio enim Hiſtoriæ Scaniam præfert, qvo ERICUS cum ſuis, Slesvicum deſerens, confugerat.

(q) Cetera prælia inter NICOLAUM & ERICUM commiſſa *Sveno* neſcivit, ſcil. *Fellingenſe* & illud navale ad Inſulam *Seierö*. E contra *Saxo* hoc campeſtre prælium apud *pontem Othenshylle* ignoravit, qvod paulo poſt prædictum navale factum eſt. *Othenshylle* eſt tractus in Jutia, hodie *Onſild* dictus, urbi *Hobroæ* vicinus, & in duas paroecias ſc. *Syndre-Onſild* & *Norre-Onſild* diviſus, unde toti territorio nomen *Onſildherred* eſt. Ibi adhuc pons dictus *Onſild-bro*, Vid. *Atlas Dan.* T. IV. p. 541. Hanc pugnam ſtatim ſecuta eſt alia ERICO infelicior, in Sialandia apud *Weram pontem*, *Werebro*, geſta, Saxo p. 245. *Svenoni* ignota. *Holberg* T. I. p. 211. *Werebro* male in Jutia collocat. *Stephanius* & recentiores ex duobus his prælis unum faciunt, qvæ tamen ex mea ſententia duo diverſa fuere.

(r) De *Biörnone ferrei lateris* ſ. *Jernſide* paulo ſupra Not (l).

(s) Plura memorabilia in Sialandia, Norvegia, & Lalandia ab ERICO geſta, anteqvam in Scaniam pervenit, a *Svenone* hic prætermiſſa ſunt, qvæ optimo ordine diſpoſita leguntur in Illuſtr. *Submii* Emendat. Hiſt. Dan. p. 200. ſqq.

(t) *Fotavik*, Saxoni p. 246. *Fota ſinus*, Knytl. Saga *Fotvik*, Chron. Sial. p. 20. *Fotavig*, eſt Sinus Scaniæ ad villam *Hammar* haud procul Scanora influens, & a Lunda ac Malmogia verſus meridiem aliqvanto diſtans, vicinus *portui Hól*, olim *Hyliuminne*, jam *Hollewik* dicto.

(u) Imo longe pluribus. *Saxo* p. 246. & *Chron. Sial.* p. 20. *ſex Epiſcopos* in prælio Fotvicenſi occubuiſſe perhibent, Conf. *Knytl. Saga* p. 194. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 257. Qvinqve ſcil. in loco perierunt, videl. *Petrus* Roſkildenſis, *Henricus* ex Svecia, *Thorerus* Ripenſis, *Ulkillus* Aruſienſis, & *Ketillus* Burglanenſis, ſextus autem *Adalbertus* Slesvicenſis, ſesqvianno poſt pugnam, vulnere ibi accepto obiit. *Sveno* autem noſter aut *duos* tantum cæſos ſciyit, aut ex cæſis *duos* tantum ad tartara transmiſſos voluit.

Slesvicum navigio contendit, ubi cives eum intra mœnii septa receptum perfide trucidarunt. Postqvam ERICUS, *æterna dignus memoria* (v), eximia potitus victoria, in pace regnum obtinuerat, præfatum *Christiarnum* e vinculis liberavit. Qvi tamen paulo post in consangvineos suos inaudita crudelitate desævire cœpit. Qvippe germanum suum *Haraldum Kesiæ* in curia sua *Jaling* (x) pernoctantem, intempestæ noctis silentio, ad colloqvium fecit evocari. Qvi de lecto subito se proripiens, plene inermis, nihilqve sinistri suspicatus, ad Regem & fratrem suum concitus properavit. Qvem illico catholiciani (y) corripientes, caput ejus amputarunt. Modico deinde temporis intervallo, nepotem suum *Biörnonem* (z), iniqva compensatione talionem reddens, captivavit, annexumqve molari in profundum abysti demersit. Fratres qvoqve ejus qvosdam adultos, qvosdam impuberes, undecim numero (a), ferro jussit, haud patrissando, necari. Qvum autem tanti sceleris autor extitisset, Regulosqve pullulantes prorsus exstirpasset, in Regiæ sublimitatis potestate constitutus, justum divinæ potentiæ judicium expertus est. Nam in *Urnensi placito* (b), *Plogh* qvidam,

(v) In hoc encomio, *æterna dignus memoria*, habemus ERICI Regis & cognomen *Emun* rite explicatum & causam ejusdem in *eximia reportata victoria*. *Snorr. Sturl.* eum ubiqve *Eymuni* appellat, ita & *Knytl. Hist.* p. 200. qvæ aliam ejus rationem reddit: Propter severitatis ejus memoriam diu animis inhæsuram, *Eirikr Eymuni* ɔ: *perpetuo memorandus* dictus est. *Ey* enim Islandis æternum, perpetuum, significat, *muna* recordari, unde *minni* memoria, Vid. *Torfæi* H. N. P. III. p. 490. Optime hujus cognominis & causam & significatum *Helmoldus*, scriptor coævus, edit. Bangert. p. 124. nobis sic tradit: Et factus est ERICUS *ea victoria insignis*, & creatum est ei novum nomen, ut ERICUS EMUN, hoc est, *Memorabilis* appellaretur; antea enim propter continuam fugam *Ericus Hasenvoth*, Dan. *Erik Harefod* ɔ: Pes Leporis, appellatus erat, ibid. p. 123. Idem ex Helmoldo repetit *Alb. Stadens.* fol. 159. Plura de hoc cognomine Vid. in *Grammii* Not. ad Meurs. p. 265. & *Suhmii* Forbedringer p. 182. Paulo infra hic Rex a *Svenone* nominatur *crudelis Ericus*.

(x) Decantata illa in Annalibus nostris, villa Jutiæ & parœcia ruralis, sita in territorio Tyrildensi Præfecturæ Koldingensis, tam propter Monumenta GORMONIS & THYRÆ sepulcralia, qvam propter antiqvam Sedem Regiam, aliaqve memorabilia in *resqvis Jellingensibus* gesta, olim *Jaling*, *Jalungi*, dicta, hodie *Jelling*. Vid. *Atlas Dan.* T. V. p. 987. Heic vero a nostro discedit *Saxo* p. 248. pro *Jaling* substituens *Sogerborg*, qvem locum *Anonymus Roskildensis*, infra inserendus, *Scipyng* nominat, de qvo ibi vide, qvæ annotavi.

(y) ɔ: *Spiculatores*, *Satellites*, Ministri aulici, qvi simul qvondam officio lictorum sive carnificum fungebantur. Qvanti olim hoc officium habebatur, docet memorabilis ille *Florentii Wigorniensis* locus ad An. 1040. *Hardecanutus* Rex Alfricum Eboracensem Archiepiscopum, Godwinum Comitem, Stir Majorem Domus, Edricum Dispensatorem, *Tirend suum Carnificem*, & alios *magnæ dignitatis viros*, Lundoniam misit, & ipsius HARALDI corpus effodere & in Gdonnam projicere jussit.

(z) Filium scil. *Haraldi Kesie*, *Biornonem Jernside* sive *Ferrei lateris*, de qvo bis supra.

(a) De filiis *Haraldi Kesie* nemo nos evidentius instruit, qvam *Anonymus Auctor* Chronici veteris An. 826-1157. & Scriptor coævus, editus ap. Westphal. T. I. p. 141. sqq. sed ex puriori fonte in hoc opere proditurus. Ille *turbam qvindecim filiorum* Haraldo tribuit, qvorum tres in prima infantia occubuisse putantur, reliqvi duodecim nominetenus recensentur, videlicet 1. *Biorno* [Jernside] & 2. *Ericus* Diaconus, in portu Slesvicensi submersi, 3. *Magnus* in prælio Fotvicensi cum Magno cæsus, 4. *Synvardus*, 5. *Ericus* alter, 6. *Sveno*, 7. *Nicolaus*, 8. *Haroldus*, 9. *Benedictus*, 10. *Mistiwit*, 11. *Knut*, hi octo omnes in insula Sejerö occisi & in unam foveam projecti, 12. *Olavus* vestibus Fratrum Mendicorum evadens in Sveciam salvus pervenit. Horum qvatuor ex legitima conjuge *Ragnhilde* filia Regis Norvegiæ *Magni Nudipedis* nati sunt, scil. *Magnus*, *Olavus*, *Haraldus* & *Canutus*, Knytl. Saga p. 172. Sn. Sturl. T. II. p. 262. reliqvi omnes ex pellicibus, qvas plures habuit, *Saxo* p. 242. Hinc apparet, *Svenonem* in circumstantiis qvidem, non multum in numero erravisse, dum, præter *Biornonem*, dicit, ERICUM *undecim* ejus fratres ferro necari jussisse. *Sveno* etiam supra ad calcem Capitis VI. *Biornonis undecimqve* fratrum ipsius meminit.

(b) *Urnense Placitum*, nobis *Urne-Ting*, *Urneboveds Landsting*, celebre qvondam fuit Jutiæ Australis sive ducatus Slesvicensis Dicasterium & generale forum. Ibi Comitia ejus provinciæ, ibi conventus publici, ibi actus homagiales Regum celebrati sunt. *Saxo* p. 248. & 273. *Urnicæ concionis* mentionem facit. *Hvitfeldio* etiam p. 139. 341. 330. *Urneting* & *Urne-Landsting* memorantur. Locus *Urneboved* haud procul ab urbe

Aabenraa

dam, cognomento *Niger*, militari corona ſtipatum, lancea transverberavit. Interempto itaqve Rege, mox alius imperium ſumit ERICUS, qvem ob ſvaviſſimos mores *Agnum* (c) cognominabant. Cujus temporibus uberrima cunctarum rerum extitit abundantia. Poſt illum KANUTUS, *Magni* filius, qvem in *Scania* memini ſupra occubuiſſe, in *Wigbergenſi placito* creatur in Regem, SVENONE a *Scanienſibus* electo, qvi filius ſupra memorati *crudelis* extitit ERICI (d). Qvi dum ſæpe-numero inter ſe decertarent, WALDEMARUS, ſacro cruore oriundus, *Ringſtadenſis Kanuti* filius, patris tunc potitus Feödo (e), qvaſi medius, illis alternum impendebat ſubſidium. Poſt multum vero temporis, habito concilio in *Lalandia* (f), decreverunt arbitri æqva portione regnum in tria partiri, pactumqve fœderis firmitate ſacramenti roborare. Nec diu pacti hujus duravit firmitudo, prout rei exitus probavit. Nam tempore autumnali, concilio in *Roſchildenſi civitate* celebrato, tres præfati ſacrum feſtum ſolenniter peragentes una conveniunt, primo apud SVENONEM regem epulantes. Qvi dolum commentatus, pacis fideiqve integritate violata, tempore ſerotino, poſt veſperas celebratas, inſtructis catholicianis, KANUTO & WALDEMARO mortem machinatur. Extinctis vero luminaribus, KANUTUM martyrio coronantes interemerunt. WALDEMARUM autem, dum ſtricto mucrone transfodere molirentur, in coxa haud modico vulnere percepto, divina elapſum conſervavit gratia. Ut vero a vulneris dolore aliqvantisper convaluit, in *Jutlandiam* profectus exercitum conſcripſit.

Cap. VIII.

De Waldemaro I.

SVENO autem prædictus, Rex Scanienſis, WALDEMARO Regi *Jutiæ* occurrens, ſecus *Gratham* (g), prælium cum eo commiſit. Nec diu anceps extitit victoria,

Asbenraa diſtabat, prope notisſimum viatoribus Tolſtedium, ſitus nempe in paroecia Jordkier in territorio Riisherred Præfecturæ Apenradenſis. Apud *Weſtphal.* T. IV. in Præf. p. 216. male dicitur villa *Urnhovita* prope Wiburgum Cimbriæ meridionalis inclaruiſſe. Num vero *Urnenſe Placitum* locus necis Regis fuerit, dubito, potius iis aſſenſum præbens, qvi ERICUM in *Placito territorii Hvidingenſis*, Hvidingherreds Ting, interfectum perhibent, ut *Hvitfeldius* p. 102. 258. ex vetuſtioribus Annalibus docet. Ex *Saxone* p. 250. nihil aliud, qvam aut *Ripis* aut prope eam urbem id factum eſſe, elici poteſt. Præterea *Chronicon illud coævum*, præcedenti nota citatum, expreſſis verbis dicit: *veniens ad qvoddam Placitum juxta Ripam, ſurrexit qvidam nomine Plog* &c. Jam *Placitum territorii Hvidingenſis* Ripis proximum erat, in cujus etiam circuitu ipſa civitas ſita. Demum ex ſepultura ERICI Ripis peracta qvodammodo etiam argumentari licet, eum aut ibi aut in proxima vicinia occiſum fuiſſe. Qvod qvidem exemplis CHRISTOFORI I. & ERICI GLIPPINGII illuſtrari poteſt.

(c) Noſtratibus dictus ERIK LAMB, qvo nomine in plerisqve Annalium noſtrorum venit. Apud *Saxonem* p. 250. ei etiam *Agni* cognomen obvenit. *Helmoldo* p. 153. Ericus cognomento *Spac.* In qvibusdam Annalibus *Spaka.* Danicum *Spag* eſt *manſvetus*. In *Hiſt. Knytl.* p. 208. utrumqve cognomen *Lamb* & *hin Spaki* tribuitur ERICO, qvi & ibi *pacificus*, Fridſamr, dicitur. *Saxo*, ei ex *patientia*, *Sveno*, ob *ſvaviſſimos mores*, hoc cognomen obtigiſſe dicunt. *Chron. vet.* ſupra laudatum ERICUM *ſimplicem* & inconſtantem dicit. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 270.

(d) ERICI ſcilicet *Emun*, de qvo ſupra.

(e) *Feudum Slesvicenſe* intelligit ſive *Ducatum Jutiæ Auſtralis*, a Rege SVENONE enim *paternæ præfecturæ* dignitate donatus eſt, *Saxo* p. 256.

(f) De *congreſſu* hoc *Lalandico* legatur *Saxo* p. 274.

(g) Locus in Jutia, poſtea *Graa* dictus, ibi in erica dicta *Grathehede* & adiacentibus *paluſtribus*, Saxo p. 279. dictis *Grathemoſe*, SVENO a WALDEMARO victus, & ſepultus in *Capella Grathæ*, ut dicit *Chron. Erici*

ad

ria, cum SVENO victus manu ruſtica perimitur. Sicqve Rex WALDEMARUS, glorioſus victor, ſolus regnum obtinuit, qvi poſtmodum qvinqve luſtris & duobus annis Danicum gubernabat imperium. Hic tanta virtutis gratia totius regni ſui terminos pacificavit, ut *Sclavorum* feritatem, qvi prius, inteſtina illa ſeditione flagrante, univerſos fines maritimos, nec non & inſulas, depopulati fuerant, tuta undiqve navigatione reddita, ſuæ ditioni, ſibi cos conſtituens tributarios, ſubjecerit.

Cap. IX.

De tribus Waldemari inſigniis.

Hic licet multa memoria digna patraverit, trino tamen tanqvam ſyderum fulgore ejus ſplendeſcit memoria. Nam primo qvidem indomitos *Ryenſes* ſacri baptismatis unda renaſci potenter compulit. Deinde primus in *Sproma* (h) inſula de coctis lateribus turrim conſtruxit. Ad ultimum in vallo *Danevercbk* (i) murum erexit lateritium: qvem tamen morte prævertus imperfectum reliqvit. De coetero vir fuit WALDEMARUS vitæ per omnia probatæ, facie venuſta, facetus, ſagax, in conſiliis perſpicacisſimus, ſtrenuus & egregius miles, omni urbanitate refertus, victorioſus, gratioſus, ſuccesſibus ſemper abundans, in ſuos tantum plus juſto crudelior. Hic SOPHIAM Reginam, KANUTI Regis Roſchildenſis germanam, matrimonio ſibi copulavit. Cujus eximiæ pulchritudinis formam omni venuſtatis artificio natura elaboravit. Nam in ejus deſcriptione *Tullii* deficeret facundia, *Naſonis* exareſceret vena, *Virgilii* defudaret ingenium. Proinde ad eam deprædicandam mendicata non capeſſo ſuffragia, præſertim qvum ſæpius oculata fide perſpexerim, in qvibus naturæ concinnam fabricam ſatis admirari non potui. Porro illuſtris Regis WALDEMARI famam adeo divina ampliavit gratia, ut circumjacentes reges & principes ei qvaſi debita certatim impenderent obſeqvia. Qvi qvum naturæ debitum perſolviſſet, filius ejus KANUTUS, jure ſuccedens hæreditario, patrium imperium ſumit.

ad An. 1157. Cujus corpus, dicit *vet. Chron. coævum*, in *Eccleſia villulæ* terræ commendatum eſt. *Knytl. Saga* p. 232. locum *Gradarbeidr* nominat, hæc addens: *Is campus non procul Viberga meridiem verſus diſtat.* Ex hoc loco a poſteris SVENO nuncupatus eſt *Grathe* ſive *Gradhe*, ſ. *Gradhenſis*, Hvitfeld p. 100. plebi Juticæ *Sven Graa.* Ex loco etiam *Bellum Grathicum* appellatum eſt, *Saxo* p. 348. 354. Scriptores Islandi eum nominant *Svein Svidandi*, qvo cognomine, inqvit *Torfæus* T. III. p. 549. ſeſe per contumeliam appellarunt, denotat enim eum, *qui lento igne torret*, qvod durus & immitis opes eorum expilaret. In *Knytl. Saga* p. 212. dicuntur Dani SVENONI impoſuiſſe cognomen *Svidandi*, i: *Moleſtus*, ad crudelem & impotentem dominatum deſignandum. In *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 291. *Svidandi* per *urentem* explicatur.

(h) Inſula Maris Balthici, parva qvidem, ſed navigantibus inter Sialandiam & Fioniam notiſſima, qvæ ſæpiſſime victoribus, etiam Regibus, hoſpitium haud adeo opportunum propter gleciem & Neptuni inclementiam præbuit. Danis dicitur *Sproe*, *Sprove* & *Sprogoe*. De detentione R. FRIDERICI II. in hac inſula, leg. *Eraſ. Lasi* Res Dan. p. 387. ſq. Etiam CHRISTIANUS IV. in Calend. ſuo Anni 1620. ad d. 19. 20. Januar. annotavit, ſe in inſula *Spree* propter gleciem pernoctaſſe. *Sveno* eſt primus, qvi nos docuit, WALDEMARUM I. in inſula *Sprowe* turrim exſtruxiſſe. Huc, ni fallor, reſpicit *Saxo* p. 315. Eodem anno, inqvit, deturbandæ piraticæ gratia, *Abſalon inſulam maritimam novo Caſtelli fundamento complexus*, exigui munimenti beneficio ingens patriæ præſidium attulit. Hujus turris, ſunt verba *Stephanii* in Not. ad Sven. p. 137, ingentia hodieqve in eadem inſula viſuntur rudera. At hæc etiam potuere eſſe rudera illius munimenti, qvod in inſula *Sproe* An. 1289. poſuerunt exules Dani, *Hvitfeld* p. 301. *Frid. Lindenb.* ap. Staphorſt T. I. p. 364. *Sprogam* ſalutat *Speluncam latronum*, qva auctoritate, neſcio.

(i) De celebratiſſimo hoc *Danorum opere*, a Thyra Regina olim exſtructo ſive potius amplificato & munitiore facto, vid. ſupra Cap. III. Novam hanc per WALDEMARUM I. ex muro lateritio ſolidiorem ſuperinjectam eſſe ſtructuram, confirmat *Saxo* p. 183. Ita etiam *Chronicon Erici:* Munitionem *Danwirki* muro circumcinxit, ante enim lignis tantum munitus erat locus ille.

Cap. X.

De Kanuto Waldemari filio.

Erat autem KANUTUS vir religioſus, caſtus, procerus, formoſus, miles eximius, a patria virtute non degenerans. Qvi tanta ſtrenuitate *Sclavorum* compeſcuit ſævitiam, ut, univerſis *Sclavorum Pomeranorumqve* finibus claſſe devaſtatis, Ducem eorum *Bugezlavum* ad tributum & hominium (k) ſibi exhibendum compelleret. Qvod qvidem in Regis navi, qvæ roſtris deauratis coruſcabat, non procul ab urbe (l), qvam ſupra HARALDUM profugum fundaſſe memini, factum fuiſſe conſpexi. Cujus rei interſignium recolere operæ duxi pretium. Nam tempore, qvo fœdus pepigerant, tantus nubium fragor (m) intonuit, ut elementa confundi exiſtimarentur. Qvod qvidem ab antiqvo prævaricatore pacisqve æmulo, divina permiſſione, factum putavimus. Qvippe præfatæ tempeſtatis turbinisqve violentia Præſulem Caminenſem, præfatumqve *Bogezlavum*, cum Regis fratre WALDEMARO, elegantiſſimæ indolis juvene, in lembis exiſtentes, ferme peſſundatos ſubmerſit. Qvo peracto, cum ingenti exultatione remeavimus. Cujus negotii finem cunctorum gubernator in pace ſua diſponat.

Expliciunt geſta Danorum.

(k) In hoc actu homagii deſcribendo tres primos Hiſtoricos noſtros, *Svenonem*, *Saxonem*, & *Knytl. Hiſt. Auctorem*, finem Hiſtoriæ ſuæ impoſuiſſe, notabile eſt.

(l) Scil. *Hynnisburg* ſive *Jomsburgum*, de qvo ſupra ad Cap. IV. Not. (h).

(m) Ingentis hujus tonitru coeliqve fragoris, qvo Slavici regni interitum portendi a conjecturarum ſagacibus exiſtimatum eſt, etiam *Saxo* meminit p. 384.

XII.

Catalogus Regum Daniæ brevior.

Qvi poſthac ſæpius honorifice nominandus venit, *Petrus Olai*, Frater Ordinis Minorum Roſkildiæ, brevem hunc Catalogum ſuo Collectaneorum libro, inter plurima alia, inſcripſit. Eundem partim ex Saxone partim ex aliis vetuſtis monumentis confectum eſſe fatetur. Num vero ipſe eum conſcripſerit, an ita ab alio conſcriptum invenerit, incertum eſt. Perinde eqvidem eſſe poteſt, qvum haud multum nuda hæc nomina ad illuſtrandum hiſtoriam & farciendum Catalogos Regum noſtrorum faciunt. Nec tamen, propter collationem cum aliis, hunc omittendum duxi. Poterit enim qvis in eo reperire, qvod forte laudaverit.

Nomina Regum Daniæ, ſecundum *Saxonem* & *alios*.

DAN, filius *Humbli* Judicis.
HUMBLUS, filius *Dan*.
LOTHARUS, frater ejus.
SKIOLDUS, filius *Lothari*.
GRAMUS, filius ejus.
SUIBDAGERUS.
GUTHORMUS.

HADIN-

HADINGUS, filius *Grami.*
FROTHO, filius ejus.
HALDANUS, filius ejus.
ROE, filius ejus.
HELGO, frater ejus.
ROLUO, filius ejus.
HIARTUARUS, gener ejus.
HOTHERUS.
OTHINUS.
BALDERUS.
RORICUS, filius *Hotheri.*
HORUENDILLUS.
FENGO.
AMBLETUS.
VIGLETUS.
VERMUNDUS, filius ejus.
VFFO, filius ejus.
OLAVUS, filius ejus.
HUGLETUS.
FROTHO.
DAN, filius ejus.
FRIDLEVUS.
FROTHO, filius ejus.
HIARNUS.
FRIDLEVUS, filius *Frothonis.*
FROTHO, filius ejus.
INGELLUS, filius ejus.
OLAVUS, filius ejus.
FROTHO, filius ejus.
HARALDUS, frater ejus.
HALDANVS, filius ejus.
UNGVINUS.
SIVALDUS, filius ejus.
SIGARUS, filius ejus.
SIVALDUS, filius ejus.

Post hunc regnaverunt. *Judices.*

HALDANUS, filius *Borcardi.*
HARALDUS HYLDETAN, filius ejus.
RINGO.
HETHA.
OLO, fororius *Haraldi.*
OMUNDUS, filius ejus.
SYVARDUS, filius ejus.
BUTHLUS.
JARMERICUS, filius ejus.
BRODERUS, frater ejus.
SIVALDUS.

SNIO, filius ejus.
BYORNO.
HARALDUS, filius ejus.
GORMO, filius ejus.

XIII.

Series Regum Daniæ ab Haraldo Klag ad Waldemarum II.

Hanc Regum Seriem ex Codice Collectaneorum autographo *Petri Olai* Minoritæ exscripsi. Ille vero eidem ex *Libro* qvodam *antiqvissimo*, ut ipse profitetur, inter sua excerpta locum dedit. Auctorem ex *Scania* forte oriundum fuisse, inde conjicere licet, qvod OLAVUM, Haraldi Kesiæ filium, qvem *Scani* contra ERICUM LAM Regem elegerant, inter Reges Danorum numerat, ab aliis vero scriptoribus excluſum. Auctor vixisse videtur sub Rege *Waldemaro II.* qvocum Seriei suæ finem imponit. Qvædam ex iis, qvæ in principio annotavit, ab *Adamo Bremensi* mutuatus est.

Item *alius Liber antiqvissimus* sic habet.

HARALDUS KLAG, qvi & *Herioldus* dictus est. Hunc expulerunt filii GOTRIC, qvi & *Godefrid* dictus est. Qvi fugiens venit ad LUDOVICUM Imperatorem, filium KAROLI MAGNI, a qvo christianam fidem suscepit, reversus est in *Datiam*, comite sancto *Ansgario* episcopo.

ERICUS filius ejus christianus. Hujus tempore fertur, *Danos* transisse per *Ligerim* fluvium, *Turonis* succendisse, per Secanam *Parisios* obsedisse, Imperatorem timore pulsum eis terram ad habitandum dedisse. Tunc *Saxonia* vastata est a Danis, *Brun* Dux occisus est, cum aliis X. Comitibus, duo Episcopi truncati sunt. Tunc *Fresia* depopulata est, *Trajectum* civitas excisa. *Coloniam* & *Treveros* incenderunt. *Aqvisgrani* eqvis suis stabulum fecerunt, qvod per annos LXXX. permansit, usqve ad tempora OTTONIS MAGNI, tunc destructum est. *Maguntia* ob metum eorum instaurari cepit. Persecutionis erant precipui tiranni, *Eric* & *Orvic*, *Godefrit*, *Rodulff* & *Ingvar*. Crudelissimus tamen omnium fuit *Ingvar* filius LOTBROCHI. In Angliam cum misissent vnum ex sociis suis *Haldan*, & illo ab Anglis occiso, Dani constituerunt in loco ejus *Gundredum*. Eo tempore *Fresia* & *Anglia* sub ditione *Danorum* permanserunt.

ERIC UNGI, filius ERIC, christianus. Hic conversus ad fidem, primus apud *Sliasvig* cum sancto *Anschario* ecclesias constituit.

SYVARD filius REGNER LOTHBROKI.
LOTA KNUT filius ERIC & filie SYVARD.
SVEN LANGFOT filius KNUT.
FROTHI victor Anglie, filius SVEN.
GORM ENGELSKE.
HARALD filius GORM.

GORM

GORM filius HARALD. Abhinc Christiani Reges fuerunt.

HARALD BLATAN filius GORM. Ad hunc HARALDUM veniens *Unni* archiepiscopus Bremensis, & accepta ab eo licentia, fidem publice predicavit, & ecclesias constituit. Iste HARALDUS postea a MAGNO OTTONE devictus, regnum ab eo suscepit, & baptizatus est una cum uxore sua & parvulo filio suo, qvi cognominatus est SVEN OTTO, eo qvod ipse OTTO Imperator cum de sacro fonte levaverit. Iste HARALDUS tam populo *Saxonum* qvam *Fresis* & *Transalpinis* (a) & *Danis* leges & jura constituit, qve adhuc pro auctoritate *Dani* servare contendunt. Hic a filio suo, senio grandevus, regno pulsus, vulneratus ex acie in Sclaviam fugiens venit, ubi & mortuus est. Corpus ejus a suis in patriam reportatum in civitate *Roskild* tumulatur.

SVEN TYWSKEG filius HARALDI.

KANUTUS SENEX filius SVEN. Hic contra sanctum OLAFF regem Norvegie continuum bellum habuit, & victor existens obtinuit *Normegiam*. Post hec cum mille armatis navibus transfretavit in *Angliam*, triennio obsessa insula, ADELRAD rex Anglorum obsessus obiit, relinqvens filium EDWARDUM, qvem suscepit ab IMMA regina, qve soror fuerat *Richardi* Comites Normannorum. CANUTUS victor existens, ipsam IMMAM duxit uxorem, genuitqve ex ea filium *Hartheknut*. *Sven* & *Haroldus* a concubina geniti fuerant. Post mortem ejus succedunt in regnum ejus, HAROLDUS in Angliam, SVEN in Normanniam, HARTHECNUT in Daniam.

KANUTUS DURUS. Hic erat regis KANUTI SENIS & IMME regine filius. Hic contra HAROLDUM fratrem suum regem Anglie a Dacia veniens in Flandria. Sed HAROLDUS morte preventus bellum diremit. HARTHECNUT Daniam possedit & Angliam. Interea SVEN obiit in Norvegia, frater HARTHECNUT. Tunc Normanni elegerunt MAGNUM filium Sancti OLAFF a concubina.

MAGNUS BONUS filius Sancti OLAFF de Norvegia classem adunavit, qvi Daniam invadens optinuit duo regna, HARTHECNUT cum exercitu morante in Anglia. Qvi mox adversus MAGNUM pugnaturus, consangvineum suum SVEN prefecit classi. SVEN victus a MAGNO, cum in Angliam rediret, HARTHECNUT mortuum reperit. Sed electus ab Anglis EDWARD, frater HARTHECNUT ex Imma regina, pacem cum SVEN faciens, constituit eum se mortuo regem & heredem. Sic SVEN in Daniam reversus est. MAGNUS rex Sclavos, fines suos invadentes ad ulciscendum *Radeburg* (b) principem eorum, qvi a Danis occisus erat, in campestribus *Heydeba* XV. milia paganorum occidit. Pax reddita est christianis. Nota, qvod ubiqve in suprascriptis ita scribitur hoc nomen SVEIN.

SVENO MAGNUS, nepos KANUTI SENIS. Hic erat filius VLFF Ducis & *Margarete*, qve erat soror KANUTI regis. Hic cum MAGNO multa prelia gessit. Tandem victus SVENO fugiens, venit ad JACOBUM regem Sveonum, cujus fultus auxilio regnum repetens patrum suorum, MAGNUM a Dania expulit. Qvi denuo bellum instaurans, in navibus obiit. SVENO victor existens, Angliam cum exercitu adiit. Sed EDVARDUS vir sanctus & justus, pacem eligens qvam bellum, Regi Danorum tributum obtulit, & ipsum post se regni heredem fecit. Sic SVENO victor existens, tria regna obtinuit, *Danicum*, *Normannicum* & *Anglicum*.

(a) Legendum *Transalbinis*.
(b) Legendum *Ratibor*.

HARALDUS filius SVENONIS.

KANUTUS Sanctus, alius filius ejus. Hic fugiens a Jutia in Fiuniam, occisus est in *Othense* in ecclesia Sancti Albani martyris.

OLAVUS, tertius filius ejus. Hujus tempore fames vehemens fuit in Datia. Hic subitanea morte defunctus est.

HERICUS CYPRIUS, qvartus filius.

NICOLAUS, qvintus filius.

ERIC EMUN.

ERIC LAMB. Hic cum magna prudentia gubernabat Datiam, deinde, firmissima pace facta in patria sua, monasterium adiit, & accepta tonsura & habitu, monachum professus, & feliciter hujus mundi miseriis valefecit, deinde bono fine qvievit in domino.

OLAVUS.

SVENO filius ERICI EMUN bellavit contra VALDEMARUM, & infeliciter occubuit, justo dei judicio dignam insidiarum suarum consecutus finem.

KANUTUS filius *Magni.*

VALDEMARUS Sclaviam vicit & ad christianitatem coegit.

KANUTUS Nordalbingiam vicit &c.

VALDEMARUS frater KANUTI &c. Hec omnia ex illo *libro antiqvissimo.*

XIV.

Petri Olai Minoritæ Roskildensis Chronica Regum Danorum, a Dano ad obitum Johannis Regis.

Citantur sæpius illustr. *Grammio* aliisqve Historicis nostris *Petri Olai Collectanea*, *Paralipomena*, *Chronica*, *Adversaria*, sive *Excerpta Historica*, ut monumenta inedita, & plerisqve hactenus minus cognita. Ea omnia uno eodemqve Codice chartaceo, sive hujus Auctoris *Libro Collectaneorum autographo*, continentur, qvi adhuc in *Donatione Magnæana* Bibl. Acad. Hafn. No. 107. in 8vo supersest, scriptus, partim ante, partim sub tempora Reformationis & ante medium Seculi XVI. Ex hoc unico fonte prodierunt omnia fragmentorum exempla, qvæ sub nomine *Petri Olai* circumferuntur, qvocunqve etiam nomine veniunt. In Catalogo *Biblioth. Rostgard.* inter mss. p. 508. No. 635. occurrunt *Paralipomena Chronicorum Petri Olai Roschildensis* in 4to. Idem ni fallor exemplar transiit in Bibliothecam *Arnæ Magnæi*, & inter ejus mss. No. 849. 4to reperitur, ibid. & proxime seqventi Num. 850. *Chronicon Danicum ab An. 1320.* est aliud frustum, ex *Libro Petri Olai* exscriptum, & ad Fridericum II. continuatum. Ex eodem descriptus est Codex iste *Andreæ Welleji*, cui titulum inscripserat: *Paralipomena Historiæ Danicæ Petri Olai*, licet Wellejanum exemplar continuetur longe ulterius ad Christiani III. mortem usqve. Codex Wellejanus, si recte memini, in Bibliotheca Regia asservatur. *Codex* autem *autographus*, adhuc, ut supra monui, inter Mss. b. Arnæ Magnæi superstes, fuit olim in *Bibliotheca Rostgardiana*, & in ejusdem Catal. Mss. No. 653. p. 510. comparet, tali titulo notatus: *Liber Collectaneorum Petri Olai olim familiæ Franciscanæ Monachi Dani, Liber rarissimus in 8vo. Codex chartaceus autographus, ad Historiam Danicam utilissimus, Auctor mortuus est circa 1560.* Codex iste minutis-

minutisſimo & paſsim vix legibili charactere ſcriptus eſt, plurima qvidem manu ipſius *Petri Olai*, aliqva tamen, ut primo intuitu videtur, alia & paulo vetuſtiori manu. Ad frontem libri involucro pergameneo inſcriptum legitur: *Petro Olavo Sancropio Minoritano*, unde, librum ab alio ipſi donatum potius, qvam ab ipſo conſcriptum fuiſſe, conjicerem, niſi viri docti illum dudum Auctorem ejus agnoviſſent. Adhæc doctus qvidam coævus, qvem *Grammius Andream Vellejum*, *Magnæus* vero *Hemmingium* fuiſſe conjicit, ultimæ libri paginæ manu ſua hæc inſcripſit: *Dominus Petrus Olai olim familiæ Franciſcanæ hunc librum ex variis monumentis magno labore collegit, ac mihi moriturus ſui* Μνημόσυνον *reliqvit.* Mortuum vero fuiſſe inter An. 1560. & 1570. Grammius conjicit. Et hæc ſunt omnia, qvæ nobis de hoc Auctore innotuerunt, ſcil. 1) Nomen ejus, 2) locum genitalem, nempe *Sancropium*, paroeciam Sialandiæ Præfecturæ Roſkildenſis, 3) vitæ inſtitutum, qvod Monachus Ordinis Minorum fuerit, & deniqve 4) tempus, qvo vixit & veriſimiliter obiit. Qvod *Roskildiæ* vixerit & ibi profeſſionis Franciſcanæ fuerit, partim exinde colligitur, qvod Fratrum Minorum Roſkildenſium geſta, data occaſione, præcipue notaverit, & partim traditione confirmatum eſt. Ut autem ad uniuscujusqve notitiam perveniat, qvæ *Codice autographo Petri Olai* continentur, hunc eorum conſpectum exhibebo: 1) *Geographica pauca ad regiones ſeptentrionales maxime ſpectantia.* 2) *Adverſaria & Excerpta de origine gentis Danorum, Gothorum &c.* 3) *Chronica Regum Danorum* ad An. 1500. ſcriptum, & additamentis marginalibus integrisqve foliis interſperſis, auctum & illuſtratum. Tria hæc ſub uno numero XIV. comprehenſa hic in lucem prodeunt. 4) *Excerpta ex Annalibus vetuſtioribus*, qvorum plurima cuivis fere paginæ in margine adſcripta. 5) *Incerti Auctoris Chronicon Danicum* ab An. 826. ad 1157. 6) *Excerpta de Normannis* 841-933. 7) *Progenies Svenonis Eſtritii* in Dania & Sveria. 8) *Hiſtoria Martyrizationis S. Kanuti Regis.* 9) *Hiſtoria Svenonis Tiugskæg & ſequentium Regum usqve ad Canutum VI.* 10) *Continuatio Saxonis Grammatici* a Canuto VI. usqve ad An. 1287. 11) *Hiſtoria de origine & propagatione Fratrum Minorum* in Dania & Regionibus Septentrionalibus. 12) *Hiſtoria mirabilium in Eccleſia b. Petri Slesvici* factorum 1252. 13) *Annales Danici* ab An. 1274 ad 1410. 14) *Breve Chronicon primorum Archiepiſcoporum Hamburgenſium & Bremenſium.* 15) *Series Epiſcoporum Roskildenſium.* 16) *Duodecim Excellentiæ Daniæ.* Hæc omnia, licet minutiſsima ſcriptura exarata multisqve in locis lectu difficillima ſint, ipſe manu mea & non ſine diuturno labore deſcripſi, eisqve ſua loca in hoc Opere adſignavi. Sunt inter ea multa plane inſignia & nullibi edita, etiam qvædam levidenſia, alibi obvia, & qvibus carere poſſemus. Religioni autem ſemper duxi aliorum labores truncare, nec mihi in hac parte placet tritum illud *omne nimium nocet;* circumſpecto enim lectori facile erit tranſilire ea, qvæ offendunt; & pauca admodum, ſi comparentur ad reliqva, illa ſunt, qvæ nulli uſui eſſe poſſunt. Sed ad Codicem noſtrum revertar, comprehendit, præter jam recenſita, etiam exotica, qvæ ſeqvuntur, & ad Hiſtoriam noſtram non pertinentia. 1) *Chronologica* qvædam ex veteri Hiſtoria Romanorum, Martyrum, Paparum &c. qvæ alibi meliora habentur. 2) *Series Imperatorum Romanorum* ad Carolum V. 3) *Catalogus Pontificum Romanorum ad Clementem VII.* 4) *De Origine Ordinis Monaſtici.* 5) *Excerpta ex itinerario Johannis de Mandeville.* 6) *Hiſtoria de Inchoatione Ordinis Fratrum Minorum.* 7) *Provinciæ & Cuſtodiæ Fratrum Minorum* extra Daniam. 8) *De Ordinum Monachalium ſingulorum inſtitutione & cauſis* narratio compendioſa. Præterea reperiuntur in Codice noſtro, 1) *Initium Chronici Rhytmici Danici*, 2) Præfatio eidem deſtinata, cujus hæc inſcriptio: Fortalen offuer then ſille Danſke Chronica, ſom her vd aff ſynes att were ferſt vdgangen oc giort paa Rym vdi gamle Kong Chriſterns Tiid, o: Præfatio Chronici minoris Danici, qvod hinc videtur primo publicatum & Rhythmis compoſitum eſſe tempore Regis CHRISTIERNI *Senioris* [o: *Chriſtiani I.*], ſed hæc ad Danicam Collectionem ablegantur. Qvod demum ad *Chronicon Regum Danorum* jam edendum attinet, videtur qvidem alia & aliqvantum vetuſtiori manu qvam *Petri Olai* ſcriptum, ſed adhibita diligentiori Codicis inſpectione, poſſunt omnia ab ipſius manu eſſe, ſed diverſis temporibus exarata, aliqva ſcilicet circa Seculi XVI. initium, reliqva ſucceſsive adſcripta

ſcripta usqve ad primordia regiminis *Chriſtiani III.* In Codice enim nihil recentius Anno 1541. Qvæ vero in aliis exemplaribus continuata ſunt usqve ad Fridericum II. ab alio forte auctore ſunt addita. Majorem partem hujus Chronici ab aliis collectam ingenue fatetur Auctor noſter, *Saxonem* etiam, *Crantzium*, aliosqve ſuo tempore primum editos ſcriptores citat, ſed plura etiam inedita Chronica & libros antiqvos teſtatur, qvorum forte qvidam jam dudum deperditi ſunt. *Saxonis* Seriem Regum relinqvit, ordinem & numerum *vetuſtioris cujusdam Chronici* ſervans, additis undecunqve ſupplementis. Huic Chronico præmiſi *Geographica* illa & *Excerpta de Origine gentium*, qvæ ſupra, recenſendo Codicem, ſub No. 1. & 2. nominavi, ea vero ad guſtum magis veterum qvam noſtrum eſſe confiteor, attamen eisdem omnem uſum minime abjudico.

Brevis & ſubtilis deſcriptio *Danici germinis.*

Homines ſeqventes, videlicet *Dani* vel *Goti*; *Daci* vel *Gete*, *Cythi* inferiores, *Cytharum* omnium origo.

Primeva origine, natura, lingva & patria unus naturaliter probantur & idem populus, una ſimul & eadem gens *Danica*, *Gotica*, *Cythica* ſeu *Getica*, ſic varie veterum auctoritate nominata. Ex Japhettica ſtirpe antiqvitus poſt diluvium per ejus filium Magog naturaliter propagata. Et hoc in ſuperiori ſeu orientali plaga Cythie inferioris juxta Meotides paludes, ubi & principium Europe. Illic ſiqvidem illa preclara vetuſtaqve *Danici* germinis primordia ex ſanctis patribus veteris teſtamenti, videlicet *Noe*, *Japhet*, per ejus filium *Magog*, ſub *Gotici* nominis vocabulo, divina ſpecialiter ordinante providentia, in hujus mundi lucem felici auſpicio initialiter prodierunt.

Vocabulorum Danicalium varietas & proprietas.

Ex *antiqva Chronica Su. Po.*

Dani ſunt *Gothi*, *Gothi Daniqve* vocati,
Hos armis genuit hec *Cythica Dania* ſevos,
Traditio veterum ſimul & *Cythas* vocat illos,
His certe nominibus *gens Danica* manifeſtatur.

Tres nobiles Excellentie a divina pietate
Danis antiqvitus tantummodo, non ceteris gentibus, conceſſe:
Naturalis Originis ſanctitas & claritas,
Seminalis propagationis immenſa poſteritas,
Mundialis Imperii ſingularis ſublimitas.

Seqvuntur metra de proprietatibus diverſorum regnorum & civitatum.

Swevia promiſſa percepta munera frangit,
Vitat turpe loqvi, qvia nobilis atqve ſuperba.
Circa *Spiream Renus* vinoſus habundat,
Sed prope *Trajectum* caret omnibus excipe piſces.
Flandria ſe nimium commendans garrula dives.
Gaudet honeſtate *Brabancia* milite forti.
In lacticiniis *Holandia* pauper abundat.
Audax incipiens eſt *Friſia* vaſta rebellis.
Prodiga laſciva *Bawvaria* letaqve fallax,
Et hec ſubtilis inconſtans & ſocialis.
Auſtria larga datrix clamoſa citoqve movetur.

Dicipitur

Dicipitur leniter devota *Normania* multum.
Insulsus niger est timidus bibulusqve *Boemus.*
Missnia bonos mores habet hospitat estqve fecunda.
Sunt fures terni saccus viniqve *Tyringi.*
Slavia plena cibis, vacuus qvoqve, si petis, ibis.
Confidunt in thesauris fragiles *Lybecenses*,
Et pietate carent, est neqvior is tamen *Hamburg.*
Holsaticus vix catholicus nullius amicus,
Cum ter dicit ave, sicut ab hoste cave.
Dacia docta dare de *dando* dicitur, unde
Ex re nomen habet, sua munera fundit habunde.
Anglicus in tergo caudam gerit, est pecus ergo.
Uplandenses sunt velut enses semper acuti,
Prelia poscunt & male noscunt ensibus uti.
Montibus & saxis satis est *Norwegia* dives,
Illuc invenies nocte dieqve nives.
Stultitiam vitat *Saxonia* fida pudica,
Non indiscrete tribuit sua, prodiga non est.
Abscondit *Westphalia* res, discreta qvietat,
Sed satis ipsa tenax, ibi regnat femina pulchra.
Hascia de predis gaudet mendax qvoqve dura.
Multum *Franconia* subtilis habet bona vina.
Diversi generis homines *Polonia* nutrit.
Sed scio, qvod versus talis completur in ipsis,
Stirpe saporatur pomum, qvocunqve rotatur.
Excolit invidiam *gens Dacha*, sed *Anglia* fraudem,
Multum *Friso* furit, *Saxo* super omne superbit.

Seqvuntur Regna & regiones, qvas olim sibi *Danica gens* (a) suo imperio potenter subjugavit, primo incipiendo ab insulis oceani in Europa.

Ibernia octo vicibus tributum soluit.
Scotia octo vicibus.
Anglia, qvæ nunc major *Britania* dicitur, decem vicibus *Danorum* regibus subjecta, pensionem tributi solvit aliqvando CXX. annis continue.
Hyspania a littore maris oceani usqve *Galiciam* CCLX. annis tempore *Gothorum Danis* serviit.
Burgundia & *Gallia Cisalpina* semel, sed diuturne tributum soluit.
Germania inferior & superior usqve alpes *Danorum* freqventer horrendis vastationibus penitus subjacuit sauciata.
Francia regio Europe fortissima antiqvitus tempore *Normannorum*, nec non sevissimi regis *Attile*, in cujus exercitu erant qvinqvaginta Millia armatorum, a *Danis* ultra XL. annis ferro, rapinis & incendiis destruitur.
Normania ducatus & pars Francie a *Danis* expugnatur & posidetur usqve in hodiernum diem.
Saxonia antiqva emula *Danie* 7. vicibus *Danis* tributum soluit.
Sclavia Germanica 24. vicibus *Danie* subjecta tributi pensionem soluit.

(a) Fastidiose nimis Auctor jactat, sive ipse Petrus Olai fuerit, sive is alium hic exscripserit.

Svecia 19. ad minus vicibus *Danis* tributaria deſerviit.

Norwegia, *Islandia*, *Grönlandia*, *Orcades* inſule, qvaſi continue ab antiqvo, *Danorum* imperio ſubjacuerunt.

Livonia, *Rugia*, *Eſtonia*, *Curlandia* freqventer antiqvitus tributum reddiderunt.

Ruſcia Danorum partibus 8. vicibus tributaria militavit.

Panonia ſic olim nominata, modo *Hungaria* ab *Hunnis*, *Danis*, illam usqve hodie posſidentibus, nominatur.

Italia tota Romanorum, peculiares provincie ultra Alpes, *Lombardia*, *Emilia*, *Liguria*, *Tuſcia*, *Marchia*, *Teruiſia*, *Etruria*, *Marchia Anchonitana*, *Campania*, *Sclavonia*, *Calabria*, *Sicilia*, cum ceteris partibus usqve mare mediterraneum, qvas antiqvitus *Dani* temporibus *Gottorum* & *Longobardorum* annis 400. qvieto jure tenuerunt & poſſederunt, & vix aliqva regio invenitur in tota Europa, qvæ non antiqvitus pro tempore tributaria *Danorum* imperio deſerviit.

Item de *Aſia minori*, qve, ut fertur, IX. regna includit, qve majorem partem Grecie comprehendit. Hanc autem Aſiam minorem famoſe ille bellatrices *Amazones*, *Danie* proles, miliciaqve *Daciana* ultra C. annis ſub ſui juris imperio tenuit vectigalem, in qva 7. urbes pregrandes condiderunt, videlicet *Epheſum*, *Smirnam*, *Sardis* &c. De qvibus beatus Johannes in Apoc. mentionem facit.

In *Oriente* ſeu *Aſia majore*, qvæ comprehendit mediam partem mundi,

Sunt homines ratione primi ſeminis *Dani*, *Danorum Gothorumqve* ſeua poſteritas, numero, armis, viribus, divitiis & potentia mundi prevalentes, Videlicet *Cythæ* ſuperiores, *Maſogethæ*, *Amazones* bellatrices, tenentes maximas regiones non procul ab *India*.

Item omnes pene regiones a *Jheruſalem*, qve eſt in medio mundi, usqve ad *Indiam* ſuperiorem *Holgerus* Dux *Danorum* chriſtianiſſimus prope *Paradiſum Danica* ſtrenuitate devictas ſui chriſtiqve fidei ſubjugavit, ipſamqve *Indiam* cum toto ſuo imperio amplisſimo, Chriſto principaliter agente, jam ultimo ad fidem convertit.

Hic advertendum, qvomodo illa ſublimis *India*, qvæ nunqvam prius nec poſt, preter ſuos proprios principes, alicui regi vel genti tributaria, deſerviit pro illo tempore *Danis*, ſub *Holgero* duce efficitur vegtigalis cum toto ſuo imperio, qvod 72. regna maxima includit, cum alio ſibi annexo imperio, videlicet *Tartarorum*, qvod 12. regnorum latitudine menſuratur. Hec probantur per *Itinerarium Johannis* (b) *de Anglia*, qvi perſonaliter partes illas viſitavit a Jheruſalem usqve Indiam ſuperiorem prope Paradiſum.

Item de *Affrica*, qvæ eſt tertia pars mundi; hanc autem Affricam, qvantum ad omnes ejus partes, *Dani* antiqvitus tempore *Wandalorum* cum magna illa *Cartagine*, qve olim per famoſa illa bella punica contra Romanos voluit eſſe mater mundi, annis octoginta ſub 7. regibus libera poſſeſſione ſub annua tributi penſione tenuerunt & poſſederunt.

Nota, ſecundum *Commentatorem ſuper librum de Spera mundi*, qvod qvantitas orbis circumferentie terre eſt 252000. milium ſtadiorum. Ergo & qvantitas diametri ſui erat 80181. milium ſtadiorum.

Nota, qvod ab ethere usqve ad lunam ſunt CXXVI. ſtadia, qve ſunt XV. DC. XXV. miliaria & ſemis. Inde ad Venerem tantum. Inde ad Solem XXIIII. CCC. XXXVI. miliaria. A Sole usqve ad Martem XV. DC. XXV. miliaria. Inde ad Saturnum tantum.

(b) *Johannem de Mandeville* indigitat.

tum. Inde ad firmamentum XXII. CCCC. XXXVI. miliaria. Triplicatur itaqve a terra usqve ad celum miliaria centum & novem & CCC & LXXV. miliaria.

Pax, Lex, Numisma, Status, & Mores *Danorum*
Demonstrant, qvalis sit *Rex* & rector eorum.

Nota, secundum *Isidorum* aliosqve doctores, qvod orbis divisus est in tribus partibus post diluvium a filiis Noe, sc. in *Asiam*, *Europam* & *Affricam*. Primam possedit Sem cum sua posteritate. Secundum Japhet. Tertiam Cham. Hec tamen divisio non fuit æqvalis. Nam *Asia* a meridie per orientem usqve ad septentrionem pervenit. *Europa* a septemtrione usqve ad occidentem. Et inde *Affrica* usqve ad meridiem attingit. Sicqve medium orbem tenet *Asia*, aliud medium *Europa* & Affrica, qve ideo due facte sunt, qvia inter utramqve ab oceano mare magnum ingreditur, qvod intersecat eas. Itaqve de *Europa* aliqvid dicendum est.

Qve pars orbis vocata est *Europa*, a filia Agenoris regis Libie sic vocata. De qva parte scribit *Orosius* dicens: *Europe* regiones & gentes incipiunt a montibus ripheis meotidisqve paludibus, qve sunt ad orientem, descendentes ad occasum per littus septemtrionalis oceani usqve ad Galliam Belgicam & flumen Renum, qvod est ad oceanum. Deinde ad *Danubium*, qvem Histrum vocant, qvi est a meridie & ad orientem directus, ponto accipitur. Communius tamen tenetur, qvod *Isidorus* dicit, sc. qvod incipit a flumine *Dhanai*, descendens ad occasum per septentrionalem oceanum usqve ad fines Hispaniæ, cujus pars orientalis & meridiana a ponto consurgens tota mari magno conjungitur, & in insulas *Gades*, qvæ sunt circa Hispaniam, finitur. Prima ergo pars seu regio Europæ est *Scythia inferior* seu *Gothia* vel *Dania*, qve incipiens a meotidis paludibus vel a flumine *Dhanai* inter Danubium & oceanum septemtrionalem usqve ad Germaniam porrigit. Et hec terra propter inhabitantium immanitatem, rigiditatem & valetudinem, *Barbaria* & populi *Barbari* nuncupantur. Et sunt gentes in universo LIIII. ut dicit *Orosius*, & continet regna, qve nunc vocantur *Dania*, *Svetia*, *Norragia*, & si qve sunt plures regiones. Et hec pars Europe habet tria nomina generalia. Vocatur enim *Gothia*, & populi *Gothi*, a *Magog* filio Japhet, a qvo primo populata est. Dicitur etiam *Dania* a *Damao* vel *Thamao* vel *Dano* vel *Thano*, secundum qvod habent *diversi libri*, primo Rege, monarcha illius terre, a qvo etiam *Thanais* fluvius nomen accepit. Denominatur insuper *Scythia inferior* a qvodam nomine *Scytha*. Versus (c):

Gothi sunt *Dani*, *Dani Gothiqve* vocati,
Hos armis genuit hec *Scythica Dania* sevos,
Traditio veterum simul & *Scythas* vocat illos,
Nomine sic trino *gens Danica* glorificatur.

Et, ut dicit *Isidorus*, veteres istas nationes magis *Gethas* qvam *Gothos* nominaverunt.

Ex jam dictis patet error aliqvorum Hystoricorum, qvorum unus est *Bartholomeus de proprietatibus rerum*, qvi solummodo *Sveos* dicunt nominari *Gothos*, & etiam eorum, qvi solis jam *Danis* nominatim attribuunt hoc nomen. Qvod provenit partim ex ignorantia historiarum seu gestorum & annalium, partim ex hoc, qvod aliqva pars utrarumqve regionum vocatur *Gothia*, sicut qvedam pars *Scanie* in *Dania* & una pars *Svetie* in illa regione. Sed hic error removetur per jam superius dicta. Nam omnis populus ille *Scythice* inferioris regionis descendit ab uno patre, sc. *Magog* filio

(c) Conf. supra statim ab initio, ubi idem Versus cum aliqva variatione legitur.

filio Japhet, a qvo & *Gothi* dicti ſunt & terra *Gothia.* Qvod pene omnes hiſtoriographi concedunt. Nam conveniunt multum in *moribus*, *habitu* & *idiomate.* Non ergo uſurpet & venditet ſibi qvis in ſpeciali, qvod multis commune eſt. Nec hoc qvempiam in errorem inducat, qvod aliqva pars utrarumqve regionum denominatur *Gothia.* Nam multis annis non habuerunt aliud nomen ille regiones, donec precedente tempore ſortite ſunt plura nomina generalia, ut *Dania* & *Scythia*, ut dictum eſt, & etiam ſpecialia, ut *Norvegia* & *Svetia*, & plura alia. Qvod etiam de multis aliis regionibus patet, qvorum nomina totaliter deſierunt. Priſcum tamen nomen ſc. *Gothia* remanſit penes illas partes terrarum, ubi primo ſe poſuerunt, cum ad illas partes venerunt. Hec jam dicta ſunt ſecundum *Hiſtoricos* magis tritos & in hiſtoriis apprime expertos & eruditos.

Hoc autem regnum, ſc. *Gothorum* vel *Danorum* ſeu *Scytharum*, eſt primum & vetuſtiſſimum regnum mundi. Non tamen computatur inter qvatuor principalia regna mundi, de qvibus *Daniel* prophetavit, qvia *Barbarorum* fuit. Inchoatum eſt autem hoc regnum ſub Ragau abavo Abrae, vel ſecundum alios, ſub Sarugh filio Ragau & proavo Abrae. Potuit autem inchoari ſub utrisqve, qvia pater vixit cum filio CLX. annis & ultra, & ſic incepit hoc regnum ſive hæc monarchia *Gothorum* vel *Danorum* ſeu *Scytharum*, prout hiſtorici qvidam tradunt, anno mundi 3001. vel circa, hoc eſt, anno vite Ragau CCXXVIII. & anno vite Sarugh filii ejus centeſimo qvinqve minus, anno vero poſt diluvium DCCLXII. Ragau enim natus eſt anno mundi 2772. & vixit annis 302. Saruch vero anno mundi 2905, & vixit annis 230. Fuerunt a. iſte gentes multis annis ſine rege, habentes tantummodo judices, donec qvidam nomine DANUS primus rex & monarcha regnavit ſuper eas. Sub Abdon Judice Israelis *Throya* capta eſt, & ceciderunt de Throyanorum DCLXXVI. ex parte Grecorum DCCCLXXVI.

Et nota, qvod anni jam predicti ſunt & accipiuntur ſecundum majorem computationem ſc. LXX. interpretum, qvam ſeqvuntur *Beda*, *Iſidorus*, *Oroſius* & *Vincentius*, & tenetur communiter. Sed ſecundum minorem computationem ſc. *Hebræorum*, qvam *Euſebius* tenet, & cenſetur verior ab aliqvibus. Hoc regnum ſive hec monarchia incepit anno mundi 1849. anno vite Ragau LXXV. Anno vero vite Sarugh 32. anno a diluvio CXCVI. Ragau enim ſecundum iſtam computationem natus eſt anno mundi 1786. Sarugh vero anno mundi 1818. Sed prima computatio tenetur communius, ut dictum eſt.

Duravit autem hec monarchia multis annis, donec, ut putatur, illi, qvi jam *Sveci*, *Norici*, & plures alii, egre ferentes, qvod rex ſemper aſſumeretur ex ea parte regionis, qve nunc vocatur *Dania*, eo qvod primus Rex & monarcha in ea parte natus erat ſc. in *Syalandia*, acceperunt ſibi Regem vel Reges ex ſuis, & dabant terris ſuis nomen ex ipſis, vel ex alio eventu. Illa autem pars, qve nunc vocatur *Dania*, non abjecit, ſed retinuit antiqvum & priſcum nomen, unde adhuc vocatur *Dania.* Vel forte hec monarchia partita fuit in plura regna, ut multitudini regie prolis provideretur. Hec autem monarchia multoties poſtea rediit ad *Danos*, & multis annis apud eos remanſit. Unde etiam temporibus iſtis *Rex Danie* eſt monarcha *Gothorum*, *Scytharum* & *Danorum*, & tenuerat CXXXVI. annis continuis.

Et ſic regnavit primus Rex ejusdem nominis cum primo rege monarcha, ſc. DAN vel DANUS, natione *Syalandicus*, filius *Hwmbli* judicis, primo ſuper *Syalandiam*, *Monam*, *Falſtriam* & *Lalandiam* inſulas, cujus regnum dicebatur *Vithefſæt.* Et incepit regnare anno XX. Gedeonis judicis Iſrael, ſecundum alios tempore

David

David regis, ſed primum verius. Accidit autem, ut princeps Theutonie invadere vellet *Jutos*, qvi contra eum locum, qvi adhuc *Conwerchi* [*Danewircke*] dicitur, foſſatis & aliis munierunt, vocantes in auxilium ſui DAN, ac promittentes ſibi pro victoria ſuper ſe principatum. Qvi lætus juxta prædictum locum *Theutonicis* occurrit, plurimisqve eorum occiſis, reliqvos in fugam convertit. Qvo facto, *Juti* cum Regem ſuum conſtituerunt. Qvi etiam *Friſiam*, *Fyoniam*, *Scaniam*, & alias *Danie inſulas* ſibi ſubjecerunt. Factus eſt Rex ſuper omnes provincias *Danie* XVIII. anno Tholæ Judicis Israel. *Ab iſto* putant aliqvi *Daniam habuiſſe nomen* & incolas *Danos* vocatos, nam poſtea omnium conſenſu regnum Dan *Daniam* & incolas *Danos* appellare conſveverunt. Dicitur etiam, qvod *Julius Ceſar primo appellavit illam regionem Daciam* propter gentis dapſilitatem & hoſpitalitatem. Qvod autem aliqvi dicunt, *Daniam* primo populatam fuiſſe tempore Sarug, omnino caret veritate, & ſcriptis omnium pene hiſtoricorum contradicit. Tunc enim, ut jam dictum eſt, primo habuit regem, qvi usqve ad hec tempora per judices regebatur & diſponebatur.

De dilatatione progenïei *Gothorum* per totum mundum.

Nota, qvod vetuſtum illud *Gothicale*, *Danicale*, & *Scythicale* ſemen per naturalem carnis propagationem & initialiter includit hos ſeqventes homines ſeu populos, *Wandalos*, *Hunos*, *Longobardos*, *Normannos*, *Sarmatas*, *Sambos*, *Getulos*, *Maſſagetas*, *Partos*, *Gepidos*, *Bactrianos*, *Amaſones Danicas bellatrices*. Verſus:

He qvondam *Danicales* duodene cohortes
Imperio mundum ſubſtituere ſuo.

Qvibus tres excellentes mundi principes *Danici* ſeminis ſubnectuntur: *Aurelianus* Imperator Romanorum, *Vdgerus* Dux chriſtianisſimus expugnator Indie, *Johannes* presbiter, ſive *Her Johan Preſt*, Indorum monarcha. Verſus:

Par Alexandro magno Julioqve refertur,
Indos convertit rexqve monarcha
Danica ſceptra tulit hic ad fines orientis.

Omnes hi prelibati primeva origine, natura & lingva nativa ſunt *Gothi*, *Dani*, ſeu *Scythæ*, qvia de illis partibus exierunt. Et ut paucis verbis multa concludam: Maxima pars Europe & Aſie, teſte Iſidoro, eſt ſoboles *Gothorum* & ab eis populata eſt.

Dani originaliter deſcenderunt de *Japhet* tertio filio *Noe*, qvi abſcondidit nuditatem patris, qvare recepit benedictionem patris pro ſe & pro omnibus a ſe deſcendentibus in perpetuum. Iſte *Japhet* genuit *Magog*, cujus filii venerunt huc ad *Daciam*, & dicti ſunt primo *Gothi* a *Gog*, in *Scania* dicti ſunt *Gödinger*, qvia ibi primo ſe receperunt, & poſtea huc diſperſi, tempore Saruch proavi Abrahe, ſed vide de hoc ſupra, circa MDCCCXLIX. annos poſt creationem mundi. Hic ſederunt multis annis ſine rege, habentes judices tantum, qvi regebant eos usqve ad tempus Gedeonis, qvando judicaverat Iſrael XX. annis, vide de hoc ſupra. Electus fuit DAN filius *Humbli* in regem ſuper *Syalandiam*, *Monam*, *Falſtriam*, & ſuper loca, qvæ dicuntur *Videſlet* circa annos bis mille DCCXL. poſt creationem mundi. Accidit autem, ut princeps &c. ut ſupra, conſtitutus eſt rex ſuper omnes provincias, cum Tola judicaverat Iſrael XVIII. circa MDCCLXXXIII. annos poſt creationem mundi, & LIII. anteqvam *Troya* divicta fuit.

Hi ſunt robuſti tirones naturales filii provincie Dacie, qvi antiqvitus ſub variis priſcorum temporum curriculis hanc *Scythicam Daniam* turmatim egreſſi, & per mundum diſperſi, non ſolum multas terras & regiones primo populaverunt, ut ante jam dictum eſt, ſed etiam aſſidua bellorum inſtantia multas regiones ſibi ſubegerunt.

Et primo tres partes mundi principales, videl. *Asiam*, *Europiam* & *Affricam* armis acrioribus subdiderunt, & etiam qvatuor mundi Imperiales monarchias, Videl. *Indorum*, *Affricanorum*, *Grecorum*, & *Romanorum*, armis devictas, preliis edomabant. Insuper qvatuor mundi extremitates sub sui juris imperio incluserunt, illosqve qvieto jure diutissime possederunt. Nam ad orientem possederunt & posident *Indiam* sub *Vdgero* duce christianissimo & etiam successore *Johanne* presbitero Indorum monarcha. Item *Amasoniam*, qvam habent *mulieres Danicæ* bellatrices, qvæ adeo fortes & in armis & conflictibus acres effectæ sunt, qvod magnam partem *Asiæ* fere C. annis dominio suo subjecerunt, etiam majorem partem *Europe*, Item *Parthiam*. Ad austrum tenuerunt & tenent totam *Affricam* usqve ad littora maris australis sub *Genserico*, *Honorio*, aliisqve multis regibus *Vandalorum Danici* seminis, annis 80. Ad occidentem libera possessione *Dani* tenuerunt inclitas regiones multo tempore, & primo totam *Hyspaniam* 276. annis sub 27. regibus. Item *Italiam*, *Franciam*, *Normanniam*, *Germaniam*, *Hyberniam*, *Scotiam* 8. vicibus, *Angliam* XII. vicibus. Ad aqvilonem tenuerunt & tenent adhuc sub *Danicalis* imperii potestate *Norwegiam*, *Islandiam*, *Grönlandiam*, *Orchades* insulas, usqve ad sedem *Beruthi*, ultra qvam fretum septentrionale sub polo arthico perpetua glaciali duritie congelatur. Hec est illa vetusta sevaqve militia *Daciana*, qve qvondam fulgorem *Danicalis* Imperii terra marique per omnes tractus occidentis & orientis usqve *Indiam* superiorem inclusive magnifice dilatavit. Et nunqvam alia gens mundi sic mundum subjecit, sic mundanas monarchias contrivit, sicut hec seva militia *Daciana*. Qve etiam ipsam Romam mundi dominam 4. vicibus cepit, spoliavit, & tandem & hominibus evacuatam incendio tradidit comburendam.

Gens *Gotherum* robustissima & fortissima, mole corporum ingens, armorum genere terribilissima, cujus militaris potentia qvondam totius fere Asie & Europe partem maximam multis temporibus edomuit. Qvos aggredi tempore Alexandri Magni Grecorum audacia extimuit. *Julii* etiam *Cesaris* invicta potentia, superatis Gallicis, Alemannis, Britannis, cum *Gothis*, *Danis*, *Svecis*, *Noricis*, & aqvilonaribus aliis populis, congredi formidavit.

Nulli umqvam hominum *gens Scythica Europea* cesit, imo & Darium regem Persarum fugavit, Cyrum occidit, Siphirionem Alexandri magni ducem delevit, Vesoim Egyptiorum regem cum omni exercitu suo & belli apparatu repulit & fugat, Asiam ter bello subegit, & per annos multos sibi vectigalem fecit. Hec probantur per *Isidorum*, *Orosium*, *Justinum*, *Herodotum*, aliosqve Historicos, item per historias & annales *Danorum*, *Grecorum*, *Romanorum*, *Gallicorum*, ceterarumqve gentium qvam plurium.

Principium regni Danici est *Jutia*. Hec fines Theutonie habet ad austrum, sed ad aqvilonem *mari Norico* terminatur. In hac est *Simus*, qvi *Lymicus* appellatur, ita piscibus abundans, ut nec minus indigenis de alimento, qvam omnes agri, prebeat. Huic *Fresia minor* adjacet. Ad orientem *Jutie* modico distincta passagio est insula dicta *Fionia* (Feonia). Deinde ad orientem ultra, intercurrente *passagio baltico*, est *Syalandia*, ubertate rerum necessariarum apprime predita. Qve provincia seu insula amenitate cunctas nostre regionis provincias antecellit, mediumqve Danie locum tenet. Ulterius ad orientem est *Scania*, qvam a Syalandia separat sinus marinus, omni anno piscibus refertus, adeo ut interdum impacta navigia vix per remiges erui possint, ac pisces retibus & manibus capiantur. Ceterum *Hallandia* & *Blekingia*, qvasi duo rami ex uno trunco, ita sunt & prodeunt de integritate *Scanie*,

pertingentes

pertingentes usqve *Gothiam* & *Norvegiam*, qve provincie ſeptentrionali polo ſubjecte ipſum frigentis Zone paralellum ultima ſui porrectione contingunt, nec ultra eas apte humane habitationi regiones propter frigoris ſevitiam inveniuntur. Ex qvibus *Norvegia* propter ſcopulos & ſaxeos montes naturalem deformitatem ſortita, horridam ſpeciem inſpicientibus repreſentat &c. Nota de *ſole*.

Danicam inſuper regionem aliqvando fuiſſe inhabitatam per gigantes, oſtenditur per ſaxa grandia erecta ſuper ſepulcra antiqvorum, imo translata ſupra cacumina montium. Tanta autem diligentia erat antiqvis relinqvendi facta ſua notabilia notitie poſterorum, ut non ſolum *literis latinis* poſt earum inventionem, verum etiam ante ipſarum notitiam *literis* ſeu *characteribus patriis* aut *vulgaribus* (d), loco codicum, in magnis *lapidibus* ſculperent geſta ſua. *Hæc Saxo.*

Et nota, qvod tales *acervi lapidum ſunt ſepulchra gigantum*, prout communiter, ſed *colles & monticuli ſunt ſepulcra nobilium & notabilium perſonarum.*

Item *Thraci*, *Rivali*, *Vironici*, *Pruſci*, *Semigalli*, *Kareliani*, *Cathelani*, *Aragani*, & multi alii ſunt *Dani.*

Dani, *Sveones* & *Normanni*, & reliqvi *Scythiæ* populi, a Romanis *Yperborei* vocantur, qvos *Martianus* extollit multis laudibus.

Sinus, qvi ab occidentali oceano orientem verſus porrigitur, appellatur ab incolis *balticus*, eo qvod in modum *baltei* longo tractu per *Scythicas* regiones tendatur usqve in Greciam, idemqve *mare barbarum* ſeu *pelagus Scythicum* vocatur a gentilibus, qvas alluit, barbaris. Occidentalis autem Oceanus ille videtur, qvem Romani *Britannicum* ſcribunt, cujus latitudo immenſa terribilis & periculoſa complectitur ab occaſu *Britanniam*, qve nunc *Anglia* dicitur, a meridie *Freſos* tangit, cum ea parte *Saxonum*, qve noſtre dioceſi pertinent Hamburgenſi.

Seqvitur una *Cronica*, ab aliis collecta, qve plures *Reges Danorum* ponit, qvam *Saxo*, cum paucis ſupplementis. Omnes tamen Reges per ordinem ſunt ponendi, ſicut in dicta *Cronica* ponuntur, ubi autem aliqvid ſpeciale ibi additur, hoc in ſuo loco exprimendum eſt.

DAN, primus Rex, filius *Humbli* judicis Danie, regnavit tempore David regis Iſrael. Regnavit usqve ad ſenium, in qvo obiit morte naturali. Uxor ejus GRETHÆ.

Iſte DAN cum ſuo fratre *Angul* erant filii *Humbli* judicis Danorum. Qvi propter ſuam probitatem, ſtrenuitatem, & fortitudinem, totius populi aſſenſu, judicabant & principabantur toti regno. Tandem, elapſis aliqvot annis, ſenior frater DAN pugil ſtrenuiſſimus & magnis operibus preclarus, per electionem totius populi, conſtitutus & intitulatus eſt *Rex* primo ſuper *Syalandiam*, *Monam*, *Falſtriam* & *Lalandiam*, cujus regnum dicebatur *Vitheſæth.* Deinde ſuper alias provincias & inſulas & totum regnum. A qvo regnum dictum eſt *Dania* & incolæ *Dani.* *Angul* vero, auxilio DAN, terram *Anglie* acqviſivit, & rex ibi factus, illi inſule nomen a ſe indidit.

HUMBLUS, filius *Dan*, qvi vanus & iners non ſe exercitabat in armis, propter qvod, conſpiratione facta, per fratrem & nobiles depoſitus eſt de regno, ac poſtmodum ab eo occiſus, ut dicit *alia Chronica.*

LOTHARUS, frater ejus, qvi propter tyrannidem a populo eſt occiſus.

Alibi

(d) Intelligit *Literas Runicas.* Conf. *Saxo* p. 2.

Alibi habetur, qvod *Lothar* fuit frater *Dan*, poſt qvem regnavit BÖGI filius *Dan*, & poſt eum SKIOLD filius *Bögi.*

SKIOLDUS filius *Lotheri.* Hic primo *Teutoniam* (*Saxoniam*) ſubjugavit ac ſibi tributariam fecit, occiſo principe ipſorum Alemanorum. Uxor ejus ALWILDA. Hic dilexit ſubditos ſuos, adjuvabat & confortabat, omnes pauperes ſuſtentabat & miſeros, opem ferebat non potentibus ſolvere debita. Obiit ſenex. Hic SKIOLDUS ſtatum patrie reformavit, homines malam & luxurioſam vitam agentes ad virtutes & continentiam coëgit. Omnium æs alienum ex fiſco ſuo ſolvebat, magnam curam geſſit de infirmis graviterqve affectis ac pauperibus. Tante bone indolis erat, & tam ſolennia & notabilia ejus opera & geſta fuerunt, ut ab ipſo ceteri *Danorum Reges* communi qvodam vocabulo *Skyoldungi* (e) nuncuparentur.

Hic paterna vitia deſeruit, & in veſtigiis avi ſui ivit, induſtrius erat. Exiſtens XV. annorum, corpus ac robur viri ætatis provectæ habuit. In juventute urſum maximum cepit & ligavit, multos ſolennes pugiles interfecit. Patrie ſtatum emendavit, impias leges abrogavit & ſalutares edidit. Multas gentes & regna debellavit, munificus erat, in victoriis proceribus & militibus dedit ſpolia, ſibi reſervans tantum gloriam. Primus edidit legem de manumiſſione mancipiorum. Hic multis annis regnavit.

GRAMUS filius *Skiold.* Hic fecit *Sveciam* tributariam, regnavit diu. Prima uxor ejus GROO, & SEGNES 2da. Hic incesſit in viis & veſtigiis patris ſui. Exercitabat ſe in torneamentis & haſtiludiis, ac pugnis & preliis. Hic interfecit Regem *Gödingæ* ɔ: *Gothorum*, & multos gigantes. Hic occiſus eſt a *Swibdagero* filio ſuo, *i ficth*, ſecundum aliqvos. Hic GRAMUS bellaturus contra *Sictrugum* regem Svetie, cum didiciſſet, ipſum tale donum a deo ſuo habuiſſe, ut minime ferro, ſed tantum auro ledi poſſet, fecit ſibi fieri magnam clavam ligneam, in cujus fine magnum nodum auri nexit, qva ipſum duello aggreſſus proſtravit, *Sveciamqve* ſibi ſubjugavit. Qvi etiam principem *Gothie*, ad regnum Svecie aſpirantem, oppreſit, fratresqve ejus XVI. necem fratris vindicare volentes, ſimiliter interemit. Qvendam etiam Syalandicum militem nomine *Ringonem*, contra ipſum cum multis nobilibus conſpirantem, oppreſit. Deinde *Henricum* principem Saxonum, ſponſam ejus nomine SIGNEM ſibi in matrimonium violenter rapientem, in ipſis nuptiis interfecit, ſponſamqve ſuam reaccepit. Demum cum multum preliaretur contra *Suibdagerum* regem Norvegie, ob ſororis filieqve ſtuprum, ab ipſo opprimitur, adjuvantibus *Saxonibus* propter necem principis ſui.

Alia Chronica, ſcil. *vulgaris*, ponit hic inter *Gram* & *Swibdag* GOTTORM, Hic tributarius fuit *Swibdag*, qvi fuit frater ejus, qvorum pater erat *Gram.*

Saxo dicit, qvod *Svibdagerus* ad inſtantiam conjugis ſue filie *Gram* iſtum *Guttormum* fratrem ejus ſub tributo Danis prefecit, non tamen Rex erat, ſecundum ipſum & plures alios.

GUTTORMUS etiam ſecundum *antiqviſſimos libros* erat Rex.

SVIBDAGERUS, Rex Norvegie, ex patre *Dacus*, qvem occidit *Hading* filius *Gram.* Hic expulit patrem ſuum de Norvegia, & pro eo regnavit. Tandem eundem ſcil. patrem occidit, & omnia tria regna acqviſivit, qvem occidit *Hadingus*, Hanſſ Halffbrodher. *Saxo* dicit, iſtum ſolummodo fuiſſe *Dacum* ex patre, non qvod erat filius *Gram.*

HADIN-

(e) *Saxo Gramm.* p. 6.

HADINGUS, filius *Gram*, regem Svecie & Norvegie *Siribdagerum* occidit, *Helleſpontum* ſubegit. Uxor ejus HARGREPA. Hic Regem Svecie, ut ſupra, occidit, & loco ejus poſuit *Hundingum*. Iſte *Hundingus* & *Hadingus* tanta charitate conjuncti erant, ut ſuperſtes, audita morte alterius, ſtatim amore ejus ſe interimeret. Itaqve *Hundingus*, falſo accepto rumore de morte *Hadingi*, fecit magnum convivium, in qvo ipſemet pincerna erat, poſueratqve dolium plenum *medone* in convivio, in qvo ipſe ſe projecit & mortuus eſt. *Hadingus* vero cum hæc audiviſſet, amore ejus ſe laqveo ſuſpendit.

Iſte HADINGUS patrem imitatus eſt, *Sribdagerum* Regem Svecie & Norvegie, qvi patrem ejus interfecerat, filiosqve ejus *Uffonem* & *Aſmundum*, interfecit. Hic etiam *Helleſpontum* oppugnaturus, cum pre murorum & menium altitudine expugnandum diffideret, fecit capi diverſi generis aves, illius civitatis domibus aſſvetas, earumqve pennis fungos accenſos igne ſuffigi curavit, qve nidos proprios repetentes, urbem incendio compleverunt. Sicqve civitatem & regem ejus cepit. Deinde orientalia regna debellavit & ſibi ſubjecit. Hic etiam generum ſuum aliumqve nomine *Toſtonem* conſpiratores interfecit. Sub iſto tacit *Saxo* mentionem de OTHINO (f) Deo falſo.

FROTHO *Hin fæmilde* (*Fregge*, *Frögne*) filius *Hadingi*. Hic ſolus interfecit vivum draconem *in Vendelſyſſell*, vicit *Britanniam*, *Scotiam*, *Teutoniam*, (*Germaniam* ſecundo), *Sclaviam*, & *Rutiam*, *Kurrland*, *Friiſslandh*, *oc allæ landh ſom ſkymde paa Ryn paa baadhæ ſidher*, *oc Helleſpontum*. Hic tradidit cuidam nomine *Skoth* ſororem ſuam *Vluildam* in conjugium & dedit eis *Scotiam*. Ab iſto *Skoth* denominata eſt illa terra, qvæ jam dicitur *Scotia*. Hic a largitate & munificentia dictus eſt FRODE HYN GEFFMILDE. Hic FROTHO diverſis virtutibus floruit in juventute, abſtraxit animum voluptatibus, & armis ſe exercuit, draconem magnum, in inſula qvadam magno theſauro incubantem, interfecit, & theſaurum obtinuit. Hic etiam Regem *Curetum* vicit, & regnum *Svetie* tradidit *Regnero* filio *Hundingi* regis, cui etiam deſponſavit ſororem ſuam *Suanhuitam*. Inſuper duos gigantes conſpiratores interfecit. Huic FROTHONI ſoror ſua *Vluilda* veſtem ferro inſecabilem dedit, qva circuamictus nullo telorum acumine ledi potuit. Deniqve FROTHO etiam ſolitus erat adverſum familiares veneficorum inſidias cibos reſpergere, fragminibus auri prius contuſis atqve commolitis. Ultimo FROTHO, dum contra *Regnerum* regem Svecie generum ſuum bellaret, qvi falſo apud eum de proditione accuſatus fuerat, non telorum vi nec ictuum, ſed armorum pondere & corporis eſtu ſtrangulatus interiit.

HALDANUS filius *Frothonis*, qvi propter regnum habendum omnes fratres ſuos (duos fratres ſuos *Roe* & *Scatonem* & fautores eorum) occidit. Obiit ſenex. Hic licet omne tempus vite ſue ad exercenda atrocitatis officia expendiſſet, vitam tamen non ferro ſed ſenectute finivit.

RO (ROE) filius *Haldani*. Hic condidit *civitatem Roſkildenſem*, ubi jam ſita eſt. Hic in pace ſine bello vixit, & ideo civitatem *Högeköbing* transtulit ad ſinum maris *Iſefiordh*, & vocavit eam ex *nomine* ſuo & *fontibus* ibidem emanantibus *Roeſkildiam*.

HALDAN filius *Ro*. Hunc *Haldanum* non ponit *Saxo*.

HELGO, frater *Roe*, ſecundum *Saxonem*. Hic occidit filium Ducis *aff Landthaſſen*, & eam ſibi ſubjugavit. Hic occidit Regem Svecie in ultionem patris ſui *Ro*, ſubjugavitqve *Sveciam* & *Teutoniam* jam tertio. Hic dicit *Cronica*, qvod poſt

(f) *Saxo Gramm.* p. 12.

mortem HELGONIS *Atiſtus* Rex Svecie Danos tributum impoſuit, & in obprobrium dedit eis *canem* pro rege, qvo ab aliis canibus occiſo, poſuit eis qvendam SNIO pro rege. Sed hoc videtur falſum, qvia a tempore HELGONIS, per totum tempus filii ejus *Rolvonis Kraki*, *Sveci* fuerunt tributarii Danis, ut patet in ſcriptura *Saxonis*, unde & *Atiſtus* rex, ut eo magis haberet occaſionem petendi relaxationem a tributo, petivit matrem *Rolvonis* pro uxore. Nec *Saxo*, tantus indagator ſtatus regni Danici, facit mentionem de iſto *cane* vel de dicto *Snio*. Facit autem longe inferius ante *Haldanum Starcke* mentionem de *cane*, qvem dicit fuiſſe prepoſitum *Noricis* per qvendam *Gunnarum* nobilem Svecum, non regem, qvi valde infeſtus Noricis regem eorum occidit & filiam ejus violenter oppreſit. *Saxo* etiam ponit dictum HELGONEM, fratrem *Ro*, non filium. Qvamvis ergo probabiliter poſit dici, qvod propter odium Danorum mentitum ſit de illo *cane* & de dicto *Snio*, tamen qvod de eis dicitur hic dicendum eſt propter dictam *Cronicam*.

SNIO, cum laceratus fuiſſet dictus *canis* ab aliis ad mortem, timuerunt Dani ſignificare mortem ejus *Atiſlo*. Nihil in re militari perniciosius animadvertitur qvam per otium metu vacuum, ſolutis neglectisqve rebus, nimia fiducie præſumptione torpeſcere. Miſerunt ergo iſtum *Snio* ad eum, ut verbis obſcuris intimaret ſtatum regni, qvi cum veniſſet, qveſivit *Atiſtus* de ſtatu Dacie. At ille reſpondit: *apes ſine duce*. Intelligens ex hoc *Atiſtus*, *canem* mortuum eſſe, prefecit illum *Snio* Danis, mandans, ut ſuper eos violentus eſſet tyrannus. Qvi cum in Daciam rediret, dominum ſuum timuit *Læ* gigantem, a qvo dicitur *Læſö*, ejus enim paſtor fuerat, miſitqve nuncium, qvi eum ſuo nomine ſalutaret. Cumqve nuncius veniſſet ad gigantem, ſedentem ſub crepidine cujusdam ſaxei monticuli, ſalutavit eum ex nomine *Snio*. Audiens *Læ*, eum regem factum, indignatus dixit nuncio, qvod, niſi ſtatim tria vera verba daret, male periret. Qvi ait: nunqvam vidi parietem afferem ſpisſiorem habentem, nunqvam vidi hominem inter oculos latiorem, nunqvam fui in loco a qvo libentius recederem. Qvibus dictis, extraxit gigas duas cirothecas de ſinti ſuo, & tradidit nuncio, dicens: cave, ne manibus tuis attrahas has cirothecas, ſed tradas eas *Snio* pro munere ex parte mea. Redit nuncius, invenit *Snio* ſedentem in *placito Wibergenſi*, preſentavitqve ei cirothecas. Qvi gaudens attraxit eas manibus ſuis, ſtatimqve ab infinitis pediculis invaſus eſt. Recedens a placito ad modicum ſpatium cecidit, ibiqve conſumptus a vermibus expiravit. Dicitur autem ille locus *Luſæhog* usqve in præſens. Sic loqvuntur aliqvi.

Hic HELGO procerus & robuſtus erat. Frater vero ROE brevis & macilentus. Qvi ſic inter ſe diviſerunt regnum, ut *Roë* terram, *Helgo* vero mare teneret. Danorum reges terra mariqve juſtum exercebant imperium. Hic *Helgo* primo regem Sclavorum *Scalcum*, occurrentem ſibi, claſſe & maritimo exercitu oppreſit, ſicqve omnem *Sclaviam maritimam* ſub tributo ſubegit. Deinde cum victricem claſſem ubiqve circumtuliſſet, aſcendit per *Albim* fluvium, & *Saxoniam* ferro & flammis vaſtabat, qvam etiam ſub ſua poteſtate obtinuit, rege eorum occiſo. Et ſic *Jutia* in ditionem Danorum rediit, qvæ poſt mortem *Frothonis* in poteſtatem *Saxonum* venerat, cum filii ejus inter ſe de ſucceſſione regni certarent, nec ultra Saxones recuperaverunt ditionem ſuper eam. Interea *Regnerus* rex Svetie & uxor ejus *Suanhuita*, ſoror *Frothonis*, defuncti ſunt. His ſucceſſit filius *Hothbrodus*, qvi genuit *Atiſtum* & *Hotherum*. Hic *Hothbrodus* fratrem *Helgonis Roe* tribus preliis provocatum occidit. His cognitis, *Helgo Rolvonem* filium ſuum in *arce Lethrica* ɔ: *Lethræ* concluſit, ut ſecurus eſſet ab incurſione hoſtili. Deinde preſides *Hothbrodi* in Dania poſitos

interfecit,

interfecit, atqve ipſum *Hothbrodum*, cum omni exercitu, navali pugna delevit. Poſtea Svecos multis prœliis afflictos tali lege mulctavit, ut qvicunqve ex Svecis lædere-tur, nulla propter hoc emenda vel ſatisfactio ſeqveretur. Deinde cum *Helgo* propriam filiam cognoviſſet, preter tamen ſcitum ſuum, propter cujus flagitii ruborem patriam reliqvit, & in orientem ſecesſit. Qvidam tamen opinantur, qvod propter dictum flagitium ſibi exprobratum proprio gladio ſe peremerit. Hic nota, qvod piratica olim licita & honorabilis putabatur, arbitrantibus in paganismo barbaris, qvibus nulle leges date erant, juſte posſidere, qvicqvid vi aut armis qvereretur, qvam ſententiam inter chriſtianos non ſolum multi antiqvaverunt, armatam preſertim militiam ſeqventes. Qvorum ea ratio eſt, ut inter beluas in agris & ſaltibus, inter piſces in aqvis, & inter volatilia in aere, imbecilliora preda ſunt ferocibus, ita reputabant inter homines. De hoc narratur, qvod cum Alexander Magnus qvendam principem piratarum cepiſſet, qveſivit, cur mare infeſtum teneret, reſpondit: Hoc ipſum, Rex, qvod tibi, qvi orbem terrarum fatigas, ſed, qvia ego pauculis manibus rem perago, pirata dicor: Tu, qvia magnis exercitibus vim facis, Imperator diceris. Ita prorſus res ſe habet. Verum dixiſſe libera voce rex comprobabat, impune ipſum dimittens. Qvid, rogo te, Romanos adegit infeſtum ſibi facere mundum, niſi libido dominandi & amor habendi.

ROLVO KRAKI, filius *Helgonis*, qvi rex ſollempnis fuit & probus. Hic habuit Svetiam tributariam. Hic apud *Letram* Syalandie, ſicut anteceſſores ſui, ſepiſſime moratus eſt.

Hic *Rolvo* ſororem ſuam nomine *Sculd* (g) ſecum habuit, cui provinciam *Hortis heret* (h) *Syalandie* ad paſcendas puellas ſuas in expenſam dedit, in qva villam edificavit nomine *Sculdelefe*, unde nomen ſumpſit.

Iſte ROLVO erat vir corporis animiqve dotibus venuſtus, cujus temporibus *Svetia* Danis ſubjacuit, cujus rex *Atiſlus Hotbrodi* filius matrem *Rolvonis* habuit uxorem; ſed ipſa ab eo receſsit. Qvidam autem, *Biarco* nomine, habens ſororem *Rolvonis* in uxorem, ipſum *Atiſlum* regem Svetie occidit propter ea, qve *Rolvoni* fecerat. Tunc *Rolvo* qvendam probum juvenem *Hiarthvarum* nomine, data ſibi altera ſorore ſua *Sculda* in uxorem, impoſitoqve tributo Svetie prefecit, a qvo *Rolvo* poſtea inſidioſe & proditorie in *Lethra* v: *Leyræ* occiſus eſt cum omnibus ſuis, excepto uno ſolo, *Viggone* nomine. Hoc oppidum preclarum Syalandie, ſcil. *Lethra*, conſtructum erat a *Rolvone*, atqve eximiis ac magnis opibus regni illuſtratum, ceteras urbes regni precellebat, tam ratione regie fundationis, qvam etiam regie ſedis & manſionis. *Hiartvarus* igitur, letus de victoria, juſſit convivium parari. Et dum epularetur, dixit ſe multum mirari, qvod nemo ex *Rolvonis* ſervis repertus fuerit, qvi vel fugam capere vel ſe captivitati donare voluerit. Et ex hoc patere fidem eorum ad dominum ſuum. Adjecitqve, ſe multum infortunatum eſſe, qvod nullum ex tam fidelibus viris potuerit obtinere. Cumqve offerretur ei *Wiggo*, qvi promiſerat ſe mortem *Rolvonis* vindicaturum, qveſivit, an ſibi vellet militare. Qvo reſpondente: *ſic*, diſtrictum ei gladium offert. At ille renuens cuſpidem, capulum ſibi verti & porrigi petit, dicens, hunc modum *Rolvonis* domini ſui fuiſſe. *Wiggo* igitur enſem per capulum recipiens, *Hiortvarum* cuſpide transfodit, ipſeqve ſtatim a militibus *Hiartvari* occiſus eſt. Ita convivium verſum eſt in exeqvias. Eadem itaqve

(g) *Saxo Gramm.* p. 3.

(h) Lege *Hornsherred*, in qva villa *Skuldelef* adhuc ſupereſt.

itaqve die *Hiartwari* regnum incepit & finitum eſt, fraudulenter enim qveſite res eadem ſorte defluunt, qva petuntur. Nullus diuturnus eſt fructus, qvi ſcelere ac perfidia partus fuerit. Qvo evenit, ut Sveones, qvi paulo ante Daniam habuerunt, nunc qvidem nec ſuam ſalutem retinerent. Protinus enim a *Syalandenſibus* deleti & exterminati ſunt. Adeo plerumqve fortune ſevitia ulciſcitur, qvod dolo ac fallacia patratur.

Hic etiam *Rolvo* tante liberalitatis erat, ut ad primam petitionem ſemper daret, propter qvod adheſit ei athletarum & pugilum maxima multitudo.

HIARWARUS, gener Rolvonis, hic occidit Rolvonem, & regnavit tantum a mane usqve ad horam primam (al. regnavit a mane usqve ad decimam).

HAKI, frater *Hagbarthi*, filius *Hamundi*. Hic occidit *Hiartwarum*, & regnavit pro eo. Aliter hic *Saxo*.

FRITHLEFF, qvi recepit filiam *Rolvonis* uxorem, & occidit *Hakonem*, & regnavit pro eo. Hunc FRIDLEW non ponit *Saxo*, & in multis hic diſcordat a *Cronica* iſta.

OTHÆN (*Othinus*). Hic magus erat, i Kogelſpeel or then ſorte Konſth, & qvoqve per totam Europam pro deo colebatur, morte ſubitanea mortuus eſt circa *Othens*, & ibi ſepultus (i). De hoc loqvitur ſatis *Saxo*, non tamen dicit eum Regem. Ad honorem iſtius *Othen* Dani, poſtqvam fecerant eum regem, denominaverunt unum diem in hebdomada, ſcil. *Othensdag*. Hic ſepultus eſt in *colle circa amnem*, ubi jam fundata eſt civitas *Othinia* vel *Othenia*, ſic enim ſcribi debet, qvia ſic ſcribitur in *libris antiqvis* & in *Saxone*.

Hic *Othinus* vel *Othenus* per totam Europam falſo deus credebatur. Apud *Upſalam* tamen maxime morabatur. Qvem ſeptentrionales Reges maxime colebant, feceruntqve ſtatuam auream, cujus brachia multis armillis decorabant, eamqve *Conſtantinopolim* miſerunt. *Othinus* vero de tanta ſui celebritate gaviſus eſt. Qvam etiam ſtatuam ſeu imaginem mira artis induſtria ad humanos tactus vocalem reddidit. Inter deos autem *Othinus* precipuus erat, non ſolum in regni ſed etiam in divinitatis inſulas exaltatus. Et qvanqvam deorum precipuus haberetur, divinos tamen & aruſpices ceterosqve nigromanticos & preſtigioſos conſuluit, qvaliter filium ſuum *Balderum* occiſum vindicare poſſet. Hic poſtea genuit filium, qvi nominatus eſt *Bous*, hic *Balderi* necem vindicat, occidendo *Hotherum*.

BALTHER filius *Othen*, a qvo dicitur *mare Balticum*, fuit rex in *Syalandia*. Hic electus eſt rex a Syalandicis, qvem *Höther* occidit, & in *Baldhersbrynd* vel *Baldherſſwndh* demerſit, a qvo *Baldero* nomen ſortitus eſt.

HÖTHER, filius *Hothbroddan*, uxor ejus NANNA, a qvo dicta eſt villa *Hötter* (k), qvia ibi occiſus a fratre *Boo Balderi*. Hic habuit bellum cum diis, ſc. *Othen*, *Baldher* & *Toor*, circa *Roſkildiam*, Hoff Baldhersbrynd, ubi multi gigantes & multi alii corruerunt de exercitu deorum, & ipſi dii turpiter fugerunt. Hic audiens, Daniam ſine rege poſt mortem *Rolvonis* & *Hiartvari*, profectus eſt cum magna claſſe navium *Yſoram*, o: Iſafiordh, portum Syalandie, ubi a Danis rex conſtitutus eſt, eo qvod eſſet Danus genere. Nec multo poſt, defuncto fratre, Sveticum regnum Danico ſociavit. Contra hunc in Svetiam exeuntem electus eſt a Danis *Balderus*, ſed occiſus eſt ab eo.

Iſte

(i) Conf. *Saxo Gr.* p. 13.
(k) Conf. *Saxo Gramm.* p. 42.

Iſte *Hotherus* fuit filius *Hodbbrodi* regis Svetie & frater *Atiſli*, & *Svanhuita* ſoror *Frothonis* regis Danie fuit avia ejus, de qvibus dictum eſt ſupra. Hic *Hotherus* adoleſcens exiſtens, collacteis & coevis ſumma corporis firmitate preſtabat. Habuit artem ſagittandi, natandi, dimicandi. Item erat agilis, nemo illi ſcientior & ſubtilior in ludis lire & aliis muſicis inſtrumentis. Hic habuit tunicam ferro inſecabilem.

RORICUS filius *Hötteri*, cujus nepos fuit *Ambledus* ex filia. *Rorico* rege facto, Sveci ac Curetes, qvi prius tributarii erant, nunc cogitabant Daniam infeſtare. Qve res Sclavis ac aliis, Danico imperio ſubjectis, audaciam rebellandi tribuebat. Sed *Roricus* congregans exercitum, Sclavos aggreſſus, cohercuit, & ſub tributo detinuit. Eodem tempore *Gerwendillus* obiit, qvi fuit rex *Jutorum*. In cujus loco filii ejus *Horwendillus* & *Fengo* a RORICO Rege ſurrogati ſunt.

SLANGANBOGI rex Danie.

ORWENDEL (*Horwendillus*) qvi habuit filiam *Rorici*, hic tantum Rex fuit *Jutie*, ut dicit *Saxo*. Hic triennio nauticum bellum exercuit, & multa preclara opera fecit. *Collerum* Regem Norvegie ſororemqve ejus piraticis rebus exercitam & belli peritam occidit. Triennio igitur in fortiſſimis militie operibus transacto, opima ſpolia electamqve predam regi *Rorico* deſtinavit. Propter qvod *Roricus* multum eum honoravit & dilexit, ut filiam ſuam ei uxorem daret, de qva ille filium *Amlethum* ſuſcepit.

FENGO, qvi etiam fuit Rex *Jutie* ſecundum *Saxonem*, frater ejus, qvi eum occidit, & uxorem ejus ſibi conjugem fecit. Hic *Fengo* proſperis ſucceſsibus fratris ſui *Horwendilli* invidens, ipſum occidit, & uxorem ejus ſibi tulit, & apud regem *Roricum* hoc factum fallaciter excuſavit.

AMLETHUS, filius *Orwendel*, *Fengonem* occidit *Vibergis*, in ultionem necis paternæ. Hic etiam fuit rex *Jutie* ſecundum *Saxonem*. Britanniam & Scotiam ſubjugavit, magis prudentia & aſtutia, qvam potentia. Uxor ejus *Hermintruda*.

VICLÆTUS, vitricus (*Wigletus*, gener) *Ambledi*, ipſum inſuper occidit, & uxorem ejus duxit. Hic cum multis annis pacifice regnaſſet, ſenio mortuus eſt.

Hic *Wigletus* regnum adeptus, matrem *Ambleti* jam ſenem ſpoliavit regiis opibus, eo qvod ipſe *Ambletus* non acceperat regnum *Jutie* a *Rege Lethrarum*, cui jus eſſet dandi jura dignitatum atqve tollendi, ↄ: non acceperat *regnum Jutie* a ipſo RORICO monarcha Danorum ſeu Rege Lethrarum ↄ: *Lethræ* circa Roſkildiam, ubi fuit ſedes regalis regis Danie. Ex ipſo loco & multis aliis *Cronicis Danorum* colligitur, non eſſe verum, qvod *Jutia* eſt *Dania:* Sed ſecundum Chronicas, *Syalandia*, *Lalandia*, *Falſtria* & *Meonia* eſt *Dania*, & illas terras primo & principaliter comprehendit hoc nomen *Dania*. *Dan* enim, a qvo regnum nomen habuit, multis annis dominabatur iſtis inſulis, anteqvam acqviſivit *Jutiam*. Sed de his alibi latius. *Ambletus* autem, accepta occaſione, manifeſte rebellavit regi, & ipſum bello ſuperavit. Sed RORICUS fugiens congregavit exercitum ex Scania & Syalandia, & ipſum *Amblethum* aggreſſus, in Jutia occidit, uxorem ejus ſibi accepit.

VERMUNDUS BLINDE, filius *Vicleti*, qvi cecus factus eſt ex ſenectute.

Hic WERMUNDUS valde tranqville ſine bellis regnavit. Cui jam veterano natus eſt filius *Uffo*, qvi qvamvis coevos habitu corporis excederet, tamen tam hebes & iners videbatur, ut penitus inutilis ad qvecunqve officia reputaretur. Nunqvam riſit, adeo ſiluit, ut mutus videretur. Ludentem aut jocantem nemo unqvam vidit. Hic etiam WERMUNDUS, mortuo *Frovino* Slesvicenſium prefecto, qvi jam dicitur Dux, filios ejus *Ketonem* & *Viggonem* in paterne dignitatis honoribus evexit

Cumqve *Wermundus* ſenio confectus eſſet, cecitatem etiam oculorum incurrit. Rex autem Saxonie ei per legatos mandavit, ut aut ei regnum reſignaret, aut filius ejus cum filio ipſius dimicet, aut ſciat, eum cum exercitu Daniam intraturum. Cum WERMUNDUS hoc audiſſet, ingemuit. *Uffo* autem filius ejus, qvi aſtabat, qvi hucusqve inutilis putabatur, cum videret patrem non habere, qvod ad hec reſponderet, cogitavit, jam adeſſe tempus, qvo probitatem ſuam monſtraret, petivit licentiam loqvendi. Qva habita, ſubjunxit: Qvare vos *Saxones* tam ſuperba legatione & patriam majeſtatem & regiam dignitatem contaminaſtis. Sciatis enim, fruſtra regnum Danie a rege veſtro appeti, qvod tam rege qvam fortisſimis proceribus abundat. Inſuper nec regi filium, nec regno ſucceſſorem deeſſe. Addidit etiam, qvod filio regis eorum non ſolum, ſed etiam cuicunqve fortisſimo pugili ex eorum gente ſecum aſſumto occurrere non timeret. Igitur aſsignatur locus & tempus belli. Congrediuntur, & *Uffo* primo pugilem uno ictu, poſtea etiam regis filium uno ictu proſtravit. Et ſic Saxones jugum, qvod Danis imponere ſatagebant, ipſi acceperunt. Ita *Saxonie regnum* translatum eſt ad *Danos*.

UFFO STARCKE, filius *Wermundi*, qvi a ſeptimo anno etatis ſue usqve ad XXX. non eſt locutus. Hic in loco, qvi dicitur *Kumungskamp* (l), ſuper *Eydoram* (*Egernæ flod*) duos Teutonicos ſimul in ſingulari certamine proſtravit. Hic qvarto *Teutoniam* tributariam fecit. Hic ab aliqvibus *Olavus* eſt dictus, atqve ob animi moderationem manſvetus agnominatus. Hic etiam poſt mortem patris *Daniam* & *Saxoniam* rexit, & multa preclara opera fecit.

OLAVUS (vel DAN) Storlathen, filius ejus, qvi nimis ſuperbus fuit. Iſte ab aliqvibus dicitur *Dan*. Hic multas victorias bellando habuit, propter qvod in ſuperbiam elatus eſt. Hic cum dominium ſuum multis preliis & tropheis dilataſſet, longe lateqve elatus eſt in ſuperbiam, a clariſsimo patre degenerans, atqve regias opes tam patris qvam ſui ipſius in flagitiis & dapibus ac ſumtibus inutilibus conſumſit.

Hoc loco dicit *Saxo*, magnam fuiſſe inopiam ſcriptorum olim in Dania. Inſuper nec etiam plurimi eorum ſcriptorum, qvi pro tempore fuerunt, curaverunt redigere notabilia facta patrie in ſcriptis. Aſsignatur etiam alia cauſa, qvod patria hec non habuit proprietatem lingve latine. Qvodſi *ſcriptores ac caracteres latinas* (m) habuiſſet, qvaſi innumera volumina, geſta notabilia ac miranda *Danorum* continentia, ſcripta fuiſſent.

HUGLÆTUS probus in armis, qvi interfecit duos tyrannos ſeu pugiles Svecie maritimo conflictu.

FROTHO hin Fræckæ, vel *Sterkæ*, vel Frogne, qvi multos ſolempnes pugiles occidit. Hic a corporis animiqve firmitate cognominatus eſt *Vegetus*. Hic etiam *Frogerum* regem Norvegie decemqve duces Norvegie occidit.

DAN hin Storletne, filius ejus, qvi XII. anno etatis ſue qvinto *Teutoniam* tributariam fecit. Hic cum XII. eſſet annorum, princeps Saxonie ſibi mandavit, ut aut ſecum bellaret, aut tributa daret. Sed ille non ſegnis, hoſtem domi exſpectare nolens, magna claſſe navium per *Albim* fluvium aſcendit, atqve eam tanta navium multitudine replevit, qvod velut ponte facto navibus de ripa tranſirent in ripam. Supervenerunt *Saxones*, fit grave bellum, ſed Saxones vincuntur, & tributa, qve Danis intentaverant, ipſi coguntur ſuſcipere.

FRITH-

(l) Conf. *Chronicon Erici* ap. Lindenbr. p. 264.
(m) Conf. *Saxo Gramm.* p. 2. 65.

FRITHLÖFF hin raſke (Snare), FRIDLEVUS cognomento *celer*, qvi *Britanniam* & *Yberniam* ſubjugavit. Contra iſtum venit *Julius Ceſar*, volens pugnare cum magno exercitu. Sed videns exercitum Danorum valde fortem, fecit cum eis pacem, ac rogavit eos, ut feſtivarent diem ſue nativitatis. Qvod & promiſerunt & ſervaverunt, vocantes *Jwl*, in qvo usqve in hodiernum diem diverſi ludi & ſpectacula exercentur. Hic principem *Hollandie* cum tribus pugilibus Daniam infeſtantibus occidit.

FROTHO hin Fritgothe, filius *Fridlevi*. Prima uxor HANUNDA filia Regis Hungarie, ſecunda ALUILDA filia regis Norvegie. Cujus tempore natus eſt Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* de virgine Maria. Hic ſubjugavit *Sveciam*, *Norvegiam*, *Britanniam*, *Scotiam*, *Saxoniamqve*, & omnia regna tangentia Renum, & omnia regna orientis usqve ad *Greciam*. Hic tantam pacem fecit in regno ſuo, qvod (poſuit armillas aureas & circulos aureos) unam armillam auream juxta *Eydoram*, alteram juxta *Skanör*, (unam in Norvegia in *rupe Frotonis* & unam circa *Viigh*) & tertiam juxta *Woringburg* in via ſuſpendit communi. Hic ſtrictiſſimam pacem & juſtitiam tenuit. XL. annis tantam pacem tenuit, ut nulli feras habere neceſſe fuerit. Hic etiam cuilibet amittenti aliqvid de ſuo triplicatum reddebat. Contra hunc venit rex Ungarorum cum claſſe navium Niſinde tuſinde oc tuſinde Men trytuſinde oc LX. ther til en. Qvos omnes occidit i Oſtre Strand ſom leber vthen for Blekings Landh. Poſtea congregavit exercitum terreſtrem &c. Ut in *Saxone*. Hic FROTHO *legem* poſuit talem, ut qvicunqve alienigena *Danum* occidat, ipſemet ſecundus vita privaretur.

HIARNUS. Hic modico tempore regnavit. Qvem occidit filius *Frothonis*. Hic adornavit tumulum *Frothonis*, ponendo ſuper eo lapidem cum epitaphio.

FRITHLEFF (*Fridlevus*) filius *Frothonis*, qvi interfecit regem Norvegie & draconem. Uxor ejus FROGERTA.

FROTHO hin Fœmildhe, filius *Fridlevi*, cujus tempore *Starckatherus* intravit Daciam, qvi adeo Teutonicis infeſtus fuit, ut IIII. aut ſex complicans ad modum ſedis ſuper eos ſedit ad purgandum alvum. De hoc *Starkatero* multa habes in *Saxone*. Hic *Frotho* anno etatis ſue XII. Teutoniam jam ſexto vicit. Hic *Starkaterus* occidit gigantem circa *Conſtantinopolim*. Et tunc *Greci* habebant bellum contra *Romanos*. Sed cum *Starkatherus* veniſſet, letati ſunt, & ex *cupro* fuderunt virum ſimilem ei, mittentes eum Romanis, qverentes, ſi tali viro aliqvem ex ſuis tante magnitudinis objiciendum haberent, alias deſiſterent a pugna. Hic coegit *Saxones* rebellantes & tributum negantes, ut qvilibet ſolveret pecuniam unam pro qvolibet membro corporis ſui.

INGELLUS filius *Frothonis*, qvi a moribus patrum ſuorum ſatis degeneravit. Obiit ſenio confectus. Uxor SUERTA.

(De iſtis qvinqve poſtremis Regibus inſerantur ſeqventia, in ſeparatis foliis ſcripta).

FROTHO hin Fredhegodhe (defuncto *Fridlevo* patre) cum eſſet tantum 7. annorum, communi Danorum conſenſu in Regem eſt electus. Et qvia puer erat, ideo Dani concione prehabita prefecerunt X. ſolennes illuſtres viros, fortitudine ac induſtria pollentes, qvi regni negotia dijudicarent & tractarent, & tutelam Regis peragerent usqve ad etatem legitimam. *Weſtmarus* autem & *Colo*, fratres notabiles, proceres regni, ad educandum regem ſunt ordinati. Horum fratrum filii aliiqve contubernales & aulici *Frothonis* adeo inſolenter impudice & luxurioſe vixerunt, ut longum eſſet enarrare. Pene enim omne genus derifionis, ludibrii & flagitii exercuerunt,

comitante ſemper horrenda luxuria, qva ſponſas, virgines & matronas infeſtabant & violabant, eo qvod non erat diſciplina in regno. Nihil enim tantam peccandi licentiam protrahit, qvantum ultionis peneqve dilatio. Tam effrenata militum procacitas non tantum exteris ſed etiam patrie inviſum fecerat regem. Dolenter ſiqvidem ferebant Dani ſuperbe ſibi ac crudeliter imperari. *Grep* vero major filius *Weſtmari*, non contentus humili ſcorto, ſed in tantam temeritatem ſe effudit ac regi perfidus erat, ut reginam, qve erat filia regis Hunnorum nomine HüNANDA, in clanculo abuteretur. Qvod tamen non latuit regem, nec propter hoc regis amicitiam amiſit. Statuit inſuper ipſe *Grep*, ut nullus de populo ad regem accedere poſſet, niſi pecuniam daret. Gemuit igitur populus, eo qvod multe injurie fierent, nulla juſtitia ſeqvente. Inſuper etiam aditus non erat liber. Sed cum FROTHO ad debitam etatem perveniſſet, ſceleſtos punivit, omnia reformavit, ac in bonum ſtatum reduxit. Cum autem *Götharus* rex Norvegie ſupradicta mala de rege & regno Danie audiviſſet, convocatis militibus, refert, Danos proprium faſtidire regem & alium velle habere, ſeqve velle Daniam occupare. Erat autem tunc temporis pugil qvidam, nomine *Regnerus*, cui erant duo filii, ſcil. *Ericus* & *Rollerus*, qvi poſtea in militiam *Frothonis* venerunt. Iſte *Ericus* erat diſertiſſimus & facundiſſimus, & in ſervicio tunc ipſius regis Norvegie. Qvi in concione exſurgens, diſſvaſit Regi, ne Daniam infeſtaret, dicens: Sepe alieni appetitores proprio privari meminimus. Sepe aliorum captator utriusqve perditor fuit. Prevalidum enim oportet alitem eſſe, qvi predam alius ungvibus extrahere cupiat. Animat te fruſtra internus regionis livor, qvem plerumqve hoſtilis explodit adventus. Nam etſi nunc Dani dividuis eſſe ſententiis videantur, unanimes tamen mox excipient hoſtem. Crebro corrixantes porcos conciliavere lupi. Patrium qvisqve ducem extero prefert. Provincia omnis regem domeſticum qvam advenam impenſius colit. Neqve enim te FROTHO domi expectat, ſed foris excipiet adventantem. His aliisqve multis veris auditis, *Götharus* deſtitit ab impugnatione Danie. Attamen eo permittente, qvidam nomine *Raſno*, congregata multitudine navium, Daniam infeſtabat, cui occurrens qvidam Danus, nomine *Oddo*, vir nauticus, ipſum cum magna parte ſuorum occidit, ita qvod ſeptem naves tantum in Norvagiam redirent, documentoqve fuere regi ſuo, non facile Danos obteri poſſe. Deinde predictus *Ericus* cum fratre *Rollero* contulerunt ſe ad *Frothonem*, qvorum priori dedit ſororem ſuam in uxorem nomine *Gwnnaram*, cui ob eximiam forme puchritudinem *Specioſe* cognomen inditum eſt, ↄ: hin Wœnæ. Alteri vero, ſcil. *Rollero*, dedit reginam propter adulterium repudiatam uxorem. Deinde *Ericus* & *Rollo* profecti ſunt Norvagiam atqve cum magna aſtutia filiam regis *Götbari* nomine *Alvildam* habuerunt, ut eſſet conjux *Frothonis*. Sed cum *Götharus* pararet, ut ſe vindicaret de *Erico* & *Frothone*, *Frotho* cum magno claſſis apparatu Norvagiam petiit, & *Götharum* occidit, ejusqve regnum contulit *Rollero*, qvod ſepteno numero provinciarum tendebatur. His geſtis, *Frotho* ſummam pacem triennio habuit. Interea Sclavos, ſeptem navibus irrumpentes in Daniam, *Ericus* a *Frothone* miſſus omnes interfecit preter XL. viros, qvos captivos ſecum duxit. *Frotho* autem maximam claſſem verſus Sclaviam paraverat, cum *Ericus* rediens dixit, ſe de Sclavis triumphaſſe. Conſtituitqve *Ericus*, ut exercitum terreſtrem tranſire faceret per Jutiam verſus Sclaviam. Reliqvus vero exercitus per mare feſtinaret. Tanta autem freqventia navigiorum mare compleverat, ut videretur mare repletum navibus, nec aliqvis portus tot capere poſſe. Terreſtris exercitus tantus erat, ut montes complanaſſe, paludes meabiles effeciſſe, lacunas aggeribus exeqvaſſe, profundiſſimasqve voragines iniectis molibus expleſſe dicatur.

dicatur. Demum fit congreſſus belli, & *Strummico* rex Sclavorum cum fortiſſimis ſue gentis occiditur, reſidui ſubjugantur & in fide recipiuntur. Unde videri poteſt, permanſiſſe usqve in hodiernum diem Danorum regibus illum titulum, ut ſe *Gothorum*, *Sclavorum* ſeu *Wandalorum*, qvod idem eſt, Reges inſcribant, qvamvis parum in *Sclavia* diu a multis ſeculis tenuerint. Sed fuit ante hec tempora & eſt poſterioribus ſeculis multocies renovata ejus tituli cauſa. Tunc *Frotho* volens provinciam ſuam Sclaviam purgari malis hominibus, edixit, ut, qvi in aliqvo ſcelerum genere premineret, aut latrocinio, aut piratica, aut furto, procederet in medium, dicens, ſe eos magnis muneribus & honoribus honorare, eo qvod tali genere militum indigeret contra hoſtes. Qvo audito, prodiderunt ſe ipſos multi, qvos rex per proprios ipſorum cives altiſime ſuſpendi fecit. Qvi tot referuntur fuiſſe, ut fere maxima pars illius gentis hoc modo interiit. In hoc autem rerum ſtatu tranſierunt multi anni & tempora multorum regum ſcil. circiter XVIII. in qvibus tantum incesſit in Danos Sclavorum ſeu Wandalorum obſeqvium, ut illos non jam tributarios tantum haberent, ſed etiam confederatos & ſocios contra hoſtes & totaliter ſibi ſubjectos. Poſtea FROTHO edidit leges. Inter hec rex Hunnorum audiens filiam ſuam repudiatam, per biennium ſe parat ad bellandum cum *Frothone*, conjuncto ſibi orientalium Rege *Olimaro*. *Frotho* autem hec audiens, non ſolum congregat indigenas, ſed etiam Noricos & Sclavos, mittens *Ericum*, ut hoſtilem exercitum exploraret. Qvi primo invenit *Olimarum* ducem exercitus claſſium. *Hun* vero duxit exercitum terreſtrem, qvos non procul *Ruſcia* repperit. Qvibus exploratis, reverſus, dixit *Frothoni*, ſe vidiſſe ſex claſſium ſenos reges, earumqve claſſium qvamlibet qvinqve millia navium complectentem, qvarum unamqvamqve navium conſtaret eſſe capacem trecentorum armatorum. Summa hominum erat novies mille millia & CCC. millia & LX. millia. Summa navium 30. millia & mille ducente. Qvemlibet vero millenarium totius ſumme dicebat continere qvatuor alas, ala vero continet trecenta. Et qvilibet millenarius totius ſumme continebat mille & ducenta. Cumqve *Frotho* qvereret, qvid contra tot facere poſſet, & qvomodo eis reſiſtere, reſpondit *Ericus*, dicens, qvod probum audacia juvat, & acri cane occupandus & infeſtandus eſt urſus, molosſis qvippe non imbellibus aniculis opus eſt. Qvo dicto *Ericus Frothoni* conſilium claſſis contrahende prebuit. Qva congregata, tenditur navigatio contra hoſtes, ac inſulas, qve Daniam & orientem interjacent, preliis ſubjugant. Unde procedentes inveniunt aliqvot naves *Ruthene claſſis*, qvibus ſuperatis, ad *Olimarum* veniunt, qvi confidens in multitudine ſua ſegniter hoſtem recipere qvam aggredi preoptabat. Sed nec eis profuit, qvod multi numero erant. Innumera enim eorum qvaſi multitudo ſuperata eſt a Danis, qvi pauciores erant numero, ſed tamen preſtantiores & robuſtiores virtute & fortitudine ac induſtria bellandi. In qvo bello innumerabilis qvaſi multitudo *Ruthenorum* & aliarum gentium cum ſuis Regibus & principibus occubuit, ita ut nullus Regum mortem evaderet preter *Olimarum* & *Dagum*, qvi FROTHONI ſe dederunt. *Frotho* autem, habita victoria, cum in patriam rediret, inauditum navigationis impedimentum & periculum expertus eſt. Nam omnes ſinus maris adeo repleti erant cadaveribus mortuorum & fragmentis ſcutorum haſtarumqve & aliis apparatibus belli, ut claſſis procedere non poſſet. Nec remis aut contis cadavera adigi poterant, qvin uno amoto ſtatim aliud emergeret eodem loco. Bellum igitur cum mortuis ortum crederes. Igitur FROTHO, convocatis gentibus, qvas vicerat, dedit eis *Leges* & cetera. Poſt hoc FROTHO interrogat *Ericum*, an exercitus terreſtris, cui *Humus* per ſe preerat, eſſet eqvalis exercitui marino, cui *Olimarus* preerat. Reſpon-

dit, ſe vidiſſe exercitum innumerabilem, ut vix crederetur poſſe capi in terra vel in mari, ad cujus tranſitum & motum terra videbatur tremere & moveri. Currus, eqvi, homines, & alia arma emittebant ſonitus, ſtrepitus & fragores, ut tonitruum putaretur. Nam dixit ſe vidiſſe XV. magna vexilla, ſub qvorum qvolibet erant centum minora, qvorum adhuc qvodlibet habuit poſt ſe XX. erantqve tot duces qvot vexilla. Interrogante FROTHONE, qvid contra tot opponeret, Reſpondit, patiendum eſſe, hoſtes primum propria immanitate ſeu fame conſumi, cum fames in exercitu magis graſſari poſſit qvam gladius, ſicqve invaderet reliqvos, qvos facile ſuperaret jam fame debilitatos. Igitur *Huni* per devia & ſolitudines progreſſi, non inventis victualibus, ceperunt paſſim inedia periclitari, tandem jumenta comedebant. Inſuper non eqvis, non aſinis, non fedis nec putridis corporibus pepercerunt, poſtremo nec canibus, ad ultimum fame exhauſtis, etiam clades eis invaſit, ita qvod cohortes & centuriones regem ſuum deſerere ceperunt. Inter hec *Hithinus* rex cujusdam partis Norvegie cum C. & L. navibus FROTHONI in auxilium venit. Hic poſtea obtinuit in uxorem filiam *Högini reguli Jutorum.* Interea FROTHO diſtribuit bellatores per caſtra, municipia, & curias magnas, ut ibi hybernarent ſeu hiemarent, & diligentius fecit expenſas advehere, ſed nec ſic qvidem expenſis ſuffecit ſuſtentare oneroſum exercitum, qvin in eo pernicies (ɔ: Mors) incidit, ut qvaſi par Hunorum cladi videretur. Igitur ad inhibendum advenorum confluxum claſſe in *Albiam* miſſa, ne qvid trajiceretur, cure habuit. Soluta hieme, *Hythino* & *Högino* placuit piraticam exercere. Ceterum cum FROTHO adverteret indies difficiliorem ſumptum ſuſtentandi exercitus, miſit *Rollerum* in Norvagiam, *Olimarum* in Svetiam, *Onevum* regem & *Glomerum* precipuum pyratarum ad *Orcades* inſulas pro ſumptibus congregandis, & unicuiqve tradidit magnum exercitum. Triginta reges ſeqvebantur *Frothonem*, qvi ipſum amicitia vel obſeqvio coluerunt. Audiens autem *Hun*, qvod *Frotho* diviſiſſet exercitus ad alias terras, cepit ipſe contrahere recentem exercitum ad reſtaurationem ſui exercitus. Autumno autem tempore veniente, redierunt, qvos *Frotho* emiſerat pro congregandis ſumptibus, locupletiores victoriis & tropheis qvam alimentis. *Rollerus* enim provincias *Summoriam* & *Normoriam* vectigales fecerat, occiſo eorum rege *Arthorio.* *Olimarus* vero, celeberrimus Barbarie domitor, triumphavit & vicit *Thoriam Longum*, *Jamtorum* atqve *Helſingorum* regem, duosqve alios duces non inferioris potentiæ, *Heſtiam* qvoqve & *Ölandiam* atqve *Curetiam* & *inſulas Svetie.* Itaqve idem *Olimarus* ſeptingenta reducebat navigia, duplicato eductorum antea numero. *Onevo* vero & *Glomero*, *Hithino* & *Högino Orcadum* trophea ceſſere. Hisdem cum nongentis navibus reditum eſt. Et jam qveſiti ſumptus late ſuppetebant abunde pro exercitibus alendis. Ceterum adjecerant XX. regna imperio FROTHONIS, qvorum reges predictis triginta adjuncti Danorum imperio militabant. Igitur Frotho tanto exercitu & tanta fiducia virium roboratus, cum *Hunis* congredi incepit, in qvibus primo die tanta ſtrages facta eſt, ut precipui *tres fluvii Ruſcie* cadaveribus velut ponte conſtrati, pervii ac meabiles fierent. Preterea qvantum qvis itineris per triduum eqvo perficere poſſet, tantum locorum humanis cadaveribus completum videres, adeo ſpatioſa cedis veſtigia erant. Itaqve per VII. dies prelium ſtetit, in qvo *Hun* ſive *Hunus* Hunorum rex cecidit. Cujus frater dictus eodem nomine, cum videret inclinatam Hunorum aciem, cum ſuo exercitu ſe reddidit FROTHONI. Eo bello C. ac LXX. reges, qvi aut ex Hunis erant, aut inter Hunos militaverant, ſubmiſerunt ſe regi FROTHONI. Qvem numerum *Ericus* ſuperiori ſignorum expreſſione complexus fuerat, cum Hunorum multitudinem FROTHONE percontante diſtingveret.

ſtingveret. Igitur FROTHO vocatis in concionem regibus imponit normam degendi ſub uno eodem jure. Prefecit autem *Olimarum Holmgardie*, *Onevum Conogardie*. *Hun* vero captivo *Saxoniam* tribuens, *Revillo* dedit *Orchades*, *Dimaro* provincias *Helſingorum*, *Jarnberorum* & *Jamtorum*, cum *utraqve Lappia* procurandas tribuit: *Dago* vero *Heſtie* regimen erogavit. Qvorum unicuiqve certum tributum imponebat. Erat itaqve regnum FROTHONIS complectens *Ruſciam* ab oriente, ad occaſum vero *Rheno* flumine limitatum erat. Eodem tempore *Alricus* rex Svetie *Geſtiblindum* regem Gothie bello infeſtabat. At *Geſtiblindus* viribus minor ad FROTHONEM accesſit, ſupponens ſe ei & regnum ſuum, dummodo adjutorium ſibi daret. Qvi miſit cum eo *Scalcum* Scanicum & *Ericum* cum magno exercitu. *Ericus* vero primo aggreſſus eſt filium *Alrici*, qvi *Wermis* & *Solongis* prefectus erat, ac ipſum interfecit. Poſtea patrem *Alricum* in duello occidit. Deinde rediit ad *Frothonem*, annuntians, *Svetiam*, *Wermiam* & *Helſingiam*, ac *inſulas ſolis* ſe ejus imperio adjeciſſe. Qvem mox FROTHO devictarum ab eo gentium regem conſtituit, ac preterea *Helſingiam* ei cum *utraqve Lappia*, *Finniam* qvoqve & *Eſtiam* annuo ſtipendiorum jure contribuit. Nemo ante ipſum regum Svetie *Ericus* dictus eſt, ſed ab ipſo in poſteros derivatum hoc nomen. Poſt hec FROTHO omnium ſubjectarum ſibi gentium manu contracta claſſe Norvagiam petit, mittens nuntium ad *Ericum*, ut ſibi cum terreſtri exercitu obviaret. FROTHO igitur durum bellum cum Noricis tota die usqve ad noctem egit. Diluculo autem ſupervenit *Ericus* cum exercitu, ſuggerens regi bellum iterandum. Qvo bello *Normanni* tanta clade deleti ſunt, ut vix qvinta pars illius gentis ſupereſſe crederentur, reliqveruntqve victoriam FROTHONI. Attamen tanta ſtrages in exercitu Danorum facta eſt, ut de tribus millibus navium ſole centum & ſeptuaginta ſupereſſent. Victor itaqve FROTHO poſt tot bella pacem per omnes gentes reſicere cupiens, ut rem familiarem uniuscujusqve a furum incurſu tutam preſtaret otiumqve regnis poſt arma defereret. Armillam in rupe, qvam *Frothonis petram* nominant, alteram apud *Wig* provinciam, habita cum Noricis concione, defixit, jurans ſe ulturum in omnes preſides regionis, ſi inde auferrent. Itaqve cum ſummo periculo prefectorum aurum absqve cuſtodia mediis triviis & ſtratis publicis ponebatur, nec accipiebatur. Item ſtatuit FROTHO, & juſſit, ne qvis edem vel archam ſeris obſirmatam haberet, aut rem ullam clauſtrorum cuſtodia contineret, promittens reſtitutionem triplicem amiſſorum, furi vero ſuſpenſo lupum collateralem affigi precepit, ut malitiam hominis acerbitati bellue ſimilitudo exeqvaret pene. Poſt hec FROTHO VII. annis jucundiſſimam pacem habuit, genuitqve filium *Alconem*, non filiam *Oſuram*. Poſt hec *Arngrimus*, pugil Sveticus, occidit *Eghtherum* regem Biarmorum & *Thengillum* regem Finnimarchie ɔ: Finnorum, & ſubjecit terras eorum imperio FROTHONIS, eo qvod videbantur rebellare. Hic, jam facit *Saxo* mentionem de *Sampſo* inſula. Cumqve pirate pro magna parte deſtructi eſſent circumqvaqve, adhuc tamen oceanus ab his tutus non erat, propter qvod FROTHO voluit etiam bellare verſus occidentem, cujus omne ſtudium fuit in propaganda pace. Igitur accerſito *Erico*, ac omnium regnorum ſibi famulantium claſſe congregata cum innumeris navibus in Britanniam navigavit, & regem eorum cum innumerabili multitudine occidit. Habita Britannia, FROTHO verſus Hyberniam proficiſcitur, ubi Ducem *Kervillum* Hybernie cum magna multitudine occidit. Cujus frater cum videret, ſe non poſſe reſiſtere FROTHONI, terram reſignavit. FROTHO vero captivam predam militibus partivit, ut ſe totius avaritie expertem, & a nimia rerum cupiditate averſum oſtenderet, reſignans ſibi ſolius glorie lucrum. Itaqve poſt Britannicos triumphos

phos & hybernas manubias ɔ: ſpolia, FROTHO in Daniam rediit, annisqve XXX. in florentisſima ac jocundisſima pace ab omni bello qvievit. Et tunc Dacia ſtetit in flore & tanqvam candens lilium ac roſa ſvavisſimi odoris rubens, cunctisqve terris eximia opera fortitudinis & laudis Danorum innotuerunt, omnesqve eorum manum timuerunt, nomenqve Danicum cunctis provinciis inclaruit. Volens itaqve FROTHO fulgorem imperii ſui perpetuo firmitatis ſtatu prorogare primum adverſus furta & latrocinia tamqvam familiaria mala ac domeſticas peſtes ſeveritatem exercuit, qvibus extirpatis & eliminatis, tranqvilliorem vitam homines agerent, ne pax jam propagata & firmata ullo malignitatis obſtaculo lederetur. Providit qvoqve, ne, ceſſante jam hoſte, lues civilis patriam exederet vel deturparet, aut poſt pacem externam domeſtica improbitas graſſaretur. Deniqve in *Jutia* tanqvam in capite regni ſui auream armillam magni ponderis triviis affigi curavit, volens probare, an lex a ſe edita ſervaretur, qve armilla a nemine movebatur. Tanta ſiqvidem auctoritas FROTHONIS majeſtatis erat, ut etiam aurum ſine clauſura & cuſtodia dimittebatur, nec diripiebatur nec movebatur. Cujus rei novitas ingentem FROTHONI claritatem adjecit. Hic FROTHO cum patratis cedibus longe lateqve inſignes ubiqve edidiſſet victorias, otium & reqviem omnibus erogari conſtituit, ut jocunditas pacis bellorum atrocitati ſuccederet, & finis cladis initium ſalutis foret. Sed & omnium opes propter hoc maxime munimento edicti vallandas curavit, ne domi raptorem invenirent, qve foris hoſtibus caruiſſent. Per idem tempus publice ſalutis auctor mundum petendo ſervandorum mortalium gratia mortalitatis habitum amplecti dignatus eſt, cum jam terre & provincie ſerenisſimo tranqvillitatis ocio & pace fruerentur, ſopitis bellorum incendiis. Creditum eſt, amplitudinem tam perfuſe pacis eqvalem ubiqve nec interruptam ullis partibus orbis non adeo terreno principatui qvam divino ortui famulatam fuiſſe celitusqve geſtum, ut inuſitatum temporis beneficium preſentem temporum teſtaretur auctorem. Inter hec matrona qvedam magice rei perita, plus ſpei in arte ſua reponens qvam metus in ſevitia Regis, ſollicitat filium ſuum, ut predam furtim capiat, promittens ei impunitatem, qvod FROTHO jam ſenex & prope mortem eſſet. Ille vero oppoſuit magnitudinem periculi, ſed illa jubet eum non timere, ſed melius ſperare, promittens ſe adinvenire aliqvem modum & caſum repugnaturum ulcioni. Qvibus verbis filius depoſuit timorem & matri obedivit. Qvod FROTHO ubi comperit, vehementer ex tali contumelia commotus ad diripiendum & devaſtandum & ad nichilum redigendum predictam matronam cum pueris & poſſeſſionibus & omni ſupellectili, maximo impetu contendit, premiſſis militibus, qvi eam cum liberis comprehenderent & adducerent. Illa vero, ludificatis hoſtibus, preſtigio transfigurabat ſe in vaccam maritimam, liberos in vitulos marinos. Hec autem permutatio fuit tantum in oculis videntium, non in rei veritate. Et nota, qvod vacca maritima ſive bos marinus eſt piſcis qvidam ſimilis bovi terreſtri, hoc excepto, qvod habet ſqvamas. Accedente vero FROTHONE, cum vidiſſet hec monſtra, magna admiratione captus eſt atqve jubet milites circumdare ea atqve reditum ad aqvas negare. Et deſcendens de vehiculo, qvo utebatur propter ſenectutem, humi mirabundus conſedit aſpiciens animalia, qve tunc in littore paſtum vagabunde petere videbantur. At mater, qve majoris belue ſpeciem ſumpſerat, pretento cornu Regem veloci curſu validisſime aggreſſa eſt atqve alterum latus ejus confodit. Ex qvo vulnere ſtatim exanimatus eſt, indebitumqve exitum tante majeſtati habuit. Cujus mortem milites ulciſci volentes, confixerunt portenta jaculis. Qvibus interemptis, animadverterunt eſſe humana

corpora.

corpora. Qve Rex maxime detexit preſtigium (n). Talis itaqve fuit exitus FROTHONIS toto orbe clariſſimi & illuſtriſſimi ac potentiſſimi Regis. Corpus vero ejus, ejectis viſceribus, ſallitum triennio proceres per regna transferebant in vehiculo regali, qvaſi adhuc vivus eſſet, dicentes, eum debere habere tantum honorem a militibus ſuis, eo qvod jam ſenex eſſet. Et hoc faciebant, ne regna & provincie a Danorum dominio recederent, & etiam ex magna dilectione, qvam ad eum habebant. Tandem cum corpus nimium putrefieret, nec tabes reprimi poſſet, ſecus *Weram* Syalandie *pontem* cum maximo honore ac regio funere tumulaverunt eum, affirmans FROTHONEM exoptaſſe copiam mortis ac buſti eo loci, ubi regni ejus preſtantiſſima provincia haberetur.

De HIARNONE Rege.

Defuncto FROTHONE, Dani credentes, filium ejus *Fridlevum*, qvi apud Ruſciam educabatur, mortuum, determinaverunt eum in regni regimine ſucceſſorem, qvi FROTHONIS tumulum politiori epitaphio decoraret. Tunc qvidam HIARNUS nomine Danice poëſis admodum peritus, premii magnitudine concitatus, more ſuo barbarum condidit metrum, cujus intellectum qvatuor verſiculis editum in hec verba *Saxo* tranſcripſit:

Frothonem Dani qvem longum vivere vellent,
Per ſua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus
Ethere ſub liqvido nuda recondit humus.

Danice:

Danſke the fördhe Koning Frodhe om Land,
Lenge ſyden han gaff op ſyn andh,
The giordhe thet for the hadhe hannem kær,
The ville hannem hafft i werdhen hær,
Then mecthiſte höffding ſom gick aff ry,
Er jordhet hær vndher then vodhe ſky.

Qvo carmine edito, Dani auctorem ſcil. HIARNUM diademate regni munerati ſunt. Ex qvo patet magna dilectio Danorum ad FROTHONEM.

De FRIDLEVO Rege.

Dani audientes, FRIDLEVUM Frothonis filium in Daniam adventantem, qvem mortuum falſo nuncio acceperant, miſerunt ſolennes legatos in occurſum ejus, ac jubet HIARNONEM regno cedere. FRIDLEVUS etiam jubet legatos Danorum redire rogaturos HIARNONEM aut regnum deponere, aut acie ſecum confligere. Qvi exercitum contra FRIDLEVUM congregans, ſed ab eo bis victus, aufugit in inſulam juxta *Horſſines*, qve ab eo denominata eſt *Hiarnö*, ac tandem poſtea ab ipſo FRIDLEVO in duello occiſus eſt. Hic XI. fratres latrones in qvadam inſula interfecit. Qvi etiam draconem magno theſauro incubantem, ſublato theſauro, interemit. Hic per legatos poſtulavit *Frogerthan* filiam *Anundi* Regis Norvegie uxorem. Qvos legatos *Anundus* occidit. Qvo comperto, FRIDLEVUS vocans ad ſe *Haldanum* regem Svetie & *Biornonem* ſocium, qvi habebat canem tante ferocitatis, ut interdum ſolus

(n) Hæc infra paginam ſcripta: *Geſtiblindus* Gothorum Rex *Ericum Diſertum* ſibi & regno *Svetie* ſucceſſorem inſtituit. *Frotho* autem Rex a malefica, in bovem converſa, dum ejus cornibus in qvodam maris littore impetitur, exanimatus occubuit, qvod non eſt verum. Vid. *Saxo*.

XII. viros proſterneret, & cum magna claſſe navium Norvagiam intravit, & contra *Anundum* in mari & in terra pugnavit. *Biorno* cernens aciem ſuorum inclinatam, ſoluit moloſſum ſuum & in hoſtes provocat. Norici autem, qvi gladiis reſtiterant, a furore canis territi aufugerunt, magnum opprobrium inde reportantes. Ubi rex Norvegie cecidit, & FRIDLEVUS *Frogerthæm* accepit in uxorem, ex qva ſuſtulit *Frothonem*, qvi dum adhuc infans erat, propter memoriam avi ſui, cujus nomen habebat, tantum ab omnibus diligebatur & charus omnibus erat, qvaſi omnium filius eſſet, nec permittebatur incedere vel ſtare in terra, ſed jugiter ſinu & brachiis & oſculis fovebatur. Hic FRIDLEVUS etiam ad arma victorioſus erat, qvemadmodum & pater FROTHO.

De FROTHONE Rege.

Defuncto FRIDLEVO, ſucceſſit ei FROTHO filius. Hic cum XII. annum ageret, *Saxones* palam rebellare conniſi ſunt, & jugum *Danorum* a ſe excutere maxima vi armorum contenderunt. Principes tunc Saxonie fuerunt *Srertingus* & *Hanevus*. Sed FROTHO contracto exercitu eos ſuperavit ac ſtatuit, ut qvilibet gentis illorum in ſignum ſervitutis annuatim unum nummum daret pro tributo. Hic FROTHO nomen ex liberalitate ſortitus eſt, adeo enim liberalis erat, ut antiqva ſtipendia militum duplicaret, nec ſe more tirannorum communibus illecebris viciorum ſeu carnalibus delectationibus objiciebat, ſed qvicqvid honeſtati pertinebat, ardenter appetebat, opes in aperto habebat, ceteros largiendo precurrebat, omnes humanitatis officiis antevenire, & qvod difficillimum eſt, virtute invidiam vincere contendebat. Cujus rei gratia in brevi tantam claritudinem apud omnes contraxit, ut non ſolum claritate fame majorum titulos ſeu laudes vel honores exeqvaret, ſed etiam vetuſtisſima regum monimenta ſeu memorias vel hyſtorias tranſcenderet. Hiis temporibus *Starcatherus* contulit ſe ad FROTHONEM. Qvi ob incredibilem corporis animiqve precellentiam a FROTHONE collectus eſt, erat enim ſortitus a natura corpus multum excellens alia humana corpora. Ita id animi magnitudine eqvabat, ut nulli virtute mortalium cedere putaretur. Qvi FROTHO magnam navim contulit precipuis, ut piraticam exercerent. Qvi primo *Vicarum* regem Norvegie interſecit. Deinde capto Vicari *navigio*, acceſſit ad *Bemonem* probiorem piratam Danie, ejusqve ſocius factus eſt. Qvi adeo ſobrii fuerunt, ut nunqvam potum inebriativum bibere vellent, ne continentia, qve eſt precipuum vinculum fortitudinis, viribus luxurie eluderetur. Cum autem debellaſſent multas provincias, *Ruſciam* invaſerunt, cujus principem *Floccum* nomine montanis latebris, qvibus inerat, ejecerunt & fugaverunt, ubi tantam predam habuerunt, ut nullus eſſet in eis, qvi non auro & argento onuſtus ad naves rediret. Mortuo *Bemone*, contulit ſe *Starcatherus* ad *Haconem* Danie pugilem, cum qvo claſſem in *Hyberniam* duxit, ubi victoriam habuerunt, occiſo rege *Hugleto*. Poſtea Dani *Dufflinam* urbem intrantes, regis erarium confregerunt, ubi tantum pecunie invenerunt, ut, pretermiſſa diſtributione, unusqvisqve reciperet, qvantum vellet. Poſt hec *Starcatherus* cum *Wino* principe Sclavorum mittitur a FROTHONE contra orientales populos, jam regi Danorum ſub tributo ſervientes, nunc autem rebellare volentes, ut aut in fide contineret, aut ad juga revocaret, qvi pugnaverunt contra *Curetes*, qvorum natio extat in *Livonia*, & contra *Scinbos* ɔ: *Pruſcos*, & contra *Semigallos* ɔ: *Tracias*, & poſtremo contra omnes orientales preliati ſunt, & claras victorias longe lateqve reportabant. Interea *Saxones* cogitaverunt, qvomodo iterum rebellare & jugum Danorum a ſe abjicere poſſent. Sed qvia ſciebant, FROTHO-

NEM

NEM bello invictum, cogitaverunt, qvomodo eum preter publici conflictus morem opprimerent, & cum illud optime duello gerendum putarent, miserunt, qvi regem ad duellum provocatum occideret. Sciebant enim, eum ita animosum esse, ut omne discrimen semper prompta mente susciperet, nec occurrere dubitaret. Illud tamen fieri in absentia *Starcatheri* consulebant, cujus fortitudinem metuebant. Cumqve FROTHO de responso dando cum suis tractaret, supervenit *Starcatherus*, & provocationem Saxonum reprehendit, eo qvod ad regem non pertineret cum plebejo aliqvo dimicare, sibiqve tanqvam plebejo dixit hoc potius convenire. Saxones igitur hec audientes, preferebant qvendam nomine *Hamam* inter suos illustrem, cui, ut duellum ingredi non recusaret cum *Starcathero*, tantum se auri daturos pollicentur, ut molem corporis ejus superaret. Igitur inito conflictu, *Starcatherus* corpus *Hame* uno ictu dissecuit seu diffidit. Qvo facto Dani tripudiaverunt. Aggravatum est igitur jugum Danorum in capita Saxonum & tributum ampliatum, adeo ut qvilibet pro qvolibet cubitalium membrorum stipem ɔ: qvoddam genus ponderis, qvo olim militibus stipendiariis distribuebatur pecunia, in signum servitutis & pro tributo qvotannis exsoluere cogebatur. Qvod egre ferens *Hanevus*, alter ex principibus Saxonum, diu apud se cogitans, qvomodo patriam liberare posset. Tandem suos ad rebellandum regi Danorum incitavit. Et congregans exercitum FROTHONI bellum denuntiat. Ille vero paratum deduxit exercitum, qvem semper paratum habebat. Deinde congrediuntur, & Dux Saxonum cecidit. *Suartingus* vero, alter ex principibus, cum ad liberandum patriam omnibus modis contenderet, nec armis Danis par esset nec fortuna, non qvievit tamen omnes vias intentare, qvibus patrie libertatem recuperare posset, & cum invenire non posset, dolum & prodicionem parabat, invitavitqve FROTHONEM ad convivium nil dubitantem, sed armis suorum premunitus nihil hostile formidaret, statuens eum incendio consumere, sed a FROTHONE preventus occiditur, simulqve ibidem FROTHO ab ipso peremptus est. Sicqve invictissimus princeps FROTHO dolo & fallaciis occubuit. Qverit hic *Saxo*, utrum ille, qvi sic intendebat liberare patriam, bene fecerit an male. Et respondet non solum ipse, sed etiam jura & doctores, qvod etsi patrie libertatem qverere valde utile & bonum est, ad hanc tamen dolo ac prodicione, deceptione vel insidiis contendere non licet. Et hoc est indubitatum, qvando qvis habet injustam causam seu injustum bellum, secus in bello justo, dummodo tamen mendacium non dicat, nec fidem promissam frangat, facit c. utilem simulationem XXII. q. II. XXIII. q. II. c Dominus & q. VII. in summa XIIII. q. V. dixit Vide glo. in ca. cupientes in verbo malignande elec. L. VI. Plura vide in *Saxone*.

De INGELLO Rege.

INGELLUS filius FROTHONIS succedit ei. Qvi a probitate patrum suorum degenerans vitia pro virtute complexus, intermissis regie majestatis officiis, solummodo epulis & libidini & carnalibus delectationibus intendebat, qvicqvid bonis moribus contrarium erat, excoluit, paterna avitaqve preclara opera fedissimarum libidinum assvetudine polluebat. Clarissimos titulos majorum suorum improbissimis operibus obscurabat, adeo namqve libidini ventris obnoxius erat, ut nec patris mortem ulcisci nec hostium injurias propulsare gestiret. Egregiam nobilitatem suam & dignitatem otio & inertia corrupit, fluxam & voluptariam vitam degens, arma vero, militiam, bella nec ipse qvidem usu nec alios exercitio colere sustinuit, nec minus luxuria fedus, qvam FROTHO militia clarus erat. Propter qvod *Starcatherus* ipsum deseruit,

& contulit ſe ad regem Svetie *Haldamm.* Filii vero *Svertingi*, timentes, ne *Ingellus* vindicaret mortem patris, ſororem ſuam ei dederunt in uxorem. *Starcatherus* autem cum audiret in Svetia, INGELLUM non ſolum necem patris ſui non vindicantem, ſed etiam interfectores ejus amicitia, favoribus & humanitate proſeqventem, indignatione permotus, dolenterqve ferens, juvenem tante indolis, tam incliti patris filium exuiſſe, magnum onus carbonum humeris geſtans, in Daniam redire cepit. Interrogatus ab obviantibus, qvare tantum onus inſolitum portaret, reſpondit, ſe *Ingelli* regis hebetudinem ad acumen carbonibus perducturum. Veniens igitur in Daniam, intravit curiam regis. Nocte vero INGELLO cum filiis *Svertingi* cenante, ſenex ab eodem invitatus eſt ad convivium. Sed cum vidiſſet, luxurioſas dapes cumulari, vetuſtos mores continens, omnemqve habitum priſtine conſvetudinis novo luxu & epularum magnificentia ac cibis delicatis corrumpi animadverteret, & aſſa & frixa multiplicia alternari, ſprevit omnia, & fumido & rancido & cibo ruſticano contentus & uſus eſt, qvo famem pelleret, non qvaliter ſaperent cibaria curans, ne nervos vere virtutis deliciarum contagione remitteret, aut normam prioris frugalitatis inuſitate gule ſuperſtitionibus abrògaret, neve bellicam claritatem convivalibus illecebris abſumendam permitteret. Erat enim fortitudo ejus amatrix frugalitatis, averſa ab immoderato uſu dapum, aliena nimie abundantie ciborum, utpote qve nunqvam in aliqvo momento vacavit luxurie. Sed ſemper omiſſa voluptate, virtutibus inſiſtebat. E contrario vero INGELLUS, relictis majorum & predeceſſorum ſuorum exemplis, innovando menſarum ritu licentius indulſit, qvam mos patrius ſibi permittebat. Poſtqvam ſe enim Theutonie moribus permiſit, ejus efferate laſcivie ſuccumbere non erubuit. Ex *Theutonia* enim in patriam noſtram non parva luxurie nutrimenta fluxerant. Inde enim ſplendidiores menſe, lautiores coqvine, ſordida miniſteria cocorum, varieqve ſordes farciminum manaverunt. Inde uſurpatio licentioris cultus a patrio ritu peregrinata eſt. Itaqve regio noſtra, qve continentia in ſe tamqvam naturalem aluit, luxuriam, libidinem, voluptatem & carnalitatem a finitimis depopoſcit & per extraneos luxuriam acceptavit. Cujus INGELLUS illecebra captus, injurias ſibi in ipſius patris morte illatas beneficiis rependere non erubuit, nec in corde ejus miſeria ipſius patris clades cum aliqvo ſuſpirio amaritudinis verſata eſt. Videns autem *Starcatherus* eos, qvi FROTHONEM oppreſſerant in firmiſima regis dignatione & gratia verſari, magnitudinem concepti furoris acerrimo oculorum reſpectu prodidit, internosqve motus externo oris locutione & indicio patefecit. Deniqve INGELLUS, cupiens eum delenire regiis dapibus, miſit ei ferculum, de qvo comedebat, qvod ille repulit indignanter. Interrogatus autem, cur tam proterve regis honeſtatem contempſiſſet, reſpondit, ſe propter hoc in Daniam veniſſe, ut FROTHONIS filium inveniret, non aliqvem glutonem, qvi non niſi ventri deſerviret, nec ejus filium, qvi ingluviem petulantis ſtomachi operoſa ubertate dapum farciret. Hoc enim familiaris luxus Theutonum regi egerat, ut excoctas epulas aqvis, ſtudio dilicioſe ſatietatis rurſum igni torrendas preberet. Poſt hec *Starcatherus* INGELLI mores acerbiſime tangens in ejus caput omnem repreheñſionis amaritudinem transtulit, qvaliter ſe libidini & crapule dediſſet, Saxonicamqve imitatus illecebram a ſobrietate amplisſimis excesſibus oberraſſet, adeo virtute vacuus, ut nec minimam qvidem virtutis umbram ſectaretur. Maxime autem cumulum turpitudinis illi accedere dicebat, qvod necem tanti patris oblitus & neglecta lege nature non ſolum occiſores charisſimi patris dimitteret impunitos, ſed etiam benivolentia & officio amplecteretur, qvod filiam interfectoris patris ſui in uxorem duxerat, fratresqve ejusdem in ſumma veneratione haberet, dicens ſe

in

in nulla re magis cupere beari, qvam ſi videret eum ſuſcipere penas de interfectoribus patris ſui. Deinde rogat & obteſtatur, ut mentem virilem induat, & ſit memor & ultor paterne necis, dicens, eum adhuc nichil virile egiſſe nec triumphaſſe de aliqvo, & ideo inter honeſtos non poſſe recitari, nec proprie FROTHONIS filius & heres nominari, cujus mentem & virtutem exuerat. Cumqve his verbis multisqve aliis regem aggreſſus eſſet & exacerbaſſet, rex ipſe tantum profecit ex ejus verbis, ut ab enervi & frigeſcenti animo velut qvadam ſilice reprehenſionis ardentiſſimum fortitudinis ignem excuteret. Primum enim rex verba non multum ponderabat, deinde altius cogitare & ruminari cepit, calorem ultionis in animo contraxit, oblitusqve convive, hoſtem induit. Ad ultimum vero INGELLUS a menſa exiliens, omnem ire ſue commotionem in commenſales effudit, ita ut ſeptem *Svertingi* filios trucidaret, temerans ſangvine ſacra hoſpitii & menſe ſue. Sicqve ex abjectiſſimo luxurie mancipio truculentiſſimus vlcionis miniſter evaſit, oſtenditqve audaciam ſuam & fortitudinem jam latitantem. Exulaverat enim probitas INGELLI, non expiraverat, qve in lucem ſenis ſuffragatione producta eſt. Qvam porro induſtrium exiſtimemus hunc ſenem, qvi diſertiſſima ammonitione immenſum vicium regalis animi expugnavit. Ipſe vero *Starcatherus* ipſum adjuvit, cum videbat ipſum animoſum factum ad vindicandam necem patris. Qvo pacto *Starcatherus* INGELLUM laudavit & extulit, dicens, eum nunc melius qvam tempore preterito mereri dici & nominari *Dominus Lethrarum* (ɔ: *Ledhræ* circa Roſkildiam, ubi qvondam fuit ſedes regalis) & *Dominus Danie.* Deinde *Starcatherus* monuit Regem, ut repudiaret uxorem, germanam interfectorum, ne, ſicut ipſa eſſet mala, conſimilem fetum generaret, qvi proprio parenti nocere poſſet. Alia autem *Chronica* dicit, qvod *Starcatherus* accepit reginam, & caput ejus & collum poſuit ſubter cingulum ſuum, tamqvam eſſet gallina, ſicqve cingulum ita fortitur ad ſe ſtrinxit, qvod ſuffocata eſt. Unde:

Tha Drotninghen ſaa thet byrthings badh,
Tha wor hun ey meghet gladh,
Thet gaff Starcather intet gem,
Men ſetthæ hennæ vnder ſyn belthe rem,
Alth ſom en hönæ met hoffuet oc halſſ,
Saa giordhe hand ſegh forædhen fals,
Hand giorde ſegh tha ſaa meghet indh,
At hvn myſthæ tha baadhe liff oc ſyndh.

OLAVUS, filius *Ingelli*, cujus geſta non multa inveniuntur. *Ingellus* qvatuor filios habuit, ſed tribus eorum bello conſumptis, qvartus ſcil. iſte *Olavus* in regno ſucceſſit, qvem qvidam perhibent natum ſorore *Ingelli.* Hujus geſta non inveniuntur inopia & vitio ſcriptorum, ſicut nec geſta plurimorum aliorum. Iſtud tamen de eo invenitur, qvod, cum proximus erat morti, vocavit ad ſe filios ſuos *Frothonem* & *Haraldum*, regnumqve inter eos dividens, ordinavit, ut unus eorum *terre*, alter vero *mari* regia ditione preeſſet, hecqve dominia non diutina uſurpatione, ſed ſingulis annis inter ſe mutuo commutarent.

HARALDUS filius *Olavi*, probus in armis, qvem occidit frater ſuus *Frotho.* Iſte *Haraldus* ſtabit poſt fratrem *Frothonem.* Hic interjecto tempore maris dominium ſortitus, elegit milites conjugio carentes, cum qvibus tot victorias & predas reportavit, qvot frater ſuus opprobria & damna habuerat. Qve res fraternam ei invidiam peperit, atqve ab eo occiſus eſt. Sed filii ipſius HARALDI *Haldamus Biergram* &

Haraldus ipſum *Frothonem* occiderunt. Hic etiam *Haraldus* filius *Olavi* habuit filiam regis Gothie in uxorem SIGNES.

FROTHO Rathbane, frater *Haraldi* (filius *Haraldi*, ſecundum aliqvos, ſed contrarium dicit *Saxo*), qvi occiſus eſt a filiis ejusdem *Haraldi*. Iſte *Frotho* ſtabit ante *Haraldum* precedentem. Hic habuit filiam Regis Svetie in uxorem. Hic etiam primitus habuit dominium maris, in qvo freqventer multa damna habuit, pro eo qvod ejus ſocii connubia contraxerant, propter qve magis thoros conjugum qvam militiam dilexerunt. Uxor ejus VLUILDA.

ERICUS rex Svetie, qvem occidit HALDANUS filius *Haraldi*.

HALDANUS hin BIARGHRAM, filius *Haraldi*. Hic dictus eſt *Rockebanæ*, qvi multa & maxima probitatis opera fecit, ſicut ſuperius ſatis habes in *Saxone*. Uxor ejus THORILDA.

Nota hic de HALDANO, de qvo habes in capite ſeqventis folii.

Hic aliqvot annis patrie prefuit. Deinde fratri ſuo *Haraldo* adminiſtrationem regni committens, *Svetiam* & omnes inſulas ejus debellavit & ſibi ſubjugavit, rege Svetie occiſo. Cujus nepos rex Svetie factus ERICUS, cum bellare vellet contra ipſum HALDANUM, & ipſe HALDANUS intellexiſſet, eſſe qvendam pugilem in acie *Erici*, qvi artem gladios hebetandi haberet, fecit ſibi fieri magnam clavam ferreis nodis conſertam, qva hoſtes aggreſſus ſine galea & ſcuto, qvicqvid ſibi obvium fuit, totum comminuit, & fruſtratim obtrivit, ubi & dictum pugilem proſtravit. Cumqve iterum adverſus *Ericum* bellaret in qvadam valle, habente circa ſe altos montes & preruptos, & videret aciem ſuam inclinatam, rupem cum ſocio *Thorone* aſcendit, atqve moles lapidum ſuper hoſtes devolvit & oppreſſit, ob qvod dictus eſt *Biergramus*. *Ericus* autem provincias *Haldani* ac Daniam infeſtavit. Audiens autem *Haldanus*, fratrem *Haraldum* ab *Erico* tribus preliis devictum, qvarto vero occiſum, timens, ne imperium Danie amitteret, Svetiam deſeruit & Daniam petiit. Qvo audito, *Ericus* Svetiam petiit. Iterum HALDANUS magna claſſe navium Svetiam repetiit, *Ericum* cepit, & ad loca feris & beſtiis pervia relegavit. HALDANUS igitur, habens dominium Danie & Svetie, tribus honeſtatis gradibus prominebat. Nam rex erat & pugil maximus & diſertus peritia condendorum poematum patrio more. Audiens autem, piratas duos fortiſſimos circumpoſitas infeſtare provincias, eos maritima pugna oppreſſit. Nichil enim veteres claritate magis expetendum reputabant, qvam non qvod opes ſed qvod armorum induſtria acqviſiviſſet. Itaqve reputabant eſſe magne virtutis, ſeditiones amplecti, inſtaurare lites, otia faſtidire, militiam anteferre paci. Clariſſimis qvoqve viris qvondam cure extitit, plurimum voluptatis in preliis reponere, minimum autem in conviviis & epulis. Poſtea qvidam Svecus, *Syvaldus* nomine, concitavit Svecos contra *Haldanum*. Contra qvem ipſe *Haldanus* bellare volens, cum per opacum nemus transiret, qvercum humo radicitus extraxit, atqve ramis amputatis in maximam ſolidam clavam transformavit. Cum qva *Syvaldum* & ſeptem filios ejus aggrediens exitio tradidit. Ea tempeſtate HALDANUS qvendam pugilem, XI. cubitos altitudinis habentem, ſtupratorem per vim filias regum, & ſeptem pugiles ſocios, malleo mire granditatis contuſit & occidit. Poſt hec qvidam *Egbertus* Finnenſis Svecos infeſtavit. Qvem *Haldanus* tribus aggreſſus navigiis oppreſſit. Deinde HALDANUS filiam *Hotheri* reguli Norvegie liberavit a pugile fortiſſimo & in uxorem duxit, & genuit ex ea filium *Asmundum* nomine, a qvo ſe *Norvegie Reges* originem duxiſſe magni eſtimant, ab *Haldano* ſolennem generationis

ſue

ſue ſeriem retexentes. Poſt hec *Ebbo* qvidam pirata plebei generis fiducia fortitudinis ſue concitatus, filiam *Ungvini* Gothenſium regis, conſobrini *Haldani*, poſtulabat uxorem & cum ea dimidium regni ejus, & accepit. Sed HALDANUS ſuperveniens ipſum proſtravit, & nuptias in exeqvias mutavit. Qvi interjectis annis in patriam revertens, cum eſſet ſine prole & liberis, regias opes *Ungvino* conſobrino ſuo ſupradicto teſtamento legavit, eumqve Regem Danie conſtituit.

HUGNO, frater *Haraldi*, hunc vocat *Saxo* UNGVINUM, nec fratrem ejus fuiſſe. *Haldanus* cum eſſet ſine prole & liberis, regias opes *Ungvino* regi Gothorum, conſobrino ſuo, teſtamento legavit, eumqve regem Danie conſtituit. Hic ab aliqvibus vocatur *Hugno*. Qvi poſtmodum ab emulo ſuo, cui *Regnaldo* nomen erat, in bello occiſus eſt.

SIWALDUS, filius *Hugnonis*, cujus tempore *Starkaterus* de prelio fugit. Inter iſtum *Syvaldum* & *Regnaldum*, qvi patrem *Syvaldi* occiderat, graviſſimum bellum ortum eſt tribus diebus apud Syalandiam, & cum nulla pars victoriam haberet, continuo Otharus nobilis cum mortis contemptu aciem hoſtium fortiſſimam irrupit, & inter maximos pugiles conſiſtentem *Regnaldum* trucidavit. Sicqve Danis potitis victoria, Sveci fugerunt. Inſigne hoc prelium fuit ignavia maximorum procerum & pugilum, adeo grave & acre bellum fuit, ut XL. fortiſſimi pugiles Svecorum terga verterent & fugam inirent, qvorum precipuus *Starchaterus* fuit, qvi nulla ſevitia rerum aut magnitudine periculorum perterreri ſolitus erat. Nunc vero neſcio, qva formidine in eum irruente, ut fugeret.

SIGARUS, filius *Sivaldi*, qvi mortuus eſt in bello. Venit *Hako* filius regis Hybernie inopinate ſuper *Sigarum*, a qvo occiſus eſt, eo qvod non habuit tempus congregandi exercitum. Eo tempore Rex Gothorum &c. In Hiſtoria *Sigari* Regis *Saxo* dicit ſeqventia de mulieribus bellatricibus: Fuerunt qvondam apud Danos femine, qve formam ſuam in virilem habitum convertentes, omnia momenta temporum pene ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis fortitudinem & firmitatem contagione luxurie hebetari vel debilitari paterentur. Qve cum eſſent delicate, corpus & animum patientia & labore durare ſolebant, totamqve molliciem feminee levitatis abdicantes, ingenium muliebre cogebant uti ſevitia virili. Sed & tanta cura captabant notitiam rei militaris, ut feminas exuiſſe qvilibet putaret. Precipue autem hec faciebant ille, qvibus aut vigor ingenii aut decora proceritas corporum erat. Hec ergo immemores native ſue conditionis, rigoremqve blanditiis anteferentes, bella pro baſiis intentabant, ſangvinemqve non oſcula delibantes, officia armorum potius qvam amorum freqventabant, manusqve, qvas in telas aptare debuerant, telorum obſeqviis exhibebant, ut jam non lecto ſed leto ſtudentes ſpiculis appeterent, qvos mulcere ſpem potuiſſent. Vide plura de hoc in *Bertholomeo* & *Anthonino* de mulieribus *Amoſonibus*, qve fuerunt *Dani*.

SYVALDUS, filius *Sigari*, ſecundum *Saxonem*. Hic audiens patrem occiſum, congregavit exercitum, & duobus diebus cum *Hakone* pugnavit. Tandem ambo corruerunt, & totus exercitus *Hakonis*, & Dani victoriam obtinuerunt.

GOTRIC, nepos *Sigari*. De hoc *Gotrico* non loqvitur *Saxo*, ſed dicit, *Sivaldum* filium *Sigari* regnaſſe poſt patrem, poſtea regnum Dacie eſt diviſum. Per multa diſcrimina bellorum adeo apud Danos regia ſtirps exhauſta eſt, ut ad ſolam *Giritham* filiam *Alfi* filii *Sigari* regis. Dani autem cum ſe viderent defectos conſvete nobilitatis regie, regnum popularibus tradiderunt, creatis ex plebe principibus, *Oſtmaro* Scanie, *Hundingo* Syalandie procurationem attribuerunt, *Hanonem* Fyonie

Dominum conſtituerunt, *Rorichum* & *Hatherum* poſuerunt in Jutia. Hec *Saxo.* Iſte autem, ut videtur, non erant reges proprie, ſed procuratores ſeu judices.

BORCARDUS, qvi habuit filiam *Sivaldi* TOLÆ in uxorem, regnavit in *Scania.* Alius liber habet, qvod *Oſtmer* regnavit in Scania. Hoc etiam dicit *Saxo*, & forte ambo principabantur ſimul vel ſucceſsive. *Saxo* dicit: Olim apud Danos continentia viſus puellarum magnopere petulantiam & laſciviam edomare ſolebat, ne integritas mentis oculorum vagatione corrumperetur, affectabaturqve, ut oris modeſtia cordis caſtimoniam faterctur. Item tanta pudicitia in feminis & puellis prioris ſeculi fuit, ut nec qvidem ad lenem motum oculorum maximis amatorum irritamentis adduci potuerunt.

HUNDINGUS regnavit in *Syalandia*, qvi ſemper invadendo alios perdidit, ſed ſe defendendo vicit, a qvo tractum eſt proverbium: *Hunt ær hyæmme rickæſt.*

HANO regnavit in *Fionia.* Ea tempeſtate qvidam *Rötho* pirata Ruthenorum Daniam infeſtabat. Qvi adeo turpis & crudelis erat, ut ceteris extreme nuditati captorum parcentibus, hic etiam braccas hominibus auferebat. Unde adhuc graves & immanes rapinas *Röthoram* appellare ſolemus. Qvem *Hano* Fyonie princeps, dum glorioſum titulum ſibi acqvirere vellet in debellando eum maritimo prelio, ab ipſo ſuperatus eſt, & fugit cum uno ſocio. In cujus exprobrationem proverbium emanavit: *In proprio plus lare Hanonem valere.* Tunc *Borcarus* ulteriorem civium jacturam ſuſtinere nolens *Röthoni* ſe objicit prelio, in qvo ambo corruerunt.

REGNER regnavit in *Norjucia.*, Alius liber habet, & etiam *Saxo*, qvod RORICUS regnavit in Norjucia.

HATHERUS regnavit in *Sinjucia*, a qvo dicta eſt *Hatherſlöff.* Regnum Danie ita rediit ad ſangvinem Regum: *Borcardus* nobiliſsimus Danorum occidit qvendam tirannum Svetie, qvi *Drotam* filiam Regis Norvegie violenter in uxorem acceperat. Ex qva ipſe *Borcardus* genuit *Haldanum hin Sterkæ.*

HALDANUS HIN STARCKÆ, qvem *Saxo* dicit filium *Borcardi.* Hic cum obvios habuiſſet XII. pugiles, nec arma haberet, qvercum radicitus evulſit, *oc gaff ther aff huer een ſnerth, thee trumlede offwer andhen ſom en erth*, qvos etiam occidit. Hic accepit GYURITHAM filium *Alfi* filii *Sigari* regis Danorum, ex qva genuit *Haraldum Hyldetan.* Hic etiam juvit *Ruthenos*, qvi habuerunt bellum contra regem Svetie. Ubi primo die proſtravit unum pugilem, ſecunda die duos, tertia die tres, qvarta qvatuor, qvinta qvinqve, ſexta ſex, ſeptima ſeptem, nona novem. Uxor GYRITH.

HARALDUS HYLLETAND (*Hölletan*), qvem *Saxo* dicit filium *Haldani.* Hic regnum Danie ad monarchiam revocavit, regnavit annis XL. (alibi L.), adeoqve potens factus eſt, ut omnes reges citra vel usqve mare mediterraneum darent ei tributum annis L. De hoc multa habes in *Saxone.* Hic ſubjugavit ſibi *Svetiam* & *Norvegiam*, *Sclaviam*, *Britanniam* & *Angliam*, *Scotiam*, *Franciam* & *Italiam*, omnes civitates & caſtra devicit, muros civitatis Romane deſtruxit. Item ſubjugavit *Hyberniam*, *Alemaniam*, *Friſiam*, *Franciam* valde vexavit, *Italiam* totam vaſtavit, *Valentem* Imperatorem interfecit. Tempore ejus terror *Danici nominis* erat per omnes provincias. Item, *jeg holt ſaa manghen Kempæ ſterk, ſom klogher wor i alt hoffwerk, oc tröſthæ oc faſth i hierte oc hw, til rigenſſ gaffn oc mith behw, om en then andhen i næſen ſloo, met en ſwerd kloddhæ ther noghet droo, eldher met en ſtaal handſkæ oc hand, thet hand them i hans næſæ fandh, blinkede hand tha met ſyn braa, tha ſkullæ hand ickæ for fulde gaa, men gardhen fly.* Hic in bello adverſus *Rin-*

gonem

gonem habuit Danos, Noricos, Scotos, Frisones, Hybernos, Anglicos, Alemanos. Item, *jeg hadæ oc met meg tryhundher mör, hwer som en kempæ stærk oc för, Jomfrw Hethæ hed hwn theris baner bar, ath skyndhæ oc sla wor hwn saa snar, Skelmör ther woer theris howeste naffn i orloff oc kri giorde the goth gaffn.* Uxor ASA. Bellum istud fuit apud *Suetiam* juxta *Bravolla*. Iste *Haraldus* habuit dominium super omnos terras usqve ad mare mediterraneum. Hic HARALDUS HYLDETAN erat eximie forme & magne granditatis & roboris. Qvoniam autem donum accepit ab *Othino* deo falso, ut ferro ledi non posset, post hec cum Haraldus audiret, *Wesetum* occisorem patris sui apud Scaniam nuptias acturum, illuc iuit & ipsum occidit. *Vesetus* vero ei duos dentes excussit fuste. Qvorum loco dum alii duo eminenter recrescerent, HYLDETAN est vocatus. Alii dicunt duos dentes cerulei seu glauci coloris recreviss̃e, & ob hoc HYLLETAN vocatum. Deinde *Haraldus Hatherum* principem Synderjucie & *Roricum* Norjucie occidit. Postremo *Humdingum*, Danie principem principalem s. *Lethrarum* Syalandie, prelio devicit, ubi & resedit. Sicqve regnum *Danie* prius per multa dominia divisum in pristinum corpus reformavit & reintegravit, & ad monarchiam reduxit. Hic etiam regem *Vicarorum Norwegie* regno suo pulsum restituit.

Nota hic de HARALDO HYLDETAN.

Interea rex Svetie *Alverus* moritur, relictis filiis *Olone*, *Ingone*, & *Ingeldo*. Qvorum *Ingo* paterno regno non contentus, Danis bellum denunciat. Cujus belli eventum cum *Haraldus* oraculis explorare vellet, occurrit ei senex, qvi hispido habitu indutus erat, dicens se *Othinum*, bellorumqve usu callere testatus, deditqve eidem *Haraldo* utilissimum modum ordinandi milites in acie, tam in bello maritimo qvam terrestri. Qvem modum vide in *Saxone*, si placet. Cumqve *Olavus* & *Ingo* pararent se ad bellandum, *Haraldus* nolens expectare eos domi, profectus est Svetiam, ibiqve eos oppressit. Qvorum frater *Ingeldus*, cum *Haraldus* contra eum bellare vellet, simulavit se infirmum, belliqve inducias popos̃cit & obtinuit. Cumqve postea rapuisset sororem *Haraldi*, & ipse ob hoc contra eum bellaret, tandem multis arbitris intervenientibus, sororem suam ei concessit, in amicitiam recepit, sociumqve contra hostes habuit. Posthec qvum inter *Olavum* Throndorum regem & virgines *Sticlam* & *Rusilam* bellum audiret esse pro regno dividendo, feminea presumptione permotus, bellum pro Olavo gessit, virgines interfecit, premiumqve victorie ab *Olavo* oblatum repudiavit. Deinde *Ubbonem* pugilem Fresie, *Jutie* fines crebra populorum strage vastantem, aggressus, in bello cepit, qvem considerans virum probum accepit sibi in militem, deditqve ei sororem suam in conjugium, elegitqve ex *Frisonibus* fortissimos pugiles, qvi secum sibi militarent. Cum qvibus finitimos Reno populos tributo submisit, & *Sclaviam* bello vicit, Ducesqve Selavie *Duc* & *Dal* cepit, qvos propter virtutem & fortitudinem ad miliciam suam recepit. Deinde aqvitaniam armis perdomuit, moxqve Britanniam petens, Humbrorum Regem prostravit, & fortissimos devicte gentis in commilicium recepit. Qvorum precipuus *Orm* cognomento *Britannicus* habebatur. Post hec athlete & pugiles ex variis orbis partibus ad HARALDUM confluxerunt. Haraldus autem terrore nominis sui cohibuit motus omnium regnorum, ita ut Reges & Principes non solum contra Danos non bellarent, sed nec inter se preliari auderent. Sed nec qvisqve maris dominacionem absqve *Haraldi* nutu usurpare presumpsit. Qvippe qvondam in Danorum republica dividuum terre & pelagi imperium fuit. His temporibus terror Danici nominis per

omnes terras & provincias erat. Interea apud Svetiam moritur *Ingeldus*, relicto *Ringone* parvulo admodum filio, qvem ex *Haraldi* sorore sustulerat. Qvem *Haraldus*, datis ei tutoribus, paterno regno prefecit. Ita HARALDUS, provinciis principibusqve perdomitis, qvinqvaginta annos in pace jocundissima & tutatissima habuit. (Qvorum tempore ne militum animos in desidium resolvi pateretur, constituit, ut assidue dimicarent, hastiludia & torneamenta exercerent, artem canendi inferendiqve ictus a gladiatoribus perdiscerent. Qvorum qvidam insigni dimicationis arte callentes, adverse frontis supercilium infallibili ictu ferire solebant. Qvo recepto, si qvis versilitate palpebre timidius conniveret, mox aula ejectus stipendiis defungebatur). Translator autem *Saxonis* sic transtulit: Ne autem in tanta pace milites ignavia premerentur, jussit eos omni dimicationis genere exercere. Qvorum aliqvi adeo in dimicando periti erant, ut infallibiliter supercilium adversarii gladio auferrent, sine frontis lesione. Qvod si qvis eorum talem ictum recipiens palpebras ex timore moveret, de aula ejiciebatur, militaribus stipendiis privatus. Talia exercitia tunc habebant, ne ignavia torperent. Eo tempore *Olo* filius *Sywardi*, natus ex sorore *Haraldi*, venit de Norvegia in Daniam pro avunculo visitando, sed de eo postea dicetur &c. Temporibus illis *Bruno* qvidam omnium consiliorum *Haraldi* unice conscius fuit, eratqve internuncius inter *Haraldum* & *Ringonem* Svecie Regem (qvi erat nepos *Haraldi* ex sorore) qvotiens aliqvid secretum invicem intimabant. Qvo semel in flumine submerso, *Othinus* qvidam ejus nomine & habitu subornatus, legacionem malam inter Reges fecit, adeo ut qvi amicissimi fuerant, interim discordes fecit, ut sine bello sopiri non posse videbatur. Denunciatis igitur adinvicem inimicitiis, septem annis ex utraqve parte res bellice parantur. Sunt tamen, qvi dicunt, *Haraldum* non propter aliqvam inimicitiam vel invidiam seu regni affectatione cum *Ringone* nepote suo bellare voluisse, sed existens senex & habens tedium de vita, voluntarie qvesivit causam mortis sue, volens potius in acie, qvam in lectulo mori, ut consentaneum exitum seu mortem haberet operibus preterite vite, & ideo ut mortem suam clariorem efficeret, inferosqve comitatior petereret, & ut plures socios mortis haberet, ultro in bello mori voluit &c. *Hystoriam belli Svetici*, qvod inter *Haraldum* & *Ringonem* gestum est, *Starkatherus* (qvi & ejusdem belli ex parte *Ringonis* ductor erat) primus *Danico* digessit *eloqvio* sive *vulgari*. Habuit autem *Haraldus* in acie sua circiter LX. athletas seu pugiles, qvorum VIII. erant ex *Syalandia* seu *Lethris*, X. & octo navigio *Letkram* advecti sunt. Habuit etiam *Hetham* virginem bellatricem cum multis (CCC) ejus sodalibus, a qva *Hedheby* est dicta, qve nunc dicitur *Sleswigh*. Habuit insuper *Visnam* puellam de Sclavia, cum multis aliis, qvam aqviliferam fecit. Ex hoc loco videtur, & etiam aliis, qvod *arma Danica* olim fuerat *Aqvila*, qvia in vexillo Aqvila depicta erat. Numerus autem militum & procerum aliorumqve bellatorum qvasi innumerabilis erat. Nam habebat *Danos*, *Sclavos*, *Livos*, *Saxones*, & multas alias gentes. Nam *Sclavi* ac *Livi*, *Saxonumqve* VII. milia classem scil. Danicam auxerant. Igitur centuriatim Danicus confluxit exercitus. Septem Reges pari ingenio, sed dispari voto, alii *Haraldo*, pars *Ringoni* presidio fuerunt. Classis autem Danica ad opidum *Calmarna* applicuit, sed *Scanienses* per aridam venerunt. Ex parte deniqve *Ringonis* erat numerus athletarum & pugilum LXXX. & eo amplius preter alios bellatores. Numerus navium in tota *Ringonis* classe duo milia qvingente. Itaqve *Ringo* ducebat terrenum agmen. *Oloni* autem precepit preesse navalibus copiis. Copia ↄ: multitudo, abundantia. Qvem *Olonem* VII. reges stipaverunt ↄ: circumdederunt, seqvebantur. Habuit autem *Ringo* in exercitu suo *Svecos*, *Gothos*,

Gothicos

Gothicos ſeu *Guthicos* vel *Gutos*, *Noricos*, *Ruthenos*, *Pannonios*, preter alias gentes. Item habuit *Curetos*, *Eſtones*. Dum igitur exercitus utriusqve partis ad locum pugne circa *Verundiam* ɔ: *Verendi* conveniſſet, animabat *Ringo* ſuos ad prelium, dicens, eos hilariter debere contra Danos pugnare, qvorum Dux cecus eſſet, dixit etiam, eis neceſsitatem pugnandi incumbere, utpote pro liberis & uxoribus, pro patria & libertate, Danos autem ex ſola ſuperbia, temeritate & inſolentia, pugnam inire, & *Haraldum* jam ſenem alieni imperii cupiditate correptum eſſe dixit, nec minus mente captum qvam luminibus fore, nec opibus ſatiari poſſe, qvaſi annos reſpiciat tumulo pene contentus eſſe debeat, & inſuper in exercitu ejus perpaucos eſſe Danos, Saxones vero aliasqve gentes nimis effeminatas molles ac fragiles eſſe, nec formiter ac viriliter ſaturos. Per talia verba & hiis ſimilia *Ringo* multum accendebat animos ſuorum militum. *Haraldus* vero ſurgens ſtetit in curru, ac ſuos animavit ad bellum, qvantum potuit alta voce, conqverens, qvam injuſte ſibi *Ringo* rependeret ſcil. injurias pro beneficiis. Nam ab ipſo rex factus non ſolum gratus non eſſet, ſed etiam ſibi jam ſeni & cecutienti bellum inferret, non recolens etiam vinculum naturalè, eo qvod avunculus ſuus eſſet. Meminiſſe etiam Dani deberent, qvam victorioſi ſemper fuerant, & qvod finitimis magis dominari qvam obſeqvi ſolerent, hortaturqve, ne decus tante glorie ſuſtineant labefactari inſolentia devicte gentis, nec imperium, qvod ſibi in juventute pepererant, jam ſenectute confecto demi permittant. Deinde canentibus tubis, buccinis & lituis, bellum inchoatur ſumma vi utriusqve exercitus cum tanto ſtrepitu & fragore armorum, ut celum & terram conqvaſſari aut celum ſcindi & labi ſuper terram crederes, ſilvas camposqve ſubſidere, miſceri omnia, antiqvum rediiſſe chaos, divina pariter & humana tumultuoſa tempeſtate confundi, cunctaqve ſimul in perniciem trahi. Tantus pulvis de terra, tantus vapor de vulneribus exiuit, tantaqve multitudo telorum (Piil) & lapidum in aere erat, ut celum videri vix poſſet, ut diem in noctem verſum reputares, ſangvisqve fluebat inſtar fluminis, mucronumqve crepitacula eminus exaudiebantur, nec parum in acie funditorum opera valuit. At ubi pila manu aut tormentis excuſſa ſunt, comminus bellabant gladiis ac clavis ferratis. Illis *Starcatherus*, qvi belli hujus ſeriem *ſermone patrio* primus edidit, prior erat in acie *Ringonis* dimicans, qvatuor proceres ſeu pugiles *Haraldi* proſtravit, *Visnæve* dexteram, qve vexillum portabat, abſcidit. Item tres adeo vulneravit, ut exinde poſtea morerentur. *Haconem* etiam fortiſſimum Danorum in terram dejecit. Sed *Haco Starcatherum* adeo vulneravit, ut pulmo exterius dependeret, collum ejus mediotenus abſcidit, unum etiam digitum ei amputavit, adeoqve debilitavit, ut bello ſe ſubtraheret, ac diu hyſcens ſederet, cujus plaga nec cicatricis capax nec medele habilis videbatur, qvi tamen poſtea convaluit. Similiter puella *Weghbrogh Soth* pugilem *Ringonis* proſtravit, qvam qvidam de *Telmarchia* telo trajecit. *Guttones* ɔ: bellatores de *Gothlandia* ſive *Guthlandh*, ut puto, tam vehementes arcus habebant, ut clipeos, loricas, galeas, ac deinde inermia corpora penetrarent, nec alio efficacior cedis extitit cauſa. Interea *Ubbo Freſicus*, promptiſſimus miles *Haraldi* ac pre aliis habitu corporis inſignis, preter XI. qvos in acie vulneravit, XXV. electos pugiles interfecit, qvi *Sveti* fuerunt ſangvine vel *Gothi*. Deinde aggreſſus aciem *Ringonis*, hoſtes gladio & haſta hac atqve illac diſpulit, adeoqve exercitum diviſit, ut pene omnes fugiſſent. Qvod videntes tres pugiles *Ringonis*, ſtatuerunt ſuo privato periculo redimere perniciem publicam, ipſumqve *Ubbonem* athletam aggreſſi, non tamen prope ad eum accedere auſi, ſed a remotis ſtantes, ipſum crebris jaculis confodiebant. Fuerunt autem CXLIIII. ſagitte pectori ejus infixe, antequam genibus laberetur. Deinde

Throndi, & illi qvi *Dala* provinciam colunt ſive *Dalenſes*, maximam ſtragem in Danis cum ſagittis perfecerunt. Nam ſumma ſagittariorum vi recruduit bellum ɔ: invaluit, nec alia res Danis pernicioſior fuit. Audiens autem HARALDUS, qvi cecus in curru ſedebat, triſte murmur ſuorum, intellexit, hoſtibus ſuperiorem arriſiſſe fortunam, qveſivit a *Brunone*, fungente per inſidias officio aurige, qvalem modum *Ringo* in ordinanda acie habebat. Qvi, paululum in riſum ſoluto vultu, corniculata acie illum preliatum reſpondit. Qvo audito, Rex trepidare animo cepit, ac percontari, qvo auctore *Ringo* talem modum ordinandi exercitum contraxiſſet vel habuiſſet, maxime cum *Othinus*, hujus artis inventor & traditor, ſibi ſolummodo & non alteri hunc modum & ordinem tradidiſſet. Ad qvod ſilente *Brunone*, ſubiit Regem ac intra ſe cogitare cepit, hunc *Brunonem* eſſe *Othinum* Deum, qvi olim ſibi familiaris fuerat, nunc vero impreſentiarum gratia opis dande vel ſubtrahende verſiformi corporis habitu tegi. Cui HARALDUS mox ſupplicare obnixius cepit, uti Danis, qvibus ante clementer affuerit, etiam nunc victoriam tribuat, complementumqve beneficii origini exeqvaret: promittens ſe interfectorum manes pro munere eidem dedicaturum. At *Bruno* nichil obſecrantis precibus motus, repente excuſſum curru Regem arietavit in terram, ereptamqve cadenti clavam in ipſius caput detorſit, proprioqve eum geſtamine interfecit. Jacebant autem circa currum Regis innumera interfectorum corpora in tanta multitudine & congerie, ut ſummitatem rotarum excederent. Nam in acie *Ringonis* ad XII. milia proceres extincti ſunt. Ex parte vero HARALDI, preter populares, ad XXX. milia proceres corruerunt. Audiens autem *Ringo*, HARALDUM mortuum, dato ſigno, ſuos aciem laxare bellumqve remittere jubet, Danisqve ſvaſit, ut deſiſterent, eo qvod Rex eorum mortuus eſſet, dicens, fruſtra bellum ſine duce protrahi, fedusqve cum eis iniit. Deinde precepit *Sveonibus* ſive ſuis, ut corpus HARALDI reqvirerent, ut regaliter tumularetur, & ne regium funus debitis fraudaretur inferiis. In qva inqviſitione dimidium diei extractum eſt. Tandem cum corpore reperta clava, *Ringo* rogum extrui precepit, jubetqve Danis inauratam navim injicere in fomentum flamme. Cumqve corpus ſuper ignem poſitum conſumeretur, precepit *Ringo*, ut omnes proceres rogum cum merore & lacrimis circuirent, ac in nutrimentum ignis injicerent liberaliter arma, argentum, aurum, & qvecunqve precioſa in veneracionem tanti taliterqve apud omnes meriti Regis. Cineres qvoqve peruſti corporis in urna poſitos in *Lethram* perferri, ibiqve cum eqvo & armis regaliter ſepeliri preceperit. Talibus exeqviis avunculo perſolutis, Danorum ſibi favorem acqviſivit, odiumqve hoſtium ad gratiam deflexit. Poſt hec Dani ab eo petebant, ut *Hetham* virginem *Danie* preficeret. Qvod & fecit. Sed ne Dani citius rebellandi occaſionem haberent, *Scaniam* a Dania abrupit & *Oloni* tradidit, ipſum *Scanis* preficiendo, *Syalandiam* vero reliqvosqve regni fines *Hethe* duntaxat parere juſit.

RINGO Rex Svecie, ſororius *Haraldi*, qvem ipſe in Svecia fecerat regem. Hic transtulit oſſa HARALDI ad *Ledhræ*, & ibi cum eqvo & armis, ut moris erat, ſepelivit. Nota, qvod poſt *Ringonem* ponitur HETHA virgo, qve etiam regebat Daniam, ſed per *Syalandos* a regno depoſita, prout *Saxo* dicit, & etiam *alii Hiſtoriographi*. Hec edificavit juxta *Slæthen* villam, qve dicta eſt *Hetheby*, qve nunc dicitur *Slesvigh*.

HARALD frater *Ringonis*. De hoc *Haraldo* non facit mentionem *Saxo*.

OLO HIN FRÖGNÆ, alter ſororius *Haraldi Hylletand*. Hic adeo agilis fuit, ut ſcanſorium ad cellam habere nollet, fuitqve tam ferus in aſpectu, ut *Starcharerum*

ſolo

ſolo viſu proſterneret, qvem idem *Starckaterus* turpiter in balneo occidit, inductus ad hoc per alios, a qvibus accepit in premium aurum CXX. marcharum.

OMUNDUS filius *Olonis*, cujus tempore *Starckatherus* mortuus eſt, de qvo ſciter habes in *Saxone*. Hujus dens, ſcil. *Starkateri*, per *Henricum Hamethorp* militem de Dacia in *Teutoniam* pro miro eſt portatus, habens VI. pollices in magnitudine per circuitum. Uxor *Omundi* ESA. Hic cum exigeret tributum a Ruſcis, miſerunt ei canes & corvos. Ob hoc bellavit contra eos, in qvo bello occidit VII. Reges. Ad hunc accesſit *Starcatherus*, offerens ei aurum, qvod pro morte patris ſui *Olonis* petivit, ut mortem ejus ſuper ſe vindicaret. Inſuper obtulit ei gladium proprium. Qvod ipſe accipiens, ipſum ſtatim interfecit.

SIWARDUS filius *Omundi*, qvi per *Sclavos* & alios fuit tributarius factus.

BWTHEL (*Buthlus*), frater *Sivardi*, parum utilis, qvem Dani de regno depoſuerunt.

JARMERICUS (vel *Jarmarus*), filius *Sivardi*, qvi *Vsmarum* regem Slavie interfecit, & terram vaſtavit. Hic pugnans cum *Helleſpontis* in *Öreſund*, in bello eſt occiſus. Hic editicavit caſtrum in *Hielm*. Uxor ejus SWANILDA.

Nota hic aliqva de Regibus *Olone, Omundo, Sivardo* & *Jarmerico*.

Syalandenſes vero, ad qvos ſemper electio Regis principaliter pertinebat, qvi ante tam preclarum Regem habuerant, cum adhuc prioris fortune ſpes animis oberraret, femineis parere legibus probroſum exiſtimantes, ad *Olonem* accedunt, poſtulantes, ne pateretur eos jugo muliebri habere obnoxios, qvos ante tam clariſimi Regis milicie aſſvetos fuiſſe conſtaret, promittentes ſe fortiter cum eo ſtare, ſi pro deformitate condicionis eorum tollenda arma ſuſcipere bellum & eum pro Rege habere. Qvibus ille libenter conſentiens, *Hetham* ad ſe vocavit, & cunctis Danie inſulis & terris cedere ante minis qvam armis coëgit preter *Jutiam*, qvam, ne ei liberum uſum regni tribueret, vectigalem ſeu tributariam fecit. Et ſic Dania de poteſtate Sveonum liberata eſt. Hic *Olo* erat filius *Sycardi* Regis Norvegie & nepos *Haraldi Hylletand* ex ſorore. Qvi cum XV. annum ageret, adeo viſu efferus erat, ut qvod aliis armis ipſe oculis in hoſtem ageret, ac fortiſimum qvemqve vibrante oculorum acritate terreret. Hiç *Gunmonem* Telemarchie Ducem cum filio occidit. Ea tempeſtate erant duo pugiles adeo inſolentes & luxurioſi, ut excellentis forme virgines parentibus eriperent atqve violarent. Qvo evenit, ut *Eſam*, *Olavi* Regis Vermorum filiam, rapere vellent, ſed *Olo* eos cum X. famulis eorum occidit, virginemqve liberavit, qvam etiam in uxorem accepit, & ex ea *Omundum* generavit. Deinde *Olo* patrem viſitare volens, occidit *Thoronem* Regulum, qvi patriam ejus infeſtabat. Poſtea recepit a patre dominium maris, ubi LXX. maritimos Reges claſico bello occidit. Propter cujus rei famam plurimi pugiles ei ſociabantur, qvorum unus *Starchaterus* erat. Cum qvibus ita finitimorum Regum petulantiam caſtigavit magnitudine ſue opinionis, ut inter ſe preliari non auderent. Poſt hec ad *Haraldum Hylletand* avunculum ſuum profectus, maris dominationem etiam ab eo recepit. Tandem *Ringoni* in commilitium delegatur, & fuit in bello Svetico ex ejus parte. Tandem finito bello, *Ringo* prefecit eum *Scanie*, & demum totum regnum Danie per electionem Syalandenſium. Cum igitur *Olo* totam Daniam obtinuiſſet adeo impie & crudeliter rexit, qvod omnes peniterent, qvod *Hethe* Regine dominium abjeciſſent. Propter qvod XII. duces Danie contra *Olonem* conſpiraverunt. Sed qvia intentum ſuum per ſe facere non valebant nec audebant, dederunt *Starchatero* CXX. libras auri, ut regem ſpoliarent vita.

Dum ergo Rex balneo uteretur, *Starchaterus* ad eum intravit, mortem ei illaturus. Cumqve *Olo* contra eum reſpiceret, territus ille retrocesſit. Itaqve *Starchaterus*, qvi tot ducum tot pugilum arma protriverat, unius inermis viri aciem oculorum ferre non potuit. At *Olo* hec advertens, texit oculos atqve juſſit eum accedere propius & dicere, qvid nuntii afferret. Non enim ſuſpicionem aliqvam ad eum habebat, eo qvod diu fuiſſent familiares amici. Accedens igitur ad Regem, eum ſtatim gladio ſuo transverberavit, nitentisqve aſſurgere jugulum ferit. Poſtmodum *Starcatherus* penitentia & pudore perculſus, tantum doluit de iſto facto, qvod, qvandocunqve de hoc recordabatur, a lacrimis ſe continere non potuit. Propter qvod aliqvos ex his, qvi eum ad hoc inſtigaverant, occidit.

Poſt *Olonem* Dani fecerunt filium ejus *Omundum* Regem, plus parentis ejus nobilitatem, qvam merita attendentes. Hic, poſtqvam ad legitimam etatem pervenit, in nullo a paternis operibus ſtrenuis & probitatibus in armis defecit. Siqvidem res ab *Olone* geſtas aut eqvare aut transſcendere cure habuit. Hic *Ringonem* Regem Norvegie & amicos ejus occidit, peculiaria bona ejus rapuit & filiam ejus accepit in uxorem. Inter omnia autem preclara opera, qve geſit, nunqvam, qvibus multitudine exercitus precellebat, vim inferre ſuſtinuit, memor ſe fortiſſimo patre editum, virtute non numero bella gerere oportere. Deinde cum omnibus conſvetum a Sclavis tributum exigeret per legatos, illi non ſolum legatos occiderunt, ſed etiam eum apud *Jutiam* bello fatigabant. In qvo tamen bello *Omundus* ſeptem Reges ſuperavit, ſolitumqve jus tributi per victoriam confirmavit. *Omundus* autem obiit, diſpoſitis regnis in integra pace & ſumma tranqvillitate, duobus filiis & totidem filiabus relictis.

Ex qvibus maximus natu *Syvardus* regnum hereditate conſeqvitur, fratre ejus *Butlo* adhuc exiſtente tenero. Qvo tempore *Gotharus* Rex Svetie miſit legatum in Daniam pro filia *Omundi* ſibi adducenda in uxorem. Qvi legatus cum ea in via apud qvendam tirannum hoſpitatus, omnibus ſociis amiſſis, vix ſolus evaſit. *Gotharus* autem, hoc reputans ex inſtinctu *Syvardi* eveniſſe, contra eum bellum movit. Qvo *Syvardus* expugnatus apud *Hallandiam*, fugit in *Jutiam*, ubi cum veniſſet, *Sclavi* ſine duce bellum in eum moverunt, qvos ille ſuperavit feliciter & effugavit, ſed *Sclavi* poſtea eligentes ſibi ducem, *Syvardum* apud *Fioniam* debellaverunt. Adverſum qvos ipſe iterum in *Jutia* preliatus, infelicem eventum belli habuit, nam exutus *Scania* & *Jutia* eſt, & *Jarmericus* filius ejus ac due filie ejus in predam Sclavorum venerunt. Itaqve Danorum regnum fortiſſime propagatum, tantis etiam majorum titulis ſeu preclaris operibus illuſtratum, tot victoriis auctum, propter unius viri inertiam ex ſummo nitore fortune & florentiſſimo rerum ſtatu ad tantam ignominiam pervenit, ut tributum, qvod ab extraneis recipere ſolebat, jam exolvere cogebatur. *Syvardus* autem ſepius victoria caſſus, conſiderans caſus ſuos adeo infelices & deformes, ſtatuit in corde ſuo magis viriliter mori, qvam tam probroſam ducere vitam. Igitur congregato exercitu, cuidam *Symoni* procuranti Scaniam ſub *Gotharo*, bellum denunciat, in qvo, occiſo *Symone* ac magna ſtrage hoſtium facta, & ipſe pariter interiit, non tamen patria a tributo liberata fuit. *Jarmericus* autem filius Regis, cum ſocio *Gunmone*, diu apud Regem Sclavorum detentus eſt in carcere, ſed ob probitatem & egregia opera inde levatus, aſſumptus eſt inter amicos Regis. Qvi attendens, ſe etiam inter opes poſitum miſerabile Regis mancipium fore, cogitavit, qvomodo captivitatem evaderet. Deinde habita oportunitate, cum Rex convivium faceret, *Jarmericus* cum ſocio vigilibus largiter propinavit, & ſic occidit, erarium Regis ſpoliavit, Regem & Reginam cum curia & omnibus ſuis ex ebrietate dormientibus incendit, ſicqve in Daniam fugit.

Ea

Ea tempestate *Buthlus*, *Syvardi* frater, Danie perfunctorie preerat. A qvibus Danis *Jarmerico* venienti regnum tradere coactus, ex Rege privatus evasit. Hic *Jarmericus Gotharum* Regem Svetie occidit, & *Svetiam* sibi subjugavit. Deinde *Sclavos* aggreditur. Qvorum XL. captos, applicatis eis totidem lupis (canibus), laqveis suspendit, atqve terram eorum oportunis presidiis firmavit. Inde profectus contra populum *Sembonum*, *Ruscorum*, *Curetum*, plurimarumqve orientis gentium, magnam cladem in eis fecit. In cujus absentia *Sclavi* audaces facti, primo presides supra se constitutos occiderunt. Deinde *Daniam* infestabant. Rediens autem *Jarmericus*, classem eorum delevit, optimatesqve eorum alligatos pedibus immanium taurorum, magnisqve canibus insequentibus & latrantibus, festinanter in lutum tribulos spinas tuberes voraginesqve pertractos lacrimabili & horribili spectaculo consumpsit. Ea re territi *Sclavi* cum summa trepidatione Regem servierunt, & ejus imperium coluerunt. *Jarmericus* igitur, tot gentium spoliis & rapinis locupletatus, firmum castrum fecit construi in alta rupe opere mirifico, scil. *Hielm*, ubi thesaurum suum ponebat. Deinde navibus lustrans mare, cum qvatuor fratribus de *Helleſponto* triduo pugnavit, qvos vincens, eos ad solvendum tributum coëgit ac sororem eorum ab eis extorsit. Demum iterum Sclavi se contra Regem erexerunt, sed Rex duces eorum captos ligari fecit ad caudas eqvorum ac per cursus eorum discerpi & lacerari. In hunc modum consumpti principes distractu corporum suorum pertinacis animi penas dederunt. Qve res Sclavorum obsequia in suo statu eqvali ac solida subjectione continuit. Interea qvi ex sorore *Jarmerici* apud Germaniam orti fuerunt, arma contra eum sumpserunt, dicentes ad se regnum Danie pertinere, sicut ad ipsum. Qvorum municiones Rex apud *Germaniam* machinis demolitus, opidis ac civitatibus multis aut obsessis aut captis, nonnullis etiam solo adeqvatis, incruentam victoriam ad Daniam reportavit. Post hec *Bicco* filius Regis *Livorum* se ad *Jarmericum* fraudulenter contulit, intendens ei malum, eo qvod fratres suos olim occidisset, *Jarmericus* eum benigne recepit ac in brevi adeo charum habuit, ut fieret conscius omnium secretorum ejus. Qvod cùm *Bicco* persentisset, qvod monitis ejus & consiliis acqviesceret, ejus animum malitiose ad omnia perversa concitavit in tantum, ut Rex fieret odiosus omnibus. Interea dum absens esset Rex, *Broderus* filius ejus ex alia uxore noverce curam fideliter & sine fraude exercuit. Qvem *Bicco* accusabat coram Rege de incestu cum noverca, adducens falsos testes. Qvod Rex credens de consilio *Bicci*, ipse suspendio, Regina vero calcibus eqvorum interficienda adjudicati sunt, taliqve horrendo genere mortis ipsa innocens vitam finivit, filius vero servatus est modo mirabili. Qvod cum fratres Regine de *Helleſponto* audirent, venerunt contra Regem cum magno exercitu. Igitur inito conflictu, uterqve exercitus cum Rege & ducibus consumptus est.

BROTHERUS, frater *Jarmarici*, qvem dicit *Saxo* & plures alii, filium ejus fuisse. Hic patri succesfit in Regnum, parum idoneus.

SIWALDUS, cujus gesta non habentur. Forsan modico tempore regnavit. Filius *Brotheri*.

SNYO filius *Sivaldi*, cujus tempore exiverunt de Dacia propter famem, qvi postea *Longobardi* dicti sunt. Exiverunt anno Domini DCLXXXVI. Hoc etiam dicit *Cronica vulgaris*. Hic devicit *Gothiam* ɔ: *Göttingæ landh*, ut dicit *Cronica vulgaris*. Hujus tempore qvilibet nonus vir, cui sors obvenit, exivit de Dania propter nimiam caristiam, qve tunc desevit in Dania, & navigio in Lombardiam venerunt, qva devicta, ibidem habitationis sedem posuerunt. Postea tempore *Karoli Magni* etiam Apuliam obtinuerunt, ibiqve etiam permanent usqve hodie.

(*Plura de Snione.*)

Poſtea regnavit SNIO filius *Syvaldi.* Hic, ſeneſcente patre, ſtrenuum piratice opus complexus, patrie res non ſolum ſervavit, ſed etiam diminutas in priſtinum ſtatum revocavit. Duos pugiles perdomuit. *Scaniam* ab integritate Danice jurisdictionis ſubmotam cum victoria reduxit. Qvi etiam mutuum amorem cum filia Regis Gothie contraxit. Misſisqve occulte nuntiis attemptavit, ſi eam de paterna domo abducere poſſent. Qvos pater puelle capiens ſuſpendio conſumpſit. Igitur SNYO eorum necem vindicare volens, cum exercitu verſus Gothiam eſt profectus. Cui occurrens Rex Gothie,. predictorum pugilum provocatione bellum per athletas ſeu pugiles geri poſſe convenerunt, ea conditione, ut cujus pugiles vincerentur, ipſe alteri regno cederet. Sicqve factum eſt, ut Rex Gothie, pugilibus ſuis victis, regnum ſuum Danis reddere cogeretur. Audiens autem SNYO, filiam ejus, cogente patre, Regi Svetie nuptam, qvendam egenum miſit, ut animum ejus ſubtiliter exploraret. Qvi more pauperum juxta hoſtium ſedens, dum Regina circa eum transiret, exili voce ait: *Amat te Snio.* Qvam vocem ipſa callide intelligens, nec viſu nec pede relato, ulterius procesſit in aulam, ſtatimqve qvaſi de ambulando regrediens, tenui voce ait: *Amantem me reamo.* Sicqve procesſit. Gaviſus egenus de reſponſo. Seqventi die procedente Regina, ea calliditate ait: *Res locum expetit.* At ipſa non minus callide regrediens ait: *In Böckerör cito veniam.* Inde enim fugere intendebat. Interim occaſione habita, egenus de tempore reqviſivit. Qve initium hiemis nominavit. Hec omnia cum SNIO didiciſſet per egenum, predicto tempore ad locum nominatum cum navibus venit. Regina vero, ſublatis opibus mariti, ſimulabat ſe velle ire ad lavandum. Qvam SNIO recipiens, remeavit in Daniam. Propter qvod diu varia fortuna Rex Svetie & SNYO ad invicem bellaverunt. Ea tempeſtate corrupta ubertate agrorum propter aeris intemperiem, incidit ſeu venit magna cariſtia ſeu caritas annone in Dania. Cumqve populus inedia victualium affligeretur, Rex anxius, qvomodo populo ſuccurreret. Advertens autem, bibulorum majorem qvam edacium multitudinem eſſe, parcitatem populo intulit, convivia depoſuit, edixitqve, ut de frugibus nullus potus fieret, ut eo magis eſca iis ſuppetere poſſet. Tunc qvidam ebrietati deditus do . . . nter bibere non poſſet, novum calliditatis modum adinvenit, ut . . . ſorbens usqve ad ſacietatem potum ſumeret. Conventus coram Rege, qvod ejus edictum violaſſet, reſpondit, ſe contra edictum Regis non bibiſſe, ſed ſorbuiſſe. Sed cum prohibitus eſſet de ſorbitione, modum iterum novum adinvenit, ut panem poroſum potu repletum qvodammodo exhauriret, usqve qvo ſatis haberet, Cumqve & hoc ſibi prohibitum eſſet, nec jam excuſationis velamen excogitare valeret, potum magis qvam vitam diligens, braxari fecit de frugibus contra edictum Regis, atqve palam ad calicum uſum & ciphorum evacuationem eſt reverſus absqve timore. A qvo cum Rex qvereret, cur totiens edictum ſuum ſpreviſſet, reſpondit, ſe hoc non ex aviditate potus feciſſe, ſed ex benivolentia, qvam erga eum habebat; novi enim, qvod exeqvie tue magno peragentur convivio, ideo ne epulum, qvo peragantur exeqvie tue, careat uſu ſolenni potionis ob fermenti inopiam, qvadam induſtria potius qvam voracitate ductus, providi temperamento prohibiti liqvoris, te autem ante alios inedia periturum non ambigo, & priorem ſepulchro opus habiturum, firmiter teneo, cum ob hoc inuſitatam legem parcitatis poſuiſti, qvod times tibi primum deficere alimoniam. Tibi qvippe non aliis conſulendo novum auctorem avaritie agere ſuſtines, & propter commodum tuum non aliorum hec facis. Per talia autem verba vir iſte iram Regis in ruborem convertit. Rex autem, cum conſpiceret, decretum, qvod pro pub-

lica

lica ſalute hominum feciſſet, in ludibrium ſui veniſſe, omiſſo conſilio communis utilitatis, revocavit edictum, volens illud potius relaxare, qvam offenſam civium contrahere. Cumqve inedia & fames invaleſcerent, plebiſcito edictum eſt, ut ſenibus ac parvulis occiſis, omnibusqve ineptis ad arma regno expulſis, ſolummodo robuſtis patria donaretur, nec niſi habiles armis aut agris colendis retinerent domos parentum ſuorum. Qvod cum qvadam matrona *Maggæ* vel *Gambaruc* audiſſet, damnavit hanc ſententiam tanqvam turpisſimam & inhumanam, dicens, non oportere neceſſitatem redimi parricidio, aſſerens fore conſilium propius honeſtati & expetibilius eſſe virtuti animorum & corporum, ut ſervata erga parentes & liberos pietate ſorte eligerentur, qvi patriam exirent. Qve ſors ſi ſuper ſenes & invalidos veniret, robuſtiores ſe loco eorum offerrent. Ceterum dixit, indignos eſſe vita, qvi illam ſcelere & ſacrilegio comparare vellent & ſuſtinerent perſeqvi parentes ac prolem tam iniqvo & crudeli ſententie genere. Poſtremo cunctos aſſerens male patriam demereri, apud qvos charitas proprii ſpiritus preponderaret amore parentum aut liberorum. Qvod conſilium omnes approbaverunt tamqvam rationabile, ſicqve omnes, qvos ſors invenit, regnum exiverunt. Primum itaqve *Blekingiam* advecti, deinde preternavigantes *Moringiam*, ad *Gutlandiam* ſe appulerunt. Tandem ad *Rugiam* ſe applicantes, ubi navibus derelictis, multas terras peragrati ſunt, omnia armis depopulati ſunt. Poſtremo poſt factas late ſtrages, in *Italia* ſedem poſuerunt, & priſcum illius gentis vocabulum, ubi ſe poſuerunt, ſuo nomine permutaverunt, vocantes *Longobardos*, a qvibus & terra *Lombardia* qvaſi *Longobardia* dicta eſt. Interea *Damorum* tellus, deficientibus jam cultoribus ſufficientibus, occupatur denſitate nemorum, frutectorum & virgultorum, qvod etiam hodie apparet. Et ubi olim fruges creverunt, nunc ibi arbores videntur, manentibus veſtigiis veteris culture, ſcil. ſulcis aratro factis, cum distinctionibus ſeu diviſionibus agrorum. Colles qvoqve, qvos in plano ſeu planicie humandorum cadaverum cura veterum labor extruxerat, nunc congeries ſilve occupat. Cernere etiam eſt acervos petrarum ſilvarum ſaltibus interſitos, qvas petras qvondam agricultores in unam congeriem ſublegerant, vel accumulaverant, eligentes potius exiguum agri perdere, qvam totum difficile reperire. Ex qvibus perpenditur populus prioris evi poſtero numeroſior extitiſſe. Hec de SNIONE ſufficiant.

BIORN (*Byorno*), cujus etiam geſta non habentur, qvia forſan de memoria deleta ſunt. Filius *Snionis*, dictus *Jernſide*. Parum regnavit, hic parum induſtrius erat.

HARALDUS, filius *Biornonis*, qvi modico tempore regnavit.

GORM (*Gormo*) GAMLE, qvi fuit inveſtigator mirabilium, qve audivit. Fuit etiam filius *Haraldi*. Huic *Gormoni* inter priores Danorum reges titulus rerum ab eo ſtrenue geſtarum non infime laudis locum tribuit. Hic enim novum audacie genus complexus eſt, ut rerum mirabilium veritatem & certitudinem, qve audivit, inveſtigaret & ſcrutaretur. Nam ut alii reges exercuerant ſe in armis, ita iſte poſuit ſe ad probandum ea, qve fama vulgabat. Et habet iſte prolixam Hyſtoriam. Vide in *Saxone*. Nota qvod *Torkillus* dicitur fuiſſe primus Criſtianus in Dania, nuntius enim fuit iſtius *Gormonis* Regis, ubi incidit in multis periculis, qve invocato Deo celi & omnium evaſit. Tandem ad Germaniam appulſus, divini cultus rudimenta & baptismum accepit, & factus eſt primus Chriſti fidelis Dacie. Et extunc per eum & alios converſi creduntur fuiſſe occulti in Dania chriſtiani. Sed creditur, qvod parum tunc profecit fides Chriſti. Iſtius *Gormonis* filius dicitur fuiſſe *Ogerus Danus*, qvi fuit unus de principibus exercitus *Karoli Magni*.

GOTRICUS, filius *Gram* (*Gorm*) *hin giæffmildæ.* Hic etiam dictus est *Godefridus.* Hic subjugavit *Sveciam*, cum omnibus vicinis, & *Fresiam* majorem, occiso principe eorum *Erico*, & *Teutoniam* jam septimo tributariam fecit sibi. Anno Domini DCCLXXVI. occurrit *Karolo Magno* Imperatori ultra Albiam in bello, & fugavit eum de Saxonia, & terram totaliter devastavit. Qvi *Karolus* volebat Alemaniam eripere de dominio ejus. Demum tenuit bellum cum eodem *Karolo* de regno ejus scil. *Francorum* annis XXX. & qvasi ad solitudinem redegit, similiter *Frisiam.* Hic CCC. *holckæ* semper habuit in mari preter exercitum terrestrem. *Sclavos* & *Nordalbingos* ad tributa coegit, ecclesiam Christi afflixit. Hic non solum in armis probissimus fuit, sed etiam adeo liberalis, ut *hin fœmildæ* sit vocatus. Fuit insuper mansvetus. Hic volens sibi acqvirere *Svetiam*, misit ad eos legatum suum, qvem illi occiderunt. Qvibus singulis, qvi huic facto interfuerant, XII. talenta auri, cuilibet vero ex plebe unam unciam auri imposuit & accepit. Nota de *Gotrico* Rege. Accidit, ut rex Francorum *Karolus* debellatam Germaniam non solum ad fidem, sed etiam ad serviendum sibi compellebat. Qvo comperto, *Gotricus* finitimas gentes *Albie* aggressus, *Saxoniam* tentavit recuperare. Adversus qvem *Karolus* profectus. Sed cum a *Leone* Papa in presidium urbis tuende accersitus fuisset, paruit mandato ejus, filium vero *Pipinum* reliqvit contra *Gotricum* pugnaturus, contra qvem & *Saxones.* GOTRICUS speciosam victoriam habuit. Qva confortatus, congregata multitudine exercitus bellatorum, non solum in Saxones, sed etiam in omnem Germanie populum intendens vindicare, qvod a suo dominio recessissent. Primo igitur in *Frisiam* classe navigans eam devicit, cui & inusitatum tributum imposuit. Cumqve ulterius in alias Germanie partes & provincias procedere statuisset, insidiose a proprio satellite interfectus est. Qvo audito, *Karolus* exultans, nunqvam jucundiorem eventum fortune sue accidisse testabatur. Qvod sine dubio divina ordinatione factum creditur, ne christianissimo principi in dilatanda fide impedimentum prestaret. Hic GOTRICUS cum per multa prelia multas regiones sibi subjugasset, precipue Germaniam, hanc legem tributi Saxonibus primo victis dedit, ut qvociens Rex novus in Dania crearetur, vel novus Dux Saxonibus preficeretur, semper Duces eorum deberent Regi Danie C. *eqvos albos* in signum subjectionis presentare. Hic cum *Fresis* itemqve *Nordalbingis* & *Sclavorum* populis tributo subactis *Carolo Magno* bellum minabatur.

OLAVUS GOTHDRÆNG, filius (frater) *Gotrici*, qvi nil magni extra regnum fecit. Sed mortem patris intra regnum vindicavit, & regnum in bona tenuit pace. Hujus corpus collis congestus circa *Lethram* continet, qvod dicitur *Collis Olavi.*

HEMMING, filius *Olavi*, nepos *Gotrici*, qvi pacem fecit cum *Ludovico* Imperatore, & ut fluvius *Eydora* sit limes regni Danici. Nota, qvod *alia Chronica* dicit, qvod iste regnavit post *Gotricum*, & erat patruelis ejus, & fecit pacem cum *Karolo Magno* Imperatore, & *Egdradam* fluvium regni sui terminum accepit. Post *Karolum Magnum* succesfit filius *Ludovicus.* Hujus anno I. mortuo *Hemmingo* Rege, *Sigefridus* & *Amilo*, nepotes *Gotrici*, prelio interierunt. Pars *Amilonis Reynfredum* & *Haraldum* in regnum posuit. *Ludovico* Imperatore mortuo &c. Postea hec videntur veriora saltim aliqva. Hic erat Rex tempore *Karoli Magni.*

RINGO, qvi erat nepos *Gotrici* ex filia, regnavit tantum in Jutia.

SIWARDUS, similiter nepos *Gotrici*, & regnavit in *Scania* & *Sialandia.* Hic cognominatus est RINGH. Isti duo prelium inierunt pro sceptro, sed ceciderunt ambo cum XI. milibus.

REGNER

REGNER LOTHBROG, filius *Sivardi.* Hic ſubjugavit *Angliam* bis, *Scociam*, *Yberniam*, *Norvegiam* bis, *Sveciam*, *Teutoniam* jam VIII., *Slaviam*, *Jutiam*, & omnia regna occidentis, ita qvod IX. filios ſuos ſingulos in ſingulis terris prefecit Reges, & ipſe ab uno regno ad aliud inter eos tranſivit. Etiam ſubjugavit *Gwdland*, *Grönland*, & Inſulas *Orcades* ɔ: *Örkenöö*, cum pluribus inſulis in *Weſtræſöö*, etiam *Saxoniam*, ubi Imperatorem fugavit, relictis armis. Hic per XL. annos urbes *Francie* vaſtavit, & *Pariſius* veniens in eccleſia ſancti Germani & in *Aqvis grani* in palacio Imperatoris ſtabulum eqvorum fecit. Hic *Franciam* uni filiorum ſuorum tradidit. *Fra Dannark oc ſaa til maret vdh jeg offwermand* &c. Hic XV. filiis ſuis tradidit ſingilatim ſuum regnum, qvorum nomina ſunt hec: *Ornick*, *Godefredh*, *Wlff*, *Byörn*, *Ramnt*, *Sigefredh*, *Symer*, *Jmer*, *Radwlff*, *Erick Wedherhat*, *Agner*, *Vbbe*, *Ingwer*, *Fritla*, *Dunuadh.* Filii iſtius REGNERI, duce *Ingvaro*, devicta *Norvegia*, in *Anglia* Regem Umborum occiderunt, aliis duobus Regibus fugatis, Anno Domini 867. Poſt hec ſanctus *Eadmundus* Rex Anglie ab *Ingvaro* flagellatus & decollatus.

Nota hic de RINGONE, SIWARDO & REGNERO Regibus in alio latere poſitis.

Poſt *Hemmingum* SYWARDUS cognomento RING regnat. Qvem pater ejusdem nominis Norvagie Dux genuit ex filia *Gothrici* Regis Danie. Hic *Syalandiam* & *Scaniam* & alias inſulas habuit. Sed RINGO conſobrinus ejus, qvi etiam nepos erat *Gothrici*, *Jutiam* occupabat. Qvibus invicem discordantibus, exteri ceperunt non ſolum ſpernere Daniam, ſed etiam infeſtare. Contra qvos *Syvardus* qvinqve annos bellavit. *Ringo* autem nichil cogitans, niſi qvaliter totum regnum uſurparet, provincias *Syvardi* invaſit. Igitur *Syalandenſes* volentes *Syvardo* abeunti ſervare fidem, filium ejus parvulum nomine *Regnerum* Regem ſtatuunt, non qvod ignorarent eum nondum aptum pro regno, ſed ut caput haberent, & ut ejus ductu adverſus *Ringonem* torpentium animos ſociorum excitarent. *Ringo* autem audiens, *Syvardum* redeuntem ab expeditione, *Syalandenſes* invaſit, anteqvam rediret, minas proponens, qvod niſi ſe dederent & ei ſervirent, gladio perirent. At Syalandenſes inducias reſpondendi & deliberandi ſe poſtulaverunt, eo qvod diffidebant ſe propter paucitatem poſſe reſiſtere. Qvibus impetratis, cum reputarent indignum dimittere *Sivardum* & inhoneſtum amplecti dominium *Ringonis*, diu inter metum & pudorem ſolliciti jactabantur. Sed cum in conſiſtorio de hoc tractarent, *Regnerus* tunc aſiſtens, ait: *Brevis arcus ſubito ſpiculum jacit.* Ego vero etſi puerili auſu videar ante majores reſpondere, precor tamen mihi ignoſcendum. Verum prudentie monitor etſi deſpicabilis videatur, reſpuendus tamen non eſt, docili qvippe animo ſorbella eſt diſciplina utilium. At qvoniam deſerere & transfugere a *Syvardo* patre meo turpe eſt, ita ſupra vires audere & attentare contra *Ringonem* temerarium eſt, & utrobiqve par culpa convincitur ſubeſſe, & ideo ſimulate transeundum eſt ad *Ringonem*, idemqve, cum primum facultas advenerit, derelinqvendus. Satis ergo & melius erit iram adverſarii figmento obſeqvii precurrere qvam negatione eundem in nosmet ipſos puniendos & exterminandos acrius armare. Qvid enim agimus detrectantes & abjicientes imperium fortioris, niſi qvod nos ipſi in jugulum noſtrum arma ſponte preſtamus. Sepe involutioribus ſtudiis efficacisſima fraus alitur, calliditate & doloſitate illaqveanda eſt vulpes. Cujus prudentiam omnes admirati ſunt, audientes, tantam induſtriam eſſe in puero. Cujus etiam conſilium acceperunt. Sed inſtante periculo, ne *Regnero* puero aliqvid mali contingeret, in *Norvagiam* educationis gratia transtulerunt.

Poſtea *Syvardus Ringonem* bello invaſit. Qvo occiſo, etiam ipſe paucis interjectis diebus ex vulnere decesſit.

Cui *Regnerus* in regnum ſucceſſit. Qvo tempore Rex Svetie *Frö*, interfecto *Syvardo* Rege Norvegie, avo *Regneri*, ipſum regnum occupat, ſed *Regnerus* in Norvagiam proficiſcens ipſum proſtravit, ubi uxorem accepit, ex qva genuit duas filias & filium *Fridlevum*. Sicqve in illa terra feriatus eſt triennium. Cujus ob recentes nuptias reditu deſperato, *Juti* gens inſolens, adjunctis ſibi *Scanis* in ſocietatem, *Syalandos*, qvi *Regnero* fidem tenebant, bello invadere tentabant. Qvod *Regnerus* audiens, cum XXX. navibus rediit, & *Scanos* primo obtrivit. Deinde transacto hieme cum *Jutis* prope *Lymſiorthinum fretum* pugnavit & devicit. Tertio item & qvarto *Scanos* & *Halandos* perdomuit. Poſt hec repudiata ob cauſas priori uxore, accepit THORAM, *Herothi* Regis Svetie in uxorem, & genuit ex ea filios, *Rathbarthum*, *Dum*, *Warthum*, *Syvardum*, *Biornum*, *Agnerum*, *Ivarum*. Interea Juti & Scani, abjecto dominio *Regneri*, qvendam *Haraldum Klag* ſuper ſe Regem fecerunt. Qvo audito *Regnerus* in Norvagiam mittens, auxilium precabatur. Tunc prior uxor ejus immemor repudii ſibi facti, ſed memor priſtini amoris, cum viro ac filios ei cum claſſe CXX. navium in auxilium venit. *Regnerus* autem victoriam habuit, & *Haraldus* per fugam evaſit. In qvo bello *Ivarus* filius Regis, ſeptimum agens annum, virilia facta in bello gesſit. Mortua eſt autem THORA uxor *Regneri*, qvi ex dolore cepit propter eam infirmari. Cogitans autem, hujusmodi dolorem per militare exercitium expellendum, edixit, ut qvicunqve paterfamilias haberet filium vel ſervum minus valentem aut pigrum, eum ſibi daret in ſtipendiarium, intendens per hoc inertes & deſides trahere ad probitatem. Contracto igitur exercitu, *Britanniam* petiit, Regemqve ejus *Hamam*, patrem nobiliſſimi juvenis *Helle*, in bello occidit. Deinde *Scotie* ac *Petie* aliarumqve inſularum auſtralium duces interfecit, preficiens eis filios ſuos *Syvardum* & *Rathbarthum*. *Norvagie* vero & *Orchadibus* prefecit *Fridlevum* filium ſuum. Interea qvidam Danorum revocaverunt *Haraldum* ſupradictum profugum contra *Regnerum*, contra qvos *Regnerus* veniens, rebellium agmen eliſit, ac *Haraldum* in Germaniam fugavit. Deniqve implorato filiorum auxilio, *Saxoniam* invaſit, eo qvod refugium *Haraldi* aliorumqve ſibi rebellium videretur, ubi *Karolum Magnum* Imperatorem invenit, cum qvo pugnavit atqve fugavit. Sicqve *Karolus*, qvi pene totam Europam armis domuit, multasqve gentes & civitates devicit, jam a *Regnero* vincitur & fugatur. *Regnerus* autem ſuppoſuit *Saxones* gravi tributo. Audiens autem *Regnerus*, *Herothum* Regem Svetie mortuum, ac filios ejus per *Sorlum* qvendam, qvi regium diadema ſibi impoſuerat, patrimonio privatos, aſſumpſit ſecum filios *Byornum*, *Fridlevum* & *Rathbartum*, & in Svetiam profectus eſt, atqve *Sorlum* & *Scartum* pugilem cum VII. filiis proſtravit, filiumqve ſuum *Byornonem* fortiſſimum Svetie prefecit. Deinde *Regnerus* ex alia uxore genuit filium *Ubbonem*. Poſt hec *Regnerus*, aſſumptis ſecum filiis, preter *Ubbonem* & qvemlibet valentiorem filium cujusqve patrisfamilias, in *Helleſpontum* tranſivit, Regemqve ejus *Dyan* debellatum occidit. Cujus filii *Dyan* & *Daxon*, habentes filias Regis Ruthenorum uxores, aſſumptis ſecum *Helleſpontis*, *Ruthenis* & *Scythis*, necem patris nitebantur vindicare, ſed *Regnerus* eos ſuperavit, provinciamqve eorum contulit filio ſuo *Withſerco*. *Ruthenorum* autem Rex diffidens, ſe poſſe reſiſtere *Regnero*, fugam iniit. Poſtea REGNERUS *Byarmenſes* ſibi ſubjecit, Rege eorum interfecto. Qve omnia REGNERUS *grandibus ſaxis* inſculpi fecit. Interea *Ubbo* filius ejus contra eum inſurrexit, ſed captus eſt & incarceratus. Interea *Daxon*, filius Regis Helleſponti, in ultionem necis

cis paterne *Withfercum* filium Regneri, Svetie principantem, infidiose occidit. Qvod cum *Regnerus* audisset, pre dolore infirmari cepit. Qvem uxor ejus arguens dixit, mortem filii armis non fletibus vindicandum. Committens igitur *Ivaro* filio tutelam Danie, *Ubbonemqve* recipiens in graciam, in *Ruschiam* cum classe est profectus. Sed mira humanitate erga *Daxonem* interfectorem filii usus est, qvippe cum occidere posset, in graciam recepit reddiditqve ei patriam, sub tali tributo, ut annuatim ipse *Daxon* cum XII. patribus censum humiliter offerret. Inde profectus, filium *Ericum*, cognomento *ventosi pilei* ɔ: *Wedderhath*, Svetie prefecit. Audiens autem, Noricos & Scotos rebellare, primo in *Norvegiam* transivit, ejusqve Duce interfecto, filio suo *Biorn* eam dedit. Deinde, receptis secum *Biorn* & *Erico*, *Orcades* devastabat. Postea *Scotiam* invadens, Regem ejus *Murial* triduano prelio exhaustum interfecit, ubi filii ejus *Dumath* & *Rathbartus* in bello ceciderunt. Cumqve in Daniam rediret, audivit *Ivarum* filium de regno expulsum. Nam *Galli*, fugato *Ivaro*, qvendam nomine *Hellam* filium *Hamonis* Regem fecerant. *Regnerus* autem classe venit, ubi tribus diebus bellans *Hellam* fugavit, plurimis Gallis interfectis. Post hec in *Hyberniam* arma movit, cujus Rege occiso, *Dublinam* civitatem obsedit & cepit, ubi per annum permansit. Deinde per mediterraneum mare usqve ad *Hellespontum* navigans, intermedias regiones cum solennissimis victoriis pertransivit. Inter hec supradictus *Haraldus* per qvosdam Danos, qvi militiam & absentiam *Regneri* egre ferebant, usurpavit sibi regium nomen, qvi dum a facie *Regneri* redeuntis ab Hellesponto aufugeret, adiit Imperatorem *Ludovicum* &c. Qvomodo iste *Haraldus* fidem introduxit, & Regnerus expulit, habes in folio seqventi. Interea *Hella* ad Hybernos transiens, omnes ibi *Regnero* fideles occidit. Contra qvem *Regnerus* cum classe, justo Dei judicio propter repudium fidei christiane, ab *Hella* comprehensus est, & in carcerem conjectus, ac demum colubris objectus, ut ab ipsis consumeretur. Qvi dum corpus ejus devorarent, omnem cursum operum suorum animosa voce recensuit, & tandem in fine adjecit: Si sucule seu porcelli scirent supplicium verris, diruptis haris ɔ: stabulis, ad liberandum afflictum festinarent. Qvod audiens *Hella*, advertens ipsum habere filios superstites, misit, qvi ipsum a serpentibus liberarent. Sed anteqvam ipsi venirent, *Regnerus* spiritum exalavit. Pro cujus morte vindicanda *Ivarus* filius ejus in *Angliam* transivit, nec longe post, alii filii ejus, *Syvardus* & *Biornus*, cum qvadringentarum navium classe supervenientes, bellum *Helle* denuntiant. Qvo in bello capto, dorsum ejus plaga aqvilam figurante incidi jusserunt atqve vulneri sal insperserunt, taliqve tormento *Hella* propter necem *Regneri* vitam finivit. *Syvardus* igitur & *Biorn* ad sua regna redierunt. *Ivarus* Angliam biennio tenuit. Interea Dani *Syvardo* cuidam atqve *Erico*, regio sangvine natis, regium diadema contulerunt. Contra qvos filii *Regneri* cum mille septingentis navibus venientes, ipsos apud *Slesvicum* bello sex mensium deleverunt. Jamqve preter *Regneri* filios sangvis regius prope interierat. *Biornone* autem & *Erico* ad sua regna reversis, *Ivarus* atqve *Syvardus*, ut Danos rebelles compescerent, in Dania resederunt, *Agnerum* Anglie prefecientes. Qvo ab Anglicis expulso, opitulante sibi *Syvardo*, Angliam incolis vacuefecit & vastavit. Post hec *Erico* in Svetia occiso, dum *Agnerus* necem ejus vindicare vellet, etiam ipse post fratrem interemptus est. *Syvardus* autem consensu omnium Danorum paternum apprehendit imperium. Qvi post multas strages & victorias in diversis terris factas tandem ad pacem se contulit, adeoqve fortuna imitacionem ejus persecuta est, ut sicut ipse nullum, ita nullus ipsum invasit. Hic moriens infantulum filium *Ericum* reliqvit, qvi dictus est *Ericus Barn*. *Ericus* autem frater *Haraldi Klag* ipsum spernens, con-

ſpirantibus ſecum qvibusdam Danis, regium inſigne occupavit. Sed ſubito inter ipſum & *Guthormum Haraldi* filium tante cede dimicatum eſt, ut utriusqve ducibus cum innumeris aliis occiſis, regia ſtirps Danorum, excepto *Syvardi* filio *Erico Barn*, totaliter interiret. De iſto ERICO habes in alio folio. Nota, qvod iſte *Regnerus* multas fecit expeditiones, & diu erat aliqvando in aliis terris, ideo non ſolum iſte *Haraldus Klag* regium nomen habuit, ſed etiam plures alii. Unde *Chronica* iſto tempore multum confuſa eſt qvoad Reges.

INGVARUS filius *Regneri*, qvi crudeliſſimus omnium ſuorum fuit. Hic, audita morte patris, congregavit cum ſuis fratribus naves MMCCCCC. & mortem patris vindicaverunt. Poſtea Angliam petierunt, ubi ſanctum *Eadmundum* decapitaverunt. Demum ad Alemaniam venerunt, ubi omnes a Ceſare *Arnulpho* occiſi ſunt, & hanc victoriam miraculoſe habuit.

SIVARDUS frater *Ingvari*, qvi poſt magnas ſtrages in pace regnavit. Poſt iſtum, regni invaſoribus mutuo conſumptis, *Ericus Barn* regnat, primo crudeliſſimus in Chriſtianos &c.

AMILO, qvi dicitur nepos fuiſſe Regis *Godrici*. Iſti duo (ſcil. *Amilo* & *Sigefridus*) cum inter ſe de primatu convenire non poſſent, prelio ambo interierunt. Pars tamen *Amilonis* cruenta potita victoria *Reynfridum* & *Haraldum Klag* fratres in regnum poſuit. *Reinfridus* vero mox a fratre pulſus, claſſem piraticam exercuit. *Haroldus* autem a filiis *Gotrici* (alibi habetur *Sigefridi*) regno privatus, ad *Ludovicum* Imperatorem confugit, petens auxilium &c.

SIGEFRIDUS nepos ejusdem *Godrici*. Hic pugnavit 4 annis contra *Amiloniem* propter regnum. Tandem in bello ambo ceciderunt, & cum eis XI. milia hominum. Erat Rex tempore *Karoli Magni* anno Domini DCCLXXX. Hoc dicit *Hiſtoria Saxonum*. Sed ego credo, qvod erat *Godefridus*.

REINFRIDUS (*Reginfredus*), contra qvem pugnavit qvidam *Haraldus* 14. annis & expulit eum de regno.

HARALDUS KLAG, qvem filii *Sigefridi* de regno expulerunt, fit Rex 821. Qvi ad Imperatorem *Ludovicum* ſupplex confugit, recepitqve *Maguncie* baptismum cum uxore & fratre ſuo *Erico*, atqve per Imperatorem in regnum reſtitutus eſt, moxqve reliqvit chriſtianitatem. Sed veniens in Daciam beatus *Ansgarius* Anno Domini DCCCXXXIII. iterum reduxit eum ad fidem. Obiit 846. Nota, qvod *Regnerus Lodbrog* Rex Danie plures expeditiones fecit ad alias terras ſibi ſubjugandas, & ideo Dani, & maxime *Juti* & *Scani*, ejus militiam & abſentiam egreferentes, hunc HARALDUM ſuper ſe Regem fecerunt.

De predictis ante, *Amilone*, *Sigefrido*, *Reinfrido*, *Saxo* nullam mentionem facit. Sed de dicto HARALDO, qvem ponit fuiſſe receptum in Regem per aliqvos Danos tempore *Regneri Lothbroc*, & freqventer fuiſſe fugatum per eum, ponitqve, ſtatim poſt *Siwardum*, *Ericum* fratrem dicti *Haraldi*.

HARALDUS igitur expulſus, ut dictum eſt, venit ad Imperatorem *Ludovicum*, filium *Karoli Magni*, Maguncie, petens auxilium ab eo, ut in regnum reſtitui poſſet. Qvi ſtatim ibi ad inſtinctum Imperatoris baptizatus eſt ab Archiepiſcopo illius civitatis *Othgario*, alibi habetur *Rabano* archiepiſcopo & doctore, & ab Imperatore eſt a fonte ſuſceptus. Cum qvo frater ejus *Ericus* & uxor Regina, cum magna Danorum multitudine illuminati ſunt, & chriſtiane fidei conjuncti. Alibi habetur, qvod baptizatus eſt HARALDUS cum uxore, & fratre, & filiis, & magna parte Danorum nobilium. (Nota, qvod fides pluries rejecta fuit a nobilibus etiam vulgaribus,

multi

multi martirio coronati, proſcripti, variis injuriis affecti). Qvo facto, Imperator dedit ei *Friſiam*, & cum magno exercitu miſit in *Jutiam*, & cum eo ſanctum *Ansgarium* patrem ex monaſterio Corbejenſi, qvi ipſum Regem & populum veram catholicam fidem doceret, cum ſocio *Authberto.* Veniens igitur *Ansgarius* in Daniam, cepit conſtanter verbum Dei predicare, cujus ex ore & doctrina multi crediderunt, & ad dominum convertebantur. Qvo etiam tempore Rex Sveonum BERN fidem Chriſti ſuſcepit per *S. Ansgarium.* *Ludovico* Imperatore mortuo, filii ejus ſucceſſerunt. Qva tempeſtate Sanctus *Ansgarius* baptizavit Regem Danorum ERICUM fratrem *Haraldi*, & eum chriſtianiſſimum ſuo reddidit populo. Qvi ſtatim eccleſiam in portu maritimo, qvi eſt *Sleswig*, erexit, data pariter licentia, ut qvisqvis vellet, in ſuo regno chriſtianus fieret. Promulgata itaqve Regis ſententia, gentilium credidit infinita multitudo & baptizati ſunt, plurimiqve infirmi, ubi aqva baptismatis loti ſunt, ab omni egritudine liberati ſunt. Hujus tempore Rex Sveonum OLAVUS baptizatus eſt, & in *Birco* oppido primus ipſe eccleſiam edificavit. Hujus etiam tempore Principes Nortmannorum *Gotricus*, *Hericus*, & *Gunthramus* vel *Guttormus* Galliam, Lotharingiam & Freſiam invaſerunt. Sed *Gunthramus* Freſones tribus preliis vincens, qvarto victus ab eis in Daniam transfretavit, & patruum ſuum ERICUM Regem chriſtianiſſimum bello provocans, patriam devaſtavit. Qvibus inter ſe certantibus, tanta utrinqve cede mactati ſunt, ut vulgus omne caderet. De ſtirpe autem regia preter unum puerum *Ericum* nullus remaneret. ERICUS autem chriſtianiſſimus Rex cum ſuis omnibus martyrio eſt coronatus. Et ERICUS PUER in regnum levatus. Qvi mox ſuper chriſticolas efferatus, eos ſupra modum perſeqvebatur, rebus & bonis ſpoliavit, ſuppliciis affecit, exilio relegavit, ſacerdotes expulit, & eccleſias claudi precepit. Ad qvem *S. Ansgarius* intrepidus venit, & crudelem tirannum de feroci leone in agnum manſvetum convertit, adeo ut chriſtianus fieret, & ſuis omnibus per edictum chriſtianos fieri mandaret. Tunc ſacerdotes revocati & eccleſie ſunt reſerate. Inſuper apud *Ripam* Baſilica extructa eſt, poſt *Sleswig* ſecunda. Cum autem tunc beatus *Ansgarius* cum ſuis populum baptizaret, multi a diverſis infirmitatibus liberabantur, demones ab obſeſſis egrediebantur, clamantes & conqverentes horribiliter, qvod diutius in ſuis manſionibus jam diu tentis habitare non poſſent. Tandem iſte multum evexit fidem, & vitam bene finivit. Qvo mortuo, iterum fides rejecta. Poſt hunc ERICUM duo fratres SIGEFRIDUS & HALDAN regnum Danie ſuſceperunt. Qvos ad fidem Chriſti beatus *Rembertus* Archiepiſcopus, qvi *Ansgario* ſucceſſerat, pluribus exhortatus ſermonibus, chriſticolis placabiles reddidit, utqve Ceſari *Ludovico* 2*do* amici eſſent, munera ei regalia mitterent, fidus mediator effecit. *Armulpho* imperante, qvidam mirabilis, FRITLEVUS nomine, regnum Danorum obtinuit. *Henrico I.* regnante &c. in alio folio.

Iſte HARALDUS KLAG primus introduxit fidem chriſtianam, eccleſiam in territorio *Sleswicenſi* conſtruxit, delubra diruit, idolatriam deſtruxit, ſacerdotes idolorum proſcripſit anno Domini DCCCXXVI. Sed *Regnerus Lodbrog* rediens de expeditione, *Haraldum* fugavit, fidem extirpavit, idolatriam revocavit. *Haraldus* autem jam profugus fidem Chriſti rejecit, ſed per ſanctum *Ansgarium* revocatus, eccleſiam *Hetheböthe* fundavit. Regnavit annis 16.

ERICUS Secundus, frater *Haraldi.* Hic Rex factus 846. ſtatim eccleſias claudi fecit, regnum ſibi uſurpavit, omnesqve eccleſias *Francie*, *Freſie*, *Anglie*, *Teutonie*, cum epiſcopis & clero truncatis, ſuccendit & deſtruxit. Poſtea Chriſtianus & martyr. Obiit 856. regnavit XVI. annis, alibi XIIII. Hujus tempore *Rolvo* Dux

Danorum *Franciam* intravit, & *Karolum* Regem Francie impulit dare terram, qve nunc Normannia dicitur. Iſte ERICUS & *Guthormus* Rex Norvegie bellaverunt ſimul, ubi ipſi ambo, omne vulgus, & ſtirps régia corruerunt, preter *Ericum Barn.* Et fuit iſte *Guthormus* filius *Haraldi* fratris *Erici.*

ERICUS Ilpus *Barn*, filius ſupradicti *Simardi* ſecundum *Saxonem.* Hic plurima mala fecit contra fidem Chriſti, propter qvam vaſtavit Saxoniam, *Brun* Ducem occidit & XII. Comites, & duos epiſcopos cum multis aliis jugulavit, eccleſias diruit, chriſtianos occidit, juniorem Imperatorem *Ludovicum* interfici fecit. Urbes cum civibus, eccleſie cum fidelibus incenſe ſunt. Epiſcopi cum grege trucidati ſunt. In Francia & Sclavia debellavit & vicit omnes civitates, item Friſiam tributariam fecit. Tenuit Daciam & Angliam XXXVI annis. Sed anno Domini DCCCXCII. *Arnulphus* Imperator anno imperii 2do occurrens Danis in Teutonia, proſtravit ex eis C. milia hominum. Eodem anno mortuus eſt ERICUS BARN.

Hic in veſtigiis avi ſui *Regneri* incesſit. Fuit enim probisſimus in armis, mare tenuit. Et utinam in abolendo cultum Chriſti ſpiritum *Regneri* non habuiſſet. Sed egit penitentiam, ut dictum eſt alias. Hic filium *Kanutum* vel *Knutonem* ex filia *Guthormi*, qve erat neptis *Haraldi*, dereliqvit. Hic edificavit eccleſiam ſancte Marie *Ripis.* Item fundavit eccleſiam *Slesvig*, ut dicitur. Fit Rex DCCCLVII. alibi habetur 856. regnavit XLVI. annis. Obiit 901.

Temporibus iſtius ERICI BARN, erant crudelisſimi Principes Danorum, filii *Regner Lotbrochi*, qvorum nomina hec ſunt: *Erick*, *Orwick*, *Godefryt*, *Ingwar*, *Rotulph*, *Sigefryt*, *Ywar*, *Vbby*, *Wlff*, *Byorn.* Iſti fratres, duce *Ingwaro*, qvi crudelisſimus omnium fratrum erat, primum *Norvegiam* ſibi ſubjiciunt. Deinde ad *Angliam* veniunt, & duos Reges Northanhimbriorum *Ellam* & *Osbertum* occiderunt, & alii duo, ſcil. *Ethewald* & *Bertinwald* fugam inierunt. Poſtea *Ödmundus* Rex Sanctus ab Ingvaro captus, ligatus & flagellatus, & demum decollatus. Hec prima Danorum plaga taliter in Anglia geſta eſt. Inde promotus *Ingvarus*, cum IX. aqvilonis Regibus claſſes diviſit, alios Reges in *Galliam*, alios in Germaniam deſtinavit, qvi fere omnes urbes Gallie atqve Germanie aut ſibi ſubdiderunt aut deſtruxerunt, & eccleſias cum clericis incenderunt, omnemqve populum ſibi reſiſtentem cum mulieribus & parvulis in gladii ore trucidaverunt. Dum hec agerentur, ERICUS dictus *Barn* obiit, relinqvens filium parvulum, nomine *Lotneknwt.*

OLAVUS Rex Svecie, qvi violenter regnum Dacie V. annis ſibi uſurpavit, qvem occiderunt Dani. Iſte *Olavus* Rex Svetie, audita morte *Erici* Regis *Barn* Dacie, cum valida manu Daciam intravit & obtinuit, & regnavit 5. annis &c.

GIURTH (*Gereth*) nepos *Olavi*, natione Dacus, X. annis regnavit, qvem occiderunt Dani. De iſtis OLAVO & GIURT *Saxo* nihil loqvitur.

SYWARDUS conſobrinus *Olavi*, regnavit X. annis. Interfectus a Danis. Tempore ejus fuit factum *dæding* inter Danos & Francos, cum Dani tunc *haffdhæ kriit paa them* in LXX. annis. De iſto Rege nihil dicit *Saxo.*

LOTHEKNUT, filius *Erici Barn*, regnavit XI. annis. Hujus tempore qvilibet tertius de ſervis & popularibus exivit de Dacia, totamqve *Pruciam*, *Semigaliam*, *Kareliam*, aliasqve plures terras vicerunt, occiſis viris, remanentqve ibi usqve in preſens. Hic juvenis erat in morte patris. Ideo electus eſt unus a Danis, ſcil. nobilis, dictus *Emmignupus*, vir magne virtutis & induſtrie, qvi negotia regni ac tutelam pueri adminiſtraret. Sed cum *Kanutus* ad etatem adultam perveniſſet, oſtendit magnam probitatem, & ſolerter & ſtrenue in omnibus ſe habuit. In hoc ſolummodo deflendus, qvod ſine fide chriſtiana decesſit.

SWENO

SWENO LANGHÆFODH filius *Kanuti*, regnavit X. annis. In morte patris erat in Normannia.

FROTHO filius *Kanuti* vel *Svenonis*, qvi XX. annis regnavit in Anglia & Dacia, bene fortunatus erat, victor Anglie. Hic adeo probus & ſtrenuus erat, ut terras, qve a dominio Danorum receſſerant, recuperaret. In Anglia ad fidem converſus & baptizatus, miſitqve nuntios ad *Agapitum* Papam, ut predicatores fidei in Daniam deſtinaret. Sed anteqvam nuntii redirent, ex hac vita migravit, recipiens meritum bone voluntatis, qvantum ceteris paratur ex opere. Hic *Agapitus IIdus* electus eſt anno Domini DCCCCXLVI. (vel 948) Epiſcopi autem per Papam miſſi dioceſes diſtraxerunt. Hic fundavit eccleſiam ſancte Trinitatis *Arus*. Hic etiam ſubjugavit *Norvegiam* & *Scotiam*.

GORM ÆNGILSKÆ (Gormo Anglicus), filius *Frothonis*, qvi & dictus eſt *Hartheſnutæ*, natus & baptizatus eſt in Anglia, ſicut & pater ſuus, regnavit IIII. annis. Sub eo Anglia receſſit a Danis, qve jam ab annis centum ultra tributaria fuerat Danis. Hic poſt mortem patris *Angliam* obtinuit, ſicut pater ante eum habuit, ſed cum in Daniam transiret, ut eam modo debito ordinaret & diſponeret, *Anglia* ab ejus dominio receſſit, nec aliqvid fecit umqvam pro ejus recuperatione.

HARALDUS filius *Gorm*, qvi nihil nobile fecit. Hic fuit regiarum opum magis ſervator, qvam propagator, regnavit brevi tempore.

GORM HIN GAMLE, filius *Haraldi*, cujus uxor fuit THYRA DANEBOOT, filia Regis Anglie *Adelradi*, de qvibus ſatis habes in *Saxone*. Erat Rex ſub *Henrico I.* Hic cum procaretur THYRAM, ut uxor ejus fieret, reſponſum ab ea accepit, ut eam in uxorem non obtineret, niſi chriſtianitatem & baptismum reciperet. Qvod & fecit. Hujus filii ſubjugaverunt ſibi Alemaniam & Hyberniam, & Angliam vexabant. Qvorum probitate delectatus Rex Anglie avus eorum *Edelradus*, adeo eos dilexit, ut *Angliam* in teſtamento legaret eisdem. In diebus hujus GORM feruntur Dani incentis eccleſiis ſacerdotes ante altaria trucidaſſe, aut in captivitatem duxiſſe, ac cruces truncatas ludibrio habuiſſe. Hic audita morte ſenioris filii ſui *Knutonis* ſibi amantiſſimi, cecidit & expiravit. Hujus temporibus fere tota chriſtianitas in Dania deleta fuit. Iſte GORM obiit DCCCCXXXVI. (al. 926.) THYRA regnavit poſt mortem mariti.

HARALD BLATAN, filius *Gorm*, qvi regnavit L. annis ſuper Daciam, Angliam & Alemaniam. *Angliam* ſubjugavit, qve tempore *Gorm Ængelſkæ* a dominio Danorum receſſerat. Hujus tempore Imperator *Otto Primus* Magnus paravit ſe ad invadendum Daciam, cujus Legatos Daci occiderant *Sleswig*, & unum Marchionem, & caſtrum & civitatem ab eo vocatam *Colonia* diruerant, loco cujus *Sleswig* erexerant. Ad qvod ulciſcendum Imperator intrans *Juciam*, vaſtavit eam usqve *Otſund*. Veniens autem HARALDUS de *Hallandia*, Ceſarem fugavit Anno Domini DCCCCXXXVIII. Hic procuratione filii interfectus eſt, ter conflictum habuit cum filio & perdidit. Diviſit *Jutiam* in tres Epiſcopatus, ſcil. *Aars*, *Ribe*, *Sleswig*. Hic habuit *Geritham* (*Gyrde*) filiam Regis Svetie BYORNONIS in uxorem. Hic etiam juvit qvendam *Haraldum*, ut Norvagiam obtinere poſſet, cum duobus ducibus & LX. navibus. Interfectus eſt a filio, cum adhuc primus *Otto* Imperator ſupereſſet. De iſto HARALDO ſic dicit *qvedam Chronica*: Anno Domini CMXXXIII. Sanctus *Rumbertus* convertit ad Chriſtum HARALDUM filium *Gorm*, tunc conſtructe ſunt eccleſie per *Rumbertum* & ſacerdotes ordinati. HARALDUS vero propter chriſtianitatem a filio expellitur & occiditur. Hic Danorum populo primus chriſtianitatem indixit efficaciter & autoriſavit, ſeptentrionem eccleſiis & predicationibus replevit, in-

nocens vulneratus martir effectus, obiit in festo omnium Sanctorum, sepultus *Roskildis* apud Sacrarium ab ipso constructum. Cepit regnum DCCCCXXVI. regnavit XV. annis vivente patre, sed L. post mortem patris.

(Porro de proxime præcedentibus Regibus.)

Henrico I. regnante Rome, FROTHO, de qvo in isto latere habetur, ut credo, regnavit in Dania, qvi etiam sibi subjugaverat *Angliam.* Qvem Cesar bello & fedele sibi conjunxit, & ut christianitatem, qvam Dani rejecerant, reciperet & sacramento constrinxit. Qvem adiens *Hummi* Archiepiscopus Hamburgensis, qvi *Remberto* successerat, baptizavit, & duos filios ejus *Eliph* & *Frothi* cum magna parte & turba Danorum. Itaqve reedificantur ecclesie pridem destructe scil. *Slesvig* & *Ripis.* Et tertiam Rex in honore sancte Trinitatis fecit *Arusen.*

Post *Henricum* succesit *Otto I.* Rome. FROTHONE mortuo, succesit HARALDUS in Dania. Qvi violato fedele legatos *Ottonis* occidit, & christianos a suis finibus expulit. Tunc *Otto*, collectis regni copiis, Daniam ferro & igne vastavit, *Hethæby* maximum sibi bellum (*). *Haraldus* victus, condiciones victoris suscepit, scil. ut christianus fieret cum populo suo. Itaqve Rex devotus & christo fidelissimus, non solum baptizatus est, sed etiam, ut Episcopi per suum regnum constituerentur, per nuntios deprecatus est. Qva Deo placita petitione gaudens Archiepiscopus Hamburgensis *Hadaldagus*, consilio Regis, & ipse tres in Dacia ordinavit Episcopos, *Henricum* in Slesvig, *Lesdagum* in Ripa, *Reynbrandum* in Arusia. Qvibus singulis Rex *Otto* precepta, *Agapitus* Papa roboravit privilegia. Post hec *Otto* obiit. Cui succesit *Otto* 2. Post qvem *Otto* 3. Interea *Sven* qvidam Northmannorum Regis transfuga, collecta manu latronum, Angliam invasit, Regem *Eldredum* expulit, & ipse regnum obtinuit. Hujus filii *Gorm* & *Harthekmut* primo non contenti latrocinio, Daniam insiliunt, occisoqve Rege Danorum *Haldan* cum filiis ejus, *Knutus* & *Sigefridu* regnum Danorum partiti sunt. Qvibus tamen freqventer ad invicem contendentibus, Knutus & Sigefridus occiduntur. Tunc vero *Gorm* & *Harthekmut* soli regnum tenentes, tali pactione conveniunt, ut *Gorm* Daniam, *Harthekmut* Angliam possideret. Gorm crudelissimus Rex infestissimus christianis erat, eos variis injuriis & suppliciis & calumniis insequendo renovavit idololatriam, ecclesiam in *Slesvig* evertit funditus. Hujus filius, *Haraldus Blotand*, mitissimus fuit, qvi contra patris imperium christianis amicus erat, eosqve pro viribus undiqve susceptos in persecutione fovit, qvos etiam periculo capitis sepe defendit. Item patre in malis perseverante, *Haraldus* post mortem ejus christianus factus ecclesias erexit, sacerdotes tam ab Anglia qvam a Saxonia recepit, & Christum colere publice cepit. Nota, qvod alia Chronica videtur dicere, qvod iste *Gorm* conversus fuit per uxorem, & *Haraldus* in principio non erat christianus. Hic HARALDUS *Adaldago* Archiepiscopo Hamburgensi & *Ottoni* augusto amicus & familiaris fuit. *Adaldagus* autem ordinavit in *Slesvig* post Henricum *Marconem*, post qvem eqvivocum suum *Adaldagum*, inde *Folbertum.* In *Ripa* vero post *Lyafdagum Folbertum*, inde *Harecum.* Post *Reinbrandum* autem Episcopatus defecit in *Arusia.* Mortuo enim christianissimo Rege *Haraldo*, filius ejus SWENO in Regno succesit, christianis valde inimicus, qvi eos a finibus suis expelli precepit. Sed & eum Cesar bello domitum inter fines suos christianis fecit placatum. Qvi tandem postea ter a *Sclavis* captus, Deum per flagella cognovit, & exinde cepit Christum qverere & populum christianum diligere. Plura

reqvire

(*) Videtur hic aliqvid deesse.

reqvire poſtea. In Anglia mortuo *Hartheknut*, *Ethmund* filius *Edelradi* ſucceſſit, cui *Etwardus*, qvem expulit *Kmut* Rex, cui *Edwardus Sanctus.*

Mater iſtius *Haraldi Blatan*, dicta TYRÆ, mulier incomparabilis, virilem habens animum, fecit foſſam vel vallum, cum munimento terreo a *Sleswig* usqve ad occidentalem oceanum, qvod dicitur *Danewirki.* Cui poſtea *Waldemarus I.* fecit murum apponi. Hec etiam TYRA *Scaniam* Svecis tributariam per bellum liberavit. Hic *Haraldus* Sclaviam vicit, & apud *Julinum* nobiliſtimum oppidum illius provincie preſidia militum collocavit. Qvi milites multa prelia per terram & mare exercebant, adeo ut continuis cladibus nautarum ſeptemtrionalem replerent oceanum. Qve res plus auxit Danicum imperium, qvam aliqvod negotium terrene militie. Hic habuit filios *Svenonem* & *Haqvinum.* Qvi *Haqvinus Sembos* aggreſſus, occidit omnes mares, feminas vero *Dani* ſibi nubere coegerunt. Propter qvod non injuſte *Sembi* genus ſuum a *Danis* numerant. Poſt TYRA Danicæ majeſtatis caput obiit, & ſepulta eſt cum viro GORMONE in duobus collibus in *Valinge*, inter qvos jam eſt Eccleſia conſtructa. HARALDUS autem fecit trahi magnum lapidem a militibus ſuis & multis bobus ad decorandum ſepulcrum ejus in *Jutia.* Supervenientem qvendam interrogat, an alias tantam molem a manu mortali tractari prius viderat. Qvo reſponente, ſe majorem vidiſſe, cum nuper interfuiſſet, ubi *Dania* ſibi ſubtraheretur. Qvo audito, precepit militibus, ut ſecum contra filium, dimiſſo lapide, irent. Qvi noluerunt pro eo, qvod chriſtianismum introduxerit, & eos bobus adeqvaſſet. Aliqvi tamen ſecuti cum contra filium, ſed bino prelio ſuperati. Tandem occiſus eſt procuratione filii, ut dicunt qvidam, alii a *Tockone* emulo ipſius Regis. Cujus corpus deportatum eſt *Roſkildiam*, atqve in *Eccleſia* ſancte Trinitatis, qvam ipſe edificaverat, ſepultum. Hic poſtqvam Imperatorem ex *Jutia* fugaverat, pacem cum eo fecit, & Chriſti fidem recepit. Filius etiam ejus *Sveno* baptizatus eſt, & Imperator fuit ejus compater, & vocatus eſt *Sven Otto*, addito nomine Imperatoris honoris gratia. Sub iſto SVENONE *Norvagia* fidem Chriſti ſuſcepit per *Bernardum* Anglicum, Rege OLAVO. Idem convertit *Olavum* Regem Svetie.

SWENO 2. THIUGESKÆG, filius *Haraldi*, qvi chriſtianis in principio infeſtiſsimus fuit, propter qvod ter a *Slavis* captus, & per Regem Svecie a Regno fugatus fuit. Pro prima redemptione dedit tantum auri, qvantum ponderare potuit indutus armis, & bis tantum argenti. Pro tertia vice redemptus eſt precibus dominarum, matronarum, domicellarum, & puellarum. Sed poſtea ad Deum perfecte converſus, in regnum reſtitutus eſt, Regemqve Norvegie OLAVUM (*Kragebeen* dictus & Augur) qvi Daciam occupaverat & eum expulerat, in *Öreſund* occidit. Fuit autem Rex Dacie, Svecie, Norvegie & Anglie. Hic dicitur ſepultus *Roſkildis* in Eccleſia cathedrali in choro juxta majus altare. Hic accerſito a Nortalbingia *Bernardo* Epiſcopo, in *Scania* Eccleſiam erexit. Qvi Epiſcopus mortuus eſt in *Syalandia.* Poſt hec *Otto* Ceſar obiit, cui ſucceſſit *Henricus.* Interea SWENO Rex obiit. Iſte Sweno juſſit *Noricos* ſuſcipere fidem, & poſuit *Guthelum* Anglicum Epiſcopum doctorem in Scania, qvi etiam in *Norvegia* & *Svecia* predicavit. Poſtremo *Angliam* invaſit, & *Etelradum* expulit, vix tres menſes ſupervixit.

HARALD, filius *Svenonis*, qvi fuit effeminatus & libidini deditus. Ideo Dani eum depoſuerunt. Hunc *Haraldum* non ponit *Saxo.* Ungari convertuntur MX.

GAMEL KNUT (KANUTUS II.), alter filius *Svenonis.* Regnavit annis XXXIII. Erat Rex anno Domini MXX. & MXXV. Iſte vocatur MAGNUS KANUTUS a *Saxone.* Iſte *Angliam* vicit, fugato *Ethelrado* Rege, & *Eſtones* ſibi ſubdidit,

didit, *Norvegiam* optinuit, occiſo *Sancto Olavo* Anno Domini MXXVIII. Hic KANUTUS fuit omnium Regum pulcherrimus, ſtrenuisſimus, largisſimus, qvi primus religioſos recepit in Dacia & Epiſcopos de Anglia. Uxor YMA. Uxorem Regis Anglie mortui accepit, & genuit ex ea *Hartekmut* & *Gunnildam.* Sed hoc ponit *Saxo* de patre ejus. Cum mille navibus appulit Angliam, & tribus annis cum eis pugnans devicit. Romani expulerunt *Henricum* Imperatorem, qvi habebat *Gunnildam* filiam KANUTI in uxorem, qvem KANUTUS ipſe reſtituit. Omnes ejus nomen & famam audientes, terrebantur. Dictus eſt *Durus*, qviâ exercuit virgam & prelium. *Haraldus* filius ejus poſt mortem patris regnavit 4 annis ſuper Anglos, cujus regnum obtinuit *Hardekmut*. *Sveno* regnavit V. annis ſuper *Noricos*, cujus regnum ſuſcepit *Magnus* &c. Hic juge bellum habuit cum OLAVO Rege Norvegie, qvi jam ſanctus colitur ab eccleſia, omnibus diebus eorum. Interea *Libentius* Archiepiſcopus ordinavit in *Sleſvigh Poponem*, qvi ferrum candens accepit &c. Vide in alio folio. Deinde *Eſiconem*. In *Ripa* vero ordinavit *Othenkarum*. Hic regali ſtirpe genitus, multis inter Barbaros fulſit virtutibus. Qvi etiam latisſimo patrimonio ſuo Eccleſias ditavit. Inſuper circuivit per *Syalandiam* & *Scaniam* predicando fidem, paratus etiam ad mortem. Alter *Othenkarus* Sveonum Epiſcopus fuit ipſo tempore, qvi eccleſias Dei procuravit in *Scania* & *Syalandia*. Mortuo *Henrico* Ceſare, ſucceſsit Conradus, & hic filium ſuum *Henricum* conſortem regni fecit, & ei filiam KANUTI Regis Danorum *Gunhild* aſſumpſit in uxorem, & Italiam gubernandam tradidit. Idem KANUTUS Rex, mortuo Rege Anglorum *Eadmundo*, expulſoqve filio ejus *Ethwardo*, ſolus duo regna obtinuit, & per XXII. annos ſtrenue gubernavit. Hujus tempore *Unvanus* Archiepiſcopus conſecravit primum Epiſcopum in Syalandia *Gerbrandum*, in Sleswig *Rodulphum*. Eodem tempore Rex KANUTUS multos ab Anglia duxit Epiſcopos, qvorum unum *Regnerum* ſtatuit Epiſcopum in *Phionia* inſula. Poſt qvem ordinatus eſt *Eilbertus* Monachus. Alios ſecum retinuit. Alios miſit per *Svetiam*, *Gothiam* & Norvegiam & Islandiam, qvi multos populos Chriſto lucrati ſunt. Tres filii ſucceſſerunt. Poſt KANUTUM in Anglia ſanctus *Edwardus*. Poſt qvem *Wilhelmus* Dux Normannie.

HARTHE KNUT, filius ejus, regnavit ſuper *Daciam*, *Sveciam*, *Slaviam*, & *Angliam*, qvi, preter cotidianam familiam, tenuit continue VI. millia armatorum. Aliter *Saxo*. Hic, anteqvam Rex erat, fuit in *Ruſcia*, & ibi VII. annis fortiter pugnavit, & plures victorias obtinuit. Item vicit *Eſtoniam*. Regnavit annis IX. (VIII.) Sed ſecundum *Saxonem* regnavit tantum biennio. Exercitus iſtius KANUTI cum LX. longis navibus ad domandum regna eſtate discurrebat, ſed hieme in caſtris manebat. Unde tempore ſuo ſuper omnes Reges terribilis & laudabilis fuit. Hic cum Imperatore domabat *Ytaliam*.

MAGNUS, filius ſancti *Olavi* regnavit parum poſt *Kanutum*, & dictus eſt *hyn Godhæ*.

SVENO ESTRITSON (*Magnus*), ſororius *Harteknut* (nepos *Gamble Knut*), contra qvem bellavit MAGNUS ſancti *Olavi* filius & vicit. Qvi MAGNUS, dum in Öreſund incaute de navi in navim transiret, cecidit & ſubmerſus eſt. Aliter tamen loqvitur *Saxo* de eo. SVENO igitur, habita *Norvegia*, dum in ea moraretur, *Slavi Jutiam* vaſtaverunt usqve *Ripis*. Qvi caſu rediens de Norvegia, occurrit eis juxta *Slesvig*, proſtravit ex eis XV. millia hominum. Hic erat liberalis, beneficus, humanus, devotus, eccleſias erexit cum ornamentis & redditibus. Divinum cultum ſuper modum ampliavit. Clerum & Pontifices tam adaugere qvam & venerari ope-

ram duxit. Orphanis & viduis, egenis & advenis, & maxime pauperibus clericis regalibus ſuccurrebat ſtipendiis. Obiit 1074. 4. Kalend. Maji, anno regni XXVIII. Iſte, ut melius operam divinis daret, non ſe exercitabat in preliis & guerris. Hic in multis ditavit *eccleſiam Roſkildenſem.* Contra SVENONEM bellaverunt *Magnus* filius ſancti *Olavi*, & poſtea *Haraldus* frater ſancti *Olavi*, ſed cito divina ordinatione de medio ſublati ſunt, ne SVENONI totaliter divinis incumbenti impedimento eſſent. Huic SVENONI tributum dedit Rex Anglie *Etwardus.* *Adalbertus* Archiepiſcopus Hamburgenſis ordinavit poſt *Rodulphum Radulphum*, poſt *Axonem* ſive *Axachum Vilhelmum.* Ante ſua enim tempora regnum Danorum tres tantum Epiſcopatus habuit, ſcil. in *Sleſvig*, *Ripa* & *Selandia.* Nam longo poſt tempore *Aruſienſis Epiſcopatus* defecit. Poſtqvam vero *Wal* Ripenſis Epiſcopus obiit, glorioſi Regis SVENONIS ESTRITSSON inſtitutione & Archiepiſcopi auctoritate idem *Ripenſis Epiſcopatus* in 4. dioceſes partitus eſt. Ripenſis Eccleſia *Otthoni*, Aruſienſis *Chriſtiano*, Vibergenſis *Hereberto*, Burglanenſis *Magno* credita eſt, cui ſucceſſit *Albricus.*

HARALD, filius SVENONIS, cujus tempore receſſit *Anglia* a dominio Danorum, poſtqvam CXX. annis continuis ſubdita fuerat Danis. *Saxo* dicit, hoc acciſſe tempore SVENONIS. Regnavit tantum duobus annis. Hoc etiam dicit *Saxo.* In *legenda Sancti Kanuti* habetur, qvod regnavit annis VI. Sepelitur *Dalby* Scanie. Fit Rex 1074. Iſte dictus eſt HARALDUS HEEN. Fugavit fratrem ſuum *Kanutum* de regno.

KANUTUS IIII. alter filius SVENONIS, qvi occiſus eſt *Ottonie* in *Eccleſia ſancti Albani* martyris, paulo ante per eum de *Anglia* in Daniam transvecti, Anno Domini MLXXXVI. pro zelo chriſtiane religionis & juſtitie operibus, VI. Idus Julii, VI. feria, manibus extenſis in modum crucis, & canonizatus per curiam Romanam. Occiſus eſt cum eo frater ejus *Benedictus* & alii XVII. ſui commilitones. Reqvievit in *eccleſia S. Albani* annis VIII. & menſibus fere ter ternis, *Olavo* regni ejus ſucceſſore regnante, usqve dum crebreſcentibus virtutum miraculis, communi conſilio & pari voto totius cleri & populi, ſingulis Pontificibus cum multitudine aggregatis, ſacrisqve oſtibus igne examinatis, ex terra ſuſtollitur, & ad *Baſilicam auſtralem*, ejus nomini conſecratam, ſed nondum penitus conſtructam, advehitur, ibiqve ſaxeo ſarcophago impoſitus, in cripta reconditur. ERICUS EYGOT frater ejus Rex procuravit canonizationem ejus. Cujus regni anno VI. translatus eſt de cripta in capſam miro opere factam. Canonizatus eſt per *Paſcalem* 2. & translatus MC. *Hubaldus* tunc erat Epiſcopus Othonienſis. Fit Rex 1080. occiditur X. anno.

OLAVUS HUNGER, tertius filius SVENONIS, qvi conſpiravit in mortem ſancti KANUTI fratris ſui, propter qvod Deus plagavit terram maxima fame in diebus ejus, adeo qvod multi mutuo ſe jugulabant pro herbis & radicibus. Hic anno regni ſui VII. cum in vigilia nativitatis Domini ſolummodo tres panes haberet, oravit, ut mortem fratris ſui ſuper eum vindicaret, & tandem ſic populo ſuo miſereretur. Qvod & factum eſt. Nam cito poſt una nocte in lecto ſuo obiit. Regnavit VII. annis. *Saxo* autem dicit, qvod regnavit fere X. annis. Obiit 1095. ut dicit *Chronicon vulgare.* Toto tempore regni ejus fuit tanta fames, ut homines litigarent pro agreſtibus herbarum.

ERICUS EGOTHE, qvartus filius SVENONIS, qvi obiit in via ad terram ſanctam. Electus Rex 1095. Obiit MCII. *Duo libri* habent MCIV. ſed *unus* habet MCIII. Anno Domini MCIIII. miſſum fuit *Pallium* Lundis a Papa *Paſcali* cum bulla, procurante illuſtriſſimo Principe Rege Danorum Sclavorumqve ERICO EGO-

THE, Duce Eſtonie & Domino Nordalbingie, Reverendo in Chriſto patri ac domino *Aſcero* Lundenſi Archiepiſcopo, Svetie Primati. Qvi ſedit annis XXXIIII. ERICUS obiit in itinere Iheroſolymitano, ſepultus in *Cypro* Anno Domini MCI. anno regni VIII. Hic dictus eſt ERICUS BONUS.

NICOLAUS, qvintus filius SVENONIS, cujus filius *Magnus* occidit ſanctum *Kanutum* Ducem, filium ERICI EGOTHÆ. In cujus ultionem ERICUS EMUN, ſancti *Kanuti* frater, occidit dictum *Magnum* in bello, Rexqve NICOLAUS in *cimiterio ſancti Petri Slesviic* eſt occiſus MCXXXV. anno regni 32. Factus eſt Rex MCVII.

Nota, qvod de iſtis Regibus, ſcil. HARALDO, KANUTO Sancto, OLAVO HWNGHER, ERICO EGOTHE, & NICOLAO, diverſe ſunt opiniones. Una dicit, qvod HARALDUS regnavit tantum duobus annis. Hoc etiam dicit *Saxo*. Sanctus KANUTUS martyrizatus eſt 1086. anno regni ſui X. OLAVUS HWNGHER ſecundum *Saxonem* regnavit fere X. annis. Obiit 1095. vel 1094. ERICUS EGOT fit Rex 1095. obiit 1101. vel 1100. Elapſis duobus annis, rumores venerunt de morte ejus. Et ſic NICOLAUS factus eſt Rex, & interfectus eſt 1135. anno regni 32. Alia eſt opinio, qvod HARALDUS regnavit III. annis, & hoc habetur in *legenda ſancti Kanuti*. KANUTUS Sanctus 1087. martyrizatur, fit Rex 1080. OLAVUS ſucceſſit, regnavit VII. annis, obiit 1094. ERICUS fit Rex 1095. obiit 1102. NICOLAUS fit Rex 1107. Sed prima opinio verior. ERICUS EGOT obiit 1100. Hec ex *libro antiqvo* 1533. item alibi etiam ſic.

ERICUS EMUNE, filius ERICI EGOTHE, qvi occiſus eſt a *Plogh Sroro the Ripis.*

ERICUS 5. LAMB, ſororius ejus. Hic habuit bellum contra *Olaum* filium *Haraldi* fratris ERICI EMUN tam freqvens, ut ter uno die ac XIII. vicibus uno anno ad invicem pugnarent, & ſemper fugit *Olavus*. Tandem in bello eſt occiſus. ERICUS vero LAMB factus Monachus in *Othonia*, obiit in pace, & regnavit annis IX.

KANUTUS V. filius *Magni* filii *Nicolai*, qvi regnavit in *Jucia*. KANUTUS & SVENO bellaverunt XII. annis.

SVENO, filius ERICI EMUN, qvi regnavit in *Scania* & inſulis, & KANUTUS. Inter hos fuit pugna XII. annis, ſub qvo tempore KANUTUS conſtruxit caſtrum *Midelburg* in *Friſia*. Eo tempore 1150. mortuus eſt ſanctus *Ketillus Vibergis*. Sanctus *Bernardus* etiam obiit. Poſtea Dani fecerunt dictum KANUTUM & WALDEMDRUM filium ſancti *Kanuti* Ducis ſuper ſe Reges. SVENO autem eis inſidians, occidit KANUTUM *Roſkildis* proditioſe, WALDEMARO graviter vulnerato, ſed poſtea in *Grathebethæ* per eundem WALDEMARUM circa *Vibergis* in bello eſt occiſus. Uxor ejus ETHEL. Hic cepit Archiepiſcopum *Eſkillum*, & in eccleſia Lundenſi ſuſpendi fecit ſub teſtudine, ſed intercedentibus proceribus regni, & iram Dei timens, & ſententiam excommunicationis, ſoluit eum, ſibi ſueqve Eccleſie & ſucceſſoribus ſuis caſtrum *Ows*, cum *villa Owſienſi*, & *Lyugnitzhærith*, cum ſuis pertinentiis, perpetuo posſidendum, & jure etiam Regio donavit.

VALDEMARUS, filius ſancti *Kanuti* Ducis, qvi fuit Princeps valde glorioſus. Hic munitionem *Damwirki* muro circumcinxit, qve ante tantum lignis munita fuit. Hic obtinuit ab Imperatore *Frederico* dominium totius *Nordalbingie*, ɔ: omnem terram ad aqvilonarem partem *Albie* 1181. ſcil. qvando maritavit filiam ſuam filio Imperatoris. Super qvo habuit literas Papales Domini *Tertii Innocentii* & literas Imperiales ſub aureis bullis, qvas MECTILDIS Regina, relicta Regis ABEL, poſtmodum in odium Danorum deſtruxit. Hujus tempore martirizatus eſt ſanctus *Thomas* Archiepiſco-

chiepiſcopus in Anglia 1171. *Abſalon* Epiſcopus Roſkildenſis factus eſt Archiepiſcopus poſt *Eſkillum*, & tenuit utrasqve Eccleſias tempore ſuo, coactus ad hoc per Papam. Hujus tempore per eundem & ſuffraganeos clericosqve ſuos *cantus Daciane Eccleſie* concordatus eſt, Breviarius ſcriptus Anno Domini 1189. (1188). Hic ſepe hoſtes regni debellavit, & ſemper victoria potitus eſt. Qvi etiam cum Rege WALDEMARO *Sclaviam* & *Rugiam* ad fidem Chriſti convertit. Ipſe etiam beatam *Margaretam* a viro ſuo *Herlog* interemptam Anno Domini 1177. qvinto Nonas Novembris, & in extremo littore orientali *Ölishöue*, ubi adhuc Eccleſia antiqva cernitur, defoſſam, ad *Eccleſiam ſancte Marie Roſkildis* transtulit, fundavit *Sore* & neceſſariis adauxit. Obiit Sanctus *Nicholaus Arus*. Regnavit autem WALDEMARUS annis XXVI. relinqvens filios *Kanutum* & *Waldemarum*.

KANUTUS VI. filius WALDEMARI, in qvo *Saxo* Hiſtoriographus Danorum terminat opus. Fuit Rex probiſſimus ſicut & pater. Subjecit ſibi potenter *Slaviam* dicione perpetua, qvod nullus Regum ante ipſum perficere potuit. Humiliavit *Eſtones*. Adulphum Comitem Holſacie ſibi ſubjecit cum *Holſatia* & *Lubeca*. Contra hunc oppoſuit ſe *Waldemarus* Epiſcopus Sleswic, fugiensqve in *Norvegiam*, rediit poſtmodum cum XXXV. navibus, contra Regem pugnaturus. Sed a Rege captus, in turri *Syöburg* eſt incarceratus, ubi ſedit XIIII. annis. Hujus Regis tempore incepit *Ordo Fratrum Minorum* Anno Domini MCCI. Regnavit autem XXII. annis.

WALDEMARUS SECUNDUS, frater KANUTI, qvi multa preclara geſſit. Hic anno regni ſui III. anno Domini MCCIIII. tranſivit in *Norvegiam*, fecitqve ibi *Erlingum* Regem ac *Philippum* Ducem, qvi ambo ei homagium fecerunt juxta *Tunsburg*. Anno IIIIto ſ. Anno Domini MCCV. duxit DAGMAR filiam Regis Boemie in uxorem, eodemqve anno tranſivit cum exercitu ultra *Albiam*, & deſtruxit *Ercenburgh*. Anno ſeqventi ſcil. 1206. liberatus eſt Epiſcopus *Waldemarus* de carcere ad preces *Damar* Regine, ſub condicione, qvod nunqvam Daciam intraret. Qvi poſtea, factus Epiſcopus Bremenſis, oppoſuit ſe Regi. Propter qvod ad preces Regis a Papa depoſitus & excommunicatus. Anno VIto, ſcil. Anno Domini 1207. occurrit Imperatori & fugavit eum. Anno ſeqventi ſcil. 1208. qvidam Dani intraverunt Sveciam, qvi deberent juvare *Sverconem*, ad pugnandum, & ceciderunt circa villam *Lenæ* Anno Domini MCCVIII. Anno ſuo VIII. ſc. An. Domini 1210. miſit exercitum in *Pruciam* & *Finland*, & ſubjugavit ſibi terras illas. Anno ejus XI. obiit DAGMAR Regina. Anno XII. ſecundas nuptias celebravit cum BERRANGARIA ſorore *Fernandi* Comitis Flandrie. Anno XIIII. Imperator fidem violans, & contra juramentum ſuum Holſaciam ſibi ſubjicere volens, eam intravit. Cui Rex occurrit cum magno exercitu 1214. habens ſecum de ſolis *Friſonibus* LX. millia hominum. Imperator non audens reſiſtere, fugit ultra *Albiam*, maxime qvia in ſingulari certamine amiſerat duos meliores pugiles imperii, qvos proſtraverant *Sveno Starchi* & *Brotherus* Friſones. Anno XV. tranſivit ultra *Albiam*, vaſtavitqve terram Comitis *Henrici* & ſibi ſubjugavit, edificavitqve duo caſtra ultra *Hamburgh*, qvam & cepit. Fecit etiam conſtrui caſtrum *Trafimumme*, & caſtrum in *Thetmarcia*. Anno XVII. convocatis multis Principibus & Epiſcopis, omnibusqve nobilibus regni, fecit filium ſuum primogenitum WALDEMARUM 3. *Sleſiric* coronari in Regem. Anno XVIII. cum MD. navibus longis intravit *Eſtoniam*, & poſt multa bella & labores eam victam ad

Christum contulit, Danisqve subdidit usqve in presentem diem (*). Accidit posthec, ut Comes *Henricus*, iturus peregre ad terram sanctam, committeret Regi terram suam interim defendendam, Rex autem, eo absente, uxorem ipsius, ut dicitur, carnaliter cognovit. Reversus igitur Comes, cum didicisset injuriam factam, insidiose cepit Regem in *Löthö*, dum dormiret in lecto suo, anno regni sui XXII. ac filium ejus WALDEMARUM Regem, posuitqve eos in castro *Sverin*, ubi manserunt fere per triennium, donec per Danos redimerentur pro LX. millibus marchis puri argenti. Sed & eqvi & vestes & alia clenodia, qve dederunt omnibus melioribus Saxonie in die exitus, in duplo plus valebant. Insuper coacti fuerunt jurare pro se & suis super corpus Domini, ut hec injuria eis facta nunqvam vindicaretur. Et nota, *Teuthonicos*, nunqvam aut raro prevaluisse Danis & triumphos duxisse, nisi per prodicionem & fraudem, qvam ex natura habent, sicut patet in captivacione dictorum Regum duorum & in aliis multis. Rex autem ad terram reversus, incepit cogitare de vindicta, misitqve nuncios ad curiam Pape pro relaxatione juramenti. Qva impetrata, congregavit magnum exercitum, atqve Anno Domini MCCXXVII. qvi fuit annus regni sui XXVI. pugnavit contra *Henricum* Comitem in *Borendheboffuit*, ubi in penam perjurii Dani corruerunt, ipseqve Rex, amisso uno oculo, extra sensum percussus fuit, fuissetqve iterum captus vel occisus, nisi unus miles Teutonicus ipsum transversum coram se in eqvo positum in *Kilonem* per vias occultas fugiens retulisset. Anno seqventi 1228. (1229.) Rex WALDEMARUS junior celebravit nuptias *Ripis* cum *Elionora* filia Regis Portugalie, die Johannis baptiste, cum qva cum vixisset annis V. mortuus, & ipsa cito post eum. Anno autem regni sui XXXI. WALDEMARUS Rex fecit ERICUM filium suum secundum 1232. coronari in Regem per *Uffonem* Archiepiscopum Lundensem, ac *Abel* filium suum tertium constituit Ducem *Jutie*. Habuit enim IIII. filios, scil. *Waldemarum*, *Ericum* & *Abel* jam nominatos, & *Christoforum* minimum natu. Habuit & filium ex concubina *Nickolaum*, qvem Comitem *Hallandie* fecit. Eodem anno, scil. An. Domini MCCXXXII. *Fratres Minores* Daciam intraverunt, & locum *Ripis* receperunt. Rex ERICUS recepit uxorem JUDIT vel JUTTAM filiam Ducis Saxonie. *Abel* vero duxit *Mechildam* filiam *Adolphi* Comitis Holsacie. Hec neqvissima & turpissima mulier, cum Dani eam cum viro ad regiam dignitatem exaltassent, illa pro honore sibi impenso, literas super dominio regni Wandalorum a WALDEMARO procuratas destruxit & dilaceravit. Qve affinitas multa mala in Dacia braxavit. Qvod pater ejus WALDEMARUS moleste ferens, timebat enim per hoc futurum scisma inter fratres, qvod & evenit, nam ab illo die nunqvam defuit bellum intestinum inter Reges in Dania & *Duces*, Comitibus eos instigantibus, qvi semper qverunt malum Danie. Dicitur autem, qvod WALDEMARUS pater eorum Rex, semel ascensurus eqvum pro via, stetit juxta eqvum per magnam partem diei fixus profunda cogitatione. Tandem cum ad se rediisset, qvesivit ab eo qvidam miles familiariter, qvid tam profunde cogitasset. Qvi respondens, mandavit militi, ut statim in *Sveciam* festinaret, atqve a qvodam milite ibi, qvem sibi nominavit, hujus rei notitiam exploret. Admirans miles de tam insolita legacione, ivit in *Sveciam*, atqve a dicto milite honeste per dies aliqvot habitus, tale responsum accepit: Dicas Regi WALDEMARO, qvod cogitabat de filiis suis, qvaliter post mortem ipsius concordare deberent. Ad qvod respondeas ex parte mea, qvod pessime concordarent, tamen succesive omnes Reges erunt. Hic WALDEMARUS

inter

(*) Hinc apparet, *Petrum Olai* hæc ex vetustiore auctore sumpsisse, qvi ante 1346. vixit, qvo anno *Estonia* a WALDEMARO Rege divendita est.

inter cetera notabilia facta sua edidit *Leges Danorum*, atqve in gloria mortuus est anno XXXIX. regni sui. In morte istius WALDEMARI vere ceecidit corona capitis Danorum, nam ab illa die bellis intestinis & destructioni mutue vacantes, omnibus in circuitu nationibus facti sunt in dirisum. Sed & terre, qvas patres eorum gladio suo gloriose acqvisierant, non solum ab eorum dominio recesserunt, verum etiam plagas maximas regno intulerunt, & idem miserabiliter confuderunt, principibus regni non obstantibus, sed se invicem lacerantibus & vastantibus.

ERICUS VI. *Sanctus*, qvi succesit ei in regno, largissimus omnium Regum, erat simplex ac rectus & timens Deum ac recedens a malo. Statimqve facta est dissensio inter eum & *Abel* fratrem, multisqve pugnis habitis, terram contra se mutuo devastabant. Hic ERICUS Lubicenses in Scania piscantes & civitatem infestavit, sed & illi Daciam clandestinis incursibus satis molestabant, *villamqve Hassiensem* devastabant 1249. (al. 1248.). Ipso ERICO tunc existente in insula *Imbria*, & nuptias fratris sui *Christofori* ibidem faciente. Tandem anno regni sui X. prodicisse & dolose ac neqviter captus est *Slesvic* Rex ERICUS per fratrem suum *Abel* in vigilia sancti Laurentii, atqve per *Sliam* abductus navigio, primo decollatus est, facta prius confessione, postmodum corpus ejus submersit Anno Domini 1250. prout in *uno libro* inveni & verum credo, licet aliqvi habent 1251. qvod tandem a piscatoribus inventum, cum miraculo incorruptum & qvasi eodem die decapitatum, cum capite relatum est, & in *ecclesia b. Petri* sepultum *Slesvic*. Habuit semper manum dexteram elevatam super aqvam. Sed postea per *Christoferum* Regem fratrem ipsius in *Ringstath* est translatum 1257. Hic non reliqvit aliqvem filium, sed multas filias, qve in diversis terris Regibus & Principibus junctæ fuerunt. Qvi dum decapitari deberet, interrogatus a satellitibus de thesauro suo, dixit, majorem thesaurum, qvem haberet in mundo, esse in qvadam cista apud *Fratres Minores Roskildis*, tradiditqve eis clavem ad cistam. *Abel* autem frater ejus gaudenter ab eis clavem recepit, veniensqve *Roskildis*, nihil aliud in dicta cista invenit, qvam unum habitum cum corda pro Fratre Minore, intelligensqve per hoc propositum ejus de intranda religione, graviter de nece ejus dolebat. ERICUS Sanctus, filius WALDEMARI 2. mortuo patre, attendens, Danicale imperium diminutum, attemptavit, ut tenebatur, revocare *Nordalbingiam* seu *Holsatiam* & *Lubecenses* sub corona Danie, sed in his invenit fratrem suum *Abel* Ducem Slesvicensem sibi adversantem & infidelem, qvi defendebat *Holsatiam*, eo qvod Comites illius terre *Johannes* & *Gerardus* erant fratres uxoris sue scil. *Mechtildis*. Et hec est una causa dissencionis inter ERICUM & fratrem *Abel*. Tandem ipse *Abel* ad tam abhominabile & horrendum genus peccati prolapsus est, ut fratrem a se proditiose & dolose captum non solum decapitari fecerit, sed etiam in mare projectum sepultura privaverit. Sed cito Deus super eum hoc punivit. Nam anno regni sui 2do vel 30, cum *Frisiam* debellare vellet, ab ipsius terre incolis superatus & occisus, inter corpora occisorum & corpus ejus sine sepultura permantit bestiis & avibus dilacerandum. Corpus vero b. ERICI, Deo id agente, inventum est cum capite incorruptum, & pompa duplicis sepulture honoratum, primo in *Ecclesia b. Petri Sleswig*, demum inde cum magna solennitate translatum est ad *Ecclesiam b. Virginis Ringstadis* ac juxta parentes depositum. Hic ERICUS ex ardenti amore & devocione ad Deum & ad b. Franciscum & ordinem ejus elegit sepeliri apud eosdem fratres *Roskildis* in habitu ordinis. Super qvo dedit literas majestatis sue sigillo munitas (*). Dicitur etiam, qvod postea simpliciter fecit votum, qvod regno renuntiaret & ordinem intraret. Sed hoc mors

(*) Ipsæ literæ datæ sunt *Roskildis* 1241. Nonas Junii.

ejus tam inopinata & accelerata impedivit. Item tempore *Ottonis* Imperatoris *Wenzelaus* Dux Boemie claruit juſtitia & ſanctitate. Cujus piis actibus frater ejus *Bolezlaus* invidens, ipſum occidit, & principatum uſurpavit. Hic *Wenzelaus* poſt CCC. annos paſſionis ſue huic ERICO qvieſcenti per viſum apparuit, eiqve, qvo genere mortis deberet mori, revelavit, precipiens, ut in honorem ipſius, qvi *Wenzelaus* diceretur, monaſterium conſtrueret. Rex autem a ſomno ſurgens, cepit de *Sancto Wenzelao*, de qvo nunqvam ante audiverat, ab Epiſcopis & aliis, qvis eſſet, perqvirere, & certificatus, qvod fuiſſet Princeps Boemie a fratre occiſus, cepit ad honorem ipſius in *Revalia* Ciſtercienſis Ordinis monaſterium magnarum poſſeſſionum conſtruere, ſed anteqvam totaliter conſummaſſet, fratre ſuo *Abel* procurante, ſicut Sanctus revelaverat, eſt peremptus. Hic ERICUS creditur dediſſe & adjutorio fuiſſe *Fratribus Minoribus Roſkildis* pro loco conventui erigendo, & ſuis ſumptibus incepiſſe conſtruere, ſed morte preventus, & guerris & preliis impeditus, non potuit totaliter perficere, ideo diu ſtetit in ſtructura. Regnavit annis XIX. cum patre & poſt mortem patris.

ABELL, frater ejus, ſucceſſit ei in regno, cujus anno ſecundo 1252. mortuus eſt *Fredericus* Imperator. Sed anno ſuo tertio ivit cum exercitu in *Eyderſtat* ad pugnandum contra *Friſones*, ibiqve in penam necis fraterne eſt occiſus, die Apoſtolorum Petri & Pauli Anno Domini 1252. Regnavit annis duobus & parum minus. Sub iſto ABEL *Regnerus* Ordinis Minorum factus eſt Epiſcopus Otthiinienſis per preſentationem ipſius Regis.

CRISTOPHORUS, frater ejus, ſucceſſit ei in regno 1252. ſimplex, humilis, deſpectui habitus. Qvi modicum habuit de induſtria naturali, & ideo ruſtici inceperunt inſoleſcere, deſtruentes fortalicia, municiones, pugnabantqve contra eum. Hic anno ſuo II. 1253. tradidit *Waldemaro*, filio *Abel*, Ducatum Jutie cum vexillo apud Kalding. Anno ejus tertio 1253. mortuo *Uffone*, qvi Fratres Minores poſuit *Lundis*, *Jacobus* factus eſt Archiepiſcopus Lundenſis, qvi poſtmodum ibidem apud eosdem fratres in bello eſt occiſus. Anno regni ſui IX. cepit *Jacobum* Archiepiſcopum, & incarceravit in caſtro *Hakenſkog*, propter qvod regnum fuit ſuppoſitum interdicto fere per IX. annos. Eodem anno, qvo cepit Archiepiſcopum 1259. mortuus eſt Rex CRISTOFERUS *Ripis* & ſepultus. Dicitur fuiſſe occiſus prodicioſe. Secundum alios veneno interiit.

ERICUS VIII. Mærethſon, filius CRISTOFORI, ſucceſſit ei in regno Anno Domini MCCLX. Iſte dictus eſt ERICUS GIPPINGH (*), ſic enim habent *libri antiqvi*. Hic decimas eccleſiarum tulit, nullam fecit juſtitiam, monaſteria per eqvos ſuos & canes depauperavit, totusqve lubricus, uxores nobilium violavit, propter qvod divino judicio *Comites Holſatie* & *Jarmarus* Princeps Rugie multa mala contra regnum fecerunt. Hujus anno ſecundo *Ericus* filius *Abel* factus eſt Dux Jucie, mortuo *Waldemaro* fratre ejus, ac *Olavus* Epiſcopus Burglanenſis occiditur in Eccleſia per qvendam militem *Johannem Glop*. Anno IIItio factum eſt bellum *Lohethæ* inter *Regem* & Ducem *Ericum* (filios *Abel*) in profeſto ſancti Olavi 1261. & cecidit nobilitas Danorum ex parte Regis propter proditionem *Petri Finſon*, qvi principalis fuit in exercitu Regis, captusqve eſt Rex cum matre ſua Regina MARGARETA *Sprengheſt*, & *Nicolaus* Epiſcopus Sleswicenſis, & multi alii & plures occiſi. Sed ſeqventi anno 1262. *Regina* liberata eſt, qve ſtatim per *Mathiam Florthorp* capi fecit 1263. *Petrum Finſon* & altisſime ſuſpendi ante caſtrum *Nyburgh*. Seqventi anno 1264. liberatus

(*) Forte legendum *Glippingh*.

ratus eſt *Rex* ea condicione, ut AGNETEM ſororem Marchionis Brandeburgenſis, virginem pulcherrimam, in uxorem reciperet ſine dote. Erat filia *Alberti* Marchionis Brandeburgenſis. Anno regni ejus VII. *Guido* Cardinalis, legatus Pape, fuit in Dacia, ſupponens regnum interdicto propter captionem *Jacobi* Archiepiſcopi Lundenſis. Anno regni ejus IX. edificatum eſt caſtrum *Kolding*. Poſt hoc mortuus eſt Dux Jucie *Ericus*. Rex autem ERICUS pro parvulis Ducis adminiſtrationem ſuſcipere volens, arces & dominia cepit occupare. Qvod etiam *Comites Holſatie* facere attentaverunt, ob qvod bellum inter eos oritur. Anno ejus XVI. celebratum eſt *Concilium generale Lugduni* per Gregorium Papam X. anno Domini MCCLXXIIII. Etiam eodem anno mortuus eſt *Jacobus* Archiepiſcopus in reverſione de exilio, cui ſucceſſit *Erlandus*. Anno ejus XVII. anno Domini 1275. die Viri & Modeſti, alius liber habet 1274. Dani, duce *Stigoto* Marſkalco pugnaverunt in *Suecia Örælro* contra Svecos juxta oppidum *Houæ*, ac devicerunt, depoſueruntqve Regem Svecie *Waldemarum*, & captivaverunt cum uxore *Margareta*, ac *Magnum* fratrem ejus Regem fecerunt. Anno XIX. 1275. obiit *Erlandus* Archiepiſcopus, qvi ſedit qvaſi uno anno, obiit ante promotionem ſuam, cui ſucceſſit *Thrugotus*, conſecratus a Johanne Papa 1277. qvi cum duobus annis prefuiſſet, mortuus eſt 1280. & eodem anno ſucceſſit ei *Johannes Droos*, qvi ſedit annis X. obiit 1289. Anno ejus regni XXIIII. *Waldemarus* filius *Erici* Ducis factus eſt Dux Jucie 1283. qvi anno Ducatus ſui ſecundo 1285. captus eſt cum Domino *Tukone Apeldegart* per Regem & incarceratus, & *Horsnes* ſpoliata, ſed ſeqventi anno 1286. ad preces nobilium liberatus, conſpirare cepit cum *Jacobo* Comite, & *Stigoto* Marſkalco, & *Ranone*, & aliis aliqvibus nobilibus regni, in mortem Regis, qvi & interfectus fuit per aliqvos ab eis miſſos juxta *Wiberg*, & truculentiſſime jugulatus a ſuis propriis in ſempiternum opprobrium Danorum, dum dormiret in lecto ſuo clam in nocte ſancte Cecilie Anno Domini MCCLXXVI. anno vero regni ſui XXVII. ſepultusqve *Vibergis* in eccleſia cathedrali, recepit autem vulnera mortalia LVI. qvorum fuit nullum infra pectus preter unum. Reliqvit autem tres filios, ſcil. *Ericum*, qvi fuit Rex ante mortem patris, *Chriſtoforum*, & *Waldemarum*, qvi mortuus fuit apud Marchionem in Teutonia avunculum ſuum. Anno ſeqventi fugati interfectores ejus &c. ut infra. Regina AGNES poſt interfectionem mariti nupſit *Johanni* nobiliſſimo Comiti Wagrie, qve eſt pars Holſatie, ex qvo genuit *Chriſtoferum*, qvi in foſſatum corruens cervices confregit, & *Johannem* cognomento largum. Hec *Krantz. Chronica noſtra* dicit, qvod ſepulta eſt *Ringſtadis* ad ſiniſtram filii ERICI MENWET, qve obiit 1304. Kalendis Octobris. Item *Krantz* dicit in alio loco, qvod iſte Johannes habuit filiam ERICI Regis in uxorem, & forte fuit filia beati ERICI Regis. Sed alibi ſic inveni: 1293. *Gerardus* Comes Holſatie duxit AGNETAM Reginam in uxorem.

ERICUS IX. primogenitus, cognomento *Pius*, ſucceſſit patri 1286 (1287.) in regnum, & *Criſtoferus* frater ejus factus eſt Dux Hallandie. Et qvia multum juvenis erat, Dux Jucie *Waldemarus* habens fautores plerosqve nobiles regni, juveni Regi inſidiabatur. Sed Regina AGNES mater Regis prudenter ſe gerens, ac aliqvi nobiles, qvorum corda Deus tetigerat, conſtanter pro Rege ſtabant. Propter qvod dictus Dux habens ſecum potiores regni, occurrit Regine in *Skelfiſcör*, nunc corrupte dicitur *Skelſkör*, tanqvam de bono ſtatu regni cum eo tractaturus 1288. in Aprili. Sed pugna ibi orta inter homines Regine & Ducis, Dux cepit Reginam, qve infra paucos dies per ſubtilitatem manus Ducis evaſit. Anno autem IIdo regni ERICI, in pen-

tecoſte, *Jacobus* Comes Hallandie, *Stigotus Anderſon*, & *Maſtinus* (*), & *Rano*, atqve *Ago Kake*, & alii, & *Uffo Dyre* Camerarius, *Jacolus Bloofoot*, & aliqvi ſolempniſſimi Dani milites & armigeri in Parlamento *Nyburgh* rei judicati ſunt pro morte Regis & pace privati, & bona eorum fiſco regio adjudicata, & proſcriptione damnati & expulſi. Iſti homicide per Ceſarem *Radulfum* pace privati ſunt & proſcripti. Qvi fugientes 1287. per Regem Norwegie *Ericum* collecti ſunt, qvibus & concesſit *caſtrum Kongeldenſe*, ac ſeqventi anno cum eis venit verſus *Aleburgh* cum maximo exercitu navali, ſperans ſibi terram ſubjugandam. Sed occurrentibus indigenis ac bellum ei exhibentibus, ad propria eſt reverſus. Dicti autem profugi muniverunt & edificaverunt inſulam *Hielm* 1290. de qva freqventes inſultus fecerunt in partes Jucie ac in naves per mare transeuntes. Sed Deo agente, cito de medio ſublati fuerunt, aliqvi naturaliter mortui, aliqvi rotati vel decapitati. Anno regni ſui tertio 1288. coronatus fuit *Lundis* in die natalis Domini. Qvi & pacis amator, & malos punivit, & bonos dilexit, caſtus & juſtus, qvamvis multos graves emulos haberet, ſcil. *Waldemarum* Ducem Jucie & *Ericum Langbeen* fratrem ejus Ducem Langlandie, nec non & proprium germanum *Criſtoforum* Ducem Hallandie, & multas inſidias ſibi freqventer fecerunt, tamen in omnibus protexit eum Deus. Hic in juventute ſua *Slaviam* potenter devaſtavit incendiis & rapinis, cepitqve civitatem *Roſtok* & multas civitates & municiones circumqvaqve. Edificavit turrim fortisſimam in *Wernemimæ*, ubi poſtea fecit Marchionem Militem cum maxima ſolemnitate. Humiliavit 1316. *civitatem Sundenſem*, multaqve alia fecit, propter qvod in multis regnis famoſisſimus erat. Hic 1296. (1297.) duxit ſororem *Birgeri* Regis Svetie INGEBURGH, qve fuit filia *Magni* Regis Svecie, in uxorem. Qvi etiam vice verſa habuit ſororem ERICI Regis uxorem *Margaretam*. Propter qvam affinitatem magnas expenſas poſtmodum ERICUS Rex fecit. Nam dictus *Birgerus* Rex cum uxore ſua per germanos ſuos *Ericum* & *Waldemarum* Duces captus, & in turri poſitus fuit. Qvi poſtea manus eorum evadens in Daciam ad ERICUM Regem confugit. ERICUS igitur bis exercitum contra dictos Duces miſit in Sveciam, ſed propter facilitatem Danorum nichil ad intentum ſuum factum fuit. Tertia autem vice perſonaliter venit in Sveciam cum duobus millibus & qvingentis dextrariis, & erat numerus totius eqveſtris exercitus LX. millia eqvitum. Statim autem dicti Duces a facie ejus fugerunt ad caſtra ſua maritima, parati ulterius fugere extra regnum, ſi eos inſeqvutus fuiſſet. Tranſivit igitur pacifice per *Smalandiam* & *Osgothiam*, nullo preſumente reſiſtere, intravitqve ſuperiorem *Sveciam*, ac potenter obſedit *caſtrum Nycopenſe*, adeoqve illud machinis inpugnavit, ut ab intus manentibus defendi non poſſet. Cumqve ad eum exire vellent & caſtrum reſignare, ecce qvidam Dani pociores occulte corrupti promisſionibus dictorum Ducum, exercitum Regis diviſerunt, atqve Regem verbis graviter invadentes, ab eoqve cum majore parte exercitus receſſerunt, in tantum, ut ibi vel captus, vel peremptus fuiſſet, niſi extraneos *Teutonicos* ſecum habuiſſet, qvi ſecum fideliter permanſerunt. Coactus igitur redire, dictos proditores poſt reditum ſuum in Dacia juſte vita privavit. Cum autem eſſet in redeundo, premisſis Legatis, occurrit ei alter dictorum Ducum, ſcil. *Ericus*, ſicqve cum eo placitavit, ut Rex *Birgerus* tertiam partem regni Svecie meliorem pacifice posſideret. Cum autem dictus Rex *Birgerus* in parte ſibi asſignata maneret, intellexit, qvod dicti Duces iterum in malum ſuum machina-

(*) Nomen hoc erroneum eſt, & confectum ex nomine præcedentis *Stigoti Anderſon Mareſcalci*, illum enim Danice vocabant *Marſk Stig*, contracte *Marſti* ſ. *Maſti*, unde ignarus qvidam latinum nomen *Maſtinus* finxit.

machinarentur. Sed astute preveniens eos ad se invitatos cepit 1317. sicut ipsum prius ceperant, prodicioſe, ac posuit in turri in *castro Nycopensi*, ubi ipsum prius captum posuerant, ibiqve fame miserabiliter mortui sunt. Qvi autem in terra pro dictis Ducibus zelabant occulte exercitum congregabant, atqve subito supervenientes, Regem *Birgerum* de terra fugarunt cum uxore & qvibusdam liberis. Veniens igitur 1318. in Daciam, ibi mortuus est, ac cum Regibus Dacie *Ringstadis* sepultus. Rex autem ERICUS iterum mitit sororium suum Domicellum *Magnum*, filium dicti *Birgeri* Regis, in Sveciam cum exercitu ad pugnandum. Qvi dum Vestgothiam intrassent, occurrentes sibi in bello trucidabant, atqve venientes in Östgothiam intrassent castrum *Stæcheborg*, populus autem prophanus illius regni superveniens, castrum obsedit ac oppugnavit, ut intus manentibus evasio nulla esset, propter qvod dictus Domicellus pro liberacione Danorum, qvi secum erant, Svecis se ipsum 1318. tradidit, ea condicione, ut non ledatur in vita vel in membris, super qvo jurabant omnes nobiles illius regni, facientes super hoc publicum instrumentum sub sigillis suis. Sed mortuo ERICO Rege, qvem plurimum metuebant perfidissimi & perjuri, dictum Domicellum, cui homagiati fuerant, dum pater suus in regno potens erat, tamqvam hostem regni & invasorem publice judicantes, decollabant. Qvi sepultus est cum avo suo Rege Magno *Stokholmis* in Ecclesia Fratrum Minorum. Anno regni ERICI IX. captus est per *Cristoferum*, Ducem Sampsö & Hallandie, de voluntate Regis, *Johannes Graand* Archiepiscopus Lundensis, feria 2. ante palmas, in propria curia Lundensi, pontificatus sui anno VI. ac positus in castro *Syöburgh* 1294. sed seqventi anno 1295. altera die Lucie, occulte evasit, ivit ad curiam contra Regem conqvesturus. Nuncius igitur Pape *Ysarnus* in Daciam veniens, posuit interdictum, qvod a paucis servabatur, super regnum 1299. ex parte Pape, & excommunicavit Regem, qvod duravit circa annos V. (al. 4.) Iste *Ysarnus* Gallicus erat, legatus Pape in Dania, & postea Archiepiscopus VII. annis. Postea idem nuncius rediens 1303. regnum ab interdicto & Regem 1304. ab excommunicatione sub *Benedicto* Ordinis Predicatorum absolvit. Postea 1303. (al. 1302.) factus est Archiepiscopus Lundensis, *Johanne Graand* translato ad *Sedem Rigensem.* Hic ERICUS fecit *Ericum*, filium *Waldemari* Ducis, Ducem Jucie. Hic etiam, qvamvis multam prolem cum uxore sua habuerit, nullam tamen post se reliqvit, mortuus est autem in magna gloria anno regni sui XXXIII. Anno Domini 1319. in festo Brictii episcopi & confessoris, idus Novembris, sepultus est cum aliis Regibus *Ringstadis* ad pedes beati ERICI Regis. *Waldemarus* Marchio Brandeburgensis rem super concordia & fedære cum ERICO Rege MENWET ab *Otthone* fratre inchoatam implevit, veniens cum splendore multo ad opidum *Rostockium* 1311. ubi Rex fecit Marchionem militem & DCXLVIII. cum eo. Sed cum neqve Rex a mari neqve Marchio a terra sinerentur urbem ingredi, eo qvod cives timerent, opprimi suam libertatem, in vicino loco urbi tetenderunt, ibiqve rem curialem multo splendore peregerunt, creatis a Rege militibus, qvod erat constitutum, & donariis largissimo per omnes gradus nobilitatis distributis. Rex autem magnifice in *Rostockcenses* postea vindicavit, qvod non sinebant eum ingredi urbem. Erant enim tunc ipsi Regi subjecti, ut dicetur. Dominus de Rostockio, dictus *Nicolaus*, cum timeret invadi ab Marchione *Alberto* ex aliqvibus cautis, submisit se 1312. Regi ERICO ad defensionem. Qvod Rex non vilipendit, sed exercitum misit per mare, qvem oppositit Marchioni. Sed cum *Rostockcenses* postea rebellassent, nec literis Regis paruissent, obsedit civitatem a terra & mari. Cives ubi prospexere se inclusos, qvod neqve terra neqve mare sinerentur egredi, fecerunt, qvod solent irri-

tati canes, in proximum verſi ſe vindicant. Itaqve tumultuantes, in ſenatum ſue urbis arma vertunt, pretendentes cauſas, multos ex eis occidentes, & civitatem dedentes 1316. miſſis ſolennibus nuntiis ad Regem cum magno ere, qvi etiam gratiam Regis imploraverunt. Et edificavit caſtrum *Wernemunme*. Erat autem tunc tertius decimus poſt M. trecentos a nato Chriſto annos. Dum hec aguntur ad *Roſtockium*, *Jutie proceres* pro ſua conſvetudine conſpirant in Regem, literis deſuper confectis. Moritur inde *Dux Lalandie* (*), & relicta ejus literas Regi conſignat. Rex ſevit in conjuratos. Inſurrexit autem grave bellum inter ERICUM Regem & Marchionem, qvi jam inimici erant. Regi militabant *Ericus* Dux Saxonie, *Wentzlaus* Dominus Rugianorum, Holſatie Comites *Gerardus* & *Johannes*, *Henricus* de Zuerino Comes, Cives *Gripeswaldenſes*. Marchioni autem herebat *Otto* de Stetino & *Werslaus* de Wolgaſto Duces, cum *Sundenſibus*, atqve aliis pluribus. *Lubicenſes* neutrales erant, eo qvod Regem in defenſorem accepiſſent, ut dicetur, & Marchioni repugnare non poterant propter imperium, cui ſuberant. Sed Princeps Magnopolenſis *Henricus* ſe interpoſuit, & reconciliavit Regem & Marchionem. Anno Domini 1315. Ericus Rex miſit Marſkalcum ſuum *Hermannum* de Jutia cum expedicione magna verſus *Stralæſmudh*, videlicet octoginta liburnos cum infinitis aliis navibus & VII. millibus armatorum, excepto vulgo, & obſedit civitatem in feſto Walburgis virginis, & devaſtavit omnes regiones circumqvaqve & totam terram *Rugie* usqve ad feſtum Martini ejusdem anni. Iſte ERICUS MÆNWET, Princeps magnificus & pacificus, vocatis undecunqve de conterminis finibus omnium graduum Principibus, generalem terrarum pacem firmare conſtituit. Profecit autem plurimum. Nam inter *Comites Holſatie* & *Cives Lubicenſes* pacem reformavit, & inter Ducem Saxonie *Albertum* & Comites memoratos. Qvapropter *Cives Lubicenſes* defenſorem ſuum illum fecerunt, annuasqve mille marchas illi in decennium conſignaverunt. Sed cum discordia inter eosdem repararetur, iterum ERICUS, ut erat Zelator pacis, medium ſe interpoſuit, & inventis undecunqve compoſitionis mediis, firmat pacem inter diſſidentes, & etiam inter Militares *Holſatie* & Comites eorum. Hic ERICUS Rex MÆNWET, licet vir rigidus fuerit, & inimicis ſuis & regni gravis & durus extiterit, tamen utilitati communi prudenter proſpiciens, regnum ſtrenuiſſime gubernavit, & in pace bona qvievit, in ſuperna felicitate locandus. Iſte ERICUS habuit 8. pueros cum Regina INGEBURGE, qvi omnes ſunt mortui in infantia. Unus vero illorum, cum haberet 16. hebdomadas, translatus eſt de *Abramstorp* ad *Holbeck*, ſed in via conculcatus eſt currus cum puero, & fractum eſt collum ejus, propter qvod Rex iratus contra Reginam, fecit illam includi *Roſkildis* in qvodam muro in *monaſterio ſancte Clare*, ut ibi puniretur usqve ad mortem. Qvod cum percepiſſet Dominus *Olavus* Epiſcopus Roſkildenſis, venit ad illam, & interrogavit, ſi vellet hinc exire. Reſpondit: Nolo, qvia moritura ſum iſto anno, & melius eſt mihi hic eſſe & ad mortem me preparare & Deo ſervire, qvam redire ad mundum. Reſpondit Epiſcopus: Scitis pro certo, vos morituram iſto anno. Reſpondit: Utiqve ſcio pro certo, ſcio etiam, qvod dominus meus Rex & etiam vos iſto anno ſine dubio eſtis morituri. Epiſcopus vero *Olavus* apud Regem ſuis precibus Reginam inde eripuit. Contigit autem, ſicut ipſa predixit, & mortui ſunt Rex, Epiſcopus, & Regina eodem anno. Hec *Regina* erat ſpecialiſſima amatrix, promotrix, benefactrix, & protectrix *Fratrum Minorum*. Hoc in qvodam *libro vetuſto* ſcripta inveni.

CRISTO-

(*) Supra ſcriptum: *Langlandie ut credo.*

CRISTOFORUS 2. frater ERICI ſucceſſit ei in regno Anno Domini MCCCXX. electus in *Parlamento Wibergenſi*, in feſto converſionis ſancti Pauli, anno 4. ab expulſione reverſus & electus, & coronatur. Hic anno regni ſui 4. Decimam omnium bonorum notabilium in Dania recepit. Chriſtopherus Rex Anno Domini 1324. expulſus fuit & filii ejus de Dania. Et regnabant pro eo crudeliſſimi *Comites Holſatie* multis annis, videlicet *Johannes* in *Scania*, *Hallandia* & *Blekingia*, *Syalandia* & *Lalandia*, *Gerardus* in *Fyonia*, *Norjutia* & toto *Ducatu Jutie*, cum omnibus inſulis earundem, annis 15. Qvi qvidem Comites eorumqve ſervitores omnem ſubſtantiam, omnia clenodia, & omne, qvod pulchrum erat viſu in regno, ad partes exteras abduxerunt. Hic nullam juſtitiam fecit, ſed magis tyrannidem exercuit, veritatem in verbis non habuit, nimium lubricus fuit, comitatem graviter taliavit, nobiles indifferenter cepit vel proſcripſit. Propter qvod qvantumcunqve ſibi fidelis de ſe ſecurus erat. Hic habuit tres filios, ſcil. *Ericum*, *Ottonem*, *Waldemarum*, qvorum primum Regem conſtituit, ac ſecum *Voringburgh* 1322. per *Esgerum* Archiepiſcopum Lundenſem coronari fecit, & ſeqventi die rupit omnia juramenta facta Archiepiſcopo, & ipſum cum ſuis mortaliter diffidavit. Sed cito gloriam poſtea ſuam amiſit, nam anno regni ſui VII. filius ejus ERICUS Rex per Nobiles regni captus in *Tornborgh* & incarceratus in *Hadherſleff* fuit 1327. Qvo audito, CRISTOFORUS in Teutoniam fugit, nunqvamqve poſtea priſtinam gloriam eſt adeptus. Dani vero aſſiſtentiam Comitum Holſacie *Gerardi* & *Johannis* pecunia conduxerunt, ac in odium CRISTOFORI & prolis ſue *Waldemarum* filium parvulum relictum poſt *Ericum* Ducem Regem creaverunt. Seqventi anno poſt fugam ſuam CRISTOFORUS cum magno exercitu Teutonicorum navigio in *Sialandiam* venit, potenterqve terram illam optinuiſſet, ſi fraus Teutonicorum, qvi ſecum erant, non fuiſſet, qvia nolebant pugnare contra Teutonicos, qvi cum Danis erant. Igitur bello facto, in Teutoniam eſt reverſus. Dani igitur ſecuri, inceperunt proteruire, nullum jam timentes, tranſiveruntqve in *Sinderiutiam*, ac caſtrum *Hatherſleff*, in qvo homines Comitis *Gerardi* erant, incendunt. Perrexerunt ulterius in *Gotorop*, & illud caſtrum ſimiliter habuiſſent, niſi qvidam Dani, qvi pro dicto Comite zelabant, populum avertiſſent. Qvamvis enim dictus Comes contra CRISTOFORUM eis fideliter aſtitit, ipſi tamen perfidi jam a CRISTOFORO liberati, non ſolum Comiti, qvod ſibi promiſerant, negaverunt, ſed etiam ipſum & terram ſuam deſtruere intendebant. Igitur Anno Domini MCCCXXIX. convenerunt omnes *Jutenſes* in bello ante caſtrum *Gotrop* contra Comitem Gerardum, ibiqve victoriam propter prodicionem qvorundam Danorum amiſerunt, multis proſtratis, innumerisqve captis, qvi per diverſas partes Teutonie ſunt abducti. Ex tunc incepit fieri graviſſimum jugum Teutonicorum ſuper regnum, qvi non ſolum terram, ſed & caſtra regni optinebant, Nobilesqve regni, qvi ſperabant ſe poſt expulſionem CRISTOFORI regnaturos, jam per Teutonicos, qvos introduxerant, arctabantur, capiebantur, & ſervi fiebant. Propter qvod latenter in odium Teutonicorum CRISTOFORUM revocabant, etiam illi, qvi potiores & principaliores fuerunt in expellendo eum. Sed ipſe revocatus, memor injurie ſibi facte, cum Comite in odium Danorum concordabat, in cujus concordie ſignum & fomentum filius ejus Rex ERICUS, jam de carcere liberatus, recepit ſororem Comitis, Duciſſam Saxonie, uxorem. Reſedit autem in *Scanderburgh* CRISTOFORUS. ERICUS autem filius ejus in *Nyborgh*. Longum eſt autem enarrare de malis, qve fiebant ſuper indigenas terre. Cepit autem CRISTOFORUS qvendam *Tukonem* Epiſcopum Burgalenſem, propter cujus captionem clerus regni tenuit interdictum annis VII.

Poſtmodum orta eſt diſcordia inter CRISTOFORUM & Comitem, repudiavitqve Rex ERICUS ſororem ejus. Igitur Anno Domini MCCCXXXI. a principio regni CRISTOFORI anno XII. bellaverunt CRISTOFORUS & filius ejus contra Comitem *Gerardum* in *Lohethe*, & propter falſitatem Teutonicorum, qvi cum eis erant, ut dicitur, victoriam amiſerunt, multisqve de ſociis eorum captis, aufugiunt. Sed ſtatim poſtea eodem anno Rex ERICUS miſerrime in *Kilone* defunctus eſt, delatumqve eſt corpus ejus in Sialandiam, & in *Sora* monaſterio ſepultum. CRISTOFORUS vero in Lalandiam veniens (*), turpiter a Danis & Teutonicis captus, & in caſtro *Aaleholm* incarceratus eſt. Sed cito poſtea liberatus, tranſivit in *Falſtriam*, ibiqve in caſtro *Nycöbing* mortuus eſt 1331. ſecundum *Chronicon vulgare*, & in ſupradicto Monaſterio ſepultus, die Donati Epiſcopi. Circa hoc tempus *Scanienſes* plurimos Teutonicos occiderunt Lundis, & circa *Helſingburg*, miſeruntqve *Teutonici* nuncios ad Regem Svecie MAGNUM, filium *Erici* Ducis Svecie, exhibentes *terram Scanienſem.* Qvi annuens, promiſit *Teutonicis* pro dicta terra & *Helſingburg* LXX. millia marchas puri argenti, datis multis obſidibus Dacis & Svecis, qvousqve dicta ſumma ſolveretur. Poſt ERICUM MENWET, qvia prolem non habuit, CRISTOFERUS frater ſuus factus eſt Rex. Qvi cepit Dacos ſpernere & odire ultra modum, ita qvod de omnibus malum ſibi favorem acqviſivit. Tandem cum vellet ad *Terram Sanctam* proficiſci, miſit nuntium ad fratrem ſuum Comitem *Johan*, & duxit illum ſecum per totam Daciam, & commiſit ſibi omnia caſtra regalia in bona fide, qvia ipſe frater ſuus Holſatus erat ex parte matris. Cum autem Rex reverſus eſſet, nichil de omnibus, qve fratri ſuo commiſerat, potuit rehabere. Et qvia malum favorem de omnibus in regno ſibi acqviſierat, & ad nullum locum tutum refugium in regno haberet, incepit fugere. Et dum veniſſet ad *Saxköbing* in Lalandia; miſit Comes *Johan* nuntios ſuos Regem captivare. Qvod cum vidiſſet Rex, fugit ad qvandam domum lapideam, qve tunc tecta erat cum arundinibus, & inceperunt ſe ſervitores Regis viriliter defendere, qvod nuntii Comitis non potuerunt eum extrahere, anteqvam Comes Ellemoſe & alii plures ſecum ignem miſerunt in domum illam & fecerunt ita magnum fumum, qvod deſtructus fuit Rex totus, & inde evaſit per unam feneſtram ſuper duas phalangas per qvendam clientulum ſibi porrectas, & poſt biduum mortuus eſt *Nicopie.* Tali modo venit totum regnum ad manum Comitis *Johan* ſupradicti & ad manus Holſatorum, usqve ad WALDEMARUM Regem filium CRISTOFORI. Hec in qvodam *libro vetuſto.* Sed non omnia puto vera, qve hic dicuntur, nam contradicunt aliis *Annalibus*, qve veriora eſſe cenſentur.

Seqventia de CRISTOFORO Rege jam dicto extracta ſunt maxime de Hyſtoriis Sclavorum & Saxonum, per *Albertum Krantz* Decanum Hamburgenſem compoſitis. Et ſunt hic aliqva, qve videntur contrariari ſuprapoſitis de eodem Rege CRISTOPHORO. ERICUS igitur Rex moriens, mandavit proceribus, ne fratrem *Chriſtopherum*, regno ſuis meritis exactum, Regem ullo modo eligerent. Sciens ipſum inſtabilem & aliis de cauſis regno inhabilem. Sed erant inter proceres, qvi CRISTOFERO favebant. Illi adjuti armis illuſtriſſimi Comitis Vagrie *Johannis*, fratris CRISTOFERI uterini, ipſum CRISTOFERUM in regnum provexerunt anno Domini 1320. Per qve tempora Rex CHRISTOPHERUS Principibus confederatus obſedit *Urbem Sundenſem* cum multis aliis Principibus. Circa idem tempus cum controverſia inter CRISTOFERUM & *Henricum*, dominum de Magnopoli, ex qvibusdam cauſis ſuborta duraſſet, Rex finem rebus dare conſtituens, permiſit in compenſatio-

nem

(*) Supra lineam ſcriptum: *Criſtoforus fugit in Lolandiam atqve in Saxköpin captus.*

nem damnorum illi irrogatorum omne jus, qvod in *Roſtokenſi Dominio* illi eſſet. Submiſerat enim jam dudum ſe Dominus Roſtokenſis *Danorum Regi*, qvod ſupra diximus, cum a Marchione ſibi timeret. Deinde CRISTOFERUS deſponſavit filiam ſuam *Ludovico* Marchioni, filio *Ludovici* Imperatoris, qvorum nuptias fecit *Vartingburgh*. Qvo etiam tempore *Werſlaus*, Dominus Rugianorum, obiit ſine herede, cujus terre dominium vicini Principes omnes ambierunt, Rex CRISTOFERUS, *Dux de Wolgaſto*, *Dominus Magnopolenſis*, *Princeps Wandalie*, pro ſe qvisqve contenderunt. Sed *Regi* tunc obvenit, eo qvod eſſet majoribus viribus, & in eo antiqvum feudum collocaſſet. Obierat per ea tempora *Ericus* Dux Sleswicenſis, relicto filio *Waldemaro*, nato matre, germana *Gerardi* Comitis Holſatie. Qva de re CRISTOPHERUS Rex, qvod multi ante eum Reges tentavere, *Ducatum* adunare qverens Corone, ſpecie adminiſtrationis pro parvulo, arces Ducatus cepit poſſidere, & ceteris qvidem jam in manu Regis collocatis. Sola *Gottorp* arx munitiſſima reſtabat, qvam Rex obſedit magna ſuorum manu. *Gerardus* autem Comes pro nepote arma ſumens, eam tueri aggreditur, & ſoluta eſt obſidio. Cum autem CRISTOFERUS Rex omnium ſuorum in ſe odia provocaſſet in regno, ita ut ejicere illum conarentur. Danorum proceres in Regem provocavere Comites Holſatie, qvi, expeditione inſtituta, primum *Fionie* inſulam apprehenderunt, arcem ejus *Nyburg* oppugnantes & demum expugnabant. Rex autem cernens, intus & foris omnia in ſe ardere conflagrandum, magno ære ſumpto, ſcil. immenſam argenti & auri copiam, & qvicqvid precioſum in theſauris regiis habebat, ſecum abduxit, navigavit in Germaniam, & *Roſtockium* applicans, cum Principibus Magnopolenſibus egit, ut conducto exercitu in Daniam armis reduceretur, armavit claſſem, & rediit in regnum 1327. CRISTOPHORUS iſte rediit cum nongentis XXXVI. dextrariis & intravit *Vartingburg*, ſed mox obſeſſus eſt ab innumerabilibus *Syalandenſibus*, ſed *Henrico* Magnopolenſi placitante dimiſſus eſt, & occupavit *Falſtriam*, ſed & ibi obſeſſus eſt, donec iterum *Henrico* placitante tranſivit in *Roſtock* cum filiis. Sed tanta fuit conſpirantium manus, ut nichil proficeret, iterumqve armis ejectus eſt. Tunc Danie proceres, habito cum Holſatie Comitibus conſilio, *Waldemarum* Sleswici puerum duodennem Regem creaverunt. Is novus Rex, habito in *Fionia* regni conventu, *Gerardum* Comitem avunculum ſuum creavit pro ſe *Ducem Slesvici*, *Johanni* Comiti permiſit *Lalandiam*, *Falſtriam*, & *Cimbriam*, inſulas minores in regno tres. *Gerardus* in arce Lalandie *Werdingburg* militem qvendam reperit Germanum, qvam arcem ſolutis 4. marcharum millibus de manu illius recepit, & donec ſolveret ſummam memoratam, in pignus tradidit arcem *Zegeberg*. Idem Comites *Johannes* & *Gerhardus* egerunt, ut CRISTOFERUS Rex Lubicam accederet, & per internuntios transigeret cum eis, ut, ſi vellet eis dare octoginta millia marcharum argenti, regnum illi permitterent incolume, & pro viribus illi aſſiſterent in rebelles, reddentes terras cum arcibus, qvas teneret, utqve WALDEMARUS junior, qvem Regem creaverant, voluntate *Gerardi*, ex cujus arbitrio adoleſcens totus penderet, in Ducatum rediret. Rex autem arbitratus, ſi Comitum illi accederent arma, Danorumqve decederent, partibus facile ſe obviaturum adverſantibus. Et qvoniam argentum promptum non erat, dedit Comitibus pignus pro eo *Sylvam Danicam* cum parochiis octo non contemnendis, qvoad argentum ſolveret. Qvibus ex ſententia conſtitutis, Regem Comites reduxere in arcem *Warthingborg*. Qvi autem ex proceribus contraria ſentiebant, Regem in arce circumſedere. Sed tunc fuit ea potentia Rex, cum ſibi Comites devinxiſſet, ut facile Danis ſuperior eſſet. Jutie tamen proceres indigne ferentes, qvod gerebatur, &

Regi & Duci ſuo ſimul & Comitibus auſi rebellare, arcem *Gottorp* iterum obſidione cinxerunt. Sed Comites ſupervenientes cum magno exercitu, obſidionem ſolverunt & nongentos ceperunt, ceteris partim ceſis partim fugatis 1329. CHRISTOFERUS deinde Rex, vir inqvieti animi, pro nichilo duxit *Gerardum* adverſantem ſuſtinere, igitur magno iterum exercitu conſcripto in *Waldemarum* Slesvici Ducem movens, obſedit *Gottorp.* Sed *Gerardus* ſuperveniens cum exercitu, fit prelium acre, & peracta multorum ſtrage, Rex fugam iniit in *Kylonem* ad fratrem uterinum *Johannem.* Alii dicunt, Regem captum. Sed hic erat exitus rerum, ut *Johannes* Comes, Regis frater uterinus, interpoſita opera, captivi omnes laxarentur, data in poſſeſſionem *Gerardo Fionia* & aliqvot arcibus. Dani interim iniqvo ferentes animo tantam in ſe Holſatorum inſolentiam, qvotqvot repererunt Lundis, facto impetu omnes peremerunt, arcem *Helſingborg*, qvam *Gerardus* tenebat, obſidentes capiunt, & deinde alios, qvotqvot ille de manu Regis tenuit, recipiunt, pulſis cuſtodibus. Rex per propinqva tempora obiit. Deinde *Gerardus* venit cum exercitu, & occiſus eſt *Randrus.* Filii autem ejus *Henricus* in Syalandia & *Nicolaus* in Jutia multa fecerunt in ultionem patris. Item duo millia Danorum dicuntur ceſa circa *Scandherborg*, ubi *Nicolaus Ebbeſon.* *Henricus* autem in Syalandia exiſtens, cum exercitu aliqva opida immunita occupavit, arces etiam aliqvot obtinuit. Exorta autem contentione inter Danos & Holſatos, qvidam ex primoribus Danorum multis charus opprimitur ab Holſatis. Ea re in brevi per longinqvum divulgata, conclamatur ad arma, execratur omne nomen Holſatorum, & ceſi ſunt a Danis Syalandis una nocte trecenti viri. Qve res exterruit Holſatos, ita ut *Henricus* ipſe Comes inde abiret. Erat autem annus poſt mille trecentos qvadrageſimus ſecundus. Comites autem attendentes, qvod urebat Danorum oculos cernere in regno Theutonicos, qvi arces & opida posſiderent, qvodqve jugum Germanorum ferre nollent, permiſerunt vel egerunt, aut coacti ſunt, ut WALDEMARUS filius CRISTOFERI in Regem promoveretur, vel forte tunc venerat in regnum. Item iſte CRISTOFERUS vertit curiam *Knardorp* in Monaſterium Anno Domini 1326. Uxor iſtius CRISTOFORI dicta eſt EUFEMIA.

Anno Domini MCCCXXXIIII. *Otto*, ſecundus filius CRISTOFORI, venit cum ſocietate de Lalandia in Norjuciam, ſperans terram cum indigenarum adjutorio optinere. Sed bellantibus contra eum circa *Vibergis* Teutonicis, ſcil. *Gerardo* Comite Holſatie cum ſuis, & qvibusdam Danorum famulis, non ſolum victoriam perdidit, ſed etiam captus eſt, & in caſtro Holſatie Sægberg poſitus fuit. Hic *Otto* poſtea laxatus vinculis, cum in conſpectu ejus eſſet univerſum Danie regnum, unde facile conſeqveretur Ducatum, qvi in eo multi fuerunt olim, maluit, accepta veſte ſacre religionis, Deo atqve dive Marie in Ordine Fratrum Teutonicorum militare, idqve perfecit, & fratri *Waldemaro* reliqvit ſoli ſceptra regni. Anno Domini MCCCXL. *Gerardus* Comes Holſacie *Caluus* intravit *Juciam* cum maximo exercitu, habens ſecum plusqvam XII. millia expeditorum bellatorum, & intendens totam *Juciam*, nobilitatem Jucie extirpare, & illam terram ſuis Teutonicis aſsignare. Partem autem exercitus ſecum habuit, partem autem duobus filiis ſuis in aliis locis Jucie dimiſit. Dum autem ipſemet *Randrus* cum 4. millibus moratur, ecce qvidam nobilis Jutenſis, nomine *Nicholaus Ebbeſon* habens ſecum tantum LXVII. *Chronicon vulgare* dicit XLVII. ſocios, 1. die Aprilis, tempore nocturno, ſcil. in diluculo, *villam Randruſienſem* per pontem intravit, cubiculumqve dicti Comitis adiens, percuſſis timpanis (campanis) incendioqve poſito in villam, illud validiſime effregit, ipſumqve Comitem intus cum aliqvibus aliis audacter interfecit, cum tamen ibidem in villa exercitus Comitis

eſſet

eſſet qvatuor millium armatorum. Qvo facto, dum per eundem pontem evadere vellet, inſeqvuti fuerunt ex ſociis Comitis cum plurimis vexillis, qvos adeo valide repreſſit, ut interficeret ex eis duos ſolempnes milites cum aliqvibus aliis, ſicqve tabulas pontis poſt ſe diſſolvens, cum ſuis evaſit, non amittens aliqvem preter unum. Dicto autem Comite interfecto, totus ille grandis exercitus cum verecundia ad propria remeavit, ſtipendiis promiſſis & habitis deſtitutus, nec non & plurimi ex eis occiſi per latentes incurſus Danorum. Eodem anno, ſecundo die Maji, idem *Nicholaus Ebbeſon* interfecit multos Teutonicos circa *amnem Skiern*, qvi nitebantur ibi caſtrum edificare in malum Danorum. Sed & eodem anno, dum idem *Nicholaus* obſideret caſtrum *Skandorpburg*, congreſſus eſt cum magno exercitu Teutonicorum ſuperveniente, in die animarum magnam ſtragem in eis fecit. Attamen ipſe cum aliqvibus Danis ibidem occubuit.

Poſt longam & diutinam tumultuacionem & tribulacionem Danici regni, exigentibus demeritis incolarum, placuit Deo, ut ad ſuum ſtatum rediret. Igitur Dani plures per literas & nuncios ſollicitaverunt WALDEMARUM, filium CRISTOFORI, tunc in curia Imperatoris exiſtentem, ut rediens acciperet ſolium paternum, & eos a duro jugo & tyrannide Alemannorum educeret. Eo tempore venerat *Ludovicus* Marchio, *Ludovici* Imperatoris filius, qvi ſororem WALDEMARI habuit uxorem, in *Lubecam*. Hic cum Comitibus Holſatie *Johanne* & *Henrico*, & Duce Slesvicenſi *Waldemaro*, qvi pridem Rex appellatus erat, ad ſe vocatis egit, ut WALDEMARUS filius CRISTOFORI, jam diu regno exulans, per factionem *Gerardi* Comitis ceſi in *Ramdrus* Jutie, reduceretur in regnum paternum. Qvod & factum eſt. Nam WALDEMARUS predictus, filius minor & tertius CHRISTOFORI, Anno Domini MCCCXL. veniens, ut omnia ad tranqvillitatem & pacem melius redirent, accepit *Helwigem* ſororem Ducis predicti, qve ſepulta eſt in *Æſſarom*, in uxorem, &, nuptiis regalibus cum ea in *Synderborgh* peractis, intravit Daciam circa Pentecoſten, & in *placito Wiburgenſi* omnes proceres ei homagium preſtiterunt, ſicqve *Syalandiam* intravit, & ibi ſimiliter ut Rex conſalutatus eſt ab omnibus, ut obtineret de manibus Teutonicorum, ſed qvaſi per annum in Syalandia manens, nichil ad intentum obtinuit, propter fraudulentiam Teutonicorum & fallaciam aliqvorum Danorum, qvamvis tamen maximam ſummam argenti exponeret pro caſtris ibidem ſitis. Deinde rediens ad *civitatem Vibergenſem*, Sabbato ad diem Primi & Feliciani, *Legem* renovavit, videlicet *municipalem*, *Handfeſtning*, & poſtea debellando Holſaticos, Alemannos, Svecos, & qvosqve &c. Iſte WALDEMARUS accepit unum calicem cum patena de qvalibet eccleſia, & cum illo auro & argento redemit ad ſe caſtra de Holſatis. Iſte WALDEMARUS Rex contulit Prepoſiture Roſkildenſi *eccleſiam beati Michaelis Slagloſie.* Hic extitit regni Danorum magnificus liberator & recuperator de tirannide Alemannorum. Nam virili animo, contra omnem ſpem, debellando omnes Alemannos, Holſatos, Svecos, & qvoscunqve alios extraneos de omnibus caſtris, arcibus & municionibus a mari adriatico usqve ad terminos Svecie ejecit a regno. Liberata eſt Dania ab omnibus Teuthonicis 1350. Et primo exhibuit habentibus caſtra pecuniam, argentum & aurum, ut illa dimitterent, & ad propria redirent. Sed cum nollent juſtis condicionibus acqvieſcere, violenta & armata manu ea accepit, & detinentes expulit. Et primo *Kalundeborgh* obſedit & expugnavit. Poſtea *Söborgh.* Deinde vicit *Friſiam* in profeſto XI. Millium virginum. Demum tres arces accepit in *Jutia.* Volens autem exturbare Holſatos de *Lalandia*, obſedit prius arcem *Wartingborgh.* Sed dimiſſa obſidione, eam cum *Lalandia* pro

VIII. millibus marcharum redemit, qvia forte pro tot inpignorata fuerant. Deinde accepit *Korsör* & *Pedeborgh*. Interim WALDEMARUS Rex cum magno exercitu, Duce Saxonie *Erico* concomitante, navigavit in *Prusſiam*, conſtituit autem cum fratribus ordinis Teuthonicorum, in qvo ordine jam habebat fratrem germanum ſcil. *Ottonem*, invadere *Letuaniam*, Chriſto non credentem, Chriſto militaturus & dive virgini, ſed qvoniam vel treuge erant, vel aliis juſtis cauſis, dimiſſa ibi militari manu, & hybernis peractis in *Prusſia*, *Erico* Duce & decenti familia ingreſſus eſt longinqvam peregrinacionem in *terram ſanctam*, perveniensqve ad dominicum ſepulchrum, & ibi de manu Ducis *Erici* factus eſt miles Chriſti, qvi ante fuit Rex ſeculi, die beate Marie Magdalene Anno Domini MCCCLV. Reverſus autem WALDEMARUS, redemit caſtra & arces a Theutonicis. Deinde WALDEMARUS fecit expeditiones in *Sclaviam*, & vaſtavit inſulam *Pole*, tunc parentem *Alberto* Magnopolenſi Duci, inter qvem Ducem & *Ludovicum* Marchionem, qvi habebat in uxorem ſororem Regis WALDEMARI, bellum erat. 2da vice devicit & debellavit hoſtes generi ſui ſcil. ejusdem Marchionis. 3tia vice concordavit eum cum duobus Comitibus in *Stetiin*. Sed fecit ei *hoffmodh*. Item WALDEMARUS concordavit inſimul *Ericum* Ducem Saxonie & *Albertum* Ducem Magnopolenſem. Eo tempore Rex accepit *Trancker* & *Nörreburgh*. Et vicit *Femernæ*. Demum WALDEMARUS manu valida intrat *Scaniam*, & caſtrum *Helſinborg* in profeſto Kanuti Regis obſedit, & *Scaniam* totam, *Hallandiam* & *Blekingiam*, cum caſtris, arcibus & municionibus ſuis obtinuit, & Regem Svetie *Magnum* de finibus illis expulit Anno Domini 1350. (1356.) vel circa. Sed tamen poſtea Rex *Magnus* Svetie literas injuſte empcionis ſuper terra Scanie Regi WALDEMARO reddidit in *Helſingburg*, facta deſponſatione filie Regis WALDEMARI *Margarete* cum filio Regis MAGNI *Haqvino* Rege Norvegie. Item WALDEMARUS accepit *Borringholm* & totam terram. Hic WALDEMARUS tradidit *Henrico* Duci Magnopolenſi filiam ſuam *Ingeburgam* in uxorem, qvi genuerunt *Albertum*, bonum principem & regno dignum, niſi MARGARETA, altera Regis filia, relicta Regis Norvagie, jam vidua (*), regnandi avida, *Albertum* exclusiſſet. Anno Domini 1364. Rex WALDEMARUS, tempore *Urbani* Pape 5ti cum ſolenni apparatu viſitavit curiam Romanam. Et eodem anno *Nundine Scanör* in tantum deſolate ſunt, exceptis duabus *bodher de Stetiin*, unus qvidem mercator non comparuit. Maritime tunc civitates apertum bellum indixerunt WALDEMARO, ideo, ut qvidam dicunt, qvod non ſineret mercatores eorum ſine novis impoſitionibus agere. Qva de re civitates ille navibus expeditis duxerunt in regnum. Nec ſegnior Rex, navibus impoſitum exercitum obviam juſſit proficiſci. Cui filium ſuum prefecit *Chriſtopherum*. Congrediuntur navali pugna fortiter certantes, duraſſetqve in longius tempus pugna, niſi Regis filius *Chriſtoferus*, ictus *bombarda*, qvod bellicum tormentum tunc nuper inventum erat, graviter vulneraretur. Qvo accepto incommodo, Regia claſſis ſe pugnæ ſubduxit. Ex qvo vulnere brevi diem ſuum obiit. Claſſis autem urbium ad predam in terras Danie applicuit, & expoſito exercitu in longinqvum per terram excurrebant. Qva opportunitate accepta, claſſis Regis, cum cerneret claſſem civitatum non ſatis cuſtoditam, invadunt, & ſex majores naves abduxerunt 1361. Redeuntes autem, qvi predatum abibant, omiſſa preda, in reliqvis navibus cum dedecore revertuntur. Ex *Chronica Sclavorum:* Rex WALDEMARUS aberat, qva oportunitate adepta, maritime civitates miſerunt claſſem navium in Daniam, & fiunt excurſiones per eos, oppugnantur arces, capiunturqve *Haffnia*, *Helſingör*, *Nycopia*;

(*) Hinc patet, ſcripta hæc eſſe ſub MARGARETA Regina poſt mortem HAQVINI Regis vidua.

pia, *Falſterbodh*, *Schanör*, *Alsholm*. Sed proceres cum eis convenerunt, ut redditis arcibus, qvas acceperant, *Scaniam* per annos XVI. tenerent, cum omnibus obventionibus Regiis in compenſationém damnorum, qve Rex mercatoribus irrogaverat. Hec ſi vera ſunt, ignoro. Anno Domini 1360. (1363.) WALDEMARUS fecit nuptias filie ſue MARGARETE, cum eſſet XI. annorum, cum Rege Norwegie HAQVINO, qvi erat filius MAGNI Regis Svetie, cum qvo habuit filium OLAVUM, & ſic *regnum Norwegie* hereditavit, qvod etiam usqve hodie ſub dominio & tide *Danorum* perſeverat. Cum autem WALDEMARUS multa preclara & mirabilia opera geſſiſſet, illud erat non parve eſtimacionis, qvod *Gothlandiam* & *Wisby* accepit, ubi omnia bona in habundancia habuit, nam ibi tunc erat emporium ſive Stapula (*Stavel*) civitatum maritimarum. Ob qvod graviſſime diffidatus eſt ab eis. Qvibus ita reſcripſit cum eodem nuncio, nec plus nec minus: *Seuen ende ſeuentig henſen hefft ſeuen ende ſeuentig genſen, wo mii de genſen nicht en biten, na den henſen vrage ick nicht en ſkiten.* Igitur cum magna claſſe navium veniunt, & *Helſingborgh* erectis XVI. machinis valide oppugnant. Sed WALDEMARUS ſuper eos irruens cum expedito agmine, ad naves cum rubore & dedecore redire coegit, multis captis & occiſis. Habebat autem, ut dicit *Chronica Saxonum*, a Rege Danie *Nicolaus* Comes Holtſatie *Fyoniam* in pignus, ubi cum obſideret arcem *Bramberg* (*Mambergh*), WALDEMARUS hoc audiens irruit ſuper obſidentes, occiſis pluribus ex eis, multos cepit, & *Nicolaus* Comes amiſſo oculo in pugna, a Dano qvodam eqvo deturbatur & capitur, ſed non cognitus, qvis eſſet, arma victori victus tradit, ipſe abire permiſſus, vix in ſua magno labore revertitur. De iſto WALDEMARO ita inveni ſcriptum: Hujus WALDEMARI tempore, cum rediſſet de curia, omnis traditio ſeniorum, & leges paterne, & libertas Eccleſie Daciane abolite ſunt, militarium, mercatorum, & ruſticorum qvies in tantum abrogata erat, qvod non daretur tempus in toto regno comedendi, qvieſcendi aut dormiendi, qvin ad labores per officiales & advocatos ejus excitarentur ſub obtentu Regis gratie, recuperatione vite ac bonorum omnium dilapidacione. Qvi Rex ob demerita, divina ultione urgente, fugit ſeu exulavit diu de regno, nemine perſeqvente, Anno Domini 1368. in cena Domini, & rediit poſt qvartum annum, & ſupervixit poſtea tribus annis. Dicitur tamen, qvod occulte ei dictum erat, qvod ſui eum intoxicare vellent, & ob hoc locum dedit eis ad tempus. Demum Anno Domini 1375. in feſto Criſpini & Criſpiniani, obiit in caſtro *Gorſſue*, & ſepultus eſt *Wartingborg*. Sed poſtea per MARGARETAM filiam translatus in *Soram*, & juxta patrem tumulatus in choro ſub campana. Succesſit MARGARETA cum filio *Olavo* intrans Daniam & obtinens regnum.

Cui ſucceſſit OLAVUS, nepos WALDEMARI ex filia MARGARETA Anno Domini MCCCLXXVI. in feſto invencionis ſancte crucis in *Parlamento Slagloſie* celebrato a potioribus regni & popularibus. Sed qvia juvenis erat, & mater erat mulier ſagaciſſima & magnanima, ideo ipſa qvodammodo omnia diſponebat & gubernabat, tam ſub OLAVO filio naturali, qvam ſub ERICO POMERENSI filio adoptivo. Et hinc eſt, qvod ſcribitur, ipſam regnaſſe pluribus annis, qvi etiam filiis aſcribuntur. Obiit OLAVUS adoleſcens, in damnum & dolorem, in *Falſterbodhæ*, die inventionis Stephani, ante feſtum Laurentii martyris, Anno Domini 1387. ſepultusqve eſt *Sore* in ſummo choro ad partem borealem. In qvo defecit ſangvis regius Danorum & progenies regalis ſancti *Kanuti* Ducis, qve a WALDEMARO PRIMO usqve ad hec tempora Sceptra Danie tenuerat.

Mortuo OLAVO, mater regna Danie & Norwagie gubernabat. Erat enim femina prudentisſima & ingentis ſpiritus, ac animo pollens virili, perfecitqve induſtria ſingulari, ut tria regna poſt multorum memoriam ſeculorum femina conjungeret, qvod divi & excellentes viri non poterant. Eo tempore Comites Holſatie, qvi tunc ſex erant, convenerunt coram MARGARETA Danorum & jam Norwagie Regina, obſecrantes, qvatenus, totius Danie procerum voluntate, *Ducatus Sleswicenſis*, qvi tunc vacabat, uni eorum, qvem ipſi eligerent, in beneficium concederetur, utqve Comites perpetuo federe junɛti maneant in fide corone Danice, nec per ullam occaſionem ad bella qvisqvam proſiliat. Sed cum aliqvid invicem natum fuerit qveſtionis, Dani ex Holſatis, & vicisſim illi ex Danis binos eligant, qvi rem in controverſia poſitam dirimant. Qvod ſi non poterunt, habeant facultatem qvintum aſſumendi, cujus votum alteri parti accedens, rem omnem abſolvat. Comites autem elegerunt ad hanc dignitatem *Gerardum* filium *Henrici* filii *Gerardi* in *Randrus* ceſi ſive interfeɛti. Qvem Regina cum filio OLAVO inveſtivit, *Ducemqve Slesvici* inſtituit & appellavit Anno Domini 1388. Hec dicit *Krantz.* Erat a Chriſto nato poſt mille trecentos LXXXIX. annus, cum ALBERTUS Rex Svetie, qvi erat filius *Alberti* Ducis Magnopolenſis ex ſorore MAGNI Regis Svetie, jam feliciter regnaret. Hic invidens femineum principatum Danie, multis contumeliis Regine MARGARETE illatis, vocando eam *Regem inbrachatum* ↄ: ſine femoralibus, juravit ſe non geſturum caputium, priusqvam illi ſceptra Danie ademerat. Unde & bellum ei indixit. Hoc dicit *Chronica noſtra.* Alia cauſa iſtius belli traditur a Sclavis talis, ut ſeqvitur, & potuit eſſe utraqve: Rex iſte *Albertus* erexit oportuno loco municionem, unde poſſet Danorum in ſua tranſitum arcere. Regina nulli cedens viro, prudentia & animi magnitudine multos ſuperans, non paſſa ullum ab Rege prejudicium, adverſum novam Regis arcem in ſuo ſolo erexit aliam, unde commeatus poſſent intercipi in novam Regis arcem convehendi. His de rebus primum prefectorum jurgia, deinde etiam excurſiones fiunt invicem, qvé adeo creverunt in immenſum, ut ipſi inter ſe Principes, hinc *Rex*, inde *Regina*, totis regnorum viribus concurrerent, eduxere acies, fit bellum acerrimum die Mathie apoſtoli, ſed *Danis victoria* relicta eſt, qvi & juſtum bellum habebant. Capitur Rex cum filio *Erico*, & tribus Comitibus, & multis nobilibus, militibus, armigeris, & in arctisſima cuſtodia recluduntur, VII. annis in carcere manentes. Interim multa fiebant, & tractatibus & armis ad ejus laxationem, non tamen poterant ulle condiciones reperiri, qve femineum animum poſſent permollire, niſi qvod regno renunciaret. Et qvia juraverat, ſe non portaturum caputium, anteqvam Reginam regnis Danie & Norwagie privaſſet, ideo ipſa fecit ei fieri caputium de burello XV. ulnarum cum liripipio XIX. ulnarum. *Johannes*, patruus Regis, de Stargardia Dominus, multum laborabat pro laxacione Regis. Manſerat autem ſolummodo in fide *Stockholm*, qvod Dani obſidebant. Intravit mare dictus *Johannes* cum multitudine navium, ut veniens obſidionem ſolveret. Sed ſeva tempeſtate exorta, vix ipſe cum paucis ſalvatus eſt. Sed anno ſeqventi idem, expeditione iterum inſtituta, aſſunt cum eo cives *Roſtockcenſes* & *Wismarienſes*, qvanta poterant virtute, pro Rege, nativo Principe ſuo omni niſu contendentes, ut captivitate Rex laxaretur, ſed nichil profecerunt. Demum urbes *Roſtockium* & *Wismaria* proclamaciones faciunt in ſuis & vicinis locis, ut, qvotqvot forte propria militare vellent in navibus contra Danos & Svecos & Noricos, venirent, & portibus ſuis & urbibus uterentur pro refugio, qvatenus male vexati, Dani, Norici, cum Svecis, ad laxationem capti Regis inclinentur. Venit ſubito multitudo magna gregariorum & vitalianorum, & mare intrant. Sed

ſine

ſine diſcrimine obvios qvosqve in mari depredabant, neqve memoratarum urbium civibus deferentes. Multa inde urbibus provenere incommoda, multæ ab exteris qverimoniæ, nonnullæ excitatæ ex illa radice in lite cauſæ, qvæ per juris ſtrepitum agerentur apud Imperatorem, per multa mox ſecuta tempora duraverunt. Erat tunc annus a Chriſto nato *nonageſimus qvintus* poſt *Mille trecentos*, a captivitate vero Regis ſeptimus, cum de ejus laxatione multa variis locis placita haberentur. Tandem interventu ſeptem urbium, *Lubecæ*, *Sundenſis*, *Gripeswaldenſis*, *Gdanenſis*, *Turriane*, *Elbingenſis*, & *Revaliæ*, qvæ ſe vades in hanc rem interpoſuere, ſpondentes, ut Rex laxatus intra triennium Regine voluntatem expleret de ſua filiiqve ac concaptivorum redemptione, aut urbes ſexaginta millia marcharum argenti perſolverent, aut urbem *Stockholm* cum pertinentiis ſuis in manus Regine conſignarent. In eas conditiones Rex cum filio & concaptivis laxatus 1395. proficiſcitur in ſuam Magnopolim. Demum obiit *Ericus* filius ejus. Jam inceperat impleri triennium, qvo Rex *Albertus* Regine arbitratu de ſua captivitate exiret, eiqve ſatisfaceret. Igitur VII. urbes, qvæ fidem interpoſuere, Regem adeunt, optionem ex tribus faciunt, qvid malit, aut in captivitatem redire, aut ſexaginta argenti marcharum milia numerare, aut urbem *Stockholm* & perinde regnum dimittere. Ipſe autem urbem Regine permiſit, cum reliqva regni jam illa teneret. Ita eſt regno ad plenum abſolutus. Anno tunc proximo, qvi erat a Chriſto nato poſt *Mille trecentos nonageſimus nonus*, ingens rigor brumæ, & a multo tempore incompertum frigus erat, ut pedeſtri itinere a *Lubica* per mare in *urbem Sundenſem*, & inde in *Damiam* perveniretur. Circa idem tempus urbium Sclavicarum Oratores navigarunt in Daniam, convenientes Reginam MARGARETAM, jam tribus regnis imperantem, qvam adorti ſunt, reperientes in Syalandia, ut apud illam transigerent & repararent, qvæ diuturno bello infracta fuere, mercatorum in regnis privilegia, propter eorum demerita. Qvam benivolam invenientes, omnia recuperaverunt. *Cometes* per ea tempora, in qvadrageſima, toto fere menſe terruit orbem, cum *primus* ageretur poſt *M. qvadragintos annus*. Secute ſunt multorum Principum neces & mala in orbe. Per idem tempus MARGARETA eadem, trium regnorum aqvilonarium potens Regina, juvenem qvendam, qvi forma corporis & etate vero filio ejus OLAVO non dispar videretur, cum ſecretiſima qveqve, & qvæ non ſolent niſi inter matrem & filium conſtare, ſigna prodidiſſet, inſtructum ab OLAVI filii nutrice, qvod ſe filium ejus ſimularet. Ipſa mortis filii certiſſima, convictum de falſitate in *Falſterbode* juſſit concremari 1402. Annus jam agebatur *qvartus poſt mille qvadringentos* (alibi 1408.), cum *Gerardus* Dux Sleswici & Comes Holſatiæ duxit in *Thietmarſos*, ubi etiam occiſus eſt. Qvod MARGARETA audiens, cogitavit, jam tempus adveniſſe, qvo Ducatum regno ſuo Danie adunaret. Recepit autem aliqvot arces, ſcil. *Tundber Lutke*, *Obenraa*. Habuit iſte *Gerardus* tres filios, ſcil. *Gerardum* nondum natum, & *Adolphum* trimum, & *Henricum* agentem VII. annum, qvem Regina miſit in regnum educandum, obſidem habitura, ſi qvid ab Holſatis intentaretur. Habuit & filiam, qvæ tradita eſt Domino de Sclavia Principi *Baltaſar*. Cumqve ille non diu ſuperfuiſſet, nupſit *Theodorico* Comiti de Aldenborg, & peperit *Chriſtiernum*, *Mauricium* & *Gerardum* filios, qvorum primus poſtea Rex Danie factus eſt, & genuit JOHANNEM Regem Danie & FREDERICUM Ducem, poſtea Holſatiam tenentes. Nam tres filii *Gerardi* ſupradicti ſine prole obierunt. Demum MARGARETA Regina mulier prudentiſſima, qvæ triũm, ut dictum eſt, aqvilonis regnorum ſceptra conjunxerat, cum jam prolem ſuperſtitem non haberet, & ſeneſceret, adoptione ſibi qverebat filium, ut ſic vel ſan-

gvis Regius ſervaretur. Igitur, de voluntate Procerum, Pomeranie Ducem duodennem, ERICUM IX. ſibi adoptavit in filium, qvi erat filius filie ſororis ſue qvondam Duciſſe Magnopolenſis & conſobrinus *Sigismundi* Imperatoris. Pater enim ERICI & mater *Sigismundi* ſoror & frater fuerunt. Qvi veniens, accepit gubernacula iſtorum trium regnorum, qvamvis qvodammodo ipſa omnia rexit cum ERICO, qvodad vixit. Hic perficere volens, qvod mater inceperat, de adunatione Ducatus Corone. Dicebat enim Rex, beneficium fuiſſe perſonale, ſcil. ſoli Gerardo permiſſum, nec tranſire ad poſteros. E contra filii Ducis, ſeu tutores eorum, dicebant, feudum legitimo jure ad filios pertinere. Qve res infinitos peperit utrisqve labores per annos ſupra XXX, & utinam hodie finem haberet. Dux autem *Gerardus* ante mortem ſuam commiſit filios tribus militibus, ut eſſent tutores eorum. Sed frater *Gerardi* Comes Holſatie ſibi hoc uſurpavit, ob qvod inter eos oritur magna discordia. Cum igitur & Ducatus ipſe & Holſatia ſine legittimo capite, in qvo plena reſideret poteſtas & auctoritas videretur, multa invicem Dani Holſatis, & vicisſim ipſi Danis & damna & incommoda intulerunt, propter qvod Rex ERICUS *Henricum* Comitem, (qvi ſibi indebite uſurpavit & vendicavit Ducatum adminiſtrandum ex parte nepotum, cum pater eorum tribus militibus ipſis in tutores commiſerit, ut dictum eſt,) evocavit, redditurum rationem eorum damnorum, qve Dani ab Holſatis paſſi dicerentur, qve ad undecim aureorum millia ſunt taxata. In cujus ſolvende ſumme pignus opidum *Flensborg*, cum vicina *Novo domo*, qvod preſidium *Nicolaus* Comes firmavit, deponeretur. Sed Holſati poſtea opidum dolo recuperaverunt. Qvo comperto Rex juſſit validius incumbere de monte & recuperavit opidum, & ſeviens in qvosdam ex civibus, majores rotis & gladio, qvod perfidiam illis adverſus ſacramenta imputaret, enecavit. Qvo tempore qvidam ex Holſatorum Primoribus ad Regem tranſierunt. Rex inde arces, municiones & preſidia locis oportunis, qvibus non erant, erexit, & qve ante fuerant, firmavit. Eo tempore Archiepiſcopus Lundenſis Dominus *Petrus Kruſæ* conſtituerat in *Sleswico* officium Metropolitani peragere, in qvam rem vaſa argentea ſancte Sedis Lundenſis una cum pretioſa mitra & baculo paſtorali, cum aliis pontificalibus navi impoſitis juſſit petere locum memoratum. Sed qvidam Holſati navibus egreſſi de *Kilone* excubabant ad predam, dictamqve navim aggreſſi ceperunt, inqve *portum Kilonenſem* perduxerunt. Aurum & argentum ineſſe putabatur non parvi ponderis. Circa illud tempus Rex de mandato Imperatoris cepit *cives Lubicenſes* in *Scania* piſcantes, non pauciores qvadringentis ex mercatoribus, eo qvod erexerant ſe contra ſenatum ſuum, & plurimos ex illis expulerant, qvorum ſcil. piſcantium areſtate merces conſcripte ſunt, aliqvot ex his carceri injecti, alii, ſacramentis preſtitis, ut in regno libere diverſentur, ſunt permiſi, alii *Lubicam* remiſi, ut inter ejectum concilium & communitatem agerent de pace, qvam ſi perficerent, omnia illico ſua eſſent reddenda cuiqve. Sin autem, ipſi in conſtituta loca ad captivitatem redirent. Per qve tempora, opera Lubicenſium, civitates maritime, usqve in orientem *Gripeswald*, Regi Daniæ confederarentur, hoc modo: Si bellum ingruat Regi, paratusqve ſit ſtare in juſtitia ad arbitros idoneos, mille armatis ei militabitur ex eis urbibus. E diverſo, ubi civitatibus qvid tale immineat, Rex idem faciet, dummodo juſticiam eorum ipſe in manibus habeat. *Hamburgenſes* etiam, qvi jure ſuberant *Comitibus Holſatie*, ceteris civitatibus conſenſere, audientes, Regem habere juſtam cauſam, & etiam pro tempore *Thietmarſi.* Rex autem, contracta multitudine bellatorum, centum millia, obſedit urbem *Slesvicum* & arcem *Gottorp.* Sed urbe expugnata & recepta, arcem dimiſit, eo qvod audiverat, jam *Hamburgenſes* fedus & pacem cum

eo

eo initam rupiſſe turpiter, & ſimul cum Thietmarſis contra ſe venire. Deinde etiam alie civitates maritime Sclavie federa & fidem violantes a Rege receſſerunt & Holſatis junćti ſunt. *Lubicenſes* tamen ſteterunt diu, ſed tandem aliis civitatibus adheſerunt. Rex autem propter hoc nolens cedere, armavit naves ſuas, & mare civitatibus ſatis anguſtum fecit, nec tamen ipſe ſine damnis & inſule ſine depredacione, qvod aliter eſſe non potuit, fuerunt.

Anno Domini MCCCCXII. illuſtriſima Principiſſa Domina MARGARETA, Danie, Svetie & Norwegie Regina, ipſorum regnorum coadunatrix potentiſſima & ſagaciſſima, defenſatrix invićtiſſima, promotrix conſtantiſſima, conſervatrix preſtantiſſima, auctrix divini cultus & paramentorum eccleſiaſticorum devotiſſima mater & benefactrix cleri ſingulariſſima, qvoad vixit, ex hac vita migravit, in navi exiſtens cum exercitu ſuo contra Holſaticos in portu *Fleusborgh*, in *vigilia Simonis & Jude* apoſtolorum, ſepulta primo in Sora, ſed poſtea ad annum, procurante *Petro* Epiſcopo Roſkildenſi, portata eſt ad Roſkildiam, in medio chori eccleſie cathedralis tumulata. Circa illud tempus Rex tenebat *inſulam Cimbrię*, qvam qvidam *Femberiam*, corrupte *Fimbriam*, alii *Imbriam* nominant. Erat annus XVI. poſt mille qvadringentos, cum Holſati eam habuerunt, qvibus etiam incole terre homagium fecerunt. Sed qvomodo Holſati eam habuerunt, armis, dolo, vel de voluntate inhabitantium, non pro certo inveni. Sed Rex proximo reverſus anno ferociſſime ſe vindicavit in gentem. Nullum diſcrimen in ſacris & prophanis. Altaria everſa. eccleſie execrate. abducte virgines & matrone. lacrimabilis virorum ſtrages, qvam etiam Rex omni evo ſuo in oculis ſemper fertur habuiſſe, allacrimans, qvotiens illius diei recordaretur. Scriptores autem Dani tradunt, inſulam *Femberiam* ſeu *Fimbriam* victam & ſubjugatam a Danis Anno Domini 1420. Unde verſus: *Anno Milleno qvadringenoqve viceno, Femberiam Dani vaſtant feſto Kyliani* ↄ: VIII. Idus Julii. *Chronica vulgaris* dicit 1419. Deinde ERICUS Rex cauſam ſuam de Ducatu Sleswicenſi apud Imperatorem Romanorum *Sigismundum* egit, evocavitqve Duces Sleswicenſes, ut de Ducatu coram illo tranſigatur. Ille re & cauſa examinata, per aliqvos jurisperitos & principes ac barones ſententiam promulgavit, *Henricum, Adolphum, Gerardum*, Holſatie Comites, Ducatum Sleswicenſem injuſte poſſidere, eisqve abjudicavit, & ad illum Regi Danorum reſtituendum condemnavit. Sed illi nichilominus in pertinacia ſua manentes, cauſam coram ſummo Pontifice propoſuerunt. Qvam commiſit *Theoderico* Colonienſi Archiepiſcopo examinandam. Sed nichil actum eſt. Sigismundus indignatus Summo Pontifici, qvod auderet falcem in non ſuam meſſem dimittere, & cauſas coram ſe per ſententiam terminatas attrectare tentaret. Multa fecit, ut Papa commiſſionem revocaret. Nota qvod ſi Dania vel jure vel conſvetudine uteretur Romanorum, tunc plana videbatur cauſa & expedita, ut filii patri ſurrogarentur. Sed qvoniam jus aut conſvetudinem Romani feudi Dania non agnoſcit, ideo conceſſio *Gerardo* patri facta non erat realis ſed perſonalis. ERICUS Rex obſidebat arcem *Synderborg* non ſine gravi ſuarum copiarum jactura.

Octavus decimus erat annus in hoc ſeculo ſcil. poſt mille qvadringentos, cum in urbe *Lubica*, ſicut ante ſepe & poſt, ſolennis erat conventus oratorum ab urbibus de communione *Hanſe Teutonice.* Hii cum conveniſſent, primum miſſis ex ſuo numero qvibusdam in Daniam pertentaverunt & laboraverunt pro pace habenda. Jam enim civitates Sclavie ſe rebus implicaverunt pro Ducibus Sleswicenſibus in magnum & irreparabile dispendium eorum. Sed nichil tunc illa legacio promeruit. Poſtea Duces fecerunt aliqva damna in partibus Jutie. Circa illud tempus fuit in mariti-

mis regionibus tanta aqvarum inundacio, ut Noe tempora in memoriam redigerentur. Circa *Dordracum* oppidum Hollandie magna pars terre paluſtris interiit. Sedecim dicunt tunc parochias cum innumera populi multitudine fuiſſe interceptas 1418. qvod dictu miſerabile eſt. Treuge erant inter Regem & urbes. Anno 1423. vel circa gelu fuit per brumam incomparabile & inauditum, qve usqve adeo mare conſtrinxit, ut eqvites a Gdano Prusſie in Lubicam per viam navigantes tranſirent incolumes. Ferunt & a Magnopoli in Daniam glacie tunc ſtratum ſtetiſſe mare.

Anno Domini 1427. urbes emiſerunt claſſem magnam, qve inſulas Danie adorta pauca bona reportavit. Oppidum qvoqve *Flensborg* ea tempeſtate obſidetur a Ducibus & urbibus ſeu urbicis. Sed *Henricus*, ſenior frater Ducum, ibi interfectus eſt, ſicqve obſidio ſoluta eſt. Eadem eſtate 1428. urbici ſeu civitates maritime magnam claſſem confecerunt, ut mare ſecurum navigantibus preſtarent. Venturas enim ſciebant onerarias naves magnas de occidentis partibus, multorum opes ſubvecturas. Sed qvi claſſi preerant, obliti mandatorum, cum infeliciter in *Öreſwnd* cum Danis conflixiſſent, *Hamburgenſibus* captis, fugam non ſatis decoram inierunt, naves, qvas tutari debebant, tunc hoſtibus Danis permittentes. Vix enim diſceſſere de ſolito ſue ſtationis loco, ecce adnavigant naves onerarie, qve expectabantur, & Danis incurrentibus ad predam patuerunt. Ita duplici victoria tunc Dani ſunt potiti per unum diem, multis & variis bonis locupletati. Per eandem eſtatem Rex ERICUS, miſſis literis in communitates urbium memoratarum accuſavit, qvod adverſus antiqva & etiam jam nova federa & permisſiones plurimas in regno, qve magno incremento eſſent urbibus & profectu, iniqvo bello ab urbium ſenatibus premeretur, & niſi ipſi bello averterent ſuos conſulares & ad leges pacis & federa implenda & tenenda converterent cogitaturum ſe, qvomodo invitatis aliarum nacionum mercatoribus, excluderet omni regno ſuo cives urbium Sclavicorum. Cumqve communitas urbium has literas accepiſſet, inſurrexit contra ſenatum ſuum & conſulares, & aliqvot occiſis plurimisqve depoſitis, nonnullis etiam expulſis & proſcriptis, novum ſibi concilium & ſenatum creaverunt. Proxima eſtate ſcil. 1428. ut videtur *Krantz* dicere, ſed *Chronica noſtra* dicit 1430. emiſerunt ex urbibus (ex liga) grandem claſſem ducentarum ſexaginta navium, qvarum capitaneus erat *Gerardus* Dux Slesvici, germanus *Henrici* jam occiſi, & duxerunt in inſulas Danie (Öreſwnd) predatum, & ut mactarent vaccam Danam. Duodecim milia militum erant ad pugnam, veneruntqve in *portum*, qvem vocant *mercatorum* (Haffnenſem). Sed multum diuqve ibi laboratum eſt inaniter. Conſeruerunt enim Dani trabes in mare demiſſas, & ibi velut in terra pugnantium, bombardas impoſuerunt, viriliter pugnantes. Nec poterant urbici ad interiora penetrare prohibiti fixuris trabium & aſſiduis ictibus bombardarum. Qva de re ut portum interciperent & obſtruerent, & aditum & exitum intercluderent, naves veteriores elegerunt, qvas injectis grandibus ſaxis in portu demergerent. Igitur cum hoc attemptarent perficere, Dani eos viriliter impugnaverunt, horribiliter detonantes bombardis, & navibus, qvas jam communierant, invaſerunt, perfeceruntqve, ut intermiſſo opere tanti conatus fugam inirent cum magno detrimento & dedecore Daniam & ejus vaccam relinqventes intactam. Circa idem tempus vel diu ante Rex ERICUS per oratorem ſummo Pontifici miſſum accuſari curavit, legittimis modis archiepiſcopum Upſalenſem gravibus irretitum criminibus, depoſicione dignis convictumqve aut facti notoreitate aut aliis competentibus viis, qvibus poſſunt crimina inclareſcere, depoſitum juſſit abſtinere pontificalibus, fratremqve ordinis Birgitte in ejus locum obtinuit conſecrari. Interim urbes ſex Sclavice 1429. inuitant Ducem Luneburgenſem, ut qva-

dringentis

dringentis lanceis *Jutiam* ingrediatur vaſtaturus. Sed cum aliqva pauca diſcrimina feciſſet ibi, Dux Brwnswigcenſis invaſit terram ejus. Per id tempus cum Rex ERICUS abeſſet apud Romanorum Regem & deinde in peregrinatione terre ſancte, & familia Regine *Philippe* multas in conſpectu naves, qvibus uteretur ſi vellet, haberet. Igitur ſeptuaginta qvinqve navibus perarmatis urbem Sundenſem ibant Dani exterrere. Qvo cum veniſſent, omnes naves in portu inventas incenderunt, & crebris ictibus bombardarum in urbem jaciebant. Cives autem ſe continuerunt urbe. Sed cum jam Dani recedere vellent, vi ventorum detruſi ſunt in *Panim* fluvium. Interim venerunt naves de *Lubica*, & ſuperfuerant aliqvot incendio. Qvibus preparatis, invaſerunt Danos jam conſtrictos a mari & terra. Sed illi viriliter pugnant, & ſe defendunt. Attamen Sundenſes habuerunt aliqvot ex navibus Danorum & aliqvot demerſe fuerunt. Cetere fuga elabuntur. Una autem de majoribus navibus Danorum cum capta eſſet & impoſiti in ea aliqvi viri ex civibus, qvi jam captos tutarentur, ab aliis ne ledantur. Sed Dani, qvi inerant, non ſatis obſtricti a victoribus, ventum nacti ſecundum, abeunt, cuſtodibus ſecum abductis pro captivis. Cum autem Rex rediret, graviter indignatus eſt contra *Reginam*, qvod id vel procuraſſet vel non interdixiſſet negotium. Addunt nonnulli impregnantem tunc Reginam indigne ab Rege attactam inde mortem obiſſe, qvod tenera mulier & pregnans, torvo etiam vultu, poterat ſatis ledi. *Urbes* interea, qve vocantur *Sclavice*, diuturno bello in Danos fatigate & malis multiplicibus vexate, ſepe fecerunt mentionem & poſtulacionem pro pace, qvippe qvi nichil ſibi proficere poſſunt, niſi tutam navigationem habent, conſtitutus eſt locus in *Nycoping*, miſerunt oratores ex qvaqve urbe. Diu tractatum eſt de compenſandis damnis, de ſatisfactione in Regem, eo qvod federa rupiſſent, deqve ipſis reformandis. Hec enim omnia Rex depoſcebat. Sed *Roſtockenſes* ſoli pacem ab Rege voluere, ejusqve conſtituta acceptaverunt, ceteris ſibi deliberandum dicentibus. Deliberacione habita cum majoribus, miſerunt omnium nominibus *Sundenſem Proconſulem* Regi ſatis familiarem, qvi cum eo cuncta perageret. Sed & ille, uti Regem in ſuam ſententiam flectere non potuit, tranſivit in placita Regis, pacem & ipſe pro ſua urbe approbans. Circa illud tempus 1431. auxilio aliarum civitatum Duces Sleswicenſes obſidebant *Flensborgh* & Montem, qvod tandem obſeſſi dederunt, fame eos ad hoc perurgente. Demum cum qvidam miles, nomine *Broderus Swendh* eſſet prefectus claſſi Danorum, venerunt qvatuor magne naves de *Riga* mercibus onuſte precioſis, qvas aggreſſus *Broderus*, tres ex eis cepit, qvarta elabente in portum ſuum Lubicenſem. Dani alacres partiuntur opimam predam retinentes mercatores, ut ſuo ſe ere redimant. Sed *Lubicenſes* dolum inſtruunt, ut Danis vicem rependant, naves *Revaliam* petere ſolitas perarmant impoſitis ſatellitibus, adjungunt alias celeres ad curſum armatos ſtipendiarios mercatoribus jungunt in naves onerarias, ceteras ſolis armatis ad pugnam implent. Procedunt in mare, ſed *Broderus* primas majores naves ſivit preterlabi, poſtremas invadere conſtituens, ſed inſiliunt armati latitantes, & fit pugna graviſſima, ſed *Broderus* capitur 1432. vel circa, cum multis aliis, & *Lubicam* deducuntur. Fama volat, captum cum commilitonibus militem, qvi nuper tres e *Livonia* naves cepiſſet, tota obviam civitas effunditur, hoſtem captum videre cupiens, qvi ſtatim omnes vinculis alligantur, ſinunturqve pro fortuna cujusqve ere ſuo ſe redimere. Sed miles *Broderus* diutius in vinculis manet, eo qvod nauticus vir eſſet, qvi laxatus qvieturus non videretur. Tentatum eſt eo anno 1433. iterum concordia, miſſis in Daniam oratoribus ex Sclavicis qvatuor urbibus, *Lubica*, *Hamburgo*, *Luneburgo*, *Wismaria*, in arcem *Zuineborgh*, ad Regem, ſed fru-

ſtrati ſunt oratores, qvia faciem Regis non viderunt, nec ille verba eorum dignatur audire. Seqventi anno vix civitates treugas impetrare potuerunt. Anno Domini 1434. vel circa, conventum *Lubice* habuerunt mercatores de communione *Hanſe* tractantes, ſi aliqvo modo pax poſſet fieri inter Regem & Duces Slesvici, qvibus Ducibus qvatuor civitates Sclavice deeſſe nolebant. Sed qvia Duces Ducatui renuntiare nolebant, nichil actum eſt. Eodem anno 1434. iterum miſi ſunt proconſules qvatuor civitatum predictarum in arcem *Warthinghborgh* ad Regem, qvi ſecum honoris gratia ducebat duos pontifices Werdenſem & Raceburgenſem. Rex autem jam advocaverat ex amicis principibus, Bavarie, Pomeranie, Stetinenſem, Magnopolenſem, Saxonie Duces, ac de ſuis Lundenſem, Roſkildenſem, Aboenſem, Ripenſemqve Pontifices. Cumqve diu multumqve invicem contuliſſent ſermonem, nichil venit in medium, in qvo utrisqve partibus complaceret. Deinde Anno Domini 1435. iterum navigabant Ducum & memoratarum urbium oratores in Daniam in *Warthingborg*. Ubi diu tractatum eſt ſine fine, Ducibus, qvibus qvatuor civitates deeſſe nolebant, feudi ſucceſſionem obtendentibus omni legittimo jure comprobatam. E contra Rex cum proceribus regni dicebant, Daniam non ſubeſſe Romano Imperio, nec regnum hereditarium, & per conſeqvens nec jus aut conſvetudinem Romani feudi agnoſcere, & ſic conceſſionem Ducatus *Gerardo* factam non eſſe realem ſed perſonalem, & pro hoc ſe habere ſententiam Romani Imperatoris. Sed dum multi dies in eo tractatu ſine fructu conſumerentur, proceres regni jam dudum bellorum perteſi, & nichilominus timentes, ne civitates conjungerent ſe Svecis, qvi jam contra Regem ſe erexerant, & ſic graviores incumberent regno, ideo adeunt Regem, dicentes eſſe tempus de pace cogitandi, aut de treugis, multos ſuorum eſſe prelio conſumptos, vaſtatas inſulas, nullam ſecuritatem incolas habere, dum ſemper ſuſpicarentur hoſtes, ſuum qvemqve privatim ſentire incommodum, obſecrantes, ut ſibi ſuisqve conſulat ad temporum tranqvillitatem. Qvorum conſiliis Rex annuens permiſit, ut ipſi conſtituerent de pace vel treugis cum civitatibus & Ducibus. Nec iſte ERICUS ulterius tenuit bellum cum eis, ſed non poſt multos annos ſcil. Anno Domini 1438. regnis ceſſit, cum jam multis & variis laboribus & incommodis affectus eſſet ex eo die, qvo primum eſt ingreſſus regna. Nam diuturno cum Ducibus Sleswici & Sclavicis urbibus bello, ultra XXX. annos, ſucceſſit in Svetia nova perturbatio, cum ibi proceres novum ſibi gubernatorem conſtituiſſent. Itaqve tribus opulentisſimis regnis ille ceſſit, plurimos theſauros regni ſecum asportans, & *Gothlandiam* intravit, qvam inſulam permiſſus eſt habere a CRISTOFERO ſucceſſore ſuo, ubi aliqvot annis manſit. Aliqvi dicunt, eum expulſum, aliqvi, eum ſponte receſſiſſe. Tandem ibi diffidatus eſt a *Karolo* filio *Kanuti*, qvem jam Sveci erexerant in Regem ſuper ſe, & tandem obſeſſus. Sed CHRISTIERNUS Rex eum liberavit, Svecis fugatis, & partim occiſis, partimqve captis. Qvi tandem rediit in ſuam *Pomeraniam*, ubi & mortuus eſt. Regnavit annis 50. (XLI.)

CHRISTOPHORUS 3. Dux Bavarie & Comes Palatinus Rheni, nepos predicti ERICI ex germana ſorore, in ejus loco electus eſt Anno Domini 1439. (1440.) Qvi ſtatim poſt paſcalia *Lubicam* intravit, ibiqve usqve in diem viſitationis Marie commoratus eſt. Sicqve in regnum perductus eſt, Rex conſecratus *Ripis* 1443. in die circumciſionis domini per Dominum *Johannem Laxmand* Archiepiſcopum, qvi tunc celebravit primam miſſam metropolitanam. In cujus regni principio ruſtici Noriutie volebant regere & dominari, inſurgentes & vilipendentes & contemnentes Regem, clerum & proceres. Qvos in Jutia ſimul conſpiratos & conjuratos Rex aggreſſus per-

domuit

domuit & punivit, aliqvot occisis, scil. duobus millibus 1441. die mensis Maji scil. feria 5ta pentecostes, sub principe suo *Henrico Tagesson*, & interfectus est cum MCCCC. ita habet *alius liber*. Per ea tempora Dux Sleswicensis & Comes Holsatie *Adolphus*, qvi difficili & diuturno bello pro eo Ducatu cum Rege ERICO dimicasset usqve ad novissima ipsius Regis tempora, accessit ad hunc CHRISTOFORUM jam novum Regem, postulans ab eo Ducatum in feudum. Qvi attendens multa mala exorta pro concertatione ipsius Ducatus tempore avunculi sui ERICI predicti, simulqve se novum Regem nec prolem habentem, cui conferret. Nonnullis etiam aliis de causis & rationibus, concessit ei Ducatum in beneficium & ablata per predecessorem ejus ERICUM denuo concessit. Limes Ducatus ab aliqvibus dicitur *Pons Caldingensis*. Dux autem *Adolphus*, accipiens de manu Regis Ducatum, homagium ei prestitit & fidelitatis juramentum. Hic CHRISTOFORUS accepit in uxorem filiam Marchionis Brandeburgensis *Johannis*, nomine *Dorotheam*, & celebravit nuptias in castro Haffnensi 1445. dominica ante Michaelis. Multa per ea tempora sunt innovata in regnis Danie Svetieqve, Sclavicis urbibus & earum mercatoribus adversa. CHRISTOPHORUS enim iste liventi semper oculo *Lubicam* fertur aspexisse, multum undecunqve thesaurum congregavit, cum qvo proceres suspicabantur ipsum recessurum, qvemadmodum predecessor ejus & avunculus ERICUS fecerat. Sed ille jam perveniens ad extrema justit adesse ex primoribus procerum, en, inqvit, ego morior, thesaurus, qvem me composuisse arbitrabamini, ut emitterem, habetur in illo loco. Eum mihi impendere semper in animo fuit ad recuperandam regno *urbem Lubicensem*, qve, ut audio, Danici juris aliqvando fuit. Obiit *Helsingborgh* 1448. regni sui anno VII. in festo trium Regum, sepultus *Roskildis*.

Cui eodem anno succesit CHRISTIERNUS Comes in Aldenborg & Delmenhorst, nepos *Adulphi* Ducis supradicti ex sorore, in profesto beati Michaelis in *Parlamento generali Lundis* electus, & in monte *Trælæjiæbardzhöy* confirmatus. Cui Dominus *Tyro* Archiepiscopus vexillum regni tradidit, & seqventi anno circa festum Symonis & Jude in *ecclesia Haffnensi* in Regem coronavit, ipsi insignia regalia conferendo. Hic Princeps magnificus, humanissimus, & liberalissimus erat. Qvanqvam enim multotiens multis possessiones, res, vitam, actus legittimos, patria proscribere, adimere potuisset, destitit tamen, sciens, scriptum esse, Regem bene regere volentem super omnes misericordem esse oportere. Svecі audientes, Danos elegisse Regem sibi, & ipsi similiter *Karolum* filium *Kanuti* eodem anno evexerunt ad sceptra, literis nec suis nec predecessorum, qvi hec tria regna conjunxerant, deferentes. Et statim *Karolus* obsedit ERICUM POMERENSEM in *Wisby*, sed Rex CHRISTIERNUS veniens, eum eripuit, Svecos fugavit, multis occisis & captis, & insulam postea possedit 1449. in die Olavi Regis. CHRISTIERNUS dehinc fecit nuptias in *castro Haffnensi* cum Domina DOROTHEA relicta CHRISTOPHORI Regis. Demum tenuit bellum cum Svecis, anteqvam eum eligere in Regem voluerunt, annis VIII. Sed interim Anno Domini 1450. coronatus est in Regem Norwegie in *Trondhem* in die sancti Olavi. Et Anno Domini 1452. Karolus Rex Svetie modicum ante carnisprivium *Scaniam* cum multis millibus hominum manu hostili fraudulenter intravit, & magnam partem Scanie combusit, & qvasi omnia bona sedis archiepiscopalis incineravit, & curias episcopales *Helsingborg*, *Borgeby*, *Werpinge*, & *Galtofte* totaliter combusit, & feria 5. ante carnisprivium *civitatem Lundensem* obsedit, & magnam ejus partem combusit. Sed archiepiscopus cum suis ecclesiam & curiam Lundensem manu armata defendit. Cujus etiam famuli multos de comitatu Karoli, scil.

mille, captivaverunt, tempore qvo idem Rex jacuit in *Dalby*. Sicqve *Karolus* rediit in Svetiam, & in redeundo *Gerherrit* & *Villandzherrit* qvaſi totaliter combuſit. Item Anno Domini 1455. CHRISTIERNUS obtinuit caſtrum *Elvisborg* die apoſtolorum Petri & Pauli. Eodem anno, die Purificationis, natus eſt JOHANNES filius CHRISTIERNI. Et modicum poſt *Scanienſes* edificaverunt caſtrum *Dæneholm* circa *Toſtabro*. Anno Domini 1457. Rex CHRISTIERNUS fecit expeditiqnem in *Öland* & caſtrum *Borcholmen* obſedit, & tandem expugnavit & cepit machinis & bombardis. Eodem anno miſit claſſem navium in *Findlandiam*, & caſtrum *Wiborg* conflagravit. Eodem anno Sveci KAROLUM regem expulerunt. Qvi navigio venit ad civitatem *Dantzſken* circa medium XL^me. Eodem anno Sveci elegerunt CHRISTIERNUM in Regem, in feſto Johannis baptiſte, in *Morenſteen*, & coronatus eſt poſtea in *Upſalia*. Eodem etiam anno nata eſt *Margareta* filia Regis, qve poſtea tradita fuit Scothorum Regi in uxorem. Anno Domini 1459. die Barbare virginis, obiit *Adolphus* Slesvicenſis Dux & Comes Holſatie, nullo herede legittimo ſui corporis relicto, & ſic *Ducatus* Corone conſolidatur, qvod diu a Regibus per multos labores erat qveſitum. Sed filii Regis *Johannes* & *Fredericus* eundem Ducatum, patre moriente, denuo a Corona ſeparatum, inter ſe per partes diviſerunt, ſicut & *Holſatiam*. Qvod utiqve erit cauſa multorum malorum futuris temporibus. Et mirum eſt, qvod Conſiliarii regni hoc permiſerunt. Videant, qvanta mala ſub ERICO POMERENSI exorta ex diviſione Ducatus a regno. De Comitatu autem *Holſatie* pervenit res in contencionem de jure ſuccedendi inter CHRISTIERNUM Regem, germana ſorore *Adolphi* natum, & *Ottonem* de Scovenborg Comitem, qvi longiore qvidem gradu diſtabat, ſed tamen ex maſculino latere. Sed Holſati militares tunc ſuum rati eſſe arbitrium eligere, qvem vellent, ſuper ea re conſultaverunt, & elegerunt *Ripis* CHRISTIERNUM Regem 1460. ut eſſet Comes Holſatie in hebdomada Dominice invocavit, data a Rege ingenti pecunia XLIII. milium aureorum *Ottoni*, qvi juri ſuo renuntiaret. Anno Domini 1463. Dominus *Johannes* Archiepiſcopus Upſalenſis captus fuit in *caſtro Stockholmenſi* per Dominum CHRISTIERNUM Regem, de conſenſu & voluntate pociorum militum regni Svetie, & captivus ductus navigio ad *caſtrum Haffnenſe* circa feſtum Martini, & anno ſecundo liberatus. Poſtea Sveci rebellaverunt, revocantes KAROLUM Regem, qvem ante expulerunt. CHRISTIERNUS autem pluries intravit Sveciam, non cauſa belli, ſed ut tractaret de pace pro communi bono, unde & magnum damnum reportavit, qvia Sveci habita oportunitate invaſerunt exercitum ejus, ſed ipſe eis vicem reddidit, majora damna & cedes inferendo eis. Semel habuit de eis magnam victoriam in *Herliongh*, & obtinuit *vexilla* eorum *qvinqve*, qve ſuſpendi fecit in *Eccleſia beate virginis Haffnenſi*. Iterum venit in Svetiam pro pace facienda, & ut in Regem acciperent eum, ſicut & ante elegerant. Cum autem diu preſtolaſſet in monte *Brunckenberge* bona reſponſa, ſicut Sveci qvotidie ei promittebant, interim ipſi congregaverunt exercitum, & ſubito ſuper eum irruerunt, ubi multi ex utroqve exercitu corruerunt 1470. Plures eciam per qvendam magum & maleficum *Doctorem Ryning* faſcinati & maleficiati ſe mari precipites dederunt. Ubi eciam ipſe Rex CHRISTIERNUS graviter vulneratus eſt. Tandem conſiderans Rex, Svecos nec fidelitatem aut juramentum literis vel verbis preſtitum ſervare, & qvia ipſe pacem & qvietem diligebat, elongavit ſe ab eis, dimittens eos ſibi ipſis. Anno Domini 1466. (1467.) Sabbato Trinitatis idem Sereniſſimus Rex CHRISTIERNUS fecit filium ſuum JOHANNEM eligi in Regem in placito generali Skanie *Lundis*. MCCCCLXVII. Dominus *Ivarus Abſalonis* miles

diffidavit

diffidavit CHRISTIERNUM Regem circa feſtum penthecoſtes. Qvi qvidem Rex circumvallavit caſtrum *Silvisborgh* & caſtrum *Lilleö*. Et obtinuit *Silvisborg* die ſancti Michaelis eodem anno. Et caſtrum *Litleö* obtinuit 1468. circa medium XL^mi. qvod proxima eſtate deſolatum eſt. Circa idem tempus (1475.) qvidam Legatus apoſtolicus, nomine *Marimus*, collegit ex Dania *libros*, *qvos a memoria Gothorum* ibi diceretur reperiſſe. Eodem eciam tempore CHRISTIERNUS cepit, circa feſtum Johannis baptiſte, qvatuor *Anglicorum naves* de *Pruſſia* navigantes cum rebus non paucis, eo qvod proximo anno *Anglici* in *Islandia* ejus Prefectum occidiſſent. Per idem tempus ſeviebat *peſtis* graviſſima per Sclavicas urbes, cui ab hominum memoria nulla par erat lues. Nullis ea remediis potuit placari, refugerat omnem opem medicam, potuerunt pauci ſuperare vim veneni beneficio nature. Sed ubi manus medentis accesſit, ilico furens venenum atrocius ſeviebat in omnem partem corporis. Profuit abſtinere medicamentis. Opem ferre non potuit ulla cura. Multa hominum centena milia brevi periere hoc malo. Habuit autem CHRISTIERNUS Rex duos fratres germanos, ſcil. *Gerardum*, & *Mauricium*. *Gerardus* habuit *Aldenburg*, *Mauricius Delmenhorſt*. Et cum hoc Rex dedit XL. milia nummum, ut contentarentur, eo qvod dicebant ſe eqve jus habere in *Holſatia* cum Rege. Nec diu ſuperfuit *Mauricius*. *Gerardus* autem omnibus modis & conatibus, qvibus potuit, laboravit, ut excluderet Regem Holſatia, ſed non prevaluit. Interdum autem captus fuit a Rege, & aliqvando capi potuit, ſed Rex ſinebat eum recedere & elabi, eo qvod germanus ejus eſſet. Anno Domini 1469. vel circa convenerunt Rex & Sveci *Lubice*, ut de pace tractaretur, ſed nichil actum eſt. Ubi Lubicenſes egerunt apud Regem de multis incommodis & damnis, qve in mari mercatoribus ſuis per ſatellites Regis irrogata dicerentur, & cum eſſet humaniſtimus Princeps, paſſus eſt ſuperari, promiſitqve damnificatis aliqvot milia, *opidum Kyloneſe* tradens illis in pignus. Anno Domini 1474. ſereniſſimus & chriſtianiſtimus ac devotiſſimus Rex CHRISTIERNUS viſitavit limina apoſtolorum Petri & Pauli, excipitur ubiqve magnis honoribus, trium regnorum titulis inſignis, & qvi in ſua dicione teneret *Gothos*, qvorum tam celebre nomen ab antiqvo fuit per omnes provintias, qvorum etiam opera Rome nunc viſuntur in demolienda urbe, ſi voluiſſent. Sed illi reliquerunt Romam. Qvam poſtea Italici *Normanni* de Apulia in eam deformitatem & vaſtitatem, qve hodie cernitur, perduxerunt. Romam veniens Rex excipitur honorifice ab omnibus, & a Papa *Sixto* 4. ordinis minorum in palatium ſuſcipitur, & primo, confeſſione facta, abſolvitur a Pontifice ab omnibus peccatis, caſibus & cenſuris. Deinde contulit ei jurisdictionem erigere & inſtituere in una civitatum regni publicum gymnaſium cum privilegio. Qvod *Haffnie* poſtea ad effectum reductum fuit. Dehine contulit ei multa privilegia & Sanctorum reliqvias pro capella ſua Roſkildis, multaqve alia donaria. *Fredericus* autem Imperator contulit ei *Thietmarſiam*, & erexit eam & *Holſatiam* in *Ducatum*. Qvare *Thietmarſi* compertâ miſerê nuntium, qvi doceret Imperialem Majeſtatem, eam terram eſſe ſubjectam Eccleſie Bremenſi, qvi eciam ſuis in terram prefectis uteretur, laboravitqve nuntius ille, ut revocaretur illa donacio vel conceſſio, ſed non obtinuit. Deinde poſt aliqvot annos Rex vocavit *Thietmarſos* in *Rendesborgh* & oſtendit eis Imperiales literas, qvod terra eorum *Ducatui Holſatie* incorporaretur, & qvod juberentur parere Regi & heredibus ſuis legittimis, reqviſivitqve, ut preſtarent homagii ſacramenta. Erat tunc qvintus annus poſt impetracionem literarum. Thietmarſi reſponderunt, terram ſuam ſubjectam eccleſie Bremenſi, cujus etiam Archiepiſcopi prefectos nunc in terra ſua haberent. Ad qvod Rex reſpondit, ſubjectionem, qvam

pretenderent, magis eſſe in verbo qvam opere, & prefectos in terra eſſe ad variam ſpeciem, nichil adminiſtracionis, nichil obedientie habere, qvotiens urgeantur illo refugere, non recognoſcere Archiepiſcopum, qvando illis omnia ſunt tranqvilla. Proinde niſi pareant imperialibus literis, hoc ſe facturum, qvod neceſſarium fuerit ad extorqvendam obedientiam. Sed tunc interventu eorum, qvi Regi aderant in concilio. Annales treuge conſtituuntur pro deliberacione. CHRISTIERNUS autem Rex rediens ab urbe Roma, nova vectigalia inſtituit exemplo regionum, qvas peregrinatus viderat per Italiam perqve ſuperiorem Alemaniam, ſed incole Sclavicalium urbium allegabant privilegia ſua ab olim indulta, promiſſionem eciam Regis preferentes, qvod nullis novis ab illo vectigalibus in futurum tempus gravarentur. Reſpondit Rex, qvod ex novis ſupervenientibus cauſis, ubi evidentia facti teſtaretur, poſſe conſtitutum odioſum antiqvari. Qvis enim ſibi legem dicet, a qva non liceat rationalibus de cauſis diſcedere. Facile tamen cepto deſtitit Princeps ſemper humaniſſimus, & qvi, preter profuſionem ſuarum rerum, non haberet, qvod in eo carperetur. Poſtea, tertio anno poſt reverſionem, Rex CHRISTIERNUS, miſſis ſolennibus nunciis ad illuſtriſſimum Marchionem Misnenſem & Ducem Saxonie *Erneſtum*, egit, ut filia ejus *Chriſtina*, puella moribus, nobilitate & forma preſtantiſſima, deſponderetur filio ſuo *Johanni*. Qvam eciam *Albertus* Dux Saxonie & Marchio Misnenſis, germanus *Erneſti*, inſigni agmine duxit per *Roſtochium*, ibi navigium inſcendens & in Daniam ſe transferens, multi fuere cum eo Comites & Pontifices, octingentis eqvis ingreſſus, auratis curribus, puellam regiam, regio more deduxit. In *Haffnia* regia regum nuptie ſunt peracte Anno Domini 1478. VIII. Idus Septembris. Plura poſſent ſcribi de iſto illuſtriſſimo Principe, ſed cauſa brevitatis jam dicta ſufficiant. Unum tamen eſt, qvod Anno Domini 1468. regularis obſervantia, qvo ad Fratres Minores, introducta fuit in Daniam per reverendum patrem fratrem *Laurentium Brandere*, ipſo Rege ad idem ſumme poſt regem celi cooperante. Qvam obſervantiam fovit, protexit, & auxit usqve ad mortem totis viribus & conatibus. Demum ex hac vita ad celi faſtigia migravit Anno Domini 1481. 22. die menſis Maji, o: altera die Bernardini confeſſoris, in *caſtro Haffnenſi*, ſepultus *Roſkildis* in capella ſua regia. Regnavit laudabiliter annis 33. (34.).

Cui ſucceſſit filius ſuus ſenior JOHANNES, qvi jam ante mortem patris coronatus erat Rex. Hic non multum patri diſſimilis, imo in multis excedebat. Svetiam potenter devicit, ubi & Rex tandem coronatus eſt 1497. die Katherine in *Stockholm*. Sed illi pro more conſpiraverunt in eum, & pene interceptus fuiſſet ab eis, niſi Deus ipſum protexiſſet. Regina autem, ipſo evadente, diu obſeſſa fuit in arce Stockholmenſi, & tandem arcem & ſe dediderunt, atqve aliqvandiu in regno, preſtita fide, evagati, anteqvam recedere potuerunt. Rex autem *Johannes* concepit magnam indignacionem contra *Lubicenſes*, qvod dicerentur agi occultis conſiliis & machinacionibus, ut Sveci minime ei parerent, ſed magis rebellionem ipſi oſtenderent. Qvo fiebat, ut non tam prompte Rex de juſticia ſatisfaceret Lubicenſibus, qverulantibus ſe damnificatos a Danis, Rege tamen id ignorante. Demum cum ageretur annus MD. Rex JOHANNES cum fratre *Friderico* Duce jam dudum *Thietmarſis* inſinuarunt literas Imperiales, qvod ſubjecti per Imperatorem Holſatice dicioni dicerentur. Illi vero refragati ſunt, ad eccleſiam Bremenſem ſe pertinere contendentes. Jam hoſtilia illis Principes memorati nuntiarunt. Igitur Rex cum fratre, omnibus apparatis, movit in *Thietmarſiam* poſt principium Februarii. Peditum gregariorum o: *Rytherœ* pene ſex milia predicabantur eorum, qvi ſtipendiis militarent. Ceterum

ex

ex *Jutia*, *Phriſia*, *Holſatia*, ex opidis & agris, qvi acceſſerant, numerari non poterant. Tam certa ſpe victorie venerant nonnulli, ut pecuniam comparandis rebus ex preda ſecum in Zonis portarent, una cum ſigillis ad dandas literas, ubi pecunias expendiſſent. Eqvites ſplendidi ex Holſatia, Jutia & omni Dania illo ſplendore ibant in armis, qvibus ſolet ad magnas nuptias properari, ſecum aurum in marſupiis deferentes. Acceſſerunt nonnulli ex Marchia & Luneburgenſi ac Brwnſwickcenſi terris. Nemo dubitabat, tantis viribus *Thietmarſos* protinus ceſſuros, & ſi ad ſtatariam pugnam ventum fuiſſet, non erat ambiguum. Igitur cunctis ex re & pro temporum & locorum qvalitate conſtitutis, magno agmine ducunt Principes in terram hoſtilem XIII Februarii, & opidum Meldorp occupant. Fugierê, qvi poterant. In alios omnis etatis, ordinis & ſexus, eſt ſevitum, ut terrore excitato promptius dederentur. Miſerunt Principes ſpeculatores, ex qvibus unus captus cogitur fateri, qvo itinere hoſtes ſint ingreſſuri. Id cum accepiſſent, proxima nocte fodientes, vallum opponunt venturis per lutoſisſima itinera. Ibi aliqvot hominum milia ſervavere excubias. Alii locis aliis. Igitur peſſimo auſpicio mota ſunt caſtra die lune, qve fuit XVII. Februarii, multis reclamantibus, qvi noſſent vadoſa itinera. Sed prevaluit conſilium capitaneorum de guardia, qvi preceſſerunt (tria millia), cum civibus & agricolis majori numero. Seqvitur agmen eqvitum, tam certam preſumentium victoriam, ut vehicula qvoqve poſt ſe venire ſinerent. Per anguſtum qvoqve ſunt ingreſſi tramitem, qve res infinitam cladem peperit eqveſtribus. Nemo cogitabat periculum eſſe, ubi preceſſerunt pedites de guardia, ſed rem omnem habuerunt pro expedita. Lutoſum ac profundum iter, ſeptum ex lateribus grandibus foſſatis, ſupra genua turbavit eqvites, qvi in preſſura magna ibant, ſperantes & expectantes in ſolida pervenire. Jam *Thietmarſi* poſt aggerem deliteſcentes, tormentis miſſis ſonuerunt non ſine diſcrimine venientium. Primi tamen agminis pedites pluteos conſertos preferebant, ſubjectisqve haſtis, transibant foſſata, & jam in ſolido conſtiterant, ſed anguſte ſtabant, ut pugnare non poſſent. Dies erat nebuloſa, pluvia grandine mixta, ventis ſevientibus de celo pugnabatur. Terra autem crebris foſſatis diſciſſa non ſinebat aciem extendere aut excurſiones facere. Regia tormenta jam erant collocata, ſed pluvia cum ventis impediente, emitti ſaxa non poterant. Procurrerunt nonnulli ex Thietmarſis ut everterent, ſed ceſi ſunt. Interim aggere tuti tonuerunt illi bombardis, ruperuntqve ordines ſtantium peditum. Sed cum ambiri ſe ex hoſtibus cernerent *Thietmarſi*, pauci egreſſi non plures trecentis aut ad ſummum qvadringentis, pugnam conſerunt adverſus tot millia hominum luto & frigore & anguſto loco conſtrictorum. Transilientes incole foſſata, pugnaverunt pauci in multos, bis retropulſi reverruntur, bis ex fuga ſe colligunt, & hoſtes loco captos, frigore & luto madidos, cedunt, detrudunt in foſſata. Deinde auxerunt aqvam catharactis apertis, ut foſſatorum nullum jam videretur diſcrimen, multis pereuntibus. Primi ex guardia pedites fugam ineunt, in qva tamen multi ceduntur. Tunc animoſi effecti *Thietmarſi*, in reliqvam collecticiam manum aſtantium ex urbibus & agris ſeviunt ad internecionem, cedentes aut mergentes aqvis, qve maxima turba fuit. Deniqve invadunt turmam eqveſtrium anguſtia loci preſſam, nec ſe commovere potentem aut fugere. Nam antea pedites ceſi, poſtera parte curribus conſtricti, ex utroqve latere foſſatis incluſi ſtabant immobiles preſente morte pallidi. Circumfuſi *Thietmarſi* ex latere lanceis & ſagittis, primum eqvos vulneraverunt. Jumenta, ubi ſenſerê ferrum, ſeviunt, proculcant, dejiciunt ſeſſores. Fit ſtrepitus miſerabilis & horribilis vapor aſcendens ex ſudore oculos obfuſcavit. Principes ipſi cum multis elapſi ſunt, pluribus ignorantibus, qvomodo evaſerint. Nam

pluvius & nebuloſus aer, ſimul nives cum ventis, mixto ex ſudore fumo, viſum omnibus ademerunt. Nam ne qvisqvam retrocederet, impediverunt currus. Creditum eſt per denſa ceſorum & merſorum cadavera nonnullos evaſiſſe. Incredibile eſt memoratu, qvanta trium horarum ſpacio peracta ſit cedes. Sed major pars inventa eſt ſine vulnere. Qve res declarabat, aqvis demerſos qvam plurimos. Nemo ſatis explicat ordinem rei geſte, omnibus de ſuo periculo conterritis, nebula, nox ingruens, bombardarum fumus & ipſorum jumentorum vapor exuberans, viſum ademerê. Mox alii ex *Thietmarſis* ſeqvuti proſtratos nudaverunt armis, veſtibus, zonis, marſupiis, & qvos ſpirantes repererunt, trucidabant. Deinde ad extremum eciam camiſis nudaverunt. Hoc immaniſſimo crudelitatis genere ſevierunt in mortuos, aliqvot milia peditum tumulaverunt, ſed eqvitibus hoc negaverunt. Inerant duo Comites de Aldenborgh, *Adolphus* & *Otto*, Milites plurimi tam Dani qvam Holſati, Militares ſine numero. Ipſe flos militie Holſatie periit, infinito ſuorum gemitu, maxima commiſeracione omnium. Ceſorum numerum nemo ſatis explicavit. *Thietmarſi* maximum dicunt. Alii negant, ad pauca milia redigentes. Cauſas iſtius cedis potes advertere ex jam dictis, ſcil. ſuperbiam in proficiſcendo ad bellum, & crudelitatem factam in *Meldorp* in omnes utriusqve ſexus etatis & ordinis. Tercia cauſa erat, Militares jam adeo multiplicati erant, ut vix ſtatui ſuo neceſſaria plurimi haberent. Qvapropter conſpiraverant, ut aliqva bona eccleſie adimerent, & inter ſe dividerent, ſed morte preventi non perfecerunt, Deo ſic ordinante. Inſuper plurimi conjuraverant in mortem Serenisſimi & Illuſtrisſimi Domini JOHANNIS Regis, ut ipſi ſine Rege regnarent, & bona corone ſibi uſurparent, ad qvod ſine dubio ſecutura erat exactio injuſta & oppreſſio violenta pauperum ruſticorum. Sed Deus adjutor & protector pauperum hoc impedivit. Svetia victa eſt per JOHANNEM Regem, & coronatus eſt *Holmis* in craſtino ſancte Katharine in *eccleſia ſancti Nicolai* 1497. Eodem anno *Johannes Broſtorp* Archiepiſcopus obiit. Et *Magiſter Birgerus*, Cancellarius Regine DOROTHEE & poſt Domine CHRISTINE, fit Archiepiſcopus. JOHANNES Rex obiit 1513. X. Kal. Marcii in *caſtro Aleburgenſi*. Item 1481. 2da die menſis Julii natus eſt CHRISTIERNUS 2. Rex Datie, filius JOHANNIS Regis & CHRISTINE Regine. Item 1495. obiit Domina DOROTHEA Regina Dacie &c. circa feſtum Martini. Item 1501. fuit capta Domina CHRISTINA Regina in Svetia per triennium. Item obiit 1521. circa feſtum conceptionis beate virginis, ſepulta *Ottonie* apud virum & filium.

XV.

Regum & Gentis Danorum Hiſtoria a Dano usqve ad Annum 1288. dicta vulgo *Chronicon Erici Regis.*

Hujus Chronici nullus apud nos, qvantum ſcio, Codex autenticus hodie ſuperat. Primus illud ex tenebris, & qvidem ex Codice qvodam *Henrici Ranzovii*, protraxit *Erpoldus Lindenbrogius* Hamburgi 1603. in 4to, deinde inter Scriptores Rerum Germanicarum Septentrionalium, Francof. 1609. in folio edidit, iterata per *Joannem Albertum Fabricium*

Editione

Editione Hamburgi 1706. Editio autem illa Lindenbrogiana tot mendis crassioribus in personis & rebus scatet, ut *Stephanus Joannis Stephanius*, qvi illud Syllogi suæ Elzevirianæ, Lugduni Batavorum 1629. editæ, denuo inseruit, necessum duxerit, lectorem de libelli emendatione his verbis ad frontem admonere: *Ex codice manu descripto recognita, & sexcentis in locis debitæ integritati restituta.* Sed ut pace *Stephanii* dicam, bonus ille vir, etsi aliqva in melius mutaverit, multa tamen, qvæ ipsi non placuere, aut data opera omisit, aut exemplar mancum nimis & mutilum habuerit. Falluntur omnino, & *Lindenbrogius*, & cum seqventes, *Stephanius*, *Wormius*, aliiqve plures recentiores, qvi Chronicon istud Regi ERICO POMERANO, ut Auctori, tribuunt (*). Nam, ut recte monet *Jo. Grammius* (a), ejus Auctor & vetustior est, qvam vulgo creditur, & diu ante vixit, qvam nasceretur *Ericus Pomeranus*. Hinc eum *Grammius* fere ubiqve *Pseudo-Ericum* nominat. Vixisse autem Auctorem sub auspiciis regni *Erici Menvidi* Regis & qvidem circa Annum 1288. qvo Historiam suam consummavit, eo minus dubitari potest, qvod *Estoniam* suo tempore adhuc dominio Danorum subesse dicat. Porro Auctorem fuisse *Monachum* Ordinis Cisterciensis & qvidem e Ducatu Slesvicensi *Monasterii Ryensis*, nomine *Ruris Regii* olim adpellati, facile patet iis, qvi aliqvam in pagellis istis perlegendis attentionem adhibere volunt (b), cum non tantum omnium septentrionis *Cœnobiorum Cisterciensium* origines, sed etiam specialia qvædam *Ducatus Slesvicensis* & *Ruris Regii* facta studiose adeo annotet. Ut sic hos *Annales Ryenses* merito appellare liceret. Clausula illa: *Hactenus Ericus Rex Daniæ*, qva Chronicon nostrum finitur, ut & Inscriptio Codicis Ranzoviani: *Liber Erici Regis*, qvam adfert *Grammius*, *Lindenbrogium* ejusqve seqvaces sedúxit. Si vero genuina sit prædicta clausula, & antiqva manu primitivo Codici adscripta fuerit, credo omnino, *Ericum* illum *Regem* esse non *Pomeranum*, sed ERICUM MENVEDUM, non qvod hunc libelli auctorem agnoscam, sed qvod ejusdem, ut puto, auctoritate & adhortamento Monachi præcipuorum claustorum ad scribendos Annales allecti fuerint. Hujus enim Regis tempore, & ni fallor ut curioso Regi complacerent auctores, haud paucos Annalium nostrorum, qvi adhuc supersunt, scriptos reperio. Et forsan hoc Chronicon olim ad collectionem eam pertinuit, qvam Historici nostri *congesta Menvedi* nominant (c). *Hvitfeldius* noster eodem diligenter, & sæpius ad verbum, usus esse dinoscitur. *Hermannus Cornerus* ap. Eccardum T. II. p. 475-489. Chronicon nostrum qvasi ad verbum exscripsit, & ad *Ericum Pomeranum* continuavit, sed corruptis misere, forte librariorum culpa, plerisqve nominibus. *Seriem Regum*, qvæ in hocce Chronico comparet, ex *Saxonis* & *Adami* libris imperite consarcinatam, affirmat *Grammius* Not. ad Meurs. p. 125. Titulus, qvi præmittitur, non videtur ipsi Chronico coævus, sed dubio procul ab ipso *Lindenbrogio* additus, & a *Stephanio* postea adoptatus.

Historica Narratio, de origine gentis Danorum, & de Regibus ejusdem gentis, deqve eorundem rebus gestis.

Dani, ut testantur *veteres Historiographi*, tempore *Saruch*, proavi Abrahæ, regnum, qvod nunc *Dania* (d) dicitur, intraverunt, venientes de *Gothia*. Qvi qvidem *Gothi*, ut dicit *Papias* (e), de *Gog* filio *Japhet* orti sunt. Qvod autem qvidam dicunt, *Danos* a *Danaitis* i. e. Græcis venisse, verisimile est, sed usqveqvaqve certum non

(*) *Stephanius* postea, meliora edoctus, id potius ERICI jussu a *Monacho* qvodam istius ævi conscriptum confitetur, Not. ad Sven. Agg. p. 152.

(a) Vid. GRAMMII Not. ad Meursium p. 1. 91. 264.

(b) GRAMMII Not. ad Meursium p. 91. 601.

(c) WESTPHAL. Monum. Cimbr. T. III. Præfat. p. 9. putat, *Congesta Menvedi* fuisse Documenta ex Archivis publicis, consilio Regis ERICI MENVEDI collecta.

(d) *Lindenbrog.* addit: *vel Dacia*, &, ni fallor, sola vox *Dacia* in autographo scripta fuit.

(e) Lexicographus, qvi floruit medio Seculo XI.

non eſt, niſi ab initio dicti ſunt *Dani*, ſed qvælibet terra habuit nomen ſpeciale, qvod habet adhuc, donec tempore *David* Regis habuerunt Regem DAN. Nam tempore illo, DAN, filius *Humblæ*, de *Svecia* veniens, regnavit ſuper *Sialandiam*, *Monen*, *Falſter*, & *Laland*, cujus regnum dicebatur *Withesleth*. Eo tempore Rex qvidam potentisſimus ad invadendum *Jutos* venit. Qvo audito, *Juti*, timentes valde, locum, qvi adhuc *Kovvirki* (f) dicitur, foſſatis & fragis ligneis munierunt, miſeruntqve nuncios ad DAN Regem *Withesleth*, ut eis ferret auxilium, pollicentes ei, victoriam ſi reportaret, dominium ſuper ſe. Qvi cum ſuis veniens, apud *Kowirki* hoſtibus occurrit, occiſis plurimis, & reliqvis in fugam actis. Dominus *Jutorum* factus DAN, cum *Jutis Fyoniam*, *Scaniam*, ac omnes alias *inſulas Daciæ* ſibi ſubjugavit, & poſtmodum, communi omnium decreto, regnum ſuum *Daniam*, & incolas *Danos* a ſe, qvi DAN dicebatur, appellavit.

Primus ergo Danorum Rex fuit DAN, filius *Humblæ*, a qvo *Dani* & *Dania*, qvæ nunc *Dacia* dicitur, nomen habet. *Julius* enim *Cæſar* primo fertur eam *Daciam* appellaſſe, propter hoſpitalitatem & dapſilitatem hujus gentis (g). DAN ergo primus Rex fuit pugil fortisſimus & giganteus, cunctis in circuitu terribilis, & prælia clarisſima geſsit hinc inde. Huic ſucceſsit ſecundus

HUMBLÆ filius ejus. Hic erat vanus & iners, & pauca notabilia fecit. Unde *Lother*, frater ejus, facta conſpiratione Danorum contra fratrem, eum de regno depoſuit, & pro eo regnavit.

Tertius LOTHER nimis durus fuit incolis regni, & in multis ſe neqviter geſsit, & ideo tyrannidem ejus Dani non ferentes, eum occiderunt. Huic ſucceſsit *Skiold* filius ejus.

SKIOLD. Iſte, anteqvam haberet qvindecim annos ætatis, occurrens ſolus magno urſo, eum cingulo ſuo ligavit. Hic primo *Teutonicos* Danis ſubjugavit, & ſervire fecit ſub tributo, & multa ſtrenue geſsit. Huic ſucceſsit filius ejus *Gram*, qvintus.

GRAM, a qvo *Gramhæreth* (h) dicitur. Iſte cum qvodam gigante in *Svecia* pugnans, ſolus occidit eum. Regem etiam *Sveciæ* occidit & XVI. fratres ejus, & *Sveciam* tributariam Danis fecit. Poſtea cum *Suibdager* Rege Normannorum bellum geſsit (*) . . . qvod qvando aliqvis eſt multum *durus*, dicitur de eo: ipſe eſt unus *Gram* (i). Huic ſucceſsit in regnum *Suibdager*, qvi eum occiderat, ſextus.

SUIBDAGER. Ipſe ex patre *Dacus* fuit & ex matre *Noricus*, qvi patrem proprium, in *Norwegia* regnantem, de regno expulit, & pro eo regnavit. Hunc in *Dacia* regnantem occidit *Haddinger* filius *Gram*, in ultionem patris, & pro eo regnavit, ſeptimus.

HADDINGER filius *Gram*. Iſte Regem *Svetiæ* & *Helleſponti* interfecit. *Norwegiam* & urbem *Dymin* ſubjugavit, & multa clarisſime fecit, & poſt multas victorias indignum ducens mori in lecto, qvaſi pecus, propter laudem mundi & poſteritatis memoriam, ſeipſum ſuſpendit. Huic ſucceſsit *Frothi* filius ejus, octavus.

FROTHI

(f) *Kowirke* videtur fuiſſe primum & antiqvisſimum nomen foveæ illius, ad Slesvicum olim aut a Rege *Godefrido* aut ante eum ductæ, operibusqve ligneis munitæ, & forte adhuc ſuperſtes in hodierno nomine *Kograben*. Ceteræ recentiores munitiones cum caſtellis, muris vallisqve, a *Thyra* Regina, *Waldemaro I.* aliisqve Regibus conſtructæ, communi nomine *Danewerk* ſ. *Danewirki* veniebant.

(g) Hæc de Julio Cæſare a *Stephanio* omiſſa, utpote fabuloſa.

(h) Territorium ſic dictum in Præfectura Haderſlevienſi Ducatus Slesvicenſis.

(*) Hæc lacuna ſuppleri poteſt ex *Hermanno Cornero* ap. Eccard. T. II. p. 476.

(i) *Gram* adhuc Danice eſt *iratus*. *Gramur* Islandice eſt etiam moeſtus, triſtis, hinc Græme ſig, Græmelſe.

FROTHI HIN FÆMILDÆ (k). Iſte poſtqvam ſeipſum & totum regnum in bellis depauperaverat, audito, qvod in *Wendælſyſſel* (*) draco qvidam ſuper theſauros jaceret, draconem ſolus adiit, & ſuperatum occidit. Acceptisqve theſauris, *Britanniam*, qvæ nunc dicitur *Anglia*, *Scotiam*, *Teutoniam*, *Slaviam*, *Ruſciam*, & plurimas alias terras ſubjugavit. Poſtmodum in *Scania* pugnans, non manibus inimicorum, ſed æſtu & pondere armorum ſuffocatus, interiit. Huic ſucceſſit *Haldanus* filius ejus.

HALDANUS. Iſte cupiditate regnandi omnes fratres interfecit. Huic ſucceſſit *Ro* filius ejus.

RO. Iſte transtulit civitatem, qvæ prius dicebatur *Hökæköping*, de loco, qvi dicitur *Hökæbyerg* (l), ædificans eam in portu *Yſæfiorth*, & vocavit eam *Roskelda*, ſermone compoſito ex nomine ſuo & ex *fonte*, juxta qvem ſita eſt. Huic ſucceſſerunt duo filii ejus, *Haldan* & *Helgi*.

HALDAN & HELGI. Iſti diviſerunt inter ſe regnum, ita qvod HALDAN regnaret in terra, & HELGI in mari. HALDAN vero pauca notabilia fecit. Huic ſucceſſit HELGI frater ſuus.

HELGI Rex maximus. Iſte ſtrenuus bellator, *Hothbrodum* Regem Sveciæ occidit. *Teutonicos* tertium ſubjugavit, & marinis diſcurſibus multa ardua perpetravit. Hic ad portum qvendam *Lalandiæ* veniens, filiam cujusdam ruſtici, nomine *Rolfkarl*, ſibi adduci fecit, de qva filiam genuit, nomine *Thora*, ex qva dicta eſt *Thororum inſula* (m), qvia ibi ſepulta eſt. Iterumqve poſt XV. annos illuc veniens, prædictam filiam adduci fecit, neſciens, qvod filia ſua eſſet, ex qva genuit filium, nomine *Rolfkraki*. Cumqve hoc poſtea cognoviſſet, præ nimia verecundia ſe ipſum ſuſpendit.

Interea dum *Kolf Kraki* adhuc puer eſſet, Rex Sveciæ *Athiſtus* Danis tributum impoſuit, & in ſignum abjectiſſimæ ſervitutis prefecit eis *canem* qvendam, *Racki* nomine, qvem cum canes occidiſſent, *Athislus* poſuit eis Regem paſtorem qvendam, nomine *Sniyo* (n).

SNYO. Iſte multa mala & innumera fecit Danis, ſicut *Athiſlo* promiſerat, qvi tandem ſedens in *placito Wiburgenſi*, in loco, qvi *Luſæhögh* dicitur, coram omnibus melioribus regni, a pediculis eſt corroſus. Huic ſucceſſit *Rolf Kraki* filius *Helgi* prædicti.

ROLF KRAKI filius *Helgi*. Ipſi poſt multas præclaras victorias ab *Hiartwaro* (o) Comite Scaniæ, qvi ſororem ejus habuit in uxorem, in lecto ſuo proditioſe eſt occiſus, in *Lethra* curia regali in Sialandia, cum qvo & *Biarki* & *Hialti*, pugiles clariſſimi, cum tota familia regia, ſunt occiſi. Huic ſucceſſit *Hyarwarus*.

HYARWARUS regnavit brevi tempore, ſcil. a mane usqve ad horam primam. Hunc occidit *Haki* filius *Hamundi*, & factus eſt Rex Danorum.

(k) *Stephanius* legit: FROTHI GEFMILDE i: Frotho munificus.

(*) Sic dicitur ultima & maxime ſeptentrionalis pars Jutiæ, hodie Vendſyſſel. *Adamo Bremenſi* Edit. Lind. p. 55. 56. 58. *Wendila*. *Ælnothe Mon.* p. 37. *Wendle*. Knytlinga Saga p. 62. 90. 194. *Vendli* & *Vendilſkaga*. Incolæ hujus provinciæ a *Saxone Gr.* p. 314. 329. 353. vocantur *Vendilenſes*, adhuc Danice Vendelboer.

(l) *Stephanius* habet *Hagekioping* & *Hagebierg*.

(m) Inſula adhuc *Thoro* nominatur, ita apud *Saxonem* p. 28. Sita eſt prope Svenoburgum Fioniæ. *Meſſenius* eam falſo ad littus Hallandicum collocat, *Richardſon* Deſcr. Hall. p. 17. Alia ejusdem nominis inſula prope Aſſenium jacet.

(n) Hos duos articulos de *Cane* & *Snione* non habet *Stephanius*.

(o) Apud Lindenbrog. *Hyerwardo*.

HAKI igitur regnante, venit qvidam de partibus ſeptentrionalibus, nomine *Frithlæf*, & filiam *Rolf Kraki* duxit in uxorem, & occidit *Hakonem.*

FRITHLÆF. Huic ſucceſsit *Othen.*

OTHEN. Iſte morte ſubitanea prope locum, qvi nunc *Othens* (p) dicitur, interiit, ibiqve ſepultus eſt. Hic magnus incantator & magus erat, ita qvod ab omnibus circa nationibus pro Deo colebatur, unde & *Græci* imaginem ejus auream a Danis ſibi pro magno munere miſſam, cum reverentia maxima ſuſceperunt. Huic ſucceſsit *Balder* filius ejus.

BALDER, a qvo *Balderſund* (q) dicitur *Mare Balticum*, pro eo qvod ibi pugnavit. Huic ſucceſsit *Hother*, qvi eum occidit (r)

HOTHER. Iſte invenit in qvodam nemore Sveciæ gladium, qvi *Mimming* dictus eſt, cum qvo *Balder* occidit. Ab iſto *Hother* villa *Othera* (s) dicta eſt, & illuc fugiens, occiſus eſt a *Boyo* Rege Sveciæ, qvi etiam poſt eum regnavit.

BOYO. Huic ſucceſsit *Rorik* filius ſuus.

RORIK. Huic ſucceſsit *Orwendel.*

ORWENDEL. Iſte vir victorioſus erat, & multa præclara geſsit. Hunc occidit frater ſuus *Fæggi*, & regnavit.

FÆGGI (t). Iſte copulavit ſibi uxorem fratris occiſi. Hunc occidit *Ambletus*, filius dicti *Orwendel*, in ultionem patris, & cum eo omnes meliores regni cum tota curia regali combuſsit, ita qvod unus ſuperſtes non fuit.

AMBLETUS, qvi vir aſtutisſimus erat, Regemqve Angliæ bello occidit, & *Daciam*, *Angliam*, & *Sveciam*, in ditione ſua tenuit. Hunc *Wichlethus* Rex Norwegiæ, vitricus ejus, occidit in *Oreſund* in prælio, & regnavit.

WICHLETHUS. Iſte accepit uxorem *Ambleti*, propria uxore repudiata. Huic ſucceſsit filius ejus *Wermundus hin Blinde.*

WERMUNDUS BLINDE (u). Hic vir bellicoſus erat. Hujus tempore *Keto*, & *Wiggo*, filii *Frowini* Præfecti Sleswicenſis, occiderunt *Athislum* Regem Sveciæ, in ultionem patris ſui. Huic ſucceſsit *Uffo Starke* filius ejus.

UFFO STARKE. Iſte a ſeptimo ætatis anno usqve ad trigeſimum noluit loqvi, qvousqve in loco, qvi adhuc *Kunengikamp* (v) dicitur, ſuper *Eydoram* cum filio Regis Teutonicorum & meliore pugile totius Teutoniæ ſolus certans, ambos occidit, & ſic conditione utriusqve gentis, *Teutonia* Danis jam qvarto tributaria facta eſt. Huic ſucceſsit *Olaf* (x) filius ejus.

OLAF,

(p) De *Mithothino* in Fionia occiſo, vid. *Saxo* p. 13.

(q) *Saxo* p. 41. 42. ſolum de *Portu Balderi* & de ſcaturigine a Baldero nomen trahente, *Baldershrönd*, loqvitur. Conf. *Hvitfeld* p. 8. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 24.

(r) Qvinqve illi articuli de *Hyarwaro*, *Hakone*, *Frithlefo*, *Othono*, & *Baldero*, apud *Stephanium* non apparent.

(s) *Hothera* forte legendum, & poteſt eſſe villa *Höyer* in Præfectura Tunderenſi, qvæ olim dicta eſt *Hother*. Stephanius vero legit *Hotherslef*, civitatem *Hadersley* indigitans. Prius vero mihi magis arridet.

(t) *Stephanius* legit *Fengi* & *Horwendel*. Ab hoc nomen adhuc obtinent *Fæggeſund* & *Fæggeklit* in Morſia inſula Jutiæ, Vid. *Atlas Dan*, T. V. p. 566. *Saxoni* p. 54. *Fengo* dicitur.

(u) *Wermundo* hic cognomen *cœcus* datur, ex eo qvod ætatis vitio oculis orbaretur, *Saxo* p. 63. Alias cognominatur *hin Vitri*, *den Viſe*, o: ſapiens.

(v) Paroecia *Kampen* prope Rensburgum olim nota erat, cujus templum circa 1690. deſtruebatur, qvando *Chriſtianus V.* munitiones Rensburgenſes ampliavit. Vid. *Weſtphal.* Mon. T. I. p. 1895. *Noodts* Beyträge T. I. p. 239. 455. Ab hoc duello regio locus nominabatur *Campus Regis*. In Chronico *Petri Olai* locus dicitur *Kunungskamp* ſuper Eydora. In Chronico *Corneri* ap. Eccard. T. II. p. 478. corrupte legitur *Koningheſslap.*

(x) Stephanio DAN.

OLAF, qvi dictus est DAN HIN STORLATENE. Huic succesſit *Hughelet* (y).

HUGHELET. Iſte occidit *Heghmodum* & *Hagrimum* tyrannos Sveciæ. Huic ſuccesſit Frothi.

FROTHI HIN FREÇNE. Iſte interfecit *Fregerum* Regem Norwegiæ & X. duces ejus. Huic ſuccesſit *Dan* filius ejus.

DAN. Iſte VII. anno ætatis ſuæ *Teutoniam* jam qvintum tributariam Danis fecit. Huic ſuccesſit *Frithlevus*.

FRITHLEVUS. Iſte urbem *Difflinum* & *Britanniam* ſubjugavit. Huic ſuccesſit *Frothi* filius ejus.

FROTHI HIN FRITHGOTHÆ. Hujus tempore *Jeſus Chriſtus* natus eſt. Iſte ſubjugavit *Sveciam*, *Britanniam*, *Hyberniam*, *Scotiam*, *Norwegiam*, *Saxoniam*, *Friſiam*, *Ungariam*, & omnia orientis usqve ad *Græciam*, qvorum Reges & incolæ omnes ſervierunt ei. Hujus tempore venit in Daciam *Erik Orthiloghe* & *Rolf* frater ejus, filii *Regneri*. Illi interfecerunt *Grep* cum V. fratribus ſuis. Contra hunc FROTHI venit Rex *Humorum*, cum aliis LXIX. Regibus, qvi ex ſe VI. Reges fecerant duces belli. Qvorum qvilibet habuit ſub ſe 5000. navium, & qvælibet navis habebat CCC. armatos. Summa navium XXX. millia. Summa virorum novies mille millia hominum. Hos omnes occidit FROTHI, pugnans cum eis in mari juxta *Bleking*. Hic tantam pacem in regno ſuo fecit, qvod unam armillam auream (z) juxta *Eydoram*, alteram juxta *Scanör*, & tertiam juxta *Warthingborg* in via communi ſuſpendit, nec erat, qvi eam nocte vel die auderet tollere. Hunc occidit una vetula. Huic ſuccesſit *Hiarne*.

HIARNE. Iſte modico tempore regnavit, occidit enim eum *Frithlevus* filius *Frothi Frithgothæ*.

FRITHLEVUS filius *Frothi Frithgothæ*. Iſte occidit *Amundum* Regem Norwegie & unum draconem. Poſt qvem *Frothi* filius ejus regnavit.

FROTHI HIN FREKNÆ. Hujus tempore venit *Stercaterus* filius *Storverki* in Daciam, qvi interfecit *Viſinum* gladiatorem apud *Ruſciam*, & *Tanam* gigantem apud *Byzantium*, & in *Polonia Waſæ* pugilem, & in *Saxonia Hamam* pugilem, & *Teutonicis* infeſtisſimus fuit adverſarius, & multa eis opprobria intulit. Nam qvatuor aut ſex ex eis complicans ad modum ſedis ad purgandum alvum, & multa alia præclara geſſit (a). Iſte FROTHI anno ætatis ſuæ XX. *Teutoniam* jam ſexto ſubjugavit, & multa alia præclara armis fecit. Hunc FROTHONEM occidit *Sverting us*. Huic ſuccesſit filius ejus *Ingellus*.

INGELLUS. Hujus tempore *Stercather* interfecit ſeptem filios *Sverting i* in ultionem Regis *Frothi*. Ipſius etiam tempore occidit *Angantyrum* cum ſeptem fratribus. Huic ſuccesſit *Olaf* filius ejus.

OLAF. Huic ſuccesſit Haraldus filius ejus.

HARALDUS. Hunc occidit frater ſuus *Frothi Rechbane*, & regnavit.

FROTHI RECHBANE (b). Hunc interfecit *Haldan hin Biergram*, filius ſui fratris *Haraldi*, in ultionem patris ſui. Huic ſuccesſit *Ericus* Rex Sveciæ.

ERICUS.

(y) Stephanio *Huglet hin lilde*.

(z) Saxo p. 94. armillam auream triviis in *Jutia* affixam narrat. *Rimbegla*, vetus ſcriptum Islandicum, in *campis Falangrenſibus* factum vult. De *Ælfredo* Rege Angliæ eadem fabula narratur. Num vero inde noſtri ſuam mutuati ſint, valde dubito, Vid. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 43.

(a) Hæc *Stephanius* omiſit, ut indecorum & meram fabulam.

(b) Apud Stephanium FROTHI ROTHBACHNE.

ERICUS. Hunc occidit idem *Haldan Haraldi* filius, & pro eo regnavit (c).

HALDAN BIERGRAM (d). Iſte ſtrenuus pugil fuit, unde provocatus a *Siwaldo* pugile Sveciæ, ut contra eum & ſeptem filios ejus dimicaret, acceptavit, & omnes pariter occidit. Abjecto enim gladio, qvercum radicitus avulſit, & cum ea omnes conqvaſſavit. Alia qvoqve vice cum qvodam gigante de Svecia, qvi habebat undecim cubitos altitudinis, nomine *Harthbeen*, dimicans, occidit eum, & cum eo XII. contubernales ejus, & multa alia præclare fecit, unde dictus *hin Byerngram*. Huic ſucceſſit *Hugni* frater ejus.

HUGNI (e). Huic ſucceſſit *Siwald* filius ejus.

SIWALD. Hujus tempore *Sterkather* fugit de prælio. Hunc occidit *Hako*. Huic ſucceſſit *Sigerus* filius ejus.

SIGERUS. Hic conſtituit bellum contra *Hakonem*, in qvo ipſe & *Hako* pariter corruerunt. Huic ſucceſſit *Siwald* filius ejus (f).

SIWALD (Lindenbr. GOTRIC). Poſt cujus mortem regnum Danorum in *qvinqve regna* diviſum eſt.

BORGARDUS, qvi habuit filiam *Siwardi*, nomine *Role*, in uxorem, regnavit in *Scania*.

HUNDENGER in *Sialandia*. Iſte ſemper impediendo alios perdidit, & defendendo ſe vicit. Unde & ex eo tractum eſt proverbium illud: *Hund er hemæ rikæſt* (g).

HANI regnavit in *Fyonia*.

HOTHER in *Sunder-Jutia*.

REYNER in *Nor-Jutia*.

HALDANUS HIN STERKÆ ſurrexit poſt *Borchardum* in regnum, & fuit valde ſtrenuus in armis. Hunc occidit *Weſetus* in *Sialandia*. Huic ſucceſſit *Harald Hildetan* filius *Borchardi* (h).

HARALD HILDETAN. Iſte hos qvinqve Reges occidit, & ita potens factus eſt, qvod omnes Reges contra mediterraneum mare ferebant ei tributum, cui cum *Ringer*, nepos ſuus, Rex Sveciæ, tributum negaret, Sveciam intravit, ibiqve in bello corruit, & cum eo corruerunt *Ubbo* Rex Friſonum, & alii plures Reges, & XXX. nobilium de exercitu ſuo. De exercitu vero *Ringer* Regis XII. procerum corruerunt. Ibi cum HARALDO pugnaverunt CCC. virgines, qvæ *Skioldmör* dictæ ſunt, qvarum vexillum portavit *Hethæ*, qvæ poſtea civitatem ædificans *Hethæby*, appellavit. Inde etiam dicitur *Heſceppe* (i). Huic HARALDO, poſtqvam L. annis regnaverat, ſucceſſit ei idem *Ringer* nepos ſuos.

RINGER. Huic ſucceſſit *Harald* frater ſuus.

HARALD. Huic ſucceſſit *Oli* frater ſuus.

OLI HIN FRACKER ſ. FRECNE. Hic adeo agilis erat, qvod ſcanſorium ad ſellam habere noluit. Iſte adeo efferus fuit, qvod *Starkatherum* ſolo viſu ſuper genua proſtravit. Hic etiam Sveciam intravit, & provocatus ad ſingulare certamen, primo die contra unum pugnavit, ſecunda die contra duos, tertia contra tres, qvarta contra qva-

(c) *Stephanius* hæc præteriit.

(d) Lindenbrogio *Byerngram*. Rationem cognominis *Bierggram* qvære ap. *Saxonem* p. 122.

(e) Stephanio UNGVIN. Saxoni p. 125. *Ungvinus*.

(f) Lindenbrogio *Goldrie nepos ejus*. Pro *Goldrie* legendum GOTRIC.

(g) ɔ: Canis domi potentior eſt.

(h) In veteri *Langfedgatal*, pater *Haraldi Hyldetan* dicitur *Hrærecus Slangvanbauge*.

(i) *Heſceppe* ſive *Hethesſkeppe*, modius ab olim Slesvicenſibus uſitatus, cujus nomen hodie ſupereſt in *Heitſcheffel*.

qvatuor, qvinta contra qvinqve, & ſic usqve ad XI. & omnes ſuperatos occidit. Qvi dum in *Lethra*, curia Regia in Sialandia ſederet in balneo, venit *Starkather*, magno pondere auri corruptus a Rege Sveciæ, & petita licentia loqvendi aliqvid ſecrete Regi, accesſit, Regemqve nihil mali ſuſpicantem gladio transfodit. Unde præ nimia verecundia, poſt tam vilem tanti viri occiſionem, ſe a lachrymis nunqvam potuit continere, donec idem pondus auri (k), qvod acceperat, occiſori ſuo, ut eum occideret, impendiſſet. Huic OLI ſucceſſit *Omunder* filius ejus.

OMUNDER. Hujus tempore *Starkather* ſenio confectus, indignum reputans, more aliorum hominum in lecto mori ſine gladio, & præcipue propter occiſionem *Oli* Regis, multis precibus perſvaſit cuidam *Hotker*, cujus patrem ipſe occiderat, ut eum occideret, objiciens ei, qvod patrem ejus occiderat, qvod ille vindicare teneretur, obtulitqve inſuper memoratum pondus auri pro mercede, & ſic *Otker* victus ſpe mercedis & Zelo vindicandi patrem, *Starkatherum* gladio proprio, qvi *Skum* dicebatur, præciſa cervice, occidit apud pontem Scaniæ, qvi *Wellingbro* (l) dicitur, accinctusqve gladio, pontem tranſiens, cum eſſet in medio pontis, *Skum* de vagina in aqvam cecidit, nec inde levari potuit usqve in preſens, tamen aliqvando videtur ibi in defluxu aqvæ. Iſte *Starcather* venit de Svecia tempore Regis INGELLI, portans congeriem carbonum in dorſo ad acuendum, qvemadmodum ipſe per jocum dicere ſolebat, naſum dicti Regis, ut vindicaret patrem ſuum. Idem *Starcather* pertransiit multas partes orbis pro prælio ſingulari. Unde & *Græci* imaginem ejus æream in *Italiam* miſerunt, dicentes, eos non poſſe ei reſiſtere, niſi haberent unum, qvi poſſet pugnare cum tali pugile. Hujus *Dens* (m) per *Henricum Æmelthorp* (n) militem de Dacia in Teutoniam eſt portatus pro miraculo, habens ſex pollices in magnitudine. Poſt *Omunder* regnavit *Syward* filius ejus.

SYWARD. Huic ſe oppoſuit *Simon*, Præfectus *Scaniæ*, & tandem convenerunt in prælium, in qvo, utrisqve viriliter certantibus, Principes ambo corruerunt. Poſt qvem regnavit frater ejus *Butel.*

BUTEL. Poſt hunc regnavit *Jarmarus* (o) filius *Sywardi.*

JARMARUS. Iſte valde bellicoſus erat. Intravit enim Slaviam cum exercitu, & *Ysmarum* Regem Slavorum occidit, & totam *Slaviam* vaſtavit. Poſtea *Helleſpontici* Daciam cum exercitu intraverunt, qvibus JARMARUS Rex occurrere non audens, munivit montem maritimum Scaniæ, qvi *Kolle* (p) dicitur, ibiqve cum melioribus regni ſe incluſit. Tandem cum regnum vaſtaſſent, exivit ad eos, & negotium fortunæ committens, commiſit cum eis prælium in *Oreſund*, ibiqve corruit. Huic ſucceſſit *Brother* frater ejus.

(k) Vid. *Saxo* p. 148. 153.

(l) Lindenbrogio *Boellinglve.* Saxoni p. 153. Starcatherus in campo *Rualming* ſepulturæ mandatus dicitur. Qvi campus, ni fallor, ſitus eſt circa amnem *Ran* in Scania.

(m) Qvomodo *Starkaterus* duos ſuos dentes molares amiſerit, narrat *Torfæus* Hiſt. Norv. P. I. p. 454. qvorum alterum Normageſtus excidentem ſuſtulit, qvi in Dania poſterioribus ſeculis catenæ pulſandis campanis adhibitæ alligatus ſpectaculum præbuit, utpote ponderis ſeptem unciarum. Conf. *Normageſti Sagam* ap. Biörner p. 17. & *Ol. Trygg. Sagam* T. II. p. 141. Idem forte dens Starcatheri fuit, qvem *Henr. Æmelthorp* in Germaniam pro miraculo portavit, Vid. *Heitfeld* p. 14. 238. qvi dentem eum in Scania repertum fuiſſe ſcribit, ac unum cum dimidio pollicem in longitudine, in circuitu vero duodecim pollices tenuiſſe. Conf. *Bartholini* Antiqv. p. 95.

(n) Miles ille bellicoſus in Hiſtoria noſtra notiſſimus eſt Seculo XIII. ſub Regibus *Erico*, *Abele* & *Chriſtoforo I.*

(o) Lindenbrogio *Jarmarus Rex.* Saxoni p. 154. *Jarmericus.*

(p) Promontorium Scaniæ nominatiſſimum, hodie *Kullen* dictum, cujus deſcriptionem dat *Linnæus* Itin. Scan. p. 322. *Saxoni Grammatico* p. 185. *Kolla rupes* nominatur.

BROTHER. Poſt qvem regnavit *Siwald.*

SIWALD. Huic ſucceſſit *Snio* filius ejus.

SNIO. Hujus tempore tanta fames erat in *Dacia*, qvod ex edicto Regis omnes viri & mulieres, non apti ad portandum arma in bellis, occidebantur. Tandem ex conſilio cujusdam mulieris Scanienſis, nomine *Magge*, qvilibet nonus homo exivit de regno, & omnes terras obtinuerunt usqve Romam. Iſti propter longas barbas dicti ſunt *Longobardi*, qvi tandem terram, qvæ nunc *Longobardia* dicitur, intraverunt, ibiqve remanſerunt. Poſtea tempore Caroli M. Apuliam obtinuerunt, ibiqve usqve hodie manent. Anno Domini DCXXXVII. exierunt de Dacia *Dani*, qvi modo dicuntur *Longobardi*. Poſt *Snio Biorn* regnavit.

BIORN. Huic ſucceſſit filius *Haraldus*.

HARALDUS. Poſt qvem *Gorm* filius ejus.

GORM. Iſte erat mirabilis inveſtigator novarum rerum, unde & aſſumptis CCCC. probiſſimis ſatellitibus, navigavit verſus aqvilonem ad ſedem *Geruthy*, ubi vidit ſtupenda mirabilia, & multa pericula paſſus eſt (q). Tandem conſumptis omnibus ſociis usqve ad XXX. per diverſa monſtra, vix cum vita in Daciam rediit. Huic ſucceſſit *Godric* filius ejus.

GODRIC HIN GYAFMILDE, qvi GODEFRITH dictus eſt. Hic bellicoſiſſimus erat, & totam *Teutoniam* jam ſeptimo tributariam fecit. Subjugavit etiam *Sveciam* & *Friſiam*.

Anno Domini DCCLXXVI. venit *Carolus* Imperator cum toto Imperio ſuo contra GODEFRITH Regem Daciæ, cui idem GODEFRITH ultra *Albiam* occurrens, fugavit *Carolum* de *Saxonia*, & eam totam vaſtavit, qvod eodem anno *Saxonia* converſa fuerat ad fidem Chriſti per Carolum, poſtqvam contra *Francos* XXVI. annis continuis pugnaverat. Poſtea idem GODEFRITH, fugato Imperatore & *Saxonia* vaſtata, ibidem a proprio milite cultro transfixus eſt in ventre. Poſt ipſum regnavit *Olaf* filius ejus.

OLAF dictus *Gothdranker* (r). Huic ſucceſſit *Henning* filius ejus.

HENNING (s) regnavit XXVIII. annis (*), qvi cum Imperatore pacem faciens, *Eydoram* terminum regni ſui accepit. Huic ſucceſſerunt duo reges, *Ring* & *Siwardus*.

RING regnavit in Jutia (t).

SIWARDUS regnavit in inſulis. Iſti duo Reges inter ſe diu pugnaverunt, & tandem in bello mutuo ambo corruerunt, qvibus ſucceſſit in regnum *Reyner* filius *Ring*.

REYNER LOTHBROKI. Iſte ſubjugavit *Angliam*, *Scotiam*, *Hyberniam*, *Norwegiam*, *Sveciam*, *Teutoniam*, *Slaviam*, *Ruſciam*, & omnia regna occidentis. Ita qvod IX. filios ſuos ſingulos in ſingulis terris Reges fecit, & ipſe de uno regno in aliud inter eos pertranſivit. Tandem in *Hybernia* occiſus eſt, & filii ejus fere omnes in diverſis locis ſunt occiſi. Hic per XI. annos urbes Franciæ vaſtavit, & Pariſiis

(q) De hoc *Gormonis* Itinere maritimo, lege, qvæ narrat *Saxo Grammat.* p. 160. ſqq.

(r) Ita apud Lindenbrogium, ſed *Stephanius* habet *Goddreng*, qvod rectius. *Gothdrancker* enim eſt *Bibo*, *Potator egregius.* Sed *Gothdreng*, *Goder Drenger* eſt nomen honorificum, *Virum ſtrenuum*, & honeſtum, ac *Militem fortem* ſignificans. Vid. *Wormii* Lexic. Run. p. 26. *Ihre* vet. Catal. Reg. Svec. p. 109. ſqq.

(s) *Saxoni* p. 168. & aliis *Hemmingus* nuncupatur.

(*) De prava & inepta computatione annorum, qvos Auctor noſter Regibus inter Godefridi mortem An. 810. & Haraldi baptismum 826. tribuit, vid. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 96.

(t) *Saxo* p. 168. ex *Ring* & *Sivardo* unum Regem facit.

risiis veniens, in Ecclesia S. Germani, & Aqvisgrani in palatio Imperatoris stabulum eqvorum fecit, & multa mala Ecclesiæ intulit. Huic succesfit *Ingvar* filius ejus.

INGVAR filius *Lothbroki*. Iste omnium fratrum suorum crudelisimus fuit. Cui succesfit *Sywardus*. Huic succesſerunt *Anulo* & *Sigefridus*.

ANULO & SIGEFRIDUS. Isti duo nepotes fuerunt Regis *Godefridi*. Inter qvos pugna fuit X. annis, & cum inter se de primatu regni convenire non possent, sceptrum prælio divisérunt, in qvo Reges ambo corruerunt, & cum eis XI. Millia hominum. Pars autem *Anulonis* cruenta victoria potita, *Reinfridum* & *Haraldum* in regnum posuit, & facta est pugna inter eos IX. annis.

HARALDUS tandem *Reinfridum* de regno expulit, & solus regnavit. Tunc filii *Sigefridi Haraldum* de regno expulerunt. Qvi ad Imperatorem Lodewicum supplex confugit.

Anno Domini DCCCXXVI. baptizatus prædictus Rex HARALDUS apud Maguntiam, cum uxore & fratre suo *Erico*, & per auxilium Imperatoris in regnum restitutus est, moxqve christianitatem reliqvit.

Anno Domini DCCCXXVIII. Sanctus *Anscharius* veniens ad Daciam, revocavit prædictum Regem HARALDUM ad christianitatem, & *Ecclesiam in Hadeboth* (u) construere fecit. Post qvem regnavit *Ericus* frater ejus.

ERICUS. Iste mox ut regnum accepit, Ecclesias claudi jussit, sed & omnes Ecclesias Franciæ, Frisiæ, Angliæ, Lothoringiæ, Teutoniæ, cum Episcopis & Clero truncatis, succendit & destruxit. Hujus etiam tempore *Rollo*, *Dux Danorum* (uu), Franciam intravit, & Carolum Regem Franciæ compulit dare sibi terram, qvæ nunc *Normannia* dicitur. Tunc ortum est bellum inter *Ericum* & filium fratris sui *Guthorm* Regem Norwegiæ (*), in qvo tanta cæde mactati sunt utriqve, ut vulgus omne caderet, sed & Reges ambo corruerunt, nec aliqvis de stirpe regia remansit, nisi unicus puer (**); nomine *Erik Barn*.

ERIK BARN. Iste ut regnum Danorum suscepit, multo plura mala fecit, qvam patres ejus in omnibus regnis. Vastavit enim *Saxoniam*, *Brun* Ducem occidit, & XII. Comites. Qvia plures urbes cum civibus, Episcopi cum grege truncati sunt, Ecclesiæ cum fidelibus incensæ sunt, *Theodoricus* & *Narwardus* Episcopi truncati sunt.

Anno Domini DCCCCII. *Arnulphus* Imperator *Danis* in Teutonia occurrens, prostravit ex eis cis C. hominum millia, bello cœlitus administrato. Eodem anno obiit ERICUS BARN, & regnavit pro eo *Olaf* Rex Sveciæ.

OLAF Rex Sveciæ. Iste vi & armis obtinuit regnum in Dacia, & regnavit V. annis. Huic succesfit *Gyurth*.

GYURTH

(u) Stephanio *Heideby*, alio nomine *Slesvicum* civitas. Vestigia antiqvi nominis urbis supersunt in Ecclesia rurali *Hadeby* prope Slesvicum, ubi olim vetustisima hujus civitatis pars sita fuerat.

(uu) Auctor hujus Chronici nec primus nec unicus est. qvi Rollonem *Ducem Danorum* appellavit. A multis autem veterum non solum ipse *Danus* salutatur, sed etiam in Actis Archiep. Röthom. ap. Mabill. Vet. Analect. p. 223. *Dux Danorum*. Imo filius ejus *Willelmus* apud *Dudonem* Scriptor. Norm. p. 92. *Dux Dacorum* dicitur. Ipse qvoqve Rollo pro se & sociis respondet: *Dani sumus*, *Dacia huc advecti*, ib. p. 76. 228. Qvod qvidem ratione *linguæ Danicæ*, qva utebantur gentes boreales, verum erat, non vero natalis soli Rollonis, qvod erat Norvegia.

(*) *Adam. Brem.* p. 9. *Gutbormum* vocat *Normannorum Regem*, unde Auctor hujus Chronici *Norvegiæ Regem* inscite fecit. *Saxo Gram.* p. 177. solum *Gutbormum Haraldi filium* nominat, Conf. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 123.

(**) *Unicus puer*, sic habet Edit. Stephanii, conf. *Adam. Brem.* p. 9. *Saxo Gr.* p. 177. Pro qvo in Edit. Lindenbrogii vitio librarii sive Typothetæ irrepsit monstrosa vox *Grici*, cujus loco *Grammius* Not. ad Meurs. p. 123. legendum mavult *Erici filius*, putans scil. *Ericum Puerum* fuisse *Erici I.* filium.

GYURTH nepos *Olavi*, & ipſe natione Danus, regnavit V. annis. Hunc occiderunt *Dani*. Poſt qvem *Lothene Knut*.

LOTHENE KNUT filius *Erici Barn*. Iſte bellicoſus erat multum & verſutus, & regnavit XI. annis. Hujus tempore qvilibet tertius de ſervis & plebeis hominibus exivit de regno, & venientes, totam *Pruciam*, *Semigaliam*, & *terram Carelorum*, aliasqve qvam plures terras ſubjugaverunt ſibi, & delectati terrarum ubertate noluerunt redire, ſed ibi remanent usqve in præſentem diem. Iſte *Lothene Knut* mortuus eſt paganus. Huic ſucceſſit *Frothi* filius ejus.

FROTHI, victor *Angliæ*. Iſte XX. annis hæc duo regna tenuit, & in *Anglia* fecit ſe baptizari. Poſt qvem filius ejus *Gorm*.

GORM HIN ENSKE (v). Hic dictus eſt *Orm Harthiſmute*, & regnavit IV. annis, in *Anglia* baptizatus. Poſt hunc *Haraldus* filius ejus.

HARALDUS. Huic ſucceſſit *Gorm Gamele*.

GORM GAMELE. Cujus uxor fuit THYRE DANEBOT, qvæ poſt mortem mariti nobiliter regnum tenuit, & munitionem, qvæ *Danewirki* (x) dicitur, fecit lignis tantum. Iſti ambo mortui ſunt pagani, ſepultiqve in duobus collibus juxta *Jalenge* (y). In diebus hujus GORM ferunt, *Danos* incenſis Eccleſis ſacerdotes ante altaria trucidaſſe, & clerum vulgo mixtum aut occidiſſe, aut in captivitatem duxiſſe. *Cruces* etiam truncatæ ludibrio ſunt habitæ a Danis. Anno Domini DCCCCL. obiit GORM GAMELE, cui ſucceſſit *Harald Blatan* filius ejus.

HARALD BLATAN regnavit L. annis. Iſte cum exercitu magno ſubjugavit ſibi Angliam, & rediit. Tunc Imperator *Otto*, qvi dictus *Otto Magnus*, paravit ſe ad invadendum Daciam. Cumqve Legati ejus veniſſent *Sleswic*, Dani occiderunt eos, & unum Marchionem cum eis, ad qvod ulciſcendum Imperator cum exercitu Daciam intravit. Et qvum HARALDUS Rex in extremis finibus regni ſui erat, ſcilicet in *Hallandia*, Imperator totam *Jutiam* vaſtavit usqve mare, qvod ab eo *Odeſund* dicitur. Ibi enim lanceam ſuam in mare miſit, ad perpetuam rei memoriam. Qvo audito, HARALDUS vehementer commotus, verſus *Jutiam* feſtinavit cum furore magno. Qvod intelligens Imperator fugit, & in *Lohete* ſuperveniens HARALDUS, occidit *Ypponem* (z) ducem exercitus Imperatoris, reliqvi vero Teutonici fugerunt. Qvo facto, ipſe de conſilio matris ſuæ vallum *Danewirki* cœpit inſtaurare. Hunc HARALDUM filius ejus *Sven* de regno expulit, qvod ad prædicationem *Popponis*, capellani Domini Papæ, baptizatus fuerat, cum qvo pater conflictum habuit, & ſemper perdidit, & tandem miles filii patrem occidit in Scania, qvi miles *Hako* (a) dicebatur, & regnavit pro eo *Sven Tyugeſkeg* filius ejus.

SVEN TYUGESKEG. Iſte propter ſcelera ſua a *Slavis* ter captus eſt, & redemtus, ſemel tanto pondere auri, qvantum in armis ponderabat, & bis tanto pondere argenti. Noviſſime de regno expulſus, apud Regem Sveciæ XIV. annis exulavit. Tandem ad Chriſti fidem converſus, baptizatus eſt, & mox, Deo favente, regnum ſuum recepit, occiſo *Rege Norwegiæ* in *Meſund* (b), qvi regnum ejus tenuerat. Et ita SVEN duo regna *Daciæ* & *Norwegiæ* invaſit, & *Angliam*, & obtinuit illud

(v) Stephanio GORM ENGELÆNDER. De hoc vid. *Saxo* p. 178.

(x) Vide, qvæ ſupra dicta ſunt de *Kowirki* p. 150. Not. (f), & qvæ ad *Sven. Aggonis* annotentur.

(y) Vid. *Saxo* p. 184. & *Sveno Aggonis* Cap. III.

(z) Saxo p. 182. *Epponem* eum nominat.

(a) Saxoni p. 186. *Toko* dicitur. Svenoni Aggonis Cap. IV. *Palno Toki*. In Jomsburgenſium Hiſtoria *Palnetokke*.

(b) *Meſund*, hodie *Miſſund*, eſt fretum ſive trajectus brevis in ſinu Slesvicenſi ſive flumine Slia. In *Chron. Sial.*

illud regnum, & ibidem mortuus eſt, & portatus *Roſkildis*, ibiqve ſepultus eſt. Huic ſucceſſit filius ejus

HARALDUS (c). Iſte homo fuit effeminatus & totus libidini deditus, hac de cauſa *Dani* eum depoſuerunt de regno, & *Gamele Knut* fratrem ejus Regem fecerunt, qvod bellicoſus homo fuit, ſed gravio affecti ſuper eo, qvod raro in regno fuit, & continue extra regnum in bellis, qvod tamen pro gloria regni libenter tolerare debuiſſent, *Kanutum* depoſuerunt, & HARALDUM effeminatum & nihil valentem regno præfecerunt, qvi tamen cito poſt mortuus eſt, & ſucceſſit ei dictus *Gamele Knut* frater ejus.

GAMELE KNUT. Iſte cum mille navibus invadens *Angliam*, eam ſubjugavit. *Eſtonicam* etiam *gentem* ſubdidit. *Ricardum* etiam Ducem Normanniæ de Francia expulit, & uxorem Regis Anglorum expulſi & mortui accepit, & genuit ex ea filium, nomine *Harthe Knut*, & filiam, nomine *Gunnihild*, qvam *Henricus* filius Conradi Imperatoris uxorem accepit.

Anno Domini MXXVIII. *S. Olavus* Rex Norwegiæ martyrizatus eſt, cujus regnum obtinuit idem GAMELE KNUT Rex Daciæ, & regnavit ſuper tria regna, *Danorum*, *Anglorum* & *Norwegiæ*. Fuit autem omnium Regum pulcherrimus, ſtrenuiſſimus & largiſſimus. Hic primus *Religioſos* in Daciam induxit, & multos Epiſcopos de Anglia in Daciam adduxit. Obiit autem GAMELE KNUT anno regni ſui XXXIII. relinqvens tres Reges filios, videlicet,

HARTHE KNUT in Dacia, *Haraldum* ſpurium in Anglia, *Svenonem* ſpurium in Norwegia. *Harald* vero IV. tantum annis regnavit, & mortuus eſt. Cujus regnum HARTHE KNUT Rex ſuſcepit. *Sven* vero qvinqve annos in Norwegia regnans obiit. Cujus regnum accepit *Magnus* filius *Sancti Oluvi*. Qvod audiens HARTHE KNUT, cum Anglis & Danis Norwegiam intravit, ſed per amicos reconciliati ſunt MAGNUS & HARTHE KNUT, tali pacto, qvod, qvi diutius viveret, ſuperſtes regnum defuncti acciperet. Iſte HARTHE KNUT regnavit ſuper *Daciam*, *Sveciam*, *Slaviam*, & *Angliam*. Qvi præter qvotidianam familiam ſuam *VI. millia armatorum* continue tenuit. Qvi cum *LX. longis navibus* ad domandum regna æſtate discurrebant, hyeme vero in *caſtris* manebant, qvibus, qvaſi religioſis, *leges & Statuta* (d) præſcribebat honeſtatis. Unde tempore ſuo ſuper omnes Reges mundi terribilis & laudabilis extitit. Tranſivit etiam cum Imperatore in *Italiam* ad

p. 73. & al. *Chron.* ap. Ludewig T. IX. p. 30. dicitur *Myröſund*, ibi ERICUS An. 1250. capite truncatus & ſubmerſus fuit. Prælium autem navale, in qvo occubuit Rex Norvegiæ OLAUS TRYGVINIUS, non in freto *Meſund*, ſed, ut tradunt melioris fidei rerum Norvegicarum Hiſtorici, commiſſum eſt prope inſulam qvandam Pomeraniæ *Svold* dictam & Gripsvaldo vicinam, unde a poſteris *conflictus Svoldrenſis* appellatum eſt.

(c) *Haraldus*, filius junior *Svenonis Tiugſkeg*, teſtante *Encomiaſte Emmæ* p. 155. 166. 167. & a patre Rex Daniæ deſtinatus eſt, a Danis vero propter inertiam regno privatus. Variis tamen cum fratre Rege *Kanuto* expeditionibus bellicis interfuit, eundem in Angliam An. 1016. ſecutus, teſte *Dithmaro Merſeburg* ap. Leibnt. T. I. p. 410. Dum jam in Anglia moratur, una cum fratre Rege *Kanuto* circa An. 1017. a Religioſis Eccleſiæ Chriſti in fraternitatem aſſumtus eſt, *Hickeſii* Theſaur. T. II. p. 151. Paulo poſt, *Kanuto* in Anglia occupato, *Haraldus* videtur ſecunda vice a Danis regno præfectus, ſed ſtatim mortuus. *Knytlinga Saga* p. 10. eum ante patrem mortuum falſo refert. Hiſtorici noſtri, præter Meurſium, & pleriqve eorum, qvi Regum Series nobis reliqverunt, *Haraldum* hunc ex numero Regum expungunt. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſium p. 173. 175. *Sulms* Forbedringer p. 13. 14. 15. 21. 29.

(d) Harum Legum fragmenta, ſub nomine *Legum caſtrenſium* ſive *curialium*, qvarum auctor fuit CANUTUS MAGNUS, non vero *Hardacnut*, collecta ſunt a *Svenone Aggonis* & cum ejus opuſculis a *Stephanio* edita, Danice vero ſub nomine *Witerlagh* a Reſenio publicata, Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 189. 190.

domandum nationes exteras (e). Obiit autem in Anglia. Huic ſucceſſit *Sven Eſtreth*, ſcilicet filius ſororis *Gamele Knut*.

SVEN ESTRETH, ſcil. filius *Ulff* Comitis Angliæ, regnavit poſt *Harthe Knut* (f). Qvod audiens MAGNUS Rex Norwegiæ prædictus, non immemor pacti ſui, qvod fecerat cum *Harthe Knut*, venit contra SVEN & vicit eum & ſubjugavit ſibi. Sanctus tamen *Edwardus*, Rex Angliæ, frater *Svenonis*, coactus eſt tributum ſolvere, & declarare eum hæredem regni poſt ſe. Tunc iterum *Magnus* Rex Norwegiæ ad bellandum *Svenonem* venit, cum exercitu innumerabili qvaſi arena maris, navigio in *Oreſund*, ſed cum incaute de navi in navem transiret, cecidit in mare, & ſubmerſus eſt. Qvo audito, SVEN regnum ejus obtinuit. Item dum idem SVEN in *Norwegia* moram faceret, *Slavi* vaſtarunt *Jutiam* usqve *Ripas*. Qvi caſu rediens de *Norwegia*, hoſtibus cum præda exituris prope *Sleswic* occurrit, proſtravit ex eis VI. millia hominum, ceteris fugientibus.

Anno Domini MLXXIV. obiit Rex SVEN ESTRETH ſcilicet. Huic ſucceſſit *Harald* filius ejus.

HARALD filius *Sven*. Hujus tempore receſſit Anglia a dominio *Danorum*, poſtqvam CXX. annis continuis ſubdita fuerat *Danis*. Poſt hunc regnavit *Knut* frater ejus.

KNUT regnavit octo annis. Qvi vir bonus erat, & multas eccleſias in regno conſtruxit, & homines ad cultum Dei pro viribus induxit, ſed aliqvas partes regni nunqvam inducere potuit, ut ſolverent decimas. Cum expeditionem autem congregaſſet in *Fiſkebek* juxta *Wibergh*, ut *Angliam* debellaret, frater ejus *Olavus* Dux Jutiæ totam diſſipavit proditioſe, & eum occidi procuravit.

Anno Domini MLXXXIII. *Ordo Cartuſienſium* exordium ſumpſit.

Anno Domini MLXXXVI. martyrizatus eſt S. KANUTUS Rex Danorum in *Othens*, per proditionem fratris ſui *Olavi* Ducis, in *Eccleſia S. Albani* martyris, & frater ejus *Benedictus* cum eo. Cui ſucceſſit frater ſuus idem.

OLAVUS. Hujus tempore facta eſt tanta *fames* in Dacia, ut homines pro herbis agreſtibus litigarent. Nam ſegetes VII. annis regni ejus per aëris intemperiem perierunt. Anno VII. regni ſui inventus eſt in lecto ſuo ſubitanea morte præventus OLAF HUNGER. Huic ſucceſſit *Erik Egothe* frater ſuus.

Anno Domini MLXXXVIII. Translatio *ſancti Nicolai* de Myrra in Barum.

Anno Domini MXCVIII. Exordium *Cyſtercienſis Ordinis* ſumpſit XII. Kalend. Aprilis.

ERIK EGOTHÆ. Qvi ſic dictus eſt primo, qvod mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terræ reddita eſt, ut modius parvus cujuslibet blandi (g) non valeret ultra duos denarios uſuales. Secundo dictus eſt *Egothæ*, qvod ita magnus homo fuit, qvod ſuper omnem populum ab humero & ſurſum videri potuit, habens in ſe fortitudinem, qvantum qvatuor fortiores regni. Tertio, qvia ita bonus fuit regno, qvod cum ad terram ſanctam proficiſci pararet, Dani tertiam partem omnium bonorum terræ voluerunt dare terræ ſanctæ pro redemptione crucis, ad hoc, ut ipſe in regno maneret, ſed noluit manere. Immo iter arripuit magna militia, & veniens Romam,

(e) *Harthe-Cnutum* cum *Canuto Magno* confundit Auctor noſter, facta qvædam patris præcipua filio aſſignans. De *Canuti Magni* Itinere Romano vid. *Acta Socier. Hafn.* T. I. p. 25. ſq. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 185.

(f) Ap. Lindenbrog. *Gamele Knut* minus recte.

(g) Legendum forte *bladi*, ɔ: ſegetis, frumenti, tritici, ſiliginis, ut habent Medii ævi Scriptores, vid. *Bladum* in Gloſſariis *Du Fresnii* & *Spelmanni*.

Romam, *Eccleſiæ Lundenſi Archiepiſcopatum & Primatum ſuper tria regna* obtinuit. Inde *Conſtantinopolim* veniens, ab Imperatore Græcorum honorifice eſt receptus.

Anno Domini MC. ſedit *Paſchalis II.* annis XVIII. menſibus qvinqve, diebus VII.

Anno Domini MCI. obiit ERICUS EGOTHÆ in *Cypro* inſula, cum uxore ſua, ubi & miraculis corruſcant. Poſt qvem frater ſuus *Nicolaus.*

An. MCIII. *Aſcerus* factus eſt primus Archiepiſcopus Daciæ.

NICOLAUS Rex, cum filio ſuo Rege *Magno*, *Kanutum*, filium fratris ſui *Erici Egothæ*, juxta *Ringſteth* occidit.

Anno Domini MCXI. *Paſchalis* Papa captus eſt ab *Henrico* Rege.

Anno Domini MCXIII. Beatus *Bernardus* Ordinem intravit.

Anno Domini MCXV. Conventus venit in *Claram vallem. Sanctus Kanutus* fit Dux in Dacia.

An. MCXVIII. *Gelaſius* Papa uno anno ſedit.

An. MCXIX. *Calixtus* Papa II. annis V. menſibus X. diebus VIII.

An. MCXX. *Ordo Præmonſtratenſium* incepit.

An. MCXXV. *Honorius* Papa II. ſedit annis V. *Henricus* Imperator obiit.

An. MCXXVII. *Tartari* Ungariam invaſerunt. Cardinales cum Abbatibus capti ſunt.

An. MCXXX. *Sanctus Kanutus* Dux martyrizatus apud *Harelſteth* a *Magno* filio *Nicolai* Regis. ERICUS enim factus eſt Rex in *Scania.* Eodem anno filius SANCTI KANUTI Regis, Dux Flandriæ (h), occiſus eſt a propriis militibus in Eccleſia.

Vivente adhuc prædicto NICOLAO Rege, filius ejus *Magnus* factus eſt *Rex Danorum & Gothorum.* Scanienſes vero elegerunt prædictum *Ericum Emune*, filium ERICI EGOTHÆ in Regem. Contra qvem venerunt Reges *Nicolaus* & *Magnus* filius ejus, & bello inito in *Fothwik* Anno Domini MCXXXV. ubi corruit *Magnus*, & cum eo VI. Epiſcopi, qvatuor de Jutia, unus de Syalandia, unus de Svecia, & multi nobiles de Dacia cum eis. NICOLAUS vero fugiens, venit *Slesvic*, ibiqve occiderunt eum *ſutores Slesvicenſes.* Huic ſucceſſit *Ericus Emune* memoratus.

ERICUS EMUNE. Qvi cauſa regnandi occidit *Haraldum* & liberos ejus.

Anno Domini MCXXXVII. *tenebræ* factæ ſunt in Qvadrageſima in omni terra. *Aſcerus* primus Danorum Archiepiſcopus obiit, & *Eſkillus* electus eſt.

Anno Domini MCXXXIX. ERICUS EMUNE occiſus eſt qvadam die in palatio (i) a qvodam *Plog Swarthe.* Huic ſucceſſit *Ericus Lamb* filius ſororis ejus.

Anno Domini MCXL. OLAVUS filius *Haraldi*, qvem qvædam pars fecerat Regem, ſurrexit contra ERICUM LAMB. Et IV. Kalend. Aprilis *tenebræ* factæ ſunt per totum orbem.

Anno Domini MCXLI. *Eſkillus* Archiepiſcopus poſuit *Olavo* obſides.

Anno Domini MCXLII. bellum fuit *Diffling* (k) ter uno die, & uno anno XIII. vicibus, inter *Ericum* & *Olavum*, & ſemper fugit *Olavus* ante *Ericum.*

Anno

(h) Pleriqve cædem *Karoli* Comitis Flandriæ ad An. 1127. referunt.

(i) Pro *palatio* hic legendum puto *placito*, paa Tinget, *Hvedingenſi* ſcil. apud Ripam, ubi comitia tum celebravit.

(k) Sic & Lindenbrogius & Stephanius, ſed alibi *Dyſtling*, *Dyſsing* ſive *Dyſsiæ.* Forte prælium iſtud in campo circa amnem *Dyſsia* in Scania commiſſum eſt, qvaſi in *Dyſsielyng.* Alii Annales habent *Stilinge.*

Anno Domini MCXLIII. *Olavus* occidit *Rikonem* Epiſcopum Roſkildenſem. *Olavus Haraldi* filius in bello occiditur.

Anno Domini MCXLIV. ERICUS duxit ſororem *Henrici* (l) Bremenſis Epiſcopi. Conventus miſſus eſt in *Herivadum* & in *Nidal.* *Celeſtinus* Papa ſedit menſibus tribus. *Lucius* Papa II. annis.

Anno Domini MCXLVI. *Eugenius* Papa ſedit IX. annis. Conventus miſſus eſt in *Lyuſæ* VII. Idus Julii.

Anno Domini MCXLVII. Conventus mittitur in *Hofvæthe.* Bellum fuit *Slangthorp.* ERICUS LAMB obiit, factus Monachus in *Othens* (m). Qvo mortuo, *Jutenſes* nomen Regis impoſuerunt KANUTO filio *Magni.* *Scanienſes* vero majoribus inſulis SVENONEM filium *Erici Emune* elegerunt, & facta eſt pugna inter eos XII. annis.

Anno Domini MCXLVIII. Sanctus *Malachias* migravit.

Anno Domini MCXLIX. *Eſkillus* Archiepiſcopus captus eſt a SVENONE Rege. Bellum fuit apud *Arcunæ* in *Slavia.*

Anno Domini MCL. *Sanctus Ketillus* migravit *Wibergis.* Bellum fuit in *Slangthorp* & fugit KANUTUS. Conventus mittitur *Kalendis Maji*, qvi profeſſus eſt poſtea in *Esrom.*

Anno Domini MCLI. bellum fuit *Wibergis*, & iterum fugit KANUTUS.

Anno Domini MCLII. exulavit KANUTUS in *Ruſciam*, qvi aſſumpto auxilio de Saxonia, pugnavit, & fugit.

Anno Domini MCLIII. *S. Bernardus* Abbas Clarevallis migravit. Conventus venit in *Esrom.* KANUTUS Rex rediens de *Ruſſia* venit in *Friſiam*, ibiqve conſtruxit *caſtrum Mildeborgh* cum auxilio Friſonum. Qvo audito, SVENO cum tota expeditione Danorum venit *Slesvic*, & adductis inde navibus per terras usqve *Huchlſtieth* (n), prædictum caſtrum *Mildeborgh* obſedit, & magnam partem *Friſiæ* incendio vaſtavit. Cui occurrens KANUTUS cum *Friſonibus*, ſuperavit eum in bello, in qvo plurimi *Scanienſes* corruerunt, cum aliis nobilibus.

Anno Domini MCLIV. deſponſavit WALDEMARUS filius *S. Kanuti* SOPHIAM ſororem KANUTI Regis. Dani omnes elegerunt duos Reges, ſcil. KANUTUM memoratum & WALDEMARUM filium *S. Kanuti.* Tunc SVENO Rex fugit in Saxoniam.

Anno Domini MCLV. Anaſtaſius Papa ſedit annis tribus. Rediens de Saxonia SVENO cum Duce *Henrico*, venit *Simerſtath* (o), ſed fuga arrepta, Dux cum Rege iter 15. dierum veniendo ſub compendio duorum dierum fugiens compleverunt.

Anno Domini MCLVI. facta eſt inter Reges pax, diviſo regno in tres partes. KANUTUS obtinuit *Jutiam.* WALDEMARUS *Scaniam.* SVENO *Sialandiam.* Poſt paucos autem dies idem SVEN Rex Sialandiæ invitavit KANUTUM Regem Jutiæ & WALDEMARUM Regem Scaniæ ad feſtum ſuum *Roſcildis*, ubi, omnibus vino prægravatis, tempore nocturno, cum adhuc chorea duceretur in aula regia, occidit KANUTUM Regem & *Conſtantinum* cognatum ejus, in *Vigilia S. Laurentii.* WALDEMARUS vero vulneratus fugit in *Jutiam*, qvem SVEN inſecutus eſt cum exercitu. *XI. millia virginum* paſſæ ſunt in Colonia.

Anno

(l) Legendum *Hartvici* Bremenſis Archiepiſcopi.

(m) Et Lindenbrogius & Stephanius hic male legunt *Denſch.*

(n) Legendum *Hollingſterh*, ubi olim ſtatio navium ab oceano Britannico ad oram Slesvicenſem venientium.

(o) Hodie *Sommerſted*, paroecia provinciæ Gramherred Jutiæ auſtralis.

Anno Domini MCLVII. convenerunt SVEN & WALDEMARUS Reges in campo, qvi *Grathæhethæ* dicitur, in prælio, in qvo SVEN occisus est, & sepultus in *Capella Grathæ*, & WALDEMARUS obtinuit monarchiam totius Daciæ.

Anno Domini MCLVIII. Adrianus Papa sedit annis qvatuor. *Absalon* factus est Episcopus Roskildensis. Conventus mittitur in *Vitæscola* Nonis Aprilis.

Anno Domini MCLX. Conventus venit in *Saba* (p).

Anno Domini MCLXI. Conventus missus est *Soram* Idus Julii.

Anno Domini MCLXII. *Tuta vallis* fundatur.

Anno Domini MCLXIII. natus est KANUTUS filius WALDEMARI Regis. Rex WALDEMARUS ivit ad consilium Imperatoris *Metis*, ubi multos dolos Imperatoris expertus est, sed suis strenuissime & cautissime in omnibus se gerentibus, nutu divino & directione *Henrici* Ducis Brunsvicensis fretus, in Daciam sanus rediit. Tunc Rex malitias Teutonicorum prævenire volens, munitionem *Dannwirki* muro circumcinxit, ante enim lignis tantum munitus erat locus ille.

Anno Domini MCLXIV. conventus missus est in *Gutualiam* VI. Idus Septembr.

Anno Domini MCLXV. conventus venit in *Om*, qvæ *Cara insula* dicitur. WALDEMARUS subegit *Slavos*.

Anno Domini MCLXVII. *Burisius* captus est, & effossis oculis castratus.

Anno Domini MCLXX. natus est WALDEMARUS filius WALDEMARI. Sanctus *Thomas* Archiepiscopus Angliæ martyrizatus. *Ro* (q) a Danis adqvisita est, & ad fidem Christi conversa. *Jarmarus* baptizatus. *Leges Danorum* editæ sunt. Conventus mittitur in *Dobran* Kalendis Martii.

Anno Domini MCLXXI. *Sanctus Kanutus* Dux & martyr translatus est *Ringstet*.

Anno Domini MCLXXII. conventus venit in *Dargun*, & in *Insula Dei*.

Anno Domini MCLXXIII. conventus venit in *Locum Dei*, qvi dicitur *Loum*. *Christophorus* Dux obiit. Maximus *terræ motus* fuerat in Dacia.

Anno Domini MCLXXIV. conventus venit in *Colbar* (r), qvi dicitur *Meravallis*, 4. Nonas Februarii.

Anno Domini MCLXXVI. *castrum Stettin* a Danis obsessum est.

Anno Domini MCLXXVII. *Sancta Margareta Roskildis* passa est. KANUTUS filius WALDEMARI Primi factus est Rex *Scaniæ* & *Hallandiæ*, patre innuente & consentiente.

Anno Domini MCLXXVIII. *Eskillus*, secundus Archiepiscopus Daciæ, recessit, factus Monachus Clarevallis. *Absalon* fit Archiepiscopus. Eodem anno *sol obscuratus* est in vigilia sanctæ crucis, feria qvarta.

Anno Domini MCLXXX. Obiit *S. Nicolaus* in *Arus*. Bellum fuit in *Flysæ*.

Anno Domini MCLXXXI. Rex WALDEMARUS occurrit *Fritherico* Imperatori apud *Thraven*, ubi duas filias suas maritavit, unam filio Imperatoris, aliam Comiti *Sifrido*, ubi etiam obtinuit ab Imperatore dominium totius *Nordalbingiæ*, hoc est, omnium terrarum ad aqvilonarem partem *Albiæ*, super qvo habuit *literas Imperiales cum bulla aurea* & *literas Papales*, videlicet, Domini *Innocentii* Papæ *Tertii*, de confirmatione dictæ collationis pro jure perpetuo habendæ, sed has literas, post mortem Regis ABEL, qvædam mulier Teutonica, filia diaboli, destruxit in odium Danorum.

(p) Stephanio *Saby*. Monasterium illud postea *Julia* dictum est, situm in Dioecesi Strengenensi in Svecia.

(q) Stephanio *Rugia*.

(r) Legendum *Colbat*, olim Abbatia in Pomerania.

Anno Domini MCLXXXII. obiit WALDEMARUS Primus, filius Sancti *Kanuti* Ducis, anno regni ſui XXV. poſt qvem

KANUTUS filius ſuus. Obiit etiam *Eſkillus* Archiepiſcopus in Claravalle.

Anno Domini MCLXXXIV. Expeditio facta eſt in *Walguſt.*

Anno Domini MCLXXXVI. conventus miſſus eſt in *Olivam.* Obiit *Suno Ebbonis* filius.

Anno Domini MCLXXXVII. Hieroſolyma a Soldano capitur, & chriſtiani delentur. *Eclipſis ſolis* facta eſt.

Anno Domini MCLXXXVIII. *Sanctus Kanutus* translatus eſt (s). Dux WALDEMARUS factus eſt miles.

Anno Domini MCLXXXIX. expeditio facta eſt in *Slaviam.*

Anno Domini MCXC. obiit *Magnus Ulf.* Conventus mittitur in *Reigneveld* Kalendis Novembris.

Anno Domini MCXCI. expeditio facta eſt in *Flandria* (t), qvam vicerunt Dani.

Anno Domini MCXCII. *Waldemarus* Epiſcopus, nullo cogente, Regi ſe opponens, ivit in *Norwegiam.* Indeqve rediens cum XXXV. longis navibus, captus eſt, & in turri *Syöburg* poſitus, ubi ſedit XIV. annis. Conventus mittitur in *Gulholm.* *Petrus Sunonis* fit Epiſcopus. Primum incendium in *Esrom.*

Anno Domini MCXCIV. Conventus venit in *Aſylum* (u). Expeditio facta eſt in *Eſtoniam.* Comes *Adulphus* factus eſt *homo Regis*, tributarius Daciæ.

Anno Domini MCXCV. Conventus venit in *Olivam* (v). Gregorius VIII. diebus XXXIII. ſedit. Ventus vehemens fuit.

Anno Domini MCXCVI. Clemens Papa II. annis. KANUTUS Rex duxit exercitum in *Eſtoniam.* Obiit GERTHRUD Regina.

Anno Domini MCXCVII. *Ordo ſanctæ Trinitatis* incepit.

Anno Domini MCXCVIII. Innocentius Papa III. ſedit annis XIX. Obiit SOPHIA Regina. *Petrus* Epiſcopus captus eſt, & frater ejus *Thorbernus* occiſus. *Terræ motus* fuit in Dacia.

Anno Domini MCC. *Ordo fratrum Minorum* incepit. Caſtrum *Reynsberg* (x) acqviſitum eſt, & *Thitmerſkia.*

Anno Domini MCCI. obiit *Abſolon* tertius Archiepiſcopus Daciæ, & conſecratus *Andreas.*

Anno Domini MCCII. *Sanctus Wilhelmus* Abbas migravit. Comes *Adolphus* captus eſt. Caſtrum *Segheberg* acqviſitum eſt. 2. Idus Novembris obiit KANUTUS Rex filius *Waldemari*, & Comes *Albertus* factus eſt Miles.

WALDEMARUS coronatus eſt in Regem eodem anno.

Anno Domini MCCIII. Comes *Adolphus* liberatus eſt, poſitis obſidibus ad X. annos. Redditum caſtrum *Lovenborg.*

Anno Domini MCCIV. expeditio facta eſt in *Norwegiam* per Regem WALDEMARUM, qvi *Erlingum* conſtituit ibi Regem, & *Philippum* Ducem, qvi ambo facti ſunt *homines Regis* apud *Thunsbyærgh.* Obiit *Esbernus Snare.* Secundum incendium in *Esrom.*

Anno

(s) Conf. ſupra ad An. 1171.

(t) Sic habet & Lindenbrogius & Stephanius, ſed pro *Flandria* omnino legetur *Finlandia*, ut ex aliis Chronicis patet.

(u) Monaſterium Hallandiæ, dictum *Aas-Kloſter*, Vid. *Chronicon Sialandiæ* p. 49.

(v) Conf. ſupra An. 1186.

(x) Leg. *Rensburgum* ſ. *Reynoldesburg.*

Anno Domini MCCV. Rex WALDEMARUS duxit DAGHMAR, filiam Regis Boemiæ, in uxorem. Dani *Albiam* transeuntes, destruxerunt *Ertenborg*.

Anno Domini MCCVI. *Waldemarus* Episcopus liberatus est ad preces DAGHMAR Reginæ, ita tamen, qvod juravit, se nunqvam Daciam intraturum. Postea vero factus Archiepiscopus Bremensis, cum se Regi opponeret, ad instantiam Regis WALDEMARI depositus est, & excommunicatus a Papa. *Andreas* Archiepiscopus duxit exercitum in *Rivaliam*.

Anno Domini MCCVII. conventus venit in *Tuta Insula*. WALDEMARUS fugavit Imperatorem.

Anno Domini MCCVIII. Dani corruerunt in *Lene*. Rex WALDEMARUS castrum *Buyzenburg* destruxit. Pons ultra *Albiam* factus. Castrum *Hereborg* jussu WALDEMARI factum est.

Anno Domini MCCIX. natus est WALDEMARUS III. filius *Secundi*. Conventus mittitur in *Dargun* de *Doberan*.

Anno Domini MCCX. Expeditio facta est in *Pruciam* & *Samland*. *Mistwin* Dux *Poloniæ* factus est *homo Regis*. *Swerkerus* Rex Sweciæ occiditur. Conventus venit de *Aurea Insula* in *Rus Regium*.

Anno Domini MCCXI. *Dani* castrum *Dymin* reædificant & *Nycenborg* (y) destruunt.

Anno Domini MCCXII. obiit MARGARETA Regina, qvæ propter præcipuam formæ pulchritudinem dicta fuit DAGHMAR.

Anno Domini MCCXIII. obiit *Johannes* filius *Esberni Snare*.

Anno Domini MCCXIV. *Petrus* Senior, Roskildensis Episcopus, & *Nicolaus* Episcopus Ripensis, obierunt. Comes *Gunzelinus*, & Comes *Henricus* frater ejus, terram suam a *Rege* receperunt, & ei fidelitatem juraverunt. *Dani* obtinuerunt castrum *Stetin*, & castrum Marchionis *Mutin*. Rex WALDEMARUS secundas nuptias celebravit cum BERENGARIA sorore *Ferandi* Comitis Flandriæ, qvæ *Beengerd* (z) est dicta.

Anno Domini MCCXV. WALDEMARUS TERTIUS eligitur in Regem. Imperator *Otto* fidem violans, & contra juramentum suum veniens, *Holsatiam* sibi subigere volebat. Contra qvem venit Rex WALDEMARUS cum exercitu copioso, habens secum de solis *Frisonibus* sexaginta millia hominum. Qvo audito, Imperator non est ausus expectare congressum belli, sed fugit ultra *Albiam*, perditis in singulari certamine duobus melioribus pugilibus imperii, qvos dejecerunt duo Frisones, videlicet *Sven Sterke* & *Brother Gauling* (a).

Anno Domini MCCXVI. *Petrus* filius *Jacobi* fit Episcopus Roskildis. Gelu super *Albiam* viam præbente, Rex WALDEMARUS cum exercitu transivit ad terram *Henrici* Comitis Palatini, qvam vastavit incendio, donec eam sibi totam subjugavit. Item duo castra contra *Hamburg* construxit, & tandem civitatem cepit. Natus est *Ericus*, filius WALDEMARI Regis, cui pater eodem anno *Ducatum Jutiæ* contulit, & *Nicolao* filio illegitimo *Comitatum Hallandiæ*.

Anno Comini MCCXVII. Comes *Albertus* ex mandato Regis *Waldemari* ædificavit castrum *Travenemunde*, & Dani castrum in *Thytmerisk* (b) construunt.

Anno

(y) Hvitfeldio p. 179. *Nyenborg*.
(z) Lindenbrog. monstrose *Bringremle*.
(a) Hvitfeldio p. 183. *Gauling*, qvod forte rectius.
(b) Stephanius habet *Fritbibierg*.

Anno Domini MCCXVIII. obiit Imperator *Otto.* Rex WALDEMARUS, convocatis totius regni primoribus, 15. Epiſcopis, tribus Ducibus, & tribus Comitibus, Abbatibus etiam, aliisqve qvam plurimis, WALDEMARO filio ſuo in *Slesvic* diadema regni impoſuit in feſto b. Johannis Baptiſtæ. Obiit Comes *Nicolaus.*

Anno Domini MCCXIX. Rex WALDEMARUS, congregato exercitu permaximo, cum mille qvingentis longis navibus *Eſtoniam* intravit, & poſt multa bella totam terram illam ad fidem Chriſti convertit, & Danis ſubdidit usqve in præſens.

Anno Domini MCCXX. *Sanctus Thomas* Archiepiſcopus Cantuarienſis Angliæ translatus. *Hieroſolyma* a chriſtianis recuperatur.

Anno Domini MCCXXI. obiit BERENGARIA, mater Regum ERICI, ABEL, & CHRISTOPHORI. Obiit *Rikece* Regina.

Anno Domini MCCXXII. *Gregorius* Cardinalis fuit in Dacia. *Andreas* Archiepiſcopus ceſſit. Abbas *Gunnerus* Caræ inſulæ electus eſt in Epiſcopum.

Anno Domini MCCXXIII. Rex WALDEMARUS, una cum filio ſuo WALDEMARO TERTIO, a ſuis proditi, capti ſunt in lectis ſuis a Comite *Henrico* in inſula *Lyuthe* (c), Joannis ante portam latinam, & in *Slaviam* ducti in caſtrum *Zverin*, manſerunt ibi fere per triennium, & tunc redempti ſunt per Danos pro LX. millibus marcarum in pondere Lubecenſi, ſed eqvi, veſtes, & alia jocalia, qvæ dederunt omnibus melioribus Saxoniæ, in die exitus ſui, in duplo plus valebant. Nota Lector: *Teutonicos* nunqvam aut raro prævaluiſſe & triumphos duxiſſe niſi per proditionem & fraudem, qvod habent ex natura, ſicut patet in captivitate dictorum duorum Regum, & in aliis multis.

Anno Domini MCCXXIV. *Petrus Saxonis* fit Archiepiſcopus. Obiit *Andreas* Camerarius.

Anno Domini MCCXXV. obiit *Petrus Jacobi* Epiſcopus Roſkildenſis. Cui ſucceſſit *Nicolaus Stigſun.*

Anno Domini MCCXXVI. ſoluti ſunt duo Reges. Obiit Sanctus *Franciſcus.* Multi *Friſones* corruerunt in *Thidmerſkia*, & tamen *Thidmerſkia* Danis ſubjugata eſt.

Anno Domini MCCXXVII. in *Bornhovet* Dani corruerunt. Nam *Thidmerſkienſes*, in ultimo exercitus collocati, proditionem facientes, exercitum Danorum, cum qvibus erant, a tergo percuſſerunt. Gregorius IX. Papa ſedit.

Anno Domini MCCXXVIII. *Andreas* & *Petrus* Archiepiſcopi obierunt.

Anno Domini MCCXXIX. Rex WALDEMARUS III. celebravit nuptias cum filia Regis Portugaliæ ELIENOR, *Ripis*, in feſto beati Johannis Baptiſtæ.

Anno Domini MCCXXX. *Otto* Cardinalis fuit in Dacia. *Uffo* fit Archiepiſcopus. *Eclipſis ſolis.* Et *peſtilentia* hominum & jumentorum magna fuit.

Anno Domini MCCXXXI. obiit Rex WALDEMARUS III. filius WALDEMARI SECUNDI, & Regina ELIENOR cito poſt eum in partu.

Anno Domini MCCXXXII. ERICUS Rex, filius WALDEMARI SECUNDI, coronatus eſt a Domino UFFONE Archiepiſcopo, & frater ejus *Abel* Ducatum Jutiæ accepit. Eodem anno *Fratres Minores* nudis pedibus Daciam intraverunt, & *domum Ripenſem* fundaverunt.

Anno Domini MCCXXXIII. *Esbernus Snerling* obiit. Obiit piæ memoriæ *Nicolaus* Cancellarius, Epiſcopus Slesvicenſis.

Anno Domini MCCXXXIV. *Fratres Minores* domum acceperunt *Sleſwik.* *Lund* & *Roſkild* igne perierunt.

Anno

(c) Stephanio *Lydöe*, nunc *Lyöe* dicitur, inſula ad auſtrale littus Fioniæ ſita.

Anno Domini MCCXXXVI. *Waldemarus* Epiſcopus obiit, humilis monachus in *Lyke* (d). Conventus miſſus in *Paradiſo*.

Anno Domini MCCXXXVII. Dominus *Petrus* Abbas *Ruris Regii* omnes poſſeſſiones dictæ domus catenus acqviſitas, cum villicis & colonis omnibus, abſolute libertati reſtituit, ab omni impetitione exactoria & jure regio eximens eos, pro qvinqvaginta tribus marcis denariorum uſualium, qvas Domino *Abel*, inclito Duci Jutiæ, pro jam dicta exſolvit libertate, ita qvod non ſit ejusdem Ducis poſterius liberum nec licitum, hanc pactionem aliqvo tempore infirmare, juxta inteſtationem privilegii Principis memorati. Eodem anno Dux *Abel* duxit *Mathildem* filiam Comitis, qvod Rex WALDEMARUS pater moleſte tulit, timens, per hoc futurum ſchisma inter fratres, qvod & evenit. Nam ab illo die nunqvam defecit bellum inteſtinum in Dacia inter *Reges* & *Duces*, Comitibus eos incitantibus, qvi ſemper qværunt mala Daciæ. Bellum fuit in *Skanoræ* inter Danos & Nordmannos. Tempeſtas fuit in die ſancti Clementis.

Anno Domini MCCXXXVIII. Translatio *S. Wilhelmi* Abbatis in *Æppelholt*.

Anno Domini MCCXXXIX. Rex ERICUS duxit JUDITH, filiam Ducis Saxoniæ, in uxorem, cum qvibus diſpenſatum eſt in qvarta linea conſangvinitatis per Dominum Papam *Gregorium*. Hieroſolyma capitur a paganis.

Anno Domini MCCXL. *Sculo* Dux Norwegiæ cum filio occiſus eſt a Rege HAQVINO.

Anno Domini MCCXLI. obiit inclytæ recordationis Rex WALDEMARUS II. in Cœna Domini, in cujus morte vere cecidit corona capitis Danorum (e). Nam ab illo tempore bellis inteſtinis & deſtructioni mutuæ vacantes, omnibus in circuitu nationibus facti ſunt in deriſum, ſed & terræ, qvas patres eorum gladio ſuo glorioſe acqviſierant, non ſolum ab eorum dominio receſſerunt, verum & plagas maximas regno intulerunt, & illud miſerabiliter confuderunt, Principibus regni reſiſtentibus, ſexies ſe invicem lacerantibus & vaſtantibus. ERICUS Rex, filius WALDEMARI II. monarchiam Daciæ obtinuit. *Eclipſis* fuit. *Petrus Stigi* (f) obiit.

Anno Domini MCCXLII. ortum eſt bellum inter fratres ERICUM Regem & *Abel* Ducem. Clauſtrum *Ringſtath* igne periit.

Anno Domini MCCXLIII. Clauſtrum Monialium *Roſkild* incenſum eſt. Innocentius V. ſedit.

Anno Domini MCCXLIV. Rex ERICUS duxit exercitum *Kalding*.

Anno Domini MCCXLV. generale Concilium fuit *Lugduni*. *Nicolaus* Epiſcopus Róſkildenſis fugit de Dacia.

Anno Domini MCCXLVI. *Jacobus Simonis* obiit. Rex ERICUS movit exercitum contra fratrem ſuum, illo cum exercitu Teutonico occurrente, ſed treugæ factæ ſunt ad tempus.

Anno Domini MCCXLVII. *Sora* & *Colbas* (g) igne perierunt. *Othonia* a Teutonicis incenſa eſt. Rex ERICUS oppidum *Swineborg* occupavit. Qvid plura, cum regnum miſerabiliter deſtruxiſſent, tandem fraterno ſangvine, non multo poſt, ſibi & regno infamiam perpetuam facere non timuerunt.

(d) Hic neqve *Luyck* ſ. Leodium in Weſtphalia, ut nonnulli, nec *Lucca* in Italia, ut alii volunt, intelligitur, ſed Monaſterium *Lucka*, *Abbatia Luccenſis*, hodie Stift Lockum in Principatu Calenbergenſi, Vid. *Leuckfeld.* de Monaſt. Amelunxborn & Luckem p. 89. 122. ſqq.

(e) Eadem totidem verbis repetit *Heitfeldius* p. 208. in hoc tamen errans, qvod mortem Regis *Waldemari II.* ad An. 1242. referat.

(f) Lindenbrogio *Stegit*, qvod æqve falſum ac Stephanii *Strigi*, legendum autem eſt *Petrus Strangonis filius*, qvod recte habet *Chronicon Sialandiæ* p. 64. & *Heitfeldius* p. 208.

(g) Stephanius pro *Colbas* habet *Holbech*, qvod ſine dubio minus recte.

Anno Domini MCCXLVIII. *Haven* (h) a Lubecenſibus incenſa eſt. Obiit *Olavus* Pincerna. *Nicolaus* Epiſcopus Roſkildenſis obiit in *Clarevalle.*

Anno Domini MCCXLIX. obiit ERICUS *Rex Sveciæ.*

Anno Domini MCCL. Dux *Abel* fratrem ſuum ERICUM Regem proditioſe captivavit in *Sleswik*, in nocte b. Laurentii, qvem qvidam miles ejusdem Ducis, *Lagho Gutmundſun*, navigio deportavit usqve *Myoſund*, ibiqve eum occidit, & Duce ignorante, eum in Slia ſubmerſit. Eodem anno *Waldemarus* filius Ducis *Abel*, a Scholis Pariſiis domum pergens, captus eſt per milites Domini Epiſcopi Colonienſis.

Dux ABEL in Regem electus eſt & coronatus.

Anno Domini MCCLI. *Frethericus* Imperator obiit. Obiit Comes *Nicolaus*. *Ludewicus* Rex Franciæ captus eſt, & frater ejus Robertus occiſus.

Anno Domini MCCLII. Rex ABEL cum exercitu intravit *Eydarſtath* ad pugnandum, ibiqve occiſus eſt. Obiit *Uffo* Archiepiſcopus.

CHRISTOPHORUS fit Rex Anno Domini MCCLIII. Rex CHRISTOPHORUS tradidit *Waldemaro* filio Regis ABEL Ducatum cum vexillo apud *Kalding*. Bellum fuit *Skelfiſkör* inter *Chriſtophorum* & *Heinricum Emelthorp.*

Anno Domini MCCLIV. obiit *Innocentius* Papa *IV*. *Alexander* Papa conſecratus. *Jacobus* fit Archiepiſcopus, & *Petrus Skielmi* filius Epiſcopus Roſkildenſis.

Anno Domini MCCLVI. *Kothkarle ware alle galne meth kylver* (i). *Wilhelmus* Imperator in Friſia obiit.

Anno Domini MCCLVII. HAKINUS Rex Norwegiæ fuit in Dacia. Obiit *Waldemarus* Dux.

Anno Domini MCCLVIII. Rex ERICUS ab *Eccleſia S. Petri* transfertur a CHRISTOPHORO fratre ſuo, Epiſcopo *Nicolao* abſente. Bellum fuit inter Regem & ruſticos. *Civitas Ripenſis* (k) judicio Dei cum omnibus attinentiis periit.

Anno Domini MCCLIX. captus eſt *Jacobus* Archiepiſcopus Lundenſis, & carceratus in caſtro *Hakenſcog*. Obiit CHRISTOPHORUS *Ripis*. Poſt qvem

ERICUS filius ejus regnavit, qvi multa mala fecit, Eccleſias ſpoliando, læſis & injuriam pasſis juſtitiam nullam faciendo. Monaſteria qvoqve, qvæ patres ejus per ſe & ſuos ædificaverant, per eqvos & canes miſerabiliter attenuavit. *Comites Holſatiæ* magnam partem *Ducatus* vaſtaverunt. *Jarmarus* Princeps Rujanorum magnam partem *Sialandiæ* vaſtavit.

Anno Domini MCCLX. *Jarmarus* fecit ſtragem magnam ruſticorum apud *Neſtwith.* Qvi etiam eodem anno obiit. *Olavus* Epiſcopus (l) occiditur. Dux *Ericus*, filius ABEL Regis, receptus eſt in Ducatum.

Anno

(h) Stephanio *Copenhaven.*

(i) Hæc a *Stephanio* omiſſa, utpote in editione Lindenbrogiana nimis corrupta & ab ipſo non intellecta, ſed ita latine vertenda: *ruſtici omnes clavis inſaniebant*; ſive ut in *Chron. Sial.* p. 67. habentur: *Ruſtici ſævierunt in Milites cum clavis.* Conf. *Hvitfeld* p. 243. *Vet. Chron.* in Benzel. Monum. 148. At *Hvitfeldius* p. 247. fideliter ſeqventibus *Pontano* p. 350. *Holbergio* T. I. p. 333. *Pontopp.* Annal. T. I. p. 690. vocem *Kothkarle* male detorſit in *Chor-Karle.* Veteribus Norvegis & Islandis *Kot* erat *ruſculum*, *tugurium*, *Kotkarl*, ruſticus, tugurii incola, Vid. *Gudmundi* & *Verelii* Lexica Islandica, it. *Speculum Regale* p. 254. Conf. qvæ de his docte commentatur *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 427. Apud Holſatos & Germanos inferiores vigent appellationes *Kote* ſive *Kathe*, tugurium, *Kotener* ſ. *Kathener*, infimum genus ruſticorum. De *Colvekerlis*, militibus clavatis, Vid. Hiſt. Comit. Gvisnenſ. ap. Ludewig T. VIII. p. 419. Conf. *Annal. Wisbyenſ.* ad annum 1256.

(k) Et *Lindenbrogius* & *Stephanius* habent *Civitas Repin*, errore forte librarii.

(l) Scil. Burglanenſis in Jutia, Conf. *Hvitfeld* p. 260.

Anno Domini MCCLXI. Bellum fuit *Lohete* inter Regem ERICUM, filium CHRISTOPHORI, & *Ericum* Ducem, filium ABEL, in vigilia Sancti Olavi, & contrita eſt pars Regis, qvi ibidem captus eſt cum matre ſua MARGARETA Regina.

Anno Domini MCCLXII. Rex ERICUS traditur Marchionibus. Regina liberata eſt. *Dux de Brunswik* (m) fuit in Dacia. *Eclipſis ſolis* fuit Nonas Auguſti. Epiſcopus *Nicolaus* captus eſt.

Anno Domini MCCLXII. *Iwarus Takiſun* & *Petrus Fynſun* (n) ſuſpenſi ſunt. Epiſcopus *Nicolaus* liberatus eſt.

Anno Domini MCCLXIV. Rex ERICUS venit de captivitate. *Arweſcogh* deſtruitur.

Anno Domini MCCLXV. *Clemens* Papa IV. ſedit. *Jacobus* Archiepiſcopus Curiam adiit. Obiit *Nicolaus* Epiſcopus Slesvicenſis. Electus eſt *Bondo*.

Anno Domini MCCLXVI. venit *Guido* Cardinalis in Daciam, & excommunicavit *Regem* & *Reginam*. *Birger* Dux Sveciæ obiit.

Anno Domini MCCLXVII. obiit Domina *Ingiborg* de Kalundeborgh. Conſecratus eſt Epiſcopus *Bondo*.

Anno Domini MCCLXVIII. *Jacobus* Archiepiſcopus ſecundo Curiam adiit. Caſtrum in *Kalding* ædificatum eſt. Clauſtrum *Loum* igne periit.

Anno Domini MCCLXIX. captus eſt *Conradus* nepos Fretherici Imperatoris, & decollatus eſt. Obiit *Clemens* Papa.

Anno Domini MCCLXX. vacabat ſedes Romana. *Eclipſis ſolis* fuit in mane, Lætare Hieruſalem.

Anno Domini MCCLXXI. combuſta eſt *civitas Ripenſis*. Obiit *Ludewicus* Rex Franciæ. Domicellus *Nicolaus* (o) obiit.

Anno Domini MCCLXXII. obiit Dux *Ericus*, & redditus eſt Ducatus ERICO Regi cum filio Ducis. *Andreas* Pincerna obiit. Creatus eſt Papa *Gregorius*, qvi colligavit Eccleſiam. Eodem anno, XII. Kalendis Septembris, Teutonici occupaverunt civitatem *Sleſwik* multitudine copioſa, & VI. Kalendas, qvibusdam de exercitu amiſſis, cum magno ſpolio & præda pecorum diverſi generis receſſerunt. Obiit *Guido* Cardinalis. Obiit Duciſſa *Margareta* (p) in partu.

Anno Domini MCCLXXIII. obiit *Esgerus* Epiſcopus Ripenſis. Obiit Dominus *Michael* Abbas *Ruris Regii*. Comes *Rodulfus* electus eſt in Imperatorem.

Anno Domini MCCLXXIV. obiit *Jacobus* Archiepiſcopus Lundenſis. Generale Concilium *Lugdumi* celebratum eſt. Et tota *Græcia* ad fidem eſt converſa.

Anno Domini MCCLXXV. duæ turres *Eccleſiæ S. Petri in Sleswik* corruerunt, & magna pars ejusdem Eccleſiæ. Obiit Dominus *Johannes* Abbas. Cardinali relatum (q) eſt *interdictum* per regnum Daciæ. Expeditio facta eſt ad *Sveciam*, & victi ſunt Sveci.

Anno Domini MCCLXXVI. obiit *Erlandus* Archiepiſcopus electus Lundenſis, & ſucceſſit *Thrugotus*, IX. Archiepiſcopus. Obiit Papa *Gregorius*. *Innocentius* ſedit. Poſt qvem *Otto Bonus* ſedit qvinqve ſeptimanis. *Ericus* Dux Sveciæ obiit. *Waldemarus* Rex Sveciæ exulavit in Dacia cum uxore & filiis.

Anno

(m) Scil. *Albertus Magnus*, qvi aliqvo tempore regni adminiſtrationi præfuit.

(n) *Lindenbrogius* ubiqve pro *ſun* ſive *ſon* mendoſe habet *ſcilicet*.

(o) Comes Hallandiæ.

(p) Duciſſa Slesvicenſis, Conjux *Erici* Ducis, Vid. *Hvitfeld* p. 274.

(q) Legend. *relaxatum*, ſed in voce *Cardinali* videtur error eſſe, forte *A* præponendum.

Anno Domini MCCLXXVII. creatus eſt Papa *Johannes XXI.* Obiit *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis. Et *Stigotus* eligitur.

Anno Domini MCCLXXVIII. Rex *Waldemarus* rediit ad Sveciam, filio pro obſide relicto. Obiit Papa *Johannes.*

Anno Domini MCCLXXIX. Domicellus *Abel* & Dux *Albertus* de Bruneswik obierunt.

Anno Domini MCCLXXX. obiit *Nicolaus* Papa *III.* Obiit *Thrugotus* Archiepiſcopus Lundenſis. Et ſucceſit *Johannes Droos* X. Obiit *Stigotus* Epiſcopus Roſkildenſis, & ſucceſit *Yngvarus.*

Anno Domini MCCLXXXI. creatus eſt Papa *Martinus.*

Anno Domini MCCLXXXII. obiit *Bondo* Epiſcopus Sleswik. Electus eſt *Jacobus. Major Eccleſia Roſkildenſis* ſuccenſa eſt. Lis oritur inter Regem ERICUM & Principes.

Anno Domini MCCLXXXIII. pax reformatur *Warthingborg. Waldemarus* filius *Erici* Ducis Ducatum obtinuit, & *Jacobus* Comitiam *Hallandiæ. Jacobus* Epiſcopus Sleswicenſis privavit Monachos *Ruris Regii* decimis, & nonnullos eorundem fecit verberari.

Anno Domini MCCLXXXIV. Conventus domus *Ruris Regii* diſperſus eſt.

Anno Domini MCCLXXXV. Rex ERICUS, filius CHRISTOPHORI, captivavit *Waldemarum* Ducem Jutiæ & ejus Dapiferum.

Anno Domini MCCLXXXVI. Dux *Waldemarus* reſtituitur de captivitate. Rex ERICUS occiſus eſt in lecto, in nocte S. Ceciliæ, a ſuis, qvos maxime dilexerat, inflictis ſibi vulneribus qvinqvaginta ſex. Obiit *Johannes* Epiſcopus Ottonienſis (r). Clauſtrum Monialium (s) incenſum eſt.

Anno Domini MCCLXXXVII. convocato conſilio regni, Dux *Woldemarus* recepit omnia, qvæ pater ejus habuerat ante eum. Obiit *Jacobus*, tyrannus plus qvam Epiſcopus dicendus. Orta eſt magna diſſenſio inter meliores regni de morte Regis. Eodem anno in Pentecoſte *Concilium* celebratum generale in *Nyborg.* Comes *Jacobus*, *Stigotus* Marſchalcus, *Petrus Jacobſun*, & alii plures potentiores regni, ex communi omnium decreto, vel addicti ſunt pro morte Regis, vel proſcripti. Qvos collegit ERICUS Rex Norwegiæ in caſtro *Kuneghel.* Eodem tempore Dux *Waldemarus* factus tutor regni.

Eodem anno ERICUS filius ERICI Regis coronatur in die natalis Domini. Hic dictus *Erik Menewet.*

Anno Domini MCCLXXXVIII. *Stigotus* Marſcalcus cum ſuis multa mala fecit in *Norjutia* clandeſtinis incurſibus. Obiit Domina MECHTILDIS Regina. Dux *Waldemarus* duxit filiam Ducis Saxoniæ, uxorem ſuam, in *Daciam*, cum qva priori anno celebraverat nuptias in *Molne. Slesvik* periit igne proprio, qvam Dux *Waldemarus* muniri fecit in circuitu, ex lignis, qvæ tulerat de caſtro *Gottorp*, & deſtrui fecit caſtrum *Gottorp*, qvod pater ejus Dux *Ericus* ſumptibus maximis ædificaverat, & erat qvaſi clavis & cuſtodia totius Daniæ. Caſtrum *Almethorp* deſtructum eſt.

Hactenus ERICUS Rex Daciæ.

(r) Et *Lindenbrogius* & *Stephanius* minus recte legunt *Orconenſis*, Vid. *Hvitfeld* p. 292.

(s) Scil. *Slesvicenſe*; Anno enim 1287. eleemoſynæ ad reſtaurandum hoc Monaſterium igne deletum collectæ ſunt, Vid. *Weſtphal.* T. III. p. 361.

XVI.

XVI.

Petri Olai Minoritæ Roſkildenſis Annales Rerum Danicarum, a Cimbrorum exitu ad An. Chr. 1541.

Horum Annalium non tam ipſe diligentiſimus *Petrus Olai* Auctor dici poteſt, qvam potius eos ex multis aliis, partim longe vetuſtioribus libris, qvorum qvidam in hoc opere comparent, qvidam forte dudum perierunt, compilavit, ſuisqve inſeruit egregiis Collectaneis, ubi ſingulis marginibus, ut & ſpatiis ſupra ac infra paginas, ſparſim ſunt adſcripti. Res vero ſuo tempore & paulo ante geſtas ipſe adjecit. Præter *Libros vetuſtos*, qvos hic & ibi *Petrus Olai* allegat, duos nominat incognitos Annalium Auctores, ſcil. ad An. 1272. *Hiemheckium* qvendam, & ad An. 1517. *Joannem Draxholmium*. Ego hos Annales, haud exiguo labore exſcriptos, in aliqvalem ordinem chronologicum redegi; multis enim in locis, propter ſcripturæ minutiem, ſordes ac vetuſtatem, vix legi poſſunt, nec ubilibet annorum ordo obſervatus eſt. Ex antiqva & exterorum tam civili qvam eccleſiaſtica Hiſtoria, ut & de ſucceſſione Pontificum Romanorum, qvæ refert *Petrus* noſter, ea fere omnia ſtudio omiſi, utpote qvæ apud centum vulgatos auctores, & qvidem partim longe meliora, leguntur. Annorum numeris promiſcue Arabicis & Romanis utitur, qvos etiam, uti eos inveni, retinui. Multis in locis dubius fuit *Petrus*, ad qvem annum certa facta referret, ideoqve alium annum lineæ ſupraſcripſit, qvem anni numerum ego parentheſi incluſum alteri adpoſui. Illud autem de Auctore noſtro & qvibusdam ejus Fontibus monendum volo, eos in Chronologia rerum præcipue vetuſtiorum non ubiqve claſſicos eſſe.

Marcus Tullius *Cicero* naſcitur anno urbis 648. Qvo anno *Cimbri* ingreſſi fines Imperii Romani, Aurelium Scaurum, ceſo exercitu, captum interfecerunt, anno ante natum Chriſtum 103. Hæc *Gellius* & ipſe *Cicero*.

C. Marius, cujus virtute & calliditate Romanum Imperium adverſus *Cimbrorum* & *Teutonum* irruptionem defenſum fuerat.

Anno ante natum Chriſtum 98. *Cimbri* ad Vercellas ingenti prelio ſuperati ſunt.

Anno poſt Chriſtum natum 176. *Britones* primo converſi.

An. 238. Sancta *Urſula* cum ſodalibus paſſa eſt. Ex *majori Legenda*.

An. 251. *Fabianus* Epiſcopus Romanus pro fidei chriſtianæ confeſſione mortem ſubiit. Is ſcripſit ad eccleſiarum miniſtros, ut *Martyrum Hiſtorias* diligenter colligerent.

Anno Domini CCCVIII. *Conſtantinus*, filius *Conſtantii* & *Helenæ*, Imperator factus eſt, & regnavit XXX. annis & X. menſibus. Hic a beato *Silveſtro* Papa baptizatus eſt.

An. 314. *Conſtantinus* Imperator cum Romanis ad fidem converſus eſt.

An. 397. *Scoti* acceperunt baptismum.

An. 407. *Alaricus* Rex Gothorum deſtruxit Romam, & partem accendit igne, qve ſteterat annos 164.

An. 412. capta eſt Roma ab *Alarico* Rege Gothorum poſt biennii obſidionem. Et anno XLIIII. poſtqvam *Alaricus* ipſam cepit & predatus eſt, capta eſt a *Genſerico* Rege Wandalorum.

An. 438. *S. Patricius* venit Hyberniam, obiit 463.

Anno Chriſti 467. *Genſericus* Wandalorum Rex obiit.

Anno poſt Chriſtum 468. deceſit *Remigius* Epiſcopus Remenſis, qvi *Cladoveum* Francorum Regem, recipientem fidem chriſtianam, una cum magno Francorum numero baptizavit.

An. 536. *Burgundiones* cum *Francis* ad fidem converſi ſunt.

Anno Domini DLXVIII. tempore *Tiberii II.* Imperatoris, *Longobardi*, qvi prius in Pannonia diu reſederant, intraverunt Italiam, ceperunt & depopulati ſunt eam. Hæc ex qvodam *libro vetuſto.*

DCIIII. *Alemanni* converſi per *Gallum* Abbatem.

642. *Oſwaldus* Rex occiſus.

645. obiit *Dagobertus* Rex Francorum, ſepultus in ede Dioniſii, qvam ipſe conſtruxit & dotavit.

DCXC. *Bagwarii & orientales Franci* converſi.

DCCXIX. *Freſi*, *Baſanes*, & *Thyringi* converſi a *Bonifacio.*

DCCXXV. *Beda* ſcripſit Kalendarium & Martyrologium.

732. obiit *Beda* monachus & presbiter in Anglia, poſt multa & varia, non in uno literarum genere, ſcripta & edita volumina.

Anno poſt natum Chriſtum 755. *Bonifacius*, chriſtiani dogmatis in *Friſia* ſeminator, ab incolis ethnicis interfectus & martirio coronatus eſt.

770. *Karolus Magnus* factus eſt Rex Francorum.

778. *Karolus M.* venit Saxoniam.

779. *Saxonia* capta eſt.

779. (alibi 776.) *Saxones* converſi.

780. *Karolus M.* vadit Romam.

800. obiit in montibus Pyreneis fortisſimus heros *Rolandus*, Comitis Cenomanni e *Caroli Magni* Imperatoris ſorore filius, poſt multa preclare geſta in Saxonia & Hyſpania, qvam ex magna parte tenebant tunc temporis Saraceni.

800. *Karolus Magnus* Imperator factus eſt.

814. *Karolus* Imperator obiit, conſtitutis Scholis Bononienſi, Pariſienſi, & Papienſi.

815. Mortuus eſt *Carolus Magnus Aqvisgrani.*

816. Dani (a) cum HARALDO rege ſuo ad fidem Jeſu Chriſti converſi ſunt per *Poponem* Diaconum, qvi candens ferrum nudis manibus illeſus, cunctis ſtupentibus, portavit, crediderunqve omnes, qvi aderant, & *Popo* Epiſcopus eſt factus. Ita habent *aliqvi libri antiqvi.*

821. HARALDUS fit Rex Danorum. Dictus eſt etiam HERIOLDUS.

826. HARALDUS Rex Danorum baptizatus cum uxore, fratre *Erico*, & multis Danis, *Maguntie.* VIto anno regni apoſtatavit, regnavit 16. annis poſt baptismum.

827. Sanctus *Ansgarius* evangelizat genti *Danorum.*

829. *Dani* primo fidem receperunt, predicante *S. Ansgario*, & baptizatus eſt HARALDUS KLAG cum uxore & fratre & multis aliis.

845. Sanctus *Ansgarius* predicavit *Svecis.*

846. HARALDUS KLAG Rex Danorum obiit, regnavit annis XX. ERICUS ſucceſſit.

856.

(a) Hic omnino fallit Auctor noſter aut Fons ejus; Si enim de Rege *Haraldo Klak* ſcribat, erit Annus 826. Sin vero de *Haraldo Blaatan*, cujus tempore *Poppo* floruit, longe ultra integrum Seculum errat. Vide infra ad An. 966.

856. ERICUS Rex Danorum interfectus eſt, regnavit annis X. ERICUS PUER ſucceſſit.

876. *Rollo* cum ſuis Normanniam venit, ex *Libro vetuſto*. *Carolus Calvus* coronatus eſt Imperator.

880. Fides ſub ERICO BARN reformata.

896. mortuus eſt *Leo* Papa, qvi *Carolum Magnum* coronavit.

899. obiit *Arnulphus* Imperator.

DCCCCI. ERICUS PUER obiit, qvi regnavit XLVI. annis. FROTHO ſucceſſit.

DCCCV. FROTHO obiit. *Secundus* FROTHE ſucceſſit. *Bocmi* converſi.

927. FROTHO Rex miſit ad *Agapitum* Papam, ut Epiſcopos mitteret in Daniam.

DCCCCXXXI. FROTHO obiit, regnavit XXVII. annis. GORM ſucceſſit.

DCCCCXLII. GORM obiit. HARALDUS, qvi dictus eſt *Blatan*, ſucceſſit. *Adaldagus* Bremenſis Archiepiſcopus ordinavit tres Epiſcopos in Daniam, *Horedum*, *Liaffdagum*, *Rebinbrandum*.

Anno Domini 955. Rex Svetie OLAVUS cognomento *Schotkonung* baptizatus a ſancto *Sigfrido* Eboracenſi Archiepiſcopo, ex Anglia ob fidem Chriſti predicandam ad eundem OLAVUM Regem, ELDREDI ſive MILDREDI Regis Anglie exhortatione ac petitione, miſſo.

DCCCCLV. HARALDUS BLATAND cepit regnare, bonus chriſtianus hic fuit.

964. *Otto I.* vicit & intravit Romam.

DCCCCLXVI. Dani ad fidem converſi ſunt per *Popponem*, qvi ferrum &c. Qvod videns Rex HARALDUS credidit cum toto populo, & *Poppo* Epiſcopus factus eſt. Hæc in qvodam *libro vetuſto*. Alibi etiam inveni, qvod *Poppo* predicavit HARALDO. Et poteſt dici, qvod predicavit tam HARALDO, qvam SVENONI. SVENO Rex rediens de exilio, parum profecit de introductione chriſtianitatis. Cui dominus *Popponem* capellanum domini Pape & legatum Ceſaris pro pace miſit. Dani enim tunc totam virtutem Saxonum obtinuerant, capto Marchione *Sigfrido* cum Comite *Tyderico* & aliis illuſtribus, qvos, vinctis poſt terga manibus, Dani traxerunt ad naves. Et cum Marchio evaſiſſet auxilio piſcatoris, omnes captivi, truncatis manibus & pedibus, & naribus preciſis, ad terram projiciuntur. Poppo igitur ſanctus & prudens in concione Danorum apud *portum glacialem* ferrum ignitum portavit &c.

974. *Otto Primus* Imperator obiit.

983. Obiit *Otto II.* Imperator.

MII. obiit HARALDUS. SVENO filius ejus, qvi dictus eſt *Tyuneſceg*, fit Rex.

1003. Mortuus eſt *Ottho III.* Imperator.

M.VI. Dani vaſtaverunt Angliam, ſanctum *Elphegum* Cantuarienſem Archiepiſcopum occiderunt.

M.X. *Vngari* ad fidem convertuntur.

M.XX. SVENO Rex obiit. KANUTUS filius ejus, qvi vocabatur *Senex*, ſucceſſit, Rex Danorum & Anglorum, MXXI.

1036. obiit KANUTUS Rex.

1037. HARTHEKNUT filius ejus ſucceſſit, Rex Danorum & Anglorum.

M.XL. circa tempora Gregorii VI. & Clementis II. floruit *Hermannus* dictus *Contractus*, religioſus pater, patria Alemannus, ingenii preſtantiſimi vir ſua tempe-

ſtate in divinis exercitatisſimus. Qvi multos qvidem & egregios compoſuit hymnos, atqve in honorem virginis Marie nonnullas celebresqve compoſuit, inter qvas *Salve Regina* precipua habetur. Sed de *Qvadratura Circuli* multa & docte & acute deſcripſit, ac qvedam alia.

1043. obiit HARTHEKNUT.

1044. SVENO MAGNUS factus eſt Rex Danorum. alii 1046.

1050. *Sigfridus* (*) predicavit Svecis. OLAVUS Rex Svecie miſit nuncios MILDREDO Regi Anglorum pro predicatoribus chriſtiane fidei. Qvod onus ſanctus *Sigfridus* Eboracenſis archiepiſcopus acceptavit, aſſumens ſecum tres nepotes ſuos, & convertit Regem & baptizavit cum tota familia & multis aliis. Eo tempore erat novella plantatio chriſtianitatis in *Dania*, ubi tunc converſabatur cum Rege vir magne ſanctitatis & religionis ac fidei catholice prædicator, qvi aſſiduis monitis & ſancta predicatione populum in timore domini roborabat. Locutus eſt autem *Sigfridus* cum *Ansgario* (**), anteqvam intravit *Svetiam.*

1056. obiit *Henricus II.* Imperator.

1066. *Guillelmus* Normannie Dux *Haraldum* Regem occidit.

Anno Chriſti 1066. aut forſan 1067. incipiente, *Villelmus* Nordmannie Ducis nothus, poſt victum & interfectum in acie HARALDUM, ultimum Anglorum ex Danica proſapia Regem, CANUTI videlicet II. e ſorore nepotem, *Londini* regia corona decoratus eſt. Ab hoc Anglie Reges annos circiter 480. in hunc usqve diem (***) progeniem ac ſtirpem ducunt.

1074. obiit SVENO MAGNUS, filius *Eſtridis* Regine, ſororis KANUTI *Senis.* Qvi *Eccleſiam Roſkildenſem* in multis dotavit. Et Regina MARGARETA, qve contulit fratribus bona, qvæ habuit in *Gytingehæret.*

1075. HARALDUS filius *Svenonis* ſucceſſit.

1080. obiit HARALDUS Rex. Sanctus KANUTUS fit Rex.

1081. *Sanctus* KANUTUS frater *Haraldi* ſucceſſit.

1086. S. KANUTUS Rex martirizatus eſt in *Othenſia*, prout dicit *Legenda* in Monaſterio ejusdem *Othinie*, & ſic habent *Breviaria.* al. 1090.

1090. S. KANUTUS occiſus eſt in *Othinshö.*

1091. ſucceſſit OLAVUS HUNGER.

1098. obiit OLAVUS Rex. ERICUS BONUS ſucceſſit 1099.

1100. *Hieruſalem* capta eſt a chriſtianis.

1101. S. KANUTUS Rex canonizatus & translatus eſt.

MCIII. *Aſcerus* fit Archiepiſcopus, obiit 1137. vel 1138. Succeſſit *Eſkillus* Epiſcopus Roſkildenſis.

1103. ERICUS BONUS obiit VI. Idus Julii.

M.C.IIII. beatus *Magnus* Comes Orchadie paſſus eſt. Alibi habetur 1102. XIII. Kalend. Maji.

1104. NICOLAUS ſucceſſit ERICO BONO, regnavit annis XXVII. cum pace.

M.CXI. captus eſt *Paſcalis* Papa ab *Henrico* Teuthonicorum Rege, qvi regnavit & imperavit annis XV.

MCXII.

(*) Conf. ſupra ad An. 955.

(**) Toto cœlo errat Auctor; qvomodo enim *Ansgarius*, qvi Anno 865. obiit, cum *Sigfrido* circa medium Seculi XI. colloqvi potuit.

(***) Ergo hæc a *Petro Olai* Anno 1546. ſcripta ſint.

MCXII. (al. 1113.) *S. Bernardus* intravit Ordinem Ciſtercienſem, a conſtitutione Domus Ciſtercienſis XV. annos natus circiter XXII. cum ſociis amplius qvam XXX.

MCXIIII. (al. 1115.) *Caravallis* fundata eſt. Primus Abbas erat *S. Bernardus*, & fundavit CLX. monaſteria ſui ordinis.

M.C.XVII. translatus eſt *ſanctus Thugarus Weſtermick* Jutie. Beatus *Theodgarus* natus eſt in *Thyringia*. Qvi adultus factus, reliqvit propter Deum parentes & patriam, & tranſivit in *Angliam*, poſtea in *Norwegiam* ad *Sanctum Olavum*. Qvo mortuo, tranſivit in *Daniam*, vt corda infidelium fluentis celeſtibus irrigaret, ubi multos ad fidem convertit. Venit autem in *Weſthermiic*, cum adhuc nulla eſſet ibi eccleſia, ipſe tanqvam pauper Chriſti de virgis & viminibus parvum in honore Dei erexit eccleſiam. Obiit VIII. Kal. Julii. *Alfricus* tunc erat Epiſcopus, & SVENO Rex.

1117. MARGARETA Regina obiit. *Sanctus Kanutus* factus eſt Dux Jutie.

MCXXI. Sanctus *Kanutus* factus eſt Dux. alibi habetur 1115. vel 1114.

M.C.XXIIII. interfectus eſt beatus *Karolus* (*) Comes Flandrie, filius S. KANUTI Regis, pro juſtitia & vite virtuoſitate, in eccleſia S. Donatiani Pontificis Romanorum, VI. Nonas Martii, a *Borkardo* & *Bertulpho* Prepoſito, & eorum complicibus tirannis.

MCXXV. *Novum Monaſterium* fundatur. *Lotharius* Saxo Aqvisgrani coronatus eſt Imperator.

Anno Chriſti 1127. *Carolus* Flandrie Comes, cognomento *Bonus*, CANUTI martiris Danorum Regis filius, *Brugis* ante aram Donatiani a conjuratoribus qvibusdam mactatus eſt.

1040. *Sanctus Kanutus* Dux occiſus eſt. Natus eſt WALDEMARUS I. Rex, filius *S. Kanuti* Ducis.

1131. Bellum *Jalingi*.

1132. Bellum in *Syrö*, & aliud *Runibiarg* (al. *Rinebeck*.)

1133. Caſtrum *Haralsborg* deſtructum eſt.

1134. *Roſkildia* devaſtata & depopulata eſt per *Sclavos*, per *Haraldum*. Alibi 1133.

1134. *Magnus* occiſus eſt in prelio, & NICOLAUS Rex in Jutia.

1135. HARALDUS Rex occiſus eſt in Jutia.

MCXXXVII. (al. 1144.) *Tenebre* fuerunt in qvadrageſima per univerſam terram, nullus movebat ſe de loco, in qvo erat, ſed multum anguſtiabatur, donec evanuerunt.

1137. (vel 1138.) *Aſcero* ſucceſſit *Eſkillus* in Archiepiſcopatu, qvi prius fuit epiſcopus Roſkildenſis. Hic ſedit annis XL. Ipſe fundavit hec monaſteria, *Becchefkow*, *Tomerup*, & *Hæritzwadh*.

1139. ERICUS EMUN occiſus eſt.

1140. ERICUS LAM fit Rex. *Lubica* fundata eſt, ubi nunc ſita eſt, per *Adolphum II.* Comitem.

M.C.XLII. Bellum fuit *Dyſſing*, ter in die. Uno anno tredecies pugnaverunt ERICUS Rex & *Olavus* filius *Haraldi Kyæſe*, & ſemper fugit *Olavus*.

1143. *Olavus* filius *Haraldi* occiſus eſt.

MCXLIIII. *Herivadum* (Herritzwat) monaſterium fundatur. Item *Nova vallis* & *Aluaſtra* Abbatie fundantur uno die.

(*) Vide infra rectius ad An. 1127.

1145. Corpus *ſancti Kanuti* Ducis humatum jacuit XV. annis, & ſic levatum eſt de ſepulcro per WALDEMARUM filium ejus & SVENONEM nepotem ejusdem Sancti, tempore ERICI LAM, reclamante *Eſkillo*, eo qvod nondum auctoritatem Romani Pontificis habebant.

1147. ERICUS LAM obiit. Conventus venit in *Howetöön.*

MCXLVIII. SVENO factus eſt Rex ſuper *Syalandiam* & *Scaniam.* Qvod audientes *Juti*, indignati, KANUTUM acceperunt ſibi Regem.

M.C.L. Sanctus *Ketillus* obiit. In 2do anno electionis KANUTI & SVENONIS pridie Kal. Auguſti (*) meliores omnes de *Scania* occiſi ſunt a Sclavis apud *Rö* in Sclavia.

1150. Conventus venit in *Varnhem.*

1151. Beatus *Henricus* Epiſcopus Finlandie paſſus eſt.

1152. Exulavit KANUTUS in Svetiam & Ruſciam.

1153. KANUTUS, aſſumpta militia de Saxonia, pugnavit contra SVENONEM apud *Giezbec*, & fugit. alibi 1152.

1153. Rex KANUTUS de Ruſcia rediens, venit in *Friſiam*, & conſtruxit ibi caſtrum *Mildeburg* cum auxilio *Friſonum.* Sed SVENO venit & caſtrum obſedit, & magnam partem *Friſie* incendio vaſtavit, & KANUTUM fugavit.

M.C.LIII. Sanctus *Bernardus* obiit etatis ſue LXIII. Eodem anno *Esrom* monaſterium fundatur.

1154. *Norvegia* convertitur per *Adrianum.*

1154. WALDEMARUS deſponſavit SOPHIAM ſororem KANUTI, & reconciliati ſunt.

1154. *Sanctus* ERICUS Rex Svecie & ſanctus *Henricus* Archiepiſcopus Upſalienſis converterunt *Finlandiam* ad Chriſtum.

1154. SVENO & KANUTUS concordati ſunt, preſtito utrinqve horribili jurisjurandi ſacramento, qvo per SVENONEM violato, ipſe per KANUTUM & WALDEMARUM pulſus eſt in Saxoniam.

1155. WALDEMARUS & KANUTUS electi ſunt Reges, fugato SVENONE. Alibi 1154.

1155. SVENO rediit de Saxonia cum Duce *Henrico*, ſed feſtinanter & turpiter fugierunt. Al. 1156.

1156. KANUTUS & WALDEMARUS creati ſunt Reges ex conſenſu totius regni.

1156. SVENO rediit de Saxonia, pacem fecit, KANUTUM dolo occidit, WALDEMARO evadente.

1156. SVENO iterum rediit de Saxonia cum exercitu. Sed bellum verſum eſt in colloqvium, & diviſum eſt regnum inter eos, & reconciliati ſunt. Sed paucis diebus elapſis, dum Roſkildie epularentur, SVENO KANUTUM interfecit in *vigilia S. Laurentii.* Sed WALDEMARUS evaſit, & venit *Jutiam.* Contra qvem SVENO transfretans, bellavit in *Gratemoſe*, ſed victus eſt & occiſus *die beati Severini* epiſcopi. Et ſic WALDEMARUS ſolus obtinuit monarchiam Danie. Alibi habetur 1157.

1157. WALDEMARUS celebravit nuptias cum SOPHIA *Wibergis*, & bellum apud *Grathemoſe* vel *Grathebethe*, qvo SVENO occiditur, & WALDEMARUS ſolus optinuit monarchiam Danie.

M.C.LVII.

(*) Alii hæc ad An. 1149. referunt.

M.C.LVII. *Abſalon* ſit Epiſcopus Roſkildenſis. Alibi 1158. Fuit Epiſcopus Roſkildenſis XXI. annis, & ſimul Roſkildenſis & Lundenſis XXIII. annis & uno menſe, & ſic utrasqve rexit XLIIII. annis. Dedit eccleſie Roſkildenſi caſtrum *Haffn*. Fundavit *Sore* in ſolo patrimonii ſui, & neceſſariis adauxit, ubi & obiit M.CC. alibi 1201. ſepultus ibidem. Hoſtes regni debellavit, & ſemper victoria potitus eſt. Cujus vexillum nunqvam ſine hoſtium fuga ſpectatum eſt. *Sclaviam* qvoqve cum WALDEMARO ad fidem Chriſti convertit.

MCLVIII. Murus *Danewirki* edificatus eſt per WALDEMARUM.

MCLVIII. (vel 1159.) *Viteſcola* fundatur.

MCLX. Beatus ERICUS Rex Sueuorum interfectus eſt XV. Kalend. Junii, anno regni X. *Alexandro* Papa 3. preſidente. Conventus venit in *Saba*.

Anno Domini M.C.LXI. miſit *Abſalon* Epiſcopus Roſkildenſis *Saxonem* Prepoſitum Roſkildenſem *Pariſius* ad eccleſiam beate Genouefe, & adduxit fratrem *Wilhelmum*, cum aliis tribus fratribus, & factus eſt Abbas *ſanctus Vilhelmus* in *Eſkilſſö*, ubi erant Canonici regulares, nichil preter nomen & habitum habentes, qvi ante habuerant *Priorem* pro Prelato. Obiit *ſanctus Wilhelmus* XL. anno, poſtqvam curam paſtoralem ſuſcepit, ſepultus *Eſkilſſö* M.CC.II. VII. Idus Aprilis, ſub matutinis reſurrectionis Domini.

M.C.LXI. (vel 1162.) Clauſtrum *Sora*, & *Tutavallis*.

MCLXII. Rex WALDEMARUS abſtulit *Eſkillo* Archiepiſcopo caſtrum *Siobwrg*.

1162. Fundatum eſt Monaſterium *Wreta* a CAROLO Rege, filio SVERCKERI Primi.

M.C.LXIII. conſecratus eſt *Stephanus* primus Archiepiſcopus Upſalenſis, qvi fuit monachus in *Alvaſtro*, anno CAROLI regis qvinto.

M.C.LXIII. WALDEMARUS adiit Imperatorem FREDERICUM apud civitatem *Metenſium*.

M.C.LXIII. (al. 1162.) natus eſt *Kanutus* filius regis WALDEMARI.

1163. Epiſcopatus *Aldenburgenſis* translatus eſt *Lubicam*.

1163. Conventus mittitur in *Gutualiam*.

M.C.LXIIII. primo venit *pallium* ad regnum *Svetie*.

Eodem anno canonizata eſt ſancta *Helena* ab *Alexandro III.* per *Stephanum* archiepiſcopum Upſalenſem, qvi archiepiſcopus obiit 1185. ſepultus in *Alvaſtro*, unde & poſtulatus erat.

M.C.LXIIII. prima expeditio WALDEMARI ad *Norregiam*.

MCLXV. Öm fundatur a Rege, qve vocatur *Cara Inſula*.

MCLXVII. CAROLUS Rex Svetie interfectus eſt in *Viſingxö* a CANUTO Rege Svetie, filio ſancti ERICI Regis & martiris. *Buriſius* captus eſt per WALDEMARUM.

M.C.LXVIII. WALDEMARUS excecari & caſtrari fecit *Buriſium*, & vaſtavit provinciam *Tribuſanam*.

M.C.LXVIII. *Caſtellum Haffnenſe* conſtructum eſt per *Abſalonem* epiſcopum Roſkildenſem. Corpora Sanctorum *trium Regum* translata ſunt de Parthia ſeu India per *Helenam Conſtantini* matrem ad *Conſtantinopolim*. Et dehinc beatus *Euſtachius* miraculoſe transtulit ea *Mediolanum*, ubi qvieverunt annis DCLXXI. Sed cum *Fredericus* Imperator funditus deſtruxiſſet Mediolanum, *Reginaldus* Archiepiſcopus Colonienſis,

lonienſis, qvi tunc erat in exercitu *Frederici*, transtulit illa *Coloniam* Anno Domini 1168. (al. 1164.) ubi permanent in hodiernum. *Anthonimus* vero dicit 1156.

M.C.LXIX. Secunda expeditio WALDEMARI in *Norvagiam.*

M.C.LXX. WALDEMARUS fecit *Leges Syalandie.* Filius vero ejus, ſcil. WALDEMARUS 2. fecit *Leges Jutie* diu poſtea.

M.C.LXX. natus eſt WALDEMARUS 2. filius regis WALDEMARI *primi*, 4. Kalend. Julii.

M.C.LXX. *Rugia* capta eſt a *Danis* & ad fidem converſa, & baptizati ſunt *Jarimarus* Princeps eorum cum ceteris *Sclavis.*

M.C.LXX. (vel 1171.) Sanctus *Kanutus* Dux & martyr translatus eſt in craſtino Johannis baptiſte. Et Rex KANUTUS filius WALDEMARI coronatus eſt in Regem. Preſentibus *Eſchillo* Lundenſi & *Stephano* Upſalenſi Archiepiſcopis.

1170. fundatur *Andvordſkog* a WALDEMARO I. & *Abſalone* Epiſcopo Roſkildenſi.

MCLXXI. Sanctus *Thomas* Cantuarienſis interfectus eſt. *Chriſtophorus* duxit expeditionem in *Olandiam.*

MCLXXII. Bellum fuit *Dyſe* Scanie. Venit Conventus in *Ölmi* (*).

M.C.LXXIII. (al. 1174. al. 1176.) obiit *Chriſtoforus* Dux Jucie, filius WALDEMARI & SOPHIE, ſepultus ad dextram ipſorum, 3. Idus Aprilis.

M.C.LXXIII. Conventus miſſus eſt de *Herivado* in *Seem* (**) 4. Idus Decembris.

MCLXXV. Translatus eſt Conventus de *Seem* in *Locum Dei.* alibi 1173.

1176. Caſtrum *Stetin* obſeſſum eſt a Danis.

M.C.LXXVII. *Suercko* (***) ſacerdos, filius fabri, invaſit regnum *Norvegie.*

M.C.LXXVII. *Kanutus* filius WALDEMARI regis factus eſt rex *Scanie* & *Hallandie*, patre acqvieſcente.

M.C.LXXVII. *Eſkillus* Archiepiſcopus renuntiavit Archiepiſcopatui, & discesſit ad *Clarevallem*, & factus eſt ibi monachus, obiit 1182.

1177. *Abſalon* electus Archiepiſcopus, ſed conſecratus 1178.

M.C.LXXVII. (al. 1178.) *Beata Margareta* vel *Margareta Roſkildenſis* martirizatur 5. Kal. Novembris a viro ſuo *Herlogo* fornicario, & circa *Kögis*, ubi adhuc antiqva eccleſia cernitur, ſepelitur, ſed *Abſalon* transtulit eam ad *eccleſiam ſancte Marie Roſkildis.*

1179. Facta eſt diſſentio inter Archiepiſcopum & *Scanienſes.*

MCLXXX. Obiit Sanctus *Nicolaus* in *Arus*, filius KANUTI Regis, a SVENONE Rege *Roſkildis* interfecti.

1181. *Magnus* & *Kanutus* occiſi ſunt.

1181. (alibi 1180.) Rex WALDEMARUS occurrit Imperatori *Frederico* apud *Traffu*, ubi duas filias ſuas maritavit, unam filio Imperatoris, & aliam Comiti *Sifrido.*

M.C.LXXXII. obiit inclite recordationis Rex WALDEMARUS I. filius *ſancti Kanuti* Ducis 4. Idus Maji, ſepultus ad pedes patris *Ringſtadis.* Regnavit annis XXVI. Succesſit filius ejus KANUTUS, jam pluribus annis antea coronatus.

M.C.LXXXIII. *Harald Skrenck* qvidam, a *Scanis* Princeps creatus, fugatur.

Eodem

(*) Forte Monaſterium *Holm*, *Inſula Dei*, in Fionia.

(**) Prope *Ripas* Jutiæ.

(***) *Sverro* ſ. *Sverenus*, magnus ille Rex Norvegiæ.

Eodem anno *Waldemarus* 2. filius WALDEMARI I. & germanus KANUTI regis, factus est *Dux Jucie.*

MCLXXXIIII. Facta est expeditio ad *Valegastum* per KANUTUM.

MCXXXV. *Absalon* triumphavit contra *Bugislaum* Ducem Sclavie & Pomeranie, habentem classem qvingentarum navium.

MCLXXXVI. *Suno* filius *Ebbonis* obiit. *Bugislaus* subjecit se totaliter KANUTO Regi, & ei homagium prestitit. Conventus venit in *Olivam.*

MCLXXXVII. Venerunt heredes *Bugislai* ad Regem KANUTUM pro beneficiis habendis. *Hierusalem* capta est a Soldano, & Crux sancta, & Rex terre illius.

MCLXXXVIII. Dux *Valdemarus* factus est miles VII. Kal. Januarii.

MCLXXXVIII. (al. 1189.) Anno KANUTI Regis VI. *Absalon* Archiepiscopus, anno Episcopatus sui in Roskildensi 30. Archiepiscopatus vero X. composuit & concordavit officium ecclesiasticum, coadjuvantibus aliis episcopis & clericis. Et *Cantus Daciane ecclesie* concordatus est, & *Breviarius* scriptus.

MCLXXXIX. Expeditio facta est ad *Sclaviam.* Eodem anno Sanctus *Ketillus* translatus est.

MCXC. Monasterium *Reynfældt* fundatur. *Dani Finlandiam* acqvisierunt.

1191. *Petrus* filius *Sunonis* fit Episcopus Roskildensis.

M.C.XCI. (al. 1192.) Expeditio facta est in *Finlandiam* per Regem KANVTVM, & vicit.

Eodem anno obiit *Nicolaus* Vibergensis Episcopus.

MCXCI. Conventus venit in *Rus Regis.*

MCXCII. (al. 1193.) Episcopus *Waldemarus* fugit de Dacia in *Norvegiam.* Episcopus *Waldemarus* captus est in die Sancti Stephani.

M.C.XCIII. (al. 1194.) Episcopus *Waldemarus* reversus est cum exercitu, scil. cum 35. navibus, sed victus est & captus, & in turri *Sioburg* incarceratus, ubi sedit XIV. annis.

MCXCIII. Venit conventus in *Rythiæ* (*). Eodem anno venit conventus in *Asilum* (**). Et *Sora* incenditur primo. Alibi scribitur, qvod MCCIII. fundatum est Claustrum *Asilum.*

MCXCIV. expedicio prima facta est ad *Estoniam.* Item ad *Holsatiam*, in qva Comes *Adolphus* subdidit se potestati Regis KANUTI, & coactus est pecuniam reddere, & factus est tributarius.

MCXCIV. (alii 1193. alii 1195.) Potentissimus, Serenissimus ac Christianissimus Rex Francorum PHILIPPUS misit nuncios ad KANUTUM Regem Danorum, ut unam de sororibus suis mitteret ei, qvam ille acciperet in conjugium. Qvi misit ei INGEBURGEM, puellam speciosam, sanctam, & bonis moribus ornatam, qvam Rex duxit in uxorem, & in Reginam coronari fecit. Sed mox, instigante diabolo, Rex ipse qvibusdam maleficiis per sortiarios impeditus, uxorem, tamdiu cupitam, exosam habere cepit. Nec multo post consangvinitatis linea per *Karolum* Flandrensium Comitem ab episcopis & baronibus computata, matrimonium separari fecit. Regina tamen ad Danos redire nolens, in locis Gallie religiosis manere decrevit, malens conjugalem continentiam perpetuo servare, qvam alii juncta prima matrimonii federa violare. Sed qvoniam istud conjugium dicebatur injuste dissolutum, Papa *Celestinus* ad conqvestionem *Danorum* misit duos legatos in Franciam, qvi de reformando con-

(*) *Ryde* s. *Rye Kloster*, Monasterium in Ducatu Slesvicensi, latine *Rus Regis* dictum.

(**) s: Monasterium *Aas-Kloster* in Hallandia.

jugio tractarent, sed pelli sue timentes ac tepidius agentes, nichil ad profectum duxerunt.

MCXCV. Orta est *tempestas*, qva etiam nemora corruerunt, in crastino b. Dionysii. Item *turbo* vehemens die b. Gregorii.

MCXCVI. PHILIPPUS Rex Francie duxit aliam uxorem, qvin potius adulteram. KANUTUS Rex profectus est ad *Hestlandiam* cum exercitu. GERTRUDIS Regina obiit.

1197. Cardinalis *Fidentius* obiit in Scania.

MCXCVII. Expeditio ad *Estoniam* facta est, & devastata per Regem KANUTUM.

Eodem onno Regina GERTRUDIS uxor Regis KANUTI obiit, sepulta in civitate *Wæ*, qve fuit filia *Henrici Leonis* Ducis Saxonie, alibi habetur, *Henrici* Ducis de Brunswig.

MCXCVIII. captus est *Petrus* Episcopus Roskildensis. Et *Marchio* fugit. Et *terre motus* fuit in Dania.

MCXCIX. (al. 1198.) SOPHIA Regina, uxor WALDEMARI I. obiit 3. Idus Maji, sepulta ad sinistram viri *Ringstadis*. Eodem anno *Petrus* Episcopus liberatus est.

MCC. *Theomersia* acqvisita est. Et castrum *Reynoldesburg* captum est per Regem KANUTUM.

MCCI. die Benedicti, *Absalon* archiepiscopus obiit. Al. 1200.

1201. consecratus *Andreas* filius *Sunonis*, qvi in Archiepiscopatu Lundensi succesit *Absaloni*, sedit annis XXVIII. *Holsatia* subjugata est, & Comes *Adulphus* captus est.

MCCI. prodita est *Theomarsia*, & iterum acqvisita.

MCCI. (al. 1200.) Acqvisita & victa est *Holsatia*, *Hamburgum*, & *Lubeca*, *Haddenberg*, *Vittenburgum*, & *Godebusch*, & terra *Rasceburg*, in festo omnium Sanctorum, a *Danis*, & Comes *Adolfus* captus est in die Stephani prothomartyris in natali Domini.

MCCI. PHILIPPUS, gratia Dei ad se reversus, INGEBURGEM, tanqvam veram & legittimam uxorem suam, in gratiam reaccepit, & aliam superinductam a se separavit, qvam jam qvinqve annis contra Dei decretum & legem tenuerat, qve etiam non longe post defuncta est. Hec *Anthonimus* & *Historici Francorum.* Et nota, qvod nostri *Historici* dicunt, qvod M.CC.XIII. INGEBURGIS soror WALDEMARI & KANUTI in gratiam Regis Francie PHILIPPI est recepta.

M.CCI. *Zegeberg* acqvisitum est a *Danis.*

1201. consecratus *Andreas Sunonis* filius, qvi *Absaloni* in Archiepiscopatu Lundensi succesit, sedit annis 28. Hic cesit *Petro* filio *Saxonis* 1222. Hic *Petrus* Prepositus factus est Archiepiscopus 1224. Obierunt ambo 1228. Hic *Andreas* sanctus est, & fecit miracula.

M.CCII. obiit *Sanctus Wilhelmus.* Et Comes *Albertus* miles factus est.

MCCII. obiit inclitus KANUTUS Rex Danorum & Sclavorum, Dux Pomeranorum, Holsatie & Estonie, 2. Idus Novembris, anno regni XXII. sepultus *Ringstadis* infra valvas chori.

Eodem anno coronatus est Rex WALDEMARUS II. Dux Jutie & Holsatie, filius WALDEMARI I. & frater KANUTI in Regem. Alibi habetur 1203.

1202. WALDEMARUS Rex electus, sed consecratus & coronatus 1203.

1203.

1203. VALDEMARUS, frater KANUTI, Dux Jutie, fit Rex.

M.CCIII. Comes *Adolphus* liberatus eſt, poſitis obſidibus ad X. annos, & deditum eſt *Louenburg*.

MCCIII. (al. 1204.) obiit *Esbernus Snare*, fundator urbis *Kalundeburgenſis*.

1203. obiit SVERCO Noricus.

Anno Domini MCCIV. Expedicio facta eſt ad *Norvegiam*.

MCCIV. Obiit Epiſcopus *Homerus* XI. Kal. Auguſti. *Olavus* electus eſt in Epiſcopum Ripenſem. Prepoſitus *Skielm* electus in Epiſcopum Aruſienſem.

MCCIV. Incenditur *Esrom* ſecundo.

M.CC.V. Rex duxit MARGARETAM Reginam, filiam Regis Bohemie JOHANNIS, qve propter pulchritudinem dicta eſt *Damar*.

Eodem anno *Andreas* Archiepiſcopus duxit exercitum *Revalie*.

1206. Epiſcopus *Valdemarus* ſolutus a vinculis, diſcesſit a Dania.

M.CCVI. Incepit Ordo fratrum *Minorum*.

Eodem anno Archiepiſcopus Lundenſis *Andreas* cum ſuffraganeis ſuis in civitate *Othinienſi* celebravit concilium.

1208. pugnatum eſt acriter in *Lenæ* Vesgothiæ, duce *Suerchero* filio regis Svetie CAROLI, cui juncte erant *Danorum* copie fortiſſime ſub principibus belli *Ebbone Sunonis* & *Laurentio* fratre illius, filiis domini *Sunonis* Syalandici de *Knarretorp*. Facta eſt magna utriusqve exercitus ſtrages, ceciderunteqve in eo prelio ipſi belli principes, ceſſitqve victoria *Suerchero*, verum maxima ſui exercitus jactura.

M.CC.IX. natus eſt WALDEMARUS 3. filius Regis WALDEMARI 2.

M.CC.IX. Epiſcopus *Waldemarus* eſt ejectus a Sede Bremenſi, & iterum excommunicatus. Et *Nicolaus* bone memorie electus eſt in epiſcopum Slesvicenſem, unde prius ejectus fuit *Waldemarus*, qvi poſtea etiam factus eſt illuſtris WALDEMARI Regis Cancellarius.

Eodem anno obiit *Aſcerus* epiſcopus Vibergenſis. *Asgotus* electus eſt ibidem.

1210. pugnatum eſt rurſum in *Gylſtynſreen*, ubi Rex SVERCHERUS dictus *Hach*, CAROLI regis filius, occubuit. Et *Folcho* Dux, alii qvoqve multi viri nobiles de *Folchungis*, ceſſitqve victoria *Svevis*.

Eodem anno coronatus eſt ERICUS 2dus, filius CANUTI Regis, in regem Svetie, duxitqve uxorem RICHISAM filiam WALDEMARI I. regis Danorum, qve genuit ERICUM LESPE Svetie Regem.

MCCXI. natus eſt KANUTUS filius Regis.

M.CC.XII. (al. 1213.) Regina MARGARETA cognomento DAGMAR obiit IX. Kal. Junii, ſepulta ad levam mariti.

MCCXII. *Johannes* filius *Esberni Snare* obiit.

MCCXIII. Expeditio in Dacia qvievit. Eodem anno *Johannes* Epiſcopus Othenienſis obiit. Et *Abbas Ringſtadenſis* electus & conſecratus.

1214. (al. 1213.) Secunde nuptie Regis WALDEMARI cum BERENGARIA, ex qva genuit *Ericum*, *Abel*, & *Chriſtoforum*.

MCCXIV. *Olavus* Ripenſis Epiſcopus obiit. Et *Skielm* Epiſcopus Aruſienſis obiit.

M.CC.XV. (al. 1214.) Rex VALDEMARUS in *Sampſö* cum melioribus Regni. OTTO Imperator fidem violans &c.

M.CC.XV. *Concilium* generale celebratum eſt *Rome* ſub *Innocentio III.* in eccleſia *Lateranenſi*, in qvo interfuerunt MCCC. Prelati, cum Hieroſolimitano &

Conſtantinopolitano Patriarcha, Metropolitani LXX. Epiſcopi CCCCXII. Abbates, Priores, Conventuales DCCC. Greci & Romani, Imperii Legati, Regum, Hieruſalem, Francie, Hiſpanie, Anglie & Cipri oratores.

1216. Obiit *Ericus 2dus* Rex Svecorum filius CANUTI.

M.CC.XVI. Obiit *Nicolaus* Comes. Alibi 1217. vel 1218. Item alibi habetur, qvod obiit 1252. & forte fuerunt plures ejusdem nominis.

1217. *Petrus* filius *Jacobi* fit epiſcopus Roſkildenſis.

M.CC.XVII. Palatinus *Henricus* & *Gerardus* Bremenſis Archiepiſcopus Regi WALDEMARO apud *Sleswig* occurrunt. Et Comes *Albertus* ex mandato Regis WALDEMARI caſtrum ſuper amnem conſtruxit.

1218. *Nicolaus* Comes Hallandie obiit.

1218. *Roſkildia* vaſtatur.

M.CC.XVIII. (al. 1217.) WALDEMARUS 3. coronatus eſt in Regem. Et OTTO Imperator obiit.

1219. Prima expeditio facta eſt ad *Heſtlandiam.*

M.CC.XIX. WALDEMARUS II. a mari *Eſtoniam*, qve eſt provincia in *Livonia*, cum mille qvingentis navibus longis impugnavit & intravit, & poſt multa bella eam victam ad Chriſtum convertit, & populum baptizari juſſit, & in eam duxit ſacerdotes de *Dania*, *Reffualiamqve*, civitatem nunc precipuam & ſatis egregiam & notam, in ea conſtruxit. Vnde factum eſt, ut *Reualienſis Eccleſia* usqve in hanc diem permanſit ſub Archiepiſcopo *Danie Lundenſi*, qvamvis temporale dominium ſucceſſu temporis pervenerit ad Fratres Ordinis Teutonicorum in eadem provincia. Igitur cum Rex WALDEMARUS cum exercitu terram in *Eſtonia* aſcendiſſet, territo de multitudine gentilium Epiſcopus Aruſienſis dixit, ut promitteret ſe emendare erga ſubditos ſuos & *beatum Nicolaum Arus*, cujus oblationes ſibi vendicaverat, ſi victoria potiretur. Idem ſvaſit ei venerabilis *Andreas* Archiepiſcopus Lundenſis, vir mire ſimplicitatis & innocentie, qvi tam in vita qvam in morte multis claruit miraculis, qvibus Rex conſentiens, ita vovit & victoriam obtinuit. Archipreſul igitur, convocatis magnatibus, fecit eos vovere, ut pueri duodennes & ſupra vigilia b. Laurentii iejunarent in pane & aqva in perpetuum, ſi victoriam obtinerent. Invocatis igitur beatis *Laurentio* & *Nicolao*, commiſſum eſt prelium die Viti & Modeſti. Metropolitanus igitur cum ſuffraganeis & clericis in monte utrumqve exercitum proſpectans, tamqvam alter Moyſes, elevatis in celum manibus, pro chriſtianis cum lacrimis orabat. Qvo levante manus in oracione, vincebant *Dani*. Cum vero pre laſſitudine ſeniles manus demitteret, *Dani* cedebantur. Epiſcopi vero & ſacerdotes ſenem fulciebant. Et ſic Rex triumphans, in alium virum mutatus eſt, ibi faciens fidem Chriſti predicari, eccleſias conſtrui. Deinde cum manſvetudine & juſticia terras rexit, leges condidit, & beatum *Nicolaum* honoravit. Alibi habetur, qvod tempore iſtius WALDEMARI 2. Anno Domini 1208. cum *Dani* fideles in *Livonia* in loco, qvi *Felin* dicitur, bellarent contra Livones infideles, & jam fere debellati implorarent devote divinum auxilium, ſtatim *vexillum* e celo lapſum *cruce candida* conſignatum velleriqve impreſſum recipere meruerunt, vocemqve in aere audientes, qvod, eo in aere altius elevato, confeſtim contritis adverſariis, plenam victoriam reportarent. Qvod & factum eſt. Illud autem vexillum *Danebroge* uſitato vocabulo nuncupari ſolet. Hac victoria putatur eſſe illa, qvam *Dani* habuerunt in *Eſtonia*, de qva jam proxime dictum eſt, ſed erratum in Annis Domini &c. Item alibi inveni, qvod WALDEMARUS Rex & *Andreas* archiepiſcopus fecerunt expeditionem in *Eſtoniam* 1220.

1220.

1220. RICHICE Regina Svetie, & BERENGARIA Regina Danorum obierunt.

1220. *Iherusalem* restituta est Christianis.

M.CC.XX. obiit RICHISA uxor ERICI Regis Svetie, sepulta *Ringstadis* ad levam fratris sui KANUTI Regis Danorum, 8. Idus Maji.

MCCXX. obiit *Asgotus* Vibergensis Episcopus.

1221. beatus *Dominicus* obiit.

Eodem anno *Andreas* Archiepiscopus dedit fratribus *Predicatoribus Lundis* curiam suam cum capella. Et fundatus est *Conventus Lundensis*, qvi primus omnium est illius Ordinis in regnis aqvilonis.

M.CC.XXI. (al. 1220.) VI. Kal. Aprilis, obiit Regina BERENGARIA, sepulta ad dextram viri.

M.CC.XXII. obiit *Torstanus* Vibergensis episcopus. Et *Gunnerus* abbas Care Insule eligitur.

1222. Cardinalis *Gregorius* fuit in Dania.

1222. *Andreas* Archiepiscopus cessit *Petro* filio *Saxonis*.

1223. Obiit *Andreas* Camerarius Domini Regis, filius Domini *Jacobi*.

1224. *Petrus Saxonis* Prepositus factus est Archiepiscopus Lundensis.

1225. Comes *Adolphus* Holsatiam optinuit. Et Comes *Albertus* capitur.

MCCXXV. *Nicolaus Stigoti* factus est Episcopus Roskildensis, sed 1226. consecratus est. Fugit de Dacia 1244. Obiit *Clarevallis* 1249.

1226. *Albertus* Dux Saxonum & *Raceburg* & *Lubek* recepit. *Dithmersia* subjugata est.

M.CC.XXVII. confirmatus est Ordo *Predicatorum*. Chronica eorum dicit 1226.

1227. Liberata est *Lubeca* a Danis.

M.CC.XXVII. bellum fuit in *Bornehovede*, vel apud *Hegdoram*.

1228. *Andreas* Archiepiscopus Lundensis obiit. Hic *Andreas* Sanctus est, & fecit Miracula.

1228. *Petrus Saxonis* Archiepiscopus obiit die Kanuti Ducis.

1228. *Dani* capti sunt in *Holsatia* a Saxonibus.

1228. missus est *Conventus Fratrum Predicatorum* de domo *Lundensi* ad domum *Ripensem*.

1228. *Offo* succesit *Andree* in Lundensi Archiepiscopatu, sedit annis XXV. consecratus est 1230. obiit 1252. vel 1253.

M.CC.XXX. *Thwo* Ripensis Episcopus obiit. Succesit *Magister Gunnerus*. Et ecclipsis solis facta est, & magna mortalitas hominum. Et fugatus est ERICUS Rex Svetie.

M.CC.XXX. Cardinalis *Otto* fuit in Dacia legatus, & celebravit Concilium *Slesvig*.

1231. Obiit *Anthonius* Paduanus, canonizatus per *Gregorium XI.* Pontificatus anno VI. in festo penthecostes.

1231. beata *Elizabet* obiit, canonizata ab eodem 1236. & translata eodem anno.

1231. *Predicatores* venerunt *Roskildis*.

M.CC.XXXII. obiit *Johannes*, marscalcus Regis WALDEMARI, filius *Ebbonis*, in terra sancta in Achon, & sepultus est in Cimiterio b. Nicolai, qvi contulit fratribus *Predicatoribus Roskildis* ad ecclesiam & claustrum construendum qvadraginta marchas puri argenti.

M.CC.XXXIII. obiit bone memorie *Nicolaus* Epiſcopus Slesvicenſis, Cancellarius Regis WALDEMARI, VI. Nonas Julii. Succesſit *Thuco* Prepoſitus ejusdem eccleſie.

M.CCXXXIV. miſſus eſt conventus fratrum *Predicatorum Roſkildis.* Et *Lundenſis eccleſia* combuſta eſt. Et KANUTUS tirannus in *Svetia* obiit.

1234. Eccleſia Lucii *Roſkildenſis* & Laurentii *Lundenſis* incendio perierunt.

1235. canonizatus eſt *b. Dominicus.*

M.CC.XXXVI. (al. 1235.) obiit *Waldemarus* Epiſcopus, monachus factus in *Lucha* Ordinis Ciſtercienſis.

1236. bellum fuit *Scanör* inter *Danos* & *Noricos.* Eodem anno *tempeſtas* magna fuit.

M.CC.XXXVII. (al. 1236.) fratres *Minores* venerunt *Roſkildis.* Et facta eſt interfectio civium *Roſkildis*, & Normannorum *Scanör.*

1237. bellum fuit in *Scanör* inter *Normannos* & *Danos.*

1237. Idus Julii, celebratum eſt Concilium provinciale apud *Kalundeburgis* ab *Uffone* archiepiſcopo & Suffraganeis & aliis Prelatis.

1238. Comes *Adolphus* Livoniam intravit, & inde rediens ſtatim Ordinem fratrum Minorum intrat.

1238. *Wismaria* fundata eſt.

1239. *Jeruſalem* capta eſt a paganis.

M.CC.XL. obiit *Gregorius* Papa, & *Johannes* filius *Jacobi.*

1241. Incendium erat *Ringſtadis.*

M.CC.XLIII. *Innocentius* 4. factus eſt Papa in craſtino b. Johannis baptiſte.

M.CC.XLIII. ERICUS Rex duxit exercitum contra *Abel* in *Kalding.*

1243. incenſum eſt clauſtrum *Holm* (*).

1244. celebrate ſunt nuptiæ ERICI III. regis Svetie.

1244. obiit *Johannes* Slesvicenſis Epiſcopus. Electus eſt Prepoſitus *Eſkillus* & cónſecratus. Item *Jheruſalem* devaſtata eſt a paganis.

1244. obiit *Henricus Harpeſtreng* medicus, Canonicus Roſkildenſis.

1244. *Randrus* igne periit.

1245. celebratum eſt Concilium *Othenie.*

Eodem anno celebratum eſt Concilium *Lugduni.* Et *Ripis* capta eſt a Duce *Abel.*

M.CC.XLV. orta eſt diſcordia inter ERICUM Regem & Epiſcopum *Nicolaum*, & eodem anno fugit in *Norwegiam.*

1246. obiit félicis recordationis *Jacobus Sunonis*, qvi de villa *Oſtæthæ* prebendam unam fecit, & duos manſos terre in *Aubatör* ad vivum contulit ad celebrationem divinorum per dioceſim Roſkildenſem.

1246. obiit Dominus *Jacobus Sunonis* & Domina *Eſtrid.*

M.CC.XLVII. combuſtum eſt clauſtrum *Sor* miſerabiliter ſecunda vice, & *Eccleſia Sancti Kanuti Othenie.*

M.CC.XLVII. 4. Kal. Maji, Dux *Abel* cepit civitatem *Ripenſem*, in qva captus eſt Dominus *Esgerus* epiſcopus ejusdem civitatis & multi milites & pueri Domini regis. Eodem anno, 3tio Nonas Junii, rex ERICUS eandem civitatem rehabuit.

M.CC.XLVII. Rex ERICUS movit exercitum contra *Abel* Ducem, illo cum exercitu occurrente Teutonico, ſed treuge facte ſunt ad tempus.

1247.

(*) *Inſula Dei, Holm Kloſter* in Fionia.

1247. generalis guerra fuit in *Dania*. Et *Othenshö* a Teutonicis incenditur.

1247. capti sunt duo filii Regis, scil. *Christoferus* domicellus & Dux *Kanutus*, a Rege ERICO.

1247. *Ripa* capta est a Duce *Abel*, & iterum reddita Regi ERICO. Et *Sora* combusta est. *Slesvig* capta est a Rege ERICO, & iterum reddita Duci *Abel*.

1249. *Gunnerus* episcopus Ripensis obiit.

Eodem anno obiit *Nicolaus* episcopus Roskildensis in *Clarevalle*. Cui successit Prepositus Lundensis *Jacobus*.

M.CC.XLIX. obiit Episcopus Roskildensis *Nicolaus*. Dominus Papa Prepositum *Jacobum* fecit Episcopum, & Rex ERICUS, & aliqvi Canonici *Magistrum Asgotum*, super episcopatum Roskildensem.

1250. obiit ERICUS Rex Svetie. Et WALDEMARUS succesit, & seqventi anno coronatur in ecclesia Lincopensi.

M.CC.L. ERICUS Rex fecit capi civitatem Slesvicensem & devastari, & bona episcopalia confiscari, eo qvod *Eskillus* episcopus ab ipso regalia non accepit, sed Domino Duci *Abel* adhesit. Et episcopus exulavit apud *Innocentium* 4.

1250. *Eskillus* episcopus Slesvicensis rediit de exilio.

1250. ERICUS Rex feria 3. ante pasca a *Scaniensibus* fugatur de *Lundis*, qvi 2do die pasce rediens multavit *Lundenses* ad XV. millia marcharum.

1251. *Kanutus* Dux Lalandie filius WALDEMARI II. obiit idibus Octobris, sepultus *Ringstadis*. Et cum ipso jacet filius ejus *Ericus* Dux Hallandie, qvi obiit 1304. Ad pedes istorum jacet Domicellus *Waldemarus*, filius CHRISTOFORI regis filii VALDEMARI II. qvi obiit XII. Kal. Januarii.

1252. *Henricus de Hemmeltorp* occupavit *Möen*. Omnia regalia ablata sunt de *Möen* & *Falstria*, preda maxima facta est.

1252. (al. 1253. vel 1254.) *Jacobus* Episcopus Roskildensis factus est Archiepiscopus Lundensis.

1252. *Nicolaus* Comes obiit.

1252. CHRISTOPHORO Rege regnante, venit *Henricus Hembletorp*, & abstulit ei *castrum de Möen* cum insula, nec modicum illo anno ipsum tribulavit.

1252. coronatus est CHRISTOFERUS in Regem & MARGARETA in Reginam, die nativitatis domini.

M.CC.LIII. fratres *predicatores* domum in *Wartingburg* ceperunt edificare.

M.CC.LIII. Soror *Agnes* se reddidit religioni, qve fuit filia ERICI Regis.

1253. *Jacobus Erlandi* genere nobilis factus est archiepiscopus post *Uffonem*. Hic sedit annis XXII. Hic fuit ante Episcopus Roskildensis.

1254. *Bundones* multas munitiones destruxerunt.

Eodem anno obiit *Innocentius* Papa. Et *Jacobus* factus est archiepiscopus. Et ERICUS filius CHRISTOFORI electus est in regem.

1254. Dedicatio *ecclesie S. Katerine* fratrum *Predicatorum Roskildis*.

1254. (al. 1253.) *Swineburg* destruitur. Eodem anno bellum *Skelskör*.

1254. *Svevi* & *Normanni* voluerunt invadere *Daciam*, sed reversi sunt sine honore.

1255. obiit *Eskillus* Episcopus, 5to Nonas Aprilis.

1256. *Petrus* filius *Ebbonis* obiit. Et HAQVINUS rex fuit in *Dania*. Et *Jacobus* archiepiscopus celebravit Concilium provinciale apud *Wæthel* eodem anno.

M.CC.LVI.

M.CC.LVI. Domicella *Juttha* religioni ſe reddidit.

1256. *clava ferit* (*).

1257. reconciliatus eſt Rex CHRISTOFORUS cum *Rege Norvegie*, qvi & CHRISTOFORO ſpopondit fidelitatem.

1259. *Marchio* & *Dani* reconciliati ſunt, & Concilium fuit *Roſtock*.

1259. ERICUS, filius CHRISTOFORI regis, coronatus eſt XI. etatis ſue anno.

1259. in nocte b. Agathe, *Jacobus Erlandi* Archiepiſcopus in domo ſua violenter captus eſt, VIII. pontificatus ſui anno, a *Henrico de Melchelborgh* ſatellite & a *Nicolao* prefecto Lundenſi, juſſu regis CHRISTOFERI & MARGARETE Regine. Propter qvod fuit interdictum, qvod pauci ſervaverunt in dioceſi Lundenſi & Roſkildenſi, in *Jutia* vero nulli. Defuncto Rege CHRISTOFERO, aggravatum & innovatum fuit interdictum ſuper MARGARETAM reginam & ſuos, ſed anno 1261. relaxatum per archiepiſcopum, niſi ſolum in locis, in qvibus *Regina*, *Henricus* aut *Nicolaus* eſſent.

1259. *Jarimarus* princeps Rugianorum devaſtavit *Syalandiam*, & cepit opidum *Neſtvet*, procurante *Petro Bangh* Epiſcopo Roſkildenſi nepote ejusdem. *Albertus Krantz* dicit, qvod CHRISTOFERUS a ſuis inviſus regno ejicitur. Jam enim per hec tempora *Dania* in illum contemptum venerat, ut facile a qvovis impugnaretur.

1259. *Jarimarus* fecit magnam ſtragem ruſticorum juxta *Neſtveth*.

1260. *Jarimarus* turpiter ſuffocatur per qvandam mulierem.

1260. *Jarimarus* Sclavus, cum *Petro* epiſcopo, filio *Skielm*, *Syalandiam* ingreſſus, interfecit ibi CC. duo millia virorum, magnam predam abducens.

Eodem anno ERICUS filius CHRISTOFORI conſecratus eſt in Regem *Vibergie* die natalis domini.

1261. combuſtum fuit *clauſtrum Neſtvet*.

1261. iterum *Randrus* combuſta eſt.

1262. *Jacobus* Archiepiſcopus recurrit de curia, & 1266. it Romam.

1262. *Ingeburg* de *Kalundeburgis* expulſa eſt.

1262. factus eſt Dux *Albertus* de Brunsvig Princeps Danorum.

1263. Dux de Brunswig fuit in Dacia. Caſtrum *Aruſkog* deſtruitur.

M.CC.LXIII. obſeſſum eſt caſtrum *Aos*, ubi multi perempti & plurimi graviter vulnerati ſunt.

M.CC.LXIV. caſtrum *Aos* deſtructum eſt. Et Dux Brunsvig in *Syalandiam* per relictam CHRISTOFORI adductus eſt, qvi omnia caſtra ibi atqve urbes ſuis militibus munivit, *Scaniam* invadere volens, a Scanienſibus eſt repulſus.

1266. inſtituta eſt *Cantoria* in eccleſia *Arhuſienſi* per *Thuconem* epiſcopum.

M.CC.LXVI. ſolutus eſt Rex ERICUS qvinqve millibus librarum puri argenti.

1266. *Gwido* veniens in *Daniam*, multum laboravit pro pace reformanda inter Regem & Archiepiſcopum, ſed nichil profecit. Igitur feſtinavit egredi, excommunicans Regem & Reginam matrem ejus cum eorum fautoribus, & regnum ſuppoſuit eccleſiaſtico interdicto. Ipſas tamen ſententias pauci ſervaverunt. Canonici tamen Ripenſes, & Moniales ibidem, & clauſtra Ordinis Ciſtercienſis, & Fratres Minores totius Dacie, per VIII. annos cum dimidio ſervaverunt.

1267. Domina *Ingeburgis* obiit *Hetheby*.

1268.

(*) Vide ſupra. p. 168.

1268. magna *ſiccitas* fuit ab annuntiatione beate virginis usqve ad feſtum Botulphi, non pluit, & tamen fuit *fertilitas*. Et *Rex Dacie* & *Svetie* occurrerunt ad invicem apud *Faurædale*.

1270. *Andreas* Pincerna obiit.

1271. Domicellus *Nicolaus* obiit.

1271. Combuſtum fuit *Neſtveth*.

1271. *Marchio* duxit uxorem ſororem *Regis Dacie*.

1271. *Thomas* Cantuarienſis occiſus eſt.

1272. mortuus eſt *Ericus* Dux Jutie. *Joannes* Dapifer *Witing* duxit exercitum magnum ad *Slesvig*. Eodem anno *Erlandus* archidiaconus electus eſt archiepiſcopus Dominica Miſericordia. Et eodem anno Concilium generale celebratum eſt *Lugduni*, qvando ſtatutum eſt, decimam ſolui ſex annis ad terram ſanctam.

1272. die b. Bernardi (*) miſerrime combuſta fuit *Eccleſia Roſkildenſis*. Ex *Hiembeck*.

1274. ERICUS filius CHRISTOFORI duxit AGNETEM filiam Marchionis. Et eodem anno magna *fames* fuit.

1274. obiit *Magiſter Henricus*, frater in *Paraclito*, qvondam Canonicus & Cantor.

1274. RODULPHUS Comes Habspurgenſis coronatus eſt *Aqvisgrani* Romanorum & Germanie Rex.

1275. miſſus fuit conventus in *Holbek* craſtino Prothi & Jacineti. Seqventi anno, 18. die Aprilis, conſecratum eſt cimiterium fratrum ibidem per *Petrum* epiſcopum Roſkildenſem.

1275. tanta captura erat *alecum* in *Scania*, qvod *plauſtrum* emebatur pro *ora denariorum*.

Eodem anno obiit *Erlandus* Archiepiſcopus.

1275. *Trugotus* electus, conſecratus 1276. Eodem anno obiit *Gregorius X.* Papa. Ex *libro antiqvo*.

1275. fundatur *Conventus Holbeccenſis*.

1276. Regina AGNES peperit ſecundum filium Regi. Et *Scania* a *Svevis* vaſtatur.

1277. MAGNUS *Ladelaas* coronatus eſt, & obiit 1290.

1277. bellum fuit inter *Danos* & *Noricos* in *Scanör*, & pugnaverunt *Dani*, & ceciderunt de *Noricis* ultra V. millia.

1277. *Magnus* Dux Svetie factus eſt Rex, qvi Scaniam ſibi ſubdere volens, tres de ea provincias incendit & ſpoliavit, ſed, Dapifero *Uffone* ſuperveniente, repulſus eſt.

1278. (alibi 1279.) Domicellus *Abel* filius Regis ABEL obiit.

1278. Coreizantes ſubmerſi ſunt fracto ponte.

1279. obiit *Trugotus* Epiſcopus Revalienſis, qvondam Canonicus Roſkildenſis.

1279. *Thrugotus* Archiepiſcopus, qvinto ſui Pontificatus anno, provinciam ſuam viſitavit, celebravit *Concilium Veylæ*, ſedit annis ſex. Hic primus inter Archiepiſcopos conſecratus eſt a Papa. Eccleſia ſua ad 2. millia florenorum taxata fuit, Anteceſſores autem ſui a Suffraganeis infra provinciam conſecrationem ſuſceperunt. Sedit annis ſex.

1280. combuſta eſt *Neſtvet* in majori & meliori parte ex utraqve parte annis, & major eccleſia.

(*) Conf. ad Annum 1282.

1280. obiit *Thrugotus* Archiep. seqventi die Valburgis virginis. Electus est *Joannes.*

1280. filia *Regis Dacie* data est filio *Regis Svetie.*

M.CC.LXXXII. commoti fuerunt omnes principes regni contra Regem.

1282. (non 1272.) *Ecclesia beati Lucii* combusta circa meridiem, aliqvi habent *die Bernardi*, alii *Augustini*, alii *seqventi die Lucii*, alii *Ruffi.* Ecclesie sanctorum Laurentii *Lundis* & Lucii *Roskildis* perierunt incendio.

1282. die Bernardi miserrime combusta fuit *Ecclesia Roskildensis* tota exterius & interius, & plures residentie canonicales, domus campanarum, qve tunc stabat super capella b. virg. Et venit ex coqvina in curia Archidiaconi.

1282. in profesto Augustini, succensa est & combusta *Ecclesia S. Lucii Roskildis*, & multe curie canonicorum.

Eodem anno MARGARETA Regina obiit.

M.CC.LXXXIII. Concilium fuit *Helsingburg* & *Nyköping*, item *Vartingburg* cum Rege & v. Episcopis. Et *Jutenses* cum domino Rege reconciliati. Et *Ericus* factus Dux Jutie.

1283. Cecidit ecclesia b. virginis *Ripis* in nocte nativitatis domini post primam missam, ubi multi viri & mulieres obruti sunt.

1283. divisus est *Ducatus Jutie* a regno Danie, *Valdemaro* illum obtinente.

1283. *Jacobus* factus est Comes Hallandie.

M.CC.LXXXIII. *Parlamentum* ordinatum est *Varthærhö*, in qvo congregati fuerunt *Reges* scil. *Dacie* & *Norvegie*, cum multis navibus & exulibus.

1284. *Parlamentum* factum est *Vartingburg*, presente Rege & Episcopis & optimatibus regni, die Ascensionis domini. Et *Jutenses* cum domino Rege reconciliabantur ex integro. Et *Ericus* Ducatus gubernaculum possessorie suscepit.

1286. mare balticum nimio *gelu* constringitur.

1286. interfectus est iste ERICUS, ruri agens venationis gratia, cum graviter soporatus dormiret in horreo qvodam, dormientibus etiam omnibus, qvi cum illo erant, ingressi sunt clam septem viri previa laternula de industria armati, qvorum unus Regis caput manu innixum, gravi pugione perfodit. Ceteri autem invadentes regium cadaver jam exanime, intulerunt illi LXX. vulnera &c.

M.CC.LXXXVII. incensum est claustrum fratrum *Predicatorum Lundis*, & magna pars ville.

1287. juratum est in Dacia a XXVII. nobilibus viris, Dominum *Jacobum* Comitem Hallandie, Dominum *Stigotum* Marscalcum, Dominum *Nicolaum Hallandtzfar*, Dominum *Petrum Porsse*, aliosqve multos illorum complices, veros esse Regis ERICI interfectores.

1287. crastino Agapiti, combusta fuit domus fratrum *Predicatorum* & tota *civitas Holbeccensis.*

1288. *Absalon Andersson* obiit.

M.CC.LXXXVIII. *Sleswigh* periit igne proprio.

M.CC.LXXXVIII. MAGNUS Rex Svetie sedavit bellum inter *Visbycenses* & populum terre.

1289. ERICUS filius ERICI coronatur *Lundis* per *Johannem* archiepiscopum, in die natalis domini.

1289. *Johannes Grand* Syalandensis Prepositus succesit in archiepiscopatu Lundensi, qvi sedit annis XIII. consecratus a sede Apostolica.

1289.

1289. ERICUS Rex Norvegie obſedit *Haſſniam*, ſed fruſtratus receſſit.

1290. obiit *Johannes* archiepiſcopus, qvi contulit menſe canonicorum curiam ſuam in *Kattinge*.

M.CC.XC. *Aluerus* pirata captus eſt & rota fractus apud *Helſingeburg*.

1290. obiit *Johannes Dros* archiepiſcopus in *Aos*. Et Prepoſitus *Johannes Grand* electus dominica qvaſi modo geniti. Et bellum fuit *Skelſiſkör*, ubi *Petrus* a Duce *Valdemaro* capitur. Et *Rex Norvegie* navali exercitu Daniam infeſtat, & multi ſuorum occiduntur in *Strughshet* & *Scanör*.

1290. ſecunda expeditio ERICI Regis Norvegie.

1290. *Adolphus* (ɔ: *Alff*) *Ætlingſon* rotatur *Helſingburgis*.

Eodem anno MAGNUS Rex Svetie obiit.

MCCXCI. *Saraceni* ceperunt *Akers* ultra mare, interfectis chriſtianis.

1292. *Skielm* Dapifer interfectus eſt in preſentia Regis.

1292. *Ericus* Dux Langlandie Interfecit Dapiferum *Skælm*.

Eodem anno exules regni ſpoliaverunt *Hollebec* & combuſſerunt.

Eodem anno fuerunt duo *Parlamenta* ſcil. Regum & Archiepiſcopi, in qvibus convocati ſunt omnes Prelati & alii multi.

1293. *Gerardus* (*) Dux Holſatie duxit AGNETEM Reginam.

Eodem anno captus eſt *Joannes* archiepiſcopus & cum eo *Jacobus* Prepoſitus dictus *Lang* in annuntiatione dominica, & ſeqventi anno clanculo evaſit de turri *Sioburg*.

1293. tertia expeditio ERICI Regis Norvegie in Daniam.

1294. *Stigotus Anderſſon* obiit in *Hielm*. Et *Jacobus* captus eſt. Et Rex miſit exercitum in *Hynehals*.

M.CC.XCIV. *Jacobus* captus eſt, forte iſte fuit Comes.

1295. qvarta expeditio ERICI Regis Norvegie in Daniam.

1295. *Rano Jonæſſon* rotatus eſt.

M.CC.XCV. Rex habiturus bellum, taliavit monaſteria & civitates graviter.

M.CC.LXXXXVII. facta eſt magna discordia inter Regem & fratrem ejus, qvod patuit in expeditione facta ad *Kalundeburg* circa feſtum nativitatis beate virginis.

1298. ALBERTUS Ceſar regnare cepit, & imperavit annos X. Ejus temporibus genus *Othomanni* apud *Turcas* potentia & eſtimatione excreſcere cepit, ex cujus ſangvine illi Turcici Reges, qvi hodie imperant, originem ducunt.

1299. ERICUS Rex Norvegie obiit. HAQVINUS frater ejus ſucceſſit. ERICUS Rex fuit *Roſtok*. Gravis *peſtilentia pecorum* fuit in Dania. Rex HAQVINUS Norvegie fuit in Dania.

1302. *Waldemarus* filius Regis obiit.

1303. *Chriſtoforus* frater Regis factus eſt *Dux Eſtonie*.

Domicellus *Valdemarus* frater Regis obiit *Roſtok*, ſepultus *Sore*.

1303. *Martinus* Cancellarius regis & Canonicus Roſkildenſis fundavit *altare beati Martini*.

1304. ſolenne *Parlamentum* fuit in *Knarrit*, ubi *Reges* & *Regine Dacie* & *Svetie* convenerunt, & AGNES qvondam Regina Dacie.

1304. *Ericus* Dux Hallandie, filius *Kanuti* Ducis Hallandie, filii WALDEMARI 2. obiit.

1305. magna *mortalitas hominum* fuit per univerſum mundum.

1306.

(*) *Comes* legendum.

1306. ERICUS totam *Sveciam* usqve ad caſtrum *Stegith* hoſtiliter devaſtavit. Et tanta fuit *hiems* aſperrima, qvod inter omnes terras & inſulas Dacie & Svecie omnes portus per XIV. ſeptimanas & ultra qvaſi in ſolidos pontes converſi, & tunc Dani primo habuerunt uſum *caputiorum.*

1306. *Rex Svetie* captus eſt cum *Regina* & liberis & fratribus.

1306. Hoſpitalarii ſancti Johannis occupaverunt inſulam *Rhodi*, expulſis *Turcis*, qvi eam tenuerunt. Sed anno Domini 1524. *Turci* eam recuperaverunt.

1307. Prima expeditio ERICI Regis in *Sveciam.* Secunda 1308. Tertia 1309.

1309. *Predicatores* habuerunt locum *Helſingburgis.*

1309. *Hoſpitalarii* divi Joannis *Rhodum* inſulam Turcis ereptam occuparunt. Unde poſtea *Rhodiorum Eqvitum* nomine appellari ceperunt.

1310. *Ericus Langbeen* Dux duxit filiam Domini *Nicolai* de Sclavia, ſororiam Domini *Regis Danorum.* Uxor iſtius *Erici Langbeen* dicta eſt *Sophia*, & fuerunt vivi, etiam poſt evaſionem Archiepiſcopi *Johannis* de carcere.

1310. ditior pars & melior *civitatis Roſkildenſis*, cum qvinqve eccleſiis & clauſtro fratrum Minorum incendio periit.

1310. inſtituta eſt *Cantoria*, qvarta dignitas in eccleſia Roſkildenſi, cum ante erat officium.

1310. (1314.) *Esgerus Jul* Epiſcopus Aruſienſis in Concilio Avinioni factus eſt Archiepiſcopus poſt *Yſarnum*, & ſedit annis XI. Cui ſucceſſit *Karolus* Prepoſitus Lundenſis, qvi ſedit annis IX.

1310. *Johannes Grand* per Papam *Clementem* 5. factus eſt Archiepiſcopus Bremenſis. Et *Yſarnus* translatus ad Archiepiſcopatum Salernitarum.

1312. *Helſingör* incenditur, *Amage* & *Scanör* cum caſtro & qvibusdam inſulis, a civitatibus ſtagnalibus.

Eodem anno Rex ERICUS fecit multos ruſticos ſuſpendi circa *Haffn.* Et *Waldemarus* Dux Slesvicenſis obiit. Et *Agnes* filia Ducis *Chriſtofori* obiit & ſepelitur *Sore.*

1312. *Waldemarus* Dux Slesvicenſis obiit.

1314. Eccleſia b. virginis *Kalundeborgis* caſuali incendio miſerabiliter comburebatur 2. Nonas Novembris, VIII. ſcil. die ante Martini.

Eodem anno *Kalffhö* edificatur.

1314. ruſtici Syalandie ſuſpendio interierunt. Multi proceres decollati, multi proſcripti per Regem, ſed inſidiantes ei.

1315. LUDOVICUS Bavarus Aqvisgrani Romanorum & Germanie Rex coronatus eſt.

1316. (al. 1313.) *Bondones Norjutie* ſuccubuerunt in bello, inſtinctu *Nicolai* Dapiferi.

1319. Nonis Aprilis obiit INGEBURGIS uxor ERICI MENWET, filia MAGNI Regis Svetie, ſepulta *Ringſtadis*, Et juxta eam ad auſtrum jacet Germanus ſuus BIRGERUS Rex Svetie, qvi obiit 1321. pridie Kal. Junii, Et cum eo jacet uxor ſua MARGARETA filia Regis ERICI & AGNETIS predictorum, qve obiit 1341. nonis Martii.

M.CCC.XIX. bellum fuit *Hæſtebergh*, ubi multi *Dani* corruentes, ultimum diem viderunt.

1323. Eccleſia fratrum *Predicatorum* in *Holbeck* edificata eſt per CHRISTOFORUM Regem, & conſecrata eſt per *Nicolaum* Epiſcopum Burglanenſem in feſto aſſumptionis b. virginis.

1323. *hyems* ſevisſima in Martio fuit, qvod mare eqvitarunt.

MCCCXXIV. Solenne *Parlamentum* fuit die Kanuti Regis in *Nyköbing* per Regem & filium & alios.

1326. *Karolus* Archiepiſcopus, *Concilio Scanienſi* fretus, Regem MAGNUM Svetie in *Scaniam*, *Hallandiam* & *Blekingiam* potenter introduxit, occiſis *Holſatis*.

1327. vel, ut alii qvidam ſcribunt, 1328. obiit ad ſaltum Vicenarum prope Lutetiam CAROLUS *Pulcher* Francorum Rex, *Philippi Pulchri* filius, qvi, duobus fratribus natu majoribus absqve maſculini ſexus heredibus defunctis, jure ſucceſſerat. Qvia vero nec ipſe filium poſt ſe relinqvebat ullum, factum eſt, ut in ejus locum *Philippus Valeſius*, *Caroli* filius, ſurrogaretur, erat enim patruelis, qvo non erat vicinior ſtirpi Regie. Qve qvidem res miras poſtea turbationes excitavit inter Gallos & Anglos, eo qvod horum Rex *Edvardus II. Iſabellam Caroli* Regis proxime defuncti ſororem, ex qva & *Edvardum III.* ſuſceperat, uxorem habebat, cujus nomine regnum Francie ad ſe devolutum contendebat.

1328. craſtino Georgii ſubmerſi fuerunt 30. perſone inter *pontem Holbeccenſem* & villam *Marckitzlöff*.

1328. LUDOVICUS Bavarus Imperator Rome coronatus eſt.

1330. & 1336. *Ingeburgis* Ducisſa Svecie, Hallandie, Holbek & Samſiö dedit fratribus Predicatoribus *Roſkildis* in teſtamento pro reparatione eccleſie & emendatione menſe C. marcas puri argenti, & pro reparatione clauſtri LX. marcas puri argenti anno Domini 1350.

1333. obſeſſa fuit *Eccleſia Uby* a Comite *Gerardo*.

1337. *Johannes Grand* Archiepiſcopus Lundenſis & Bremenſis obiit, qvi de bonis ſuis patrimonialibus *ſex prebendas* fundavit in eccleſia Roſkildenſi, dum erat Prepoſitus Roſkildenſis 1290.

M.CCC.XXXVII. craſtino XI. mill. virginum, ſolutum fuit interdictum eccleſie cathedralis *Ripis*, qvod duraverat per VII. annos & ſex menſes.

1342. obſeſſum fuit *caſtrum Kalunde*, tentum per *Holſatos*, a VALDEMARO, & non victum.

Eodem anno combuſta fuit *eccleſia Helſinge* per *Holſatos*, & multi bondones ibi propter metum illorum congregati, alii cremati, alii occiſi, plurimi captivati.

1344. *b. Birgitta* primum habuit *revelationes*.

1346. *b. Birgitta* ivit Romam, precepto Chriſti.

1348. fuit *ſubitanea mors* per omnem terram, ita qvod fere, ubi tranſivit, nullus illius ville vel opidi evadere potuit. Et qvicunqve ſe de rebus alicujus mortui intromittebat, neqvaqvam per noctem vivere valebat.

1349. tanta erat *mortalitas hominum* per totum orbem, qvanta fuerat a tempore diluvii, vix in aliqvibus terris reliqvit centeſimum hominem.

1350. Deſevit prius inaudita *mortalitas* in *Dacia*.

1359. obiit Dominus *Johannes Kraack*, Decanus Haſſnenſis, prius Canonicus Roſkildenſis.

M.CCC.LIX. Dominus *Nicolaus Buggi* interfectus eſt in *Medelfar*.

1360. devicta fuit *Scania* per *Svecos*.

1361. detenta fuit *Gotlandia* per Regem WALDEMARUM.

1363. die Barnabe apoſtoli, obiit *Chriſtoforus* Dux Hallandie & Lalandie.

1363. *Gunnarus* Canonicus Haſſnienſis obiit.

1363. Rex *Albertus* Svetiam intravit & occupavit per 26. annos, ac demum captus eſt a MARGARETA Regina Danie.

1367. obiit *Magiſter Hemmingus* archidiaconus Roſkildenſis, qvi fundavit altare Sancti Vincentii & dotavit.

1368. ALBERTUS Rex Svetie intravit *Scaniam.*

1373. obiit *b. Birgitta* Rome in craſtino Marie Magdalene. Et anno ſeqventi translata eſt ad *Vaſteen.* Alibi inveni, qvod b. *Birgitta* obiit Rome 1371. & 1375. translata ad *Vaſteen.*

1375. obiit *Nicolaus Johannis* Archiepiſcopus, prius Canonicus Roſkildenſis, dedit curiam cum domo lapidea in vico ſancti Olavi. Obiit Agathe virginis. Dedit ſub hac ſpe & conditione, qvod qvicunqve Canonicorum dictam reſidentiam tenuerit inhabitando, Canonicis, qvi in ſuo anniverſario vigiliis & miſſe interfuerint, duos ſolidos groſſorum, unum ſolidum groſſorum perpetuis vicariis & non perpetuis vicariis, pauperibus ſcolaribusqve, qvi ſimiliter interfuerint, & duos ſolidos groſſorum fabrice annuatim de eadem reſidentia in uſuali moneta ſolvere ſit aſtrictus.

Anno Milleno ter C. ſic ſeptuageno
Qvinto, *profeſto Criſpini*, tunc memor eſto
VALDEMAR deceſsit Rex, cum Chriſto reqvieſcit.

1379. impetravit b. *Katerina*, filia b. *Birgitte*, ab *Urbano VI.* confirmationem *Regule Sancti Salvatoris.*

1384. *Vaſten* fundatum eſt.

1384. curſus populi ad *Wilſenacum* incepit.

1388. Item ALBERTUS Rex Svetie, rogatus a Principibus inferioris Germanie, ut a mari eorum ejiceret potentisſimos piratas *Vitalianos*, inpignoravit hanc inſulam (Gotland) *Magiſtro Pruſcie* pro XX. millibus duplonum ↄ: Nobilionum, qvorum Summam MARGARETA Regina ſolvit.

1389.

Mille ter centeno, ter terno, bis qvadrageno,
Matthie feſto, magne letis memor eſto,
ALBERTI Regis captivi dum cadit egis,
Dumqve ſuus natus *Ericus* fit ſuperatus,
Cum triplici Comite, cum multo milite rite,
Armigeri numerus qvotus eſt, vix novit Homerus.

1391. *b. Birgitta* fuit canonizata per *Bonifacium IX.* VII. die Octobris.

1393. ERICUS intravit *Daniam.*

M.CCC.XCVI. fundata eſt Capella b. Andree Apoſtoli *Roſkildis* per *Folmarum Jacobi* & *Andream Jacobi* dictos *Lunge* Milites, & *Nicolaum Jacobi Lunge* Canonicum Roſkildenſem, & *Avonem Jacobi Lunge*, qvatuor fratres germanos, & *Jacobum Olavi* & *Petrum Olavi* dictos *Lunge* fratres germanos & filios *Olavi Lunge* de Skioldenæs, & *Sophiam* & *Rigeze* ſorores & filias Domini *Jacobi Oleffſon* Militis, in honorem Dei, Marie matris Chriſti, beatorum Johannis baptiſte & Andree Apoſtoli, nec non in remedium animarum progenitorum ſuorum, & pro ſepultura in perpetuum.

1396. tantum erat *frigus* in die converſionis Pauli, qvod multi in ſilvis & campis mortui ſunt.

1396. ERICUS electus eſt in *Regem Svetie*, & 1402. coronatus (*) *Calmarnie.*

1397.

(*) Vide ad An. 1397.

1397. *festum Visitationis beate virginis* institutum est in *Diocesi Roskildensi.*

1397. ERICUS Rex coronatus *Kalmarnie* dominica Trinitatis ab Archiepiscopis Lundensi & Upsalensi. Sic alibi inveni.

1398. MARGARETA Regina per deditionem accepit *castrum & civitatem Holmensem*, fuitqve honorifice & magna processionis pompa introducta.

1398. *Domini de Prutia* occupaverunt civitatem *Wisby*, expulsis inde piratis.

M.CCCC. in octava apostolorum Petri & Pauli, & postridie octavarum, tanta fuit in *Osgothia* ac circumiacentibus provinciis *pluvia*, ut homines multi in *Sudercopia* peterent montana, metuentes novum qvoddam diluvium, qvod illi civitati videbatur imminere. Repleverat enim omnia loca cimiteriorum & platearum usqve ad genua transeuntium. Dejecti sunt etiam omnes pontes ad universa molendina illius regionis.

1401. ERICUS Rex regnum Svetie pertransiens, regiis sacramentis se populo obstrinxit, promittens & jurans, se observaturum *patrie Leges.*

1402. *Cometa* a principio anni usqve pasca apparuit. Villa *Swanersleff* igne celesti devorata est. *Scania* rotavit & cremavit *Regem Ruthenorum.* Sangvis efflu-xit de Cruce in *Bistorp* circa Roskildiam. Versus:

Annus erat Domini semel MCDqve secundus,
Roskildis Jubileus ovans donis fit habundus.
Stella *Cometa* rubet satis ingens nec sine signis.
Swaversteff villám celestis devorat ignis.
Skania Prutenum Regem rotat atqve cremavit.
Curia magnatum stans *Helsingburg* placitatim.
Angli cum *Danis* tractant sponsalia bina,
Qve det divina pietas fore federa pacis.
Grecus adest *Presul* mendicans barbifer exul,
Crux admiranda de *Bistorp* sangvine fluxit,
Qvo plures duxit per signa Deus memoranda.
Et mentitur *anus Rugie* fore se genitricem
Presulis, in lingva suscipit illa vicem.

1406. (al. 1404.) in crastino Crispini & Crispiniani martyrum, Dominus ERICUS IX. Rex Danie Svetie Norwegieqve Sclavorum Gothorumqve Rex, & Dux Pomeranensis, celebravit nuptias suas in episcopali curia Lundensi cum Regina PHILIPPA filia Regis Anglie. Unde:

Crispini post cras noster Princeps fit ERICK mas.

1408. obiit Dominus *Johannes Andree* miles de Æsendorp, qvi fundavit *altare Katherine* in *Capella sancti Sigfridi*, & sufficienter dotavit, annectendo illud cuidam Prebende, qve *Rota* nuncupatur.

1408. *Verona* urbs Mediolanensi dominio prodiciose abrepta est, & in Venetorum manus devenit.

M.CCCC.X. die b. Clare virginis apud . . . *mölle* bellum fuit inter Dacos & qvendam Comitem de Scovenburg, in qvo multi *Dani* corruerunt, videlicet, Dominus *Magnus Munk*, Dominus *Nicolaus Thuonis* de Fyonia, & multi nobiles captivati. Ab eodem bello Dominus *Luderus Kabel* cum suis fugiebat.

Item eodem anno, Dominus *Abraham* miles jussu Regis ERICI Danorum decollatus est apud *Sönderborg* propter tirannidem.

MCCCCXII. Crispini cis cras MARGARETA necis bibit urnas.

1419.

Rex vir magnificus ſit Dux Pomerenſis ERICUS,
M. qvadringeno Domini nono qvoqve deno,
Femariam freno victor domuit alieno.
Haffnis Pſalterium ſtatuit Rex ipſe legendum
Tempore perpetuo, qvo Chriſtus regnat in ewo.

M.CCCC.XX. feria 2da proxima [*ante* vel *poſt*] feſtum viſitationis Marie, ERICUS Rex Danorum occidit omnes in *Fymmern*, exceptis pueris & paucis mulieribus, & totam terram per incendium devaſtavit.

1423. *Maribo* incepit.

1423. in feſto Laurentii, ERICUS Rex arripuit iter verſus *Jheruſalem*, & rediit 1425. infra octavas aſcenſionis.

1423. ceperunt maritime civitates pugnare contra ERICUM Regem.

1423. ERICUS Rex fecit conſtrui tumulum MARGARETE Roſkildis.

1423. obiit *Boetius* epiſcopus Aruſienſis.

1425. habuerunt *Predicatores* locum *Helſingore*.

1425. *Franci* ſuperati ſunt ab *Anglis*. *Francorum* ceſi 5000. capto duce, aliis nobilibus 200. *Anglorum* 2000. deſiderati.

1426. ERICUS Rex conſtruxit caſtrum *Auensborg* (*Arvensberg*) circa *Gottorp*.

1427. Civitates Saxonie cum *Holſatis* oppoſuerunt ſe Regi injuſte.

M.CCCC.XXVII. craſtino ſancti Kanuti Regis, *Alemani* in multitudine navium & copioſa plebe contra *Dacos*, qvi habuerunt paucas naves in conflictu & in triplo pauciorem populum. Illis tamen prevaluerunt *Daci* per Dei graciam.

1428. *Tiberis* fluvius adeo excrevit Rome, ut totam urbem inundaret, multaqve damna intulit civitati.

1429. *Civitates* cum Duce Lönburgenſi intraverunt *Juciam* & optinuerunt *Openraa*.

1430. obiit PHILIPPA Anglicana, uxor ERICI, in feſto trium Regum, ſepulta *Vaſteen*.

Anno Milleno CD ſimul X triplicato,
Anglica PHILIPPA *Wadſteen* dormit tumulata,
In feſto Regum, linqvens mundi data legum.

1430. fundata eſt civitas *Lantzkronæ*.

M.CCCC.XXXI. fuit tam magnum *frigus*, qvod curſus factus fuit a *Scania* in *Syalandiam* cum curribus & eqvitibus.

1432. Civitates treugam inierunt cum Rege in *Parlamento Horsnes*.

1433. erat *hyems* intolerabilis.

1434. qvidam *Engelbertus* de Svetia oppoſuit ſe Regi, ſed 1436. occiditur.

1437. obiit SIGISMUNDUS Imperator.

1438. ERICUS Rex cepit fugere in *Gotland*.

1438. ALBERTUS Auſtrie Dux, gener *Sigismundi* Imperatoris, deſignatus Ceſar, Boemie qvoqve Rex, coronatus eſt Prage.

1439. ERICUS expellitur de regno, & CHRISTOFORUS introducitur.

1440. CHRISTOFORUS electus in Regem V. Idus Aprilis, habuit omagium a Danis *Lundis*.

1440. *Ars imprimendi* libros inchoata eſt. Initium artis imprimendorum librorum tipis eneis ponunt ſub FREDERICO III. Et hanc ipſam artem excudendi

libros

libros *Moguntie* primum repertam ferunt anno 1440. ut in *Chronica Munsti* habetur. *Ars tormentorum* bellicorum multo vetuſtior eſt, ſcil. Anno Chriſti 1380. excogitata. Hec *Johannes Carion.*

1440. Expulſus ERICUS, ſed non credo.

1441. VI. Nonas Junii, CHRISTOFORUS Rex interfecit ruſticos &c. videlicet, *Henricum Tageſſon* cum ſuis numero qvindecim.

1442. CHRISTOPHORUS habuit omagium a *Svecis* & *Noricis.*

1443. combuſta fuit eccleſia cathedralis (*) cum turribus, campanis, feneſtris, & aliis ornamentis exterioribus, cum reſidentiis Canonicorum, preter tres, & ſeptem parrochias.

1443. 14. die menſis Maji combuſta fuit *eccleſia Roſkildenſis* exterius, cum campanis & turribus, & omnes reſidentie canonicales preter tres, & omnes reſidentie vicariorum, cum majori parte totius civitatis.

1443. anno regni CHRISTOFORI 3tio erexerunt ſe primo *ruſtici Syalandenſes*, qvibus pacificatis, erexerunt ſe *Jutenſes* &c.

1446. Galli cum Anglis congreſſi, cladem longe maximam & luctuoſisſimam acceperunt.

1448. CHRISTOFORUS Rex obiit, & CHRISTIERNUS electus. Verſus:

M.CD. qvater X. ſunt 8. CHRISTOFORUS Rex.

1450. fuit magna *mortalitas.*

1452.

Anno Milleno CD ſemel Lqve ſecundo
CAROLUS Rex Svetie predo fuit *Scanie.*

1453. *Conſtantinopolis* poſt longam obſidionem capta eſt a *Turcis.*

1457. expulſus eſt Rex KAROLUS, & CHRISTIERNUS introductus.

1460. optinuit CHRISTIERNUS Rex totam *Holſatiam* ad Coronam regni Dacie.

1461. nata fuit Domina CHRISTINA Regina.

1464. conſecrata eſt *Roſkildenſis Eccleſia* per *Olavum Martini.*

1475. expulſi ſunt Monachi ſancti Benedicti de *Othenia*, & Canonici obtinuerunt locum.

1481.

MCDXL qvater X CHRISTIERNUS morte ruit Rex,
His unum jungas Junii Kalendas.

1481. eo anno fuit graviſsima *peſtis animalium*, ita qvod tertia pars periit, & magna *chariſtia.*

1483. *morbus gallicus* ſevit ſuper chriſtianos.

1489. expulſi ſunt Canonici & Monachi reintroducti (**).

1494. *Andreas* ſcriptor Regis ſuſpenſus fuit.

1495. *Hyems* ſeviſsimus fuit, multe domus totaliter nivibus tegebantur, & homines deſuper incedebant & qvadrigabant.

1495. Angli cum Dacis ſunt confederati.

1497. die diviſionis apoſtolorum natus eſt *Franciſcus* filius Johannis Regis *Haſſinie*, qvi tandem Anno D. 1511. obiit, ſepultus *Othenie* apud fratres Minores.

(*) Scil. *Roſkildenſis.*

(**) Scil. *Orronie* Vid. An. 1475.

1500.

MD poſt Chriſtum, Juliane luce ſecunda,
Holſati ſunt proſtrati, dolo ſuperati,
Dytmaricus proprium dum vult defendere nidum.

1502. JOHANNES Rex dedit filiam ſuam *Joachim* Margravio. Et *Fredericus* Dux Slesvicenſis & Holſatie accepit ſororem *Joachim.*

1502. Dominus *Paulus Laxmand* miles interfectus eſt *Haffnie* in *Höuebro* ab *Ebbone Strangeſſon* militari.

1510. *Lubicenſes*, *Roſtoccenſes*, *Sundenſes*, *Vismarienſes*, *Lumeburgenſes*, miſerunt claſſem contra Regem JOHANNEM, ſed nichil profecerunt, imino innumera damna inde incurrerunt.

1515. dominica oculi, XI. die menſis Martii, erant *venti* fortes.

1515. fuit *terræ motus* magnus ſabbato poſt feſtum Kanuti Ducis.

Et eodem anno fuit ingens & horrida *tempeſtas* dominica oculi per diem naturalem.

Item eodem anno nuptie Regis CHRISTIERNI erant *Haffnis* cum Regina ELIZABET ſorore KAROLI Imperatoris, dominica poſt Laurentii, ɔ: ipſo die Clare.

1516. nobilis vir *Torbernus Oxé* decollatus fuit.

MDXVII. *Torbernus Oxe* decollatus eſt. Ex libro *Jo. Drax.*

M.D.XVIII. in profeſto cathedre Petri, natus eſt Dominus *Johannes* primogenitus Domini CHRISTIERNI 2di Regis Datie & Svetie & Norvegie.

1518. CHRISTIERNUS Rex miſit claſſem CXX. navium contra *Svecos*, ſed parum profecit, ſed Anno Domini 1520. potenter *Svetiam* debellavit & optinuit.

Annos Verbigene MD ſemel X legis octo
Tegmine ſub cupri noſcitur aula tegi
Roſkildis, ſumma CHRISTIERNO ſceptra tenente,
Antiſtes *Lago* Doctor & ingenuus.

M.D.XIX. obiit Domicellus *Maximiliamus* ſecundo genitus Regis CHRISTIERNI, ſepultus apud fratres minores *Haffnis.*

M.DXX. obiit *Philippus* tertio genitus Regis CHRISTIERNI & ELIZABET, ſepultus apud fratrem *Haffnis*, ut ſupra.

M.D.X. gemina Rex Danorum ſceleratos
CHRISTIERNUS *Svecos* enſe peremit heros.

Nota qvod in Svetia in monaſterio dicto *Skyming* in vetuſtiſſimo choro habentur infraſcripta metra ſculpta:

Anno Milleno qvingenteno qve vigeno,
Mundus oberrabit vix urbs ſit Preſule digna,
Papa cito moritur, Ceſar regnabit ubiqve,
Sub qvo tunc magna ceſſabit gloria cleri.

1522. *Helſingör* comburitur.

1522. Rex CHRISTIERNUS habuit bellum cum *Civitatenſibus.*

1522. *Theodericus* Hollandrinus, Archiepiſcopus intruſus, comburitur *Haffnie*, die Agnetis.

MDXXIII. feria ſecunda poſt Qvaſimodogeniti, ɔ: die Tiburcii, CHRISTIERNUS 2dus Rex Datie, Svetie & Norvegie, cum Regina ELIZABET & liberis, & immenſa auri & argenti multitudine ceſſit regnis, & petiit exilium. Nam tunc tota *Jutia*, tam vulgares qvam nobiles, cum *Lubicenſibus* erexerant ſe contra Regem, & de

Datia

Datia exturbare nitebantur, ſed audiens prophetatum, qvod expelleretur, ſponte receſsit.

Anno Milleno qvingentenoqve vigeno
Ac terno, ceſsit CHRISTIERNUS luce Tiburci,
cum Archiepiſcopo Lundenſi *Magiſtro Johanne* Hollandrino intruſo.

1523. FREDERICUS obtinuit *Haffniam*, die Donati coronatus.

MDXXIV. die vitalis martyris, violata fuit *Eccleſia Lundenſis* a Nobilibus Scanie.

1525. captus eſt FRANCISCUS Rex Gallorum ab Imperatore KAROLO 5. in prelio.

Eodem anno, centena millia ruſticorum perierunt in prelio, qvi ſibi libertatem acqvirere voluerunt.

1529.

MDX. ternis minus I. defungitur anno
Lago die Preſul martiris ecce Petri.

1530. qvarta feria ante pentecoſten, *Alburgia* pro majori parte incendio periit.

MDXXXIV. *Chriſtophorus* Comes intravit *Roſchildiam* in vigilia Joannis baptiſte.

M.DXXXVI. die ſanctorum Abdon & Sennen, aperta eſt *Haffnia* coram Rege CHRISTIANO, famis urgente acerbitate, commeſtis ultra trecentis eqvis & omnibus canibus & cattis.

Anno Domini 1541. in vigilia S. Jacobi apoſtoli, hoc eſt, in die dominica, hora ſecunda poſtmeridiana, ſævus *terræ motus* factus eſt.

XVII.

Annales, ab Anonymo circa Albiam, ad Annum usque 1265. conſcripti.

Hi Annales in qvibusdam cum iis conveniunt, qvi Auctorem agnoſcunt *Albertum Abbatem Stadenſem*, ex cujus Chronico Anonymus hic, qvi *Alberto* ſupervixit, haud pauca mutuatus eſſe videtur. Qvædam tamen vix alibi obvia profert. Qvis & ubi domi fuerit Auctor, ignoratur, ſed, ſi conjecturæ locus detur, vixit in *confinibus Holſatiæ*, & qvidem aut *Stadæ* aut *Hamburgi* aut *Lubecæ*, aut forte Monachus in *Novo Monaſterio*, res enim *Holſaticas*, & qvæ circa *Albiam* geſta ſunt, præcipue tractat, unde *Annales Albianos* eos inſcribere licebit. Vixiſſe Auctorem circa & forte poſt 1265. qvo anno finem Annalium ſuorum impoſuit, non dubitari debet. *Lindenbrogius* p. 251-261. eos inter Scriptores ſuos Rerum Germanicarum edidit, unde ego illos deſumſi, & aliqvibus in locis emendavi, qvidam enim annorum numeri incuria typotheræ depravati erant. Nonnulli, qvi Annales hoſce in ſcriptis ſuis citarunt, illos *Chronici Slavici* nomine notaverunt. Seducti autem ſunt errore typographi, qvi in Editione Lindenbrogiana hunc titulum: *Incerti Auctoris Chronica Slavica*, qvi ad proxime præcedens Chron. Slav. pertinet, ſupra omnes paginas horum Annalium inſcite continuavit. Demum de hoc Auctore notandum eſt, illum deſiiſſe, ubi *Continuator Alberti Stadenſis*, qvem *Hojerus* edidit, incipit, Annis ſcil. 1264. & 1265.

Anno gratiæ I. prima ipſius die, Auguſti Cæſaris XLII. orbis conditi qvinqvies M.CXCIX. Repromiſſionis M.DCCCCXL. Romæ conditæ DCCLI. Decemnovennalis cycli II. Indictione qvarta, Concurrente V. Epacta XI. natus eſt ſummi patris & Marie virginis intemeratæ filius.

Anno gr. II. Herodes occidit infantes.
Anno VI. Herodes moritur XLVIII. annorum.
Anno VIII. Auguſtus moritur LXXV. annorum.
Anno XVI. Tiberius privignus Auguſti regnavit annis XXIII.
Anno XVIII. Ovidius in exilio moritur.
Anno XXX. Tiberii XV. Johannes baptizavit Salvatorem.
Anno XXXI. Johannes decollatur.
Anno XXXIII. Dei filius crucifigitur, reſurgit & aſcendit.
Anno XXXIV. Jacobus Hieroſolymis Epiſcopus ordinatur.
Anno XXXVII. Petrus Antiochiæ in Epiſcopum levatur. Stephanus lapidatur.
Anno XXXVIII. Gajus fit Cæſar.
Anno XL. Judæi cladibus exagitantur.
Anno XLII. Matthæus ſcribit Evangelium in Judæa.
Anno XLIII. Claudius regnat, & Symon Magus venit Romam.
Anno XLIV. fundata eſt Antiochia.
Anno XLIV. XLV. Petrus ſedem Pontificatus Romæ accepit.
Anno L. Paulus poſt paſſionem Domini anno II. baptizatus, apud Athenas prædicavit, Dionyſium convertit.
Anno LVII. Nero regnavit XIV. annis. Et Simon auctor Simoniacæ hæreſis claruit.
Anno LVIII. Paulus vinctus Romam mittitur, & Petrus ei occurrit.
Anno LXIII. Jacobus lapidatur.
Anno LXIV. Marcus patitur. Anno LXV. Perſius moritur.
Anno LXVI. Lucanus moritur. An. LXVIII. Seneca patruus Lucani inciſione venæ moritur.
Anno LXX. Lucas Evangelium ſcripſit. Petrus crucifigitur, Paulus decollatur.
Anno LXXII. Veſpaſianus regnat, & in Judæa Imperator ab exercitu proclamatur.
Anno LXXIV. Hieruſalem a Tito capitur.
Anno LXXXI. Titus regnat, vir omnibus valde amabilis. Nicolaitarum hæreſis a Nicolao, cujus mentio fit in Actibus Apoſtolorum, oritur.
Anno LXXXIII. Domitianus frater Titi regnat, ſub qvo Johannes Apoſtolus in exilium relegatus. Iſte demens factus eſt, ita ut, omnibus amotis & palatio clauſo, muſcas perſeqveretur.
An. LXXXIX. Dionyſius apud Gallias decollatur. An. XCIX. Johannes Epheſum rediit. Anno C. Johannes Apoſtolus apud Epheſum obdormivit.
Anno CLXXXVIII. Origenes Alexandriæ naſcitur.
Anno CCVII. Perpetua & Felicitas Chartagine beſtiis deputantur.
Anno CC.XXIV. Alexander regnavit. Hujus mater Mammæa converſa eſt ad fidem Origenis doctrina.
Anno CCXLVII. Philippus regnat. Hic primus Imperator cum filio ſuo Philippo chriſtianus effectus eſt.

Anno

Anno CCLVII. Origenes Presbyter ætatis ſuæ LXX. moritur, & in Tyro ſepelitur. Hieronymus dicit, ſe *qvinqve millia librorum* ejus legiſſe.

Anno CCLXXXII. Probus regnat, cujus pater ruſticus & hortorum cultor fuit.

Anno CCXC. Diocletianus regnat, qvi Maximianum, qvamvis de ruſtico genere, Cæſarem fecit. Mauritius & ſocii ejus paſſi ſunt.

Anno CCCXI. Conſtantinus regnat, qvem Sylveſter Papa baptizavit. Anno CCCXVII. b. Nicolaus claruit.

Anno CCCXLV. Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus a Conſtante fugatur, a Treverorum Epiſcopo ſuſcipitur, ubi in crypta latens, Pſalmum *Qvicunqve vult* compoſuit, ſed Anno Domini CCCXLIX. Alexandriam rediit.

Anno CCCLXV. Martinus Turonenſium fit Epiſcopus. An. CCCLXXXIV. Synodus Conſtantinopoli ſub Damaſo Papa. An. CCCC. Martinus migravit ad Dominum.

Anno CCCCIV. Synodus Alexandriæ propter doctrinam Origenis. Johannes Chryſoſtomus claruit, qvem Arcadius, inſtinctu uxoris ſuæ Eudoxiæ, miſit in exilium.

Anno CCCCVII. Severus vitam beati Martini ſcripſit. Iſte ſilentium usqve ad mortem tenuit, qvia a Pelagianis deinceps fuit.

Anno CCCCXVIII. Corpora ſanctorum Stephani, Gamalielis, & aliorum Luciano revelata ſunt.

Anno CCCCXXIII. Hieronymus obiit. An. CCCCXXVII. Auguſtinus obiit. Anno CCCCXLVI. Brictius obiit. An. CCCCLIII. caput Johannis Baptiſtæ revelatur. An. DIII. Boetius claruit.

Anno DXXVII. Benedictus pater in Monte Caſino claruit. Priſcianus librum ſuum complevit. An. DXXXII. Dionyſius Abbas Romanus *paſchalem cyclum* inchoavit. An. DXLI. *Hypapante Domini* ſumpſit initium apud Byzantium.

Anno DXLIII. Qvidam Italus Andreas, per villas diſcurrens cum *cane rufo & cæco*, ſtetit in medio populi, & aſtantes poſuerunt in terra annulos cujuslibet metalli, qvos ille cooperuit, & ad ejus præceptum canis ſingula tulit, & unicuiqve, qvod poſuerat, dedit. Similiter diverſorum Imperatorum numiſmata juſſus ſecundum nomina porrigebat. Interrogatus oſtendebat fornicarios, adulteros, avaros, magnanimos, deverneatos, ita qvod dicebant, qvod ſpiritum Pythonis haberet.

Anno DXLIX. coepit *feſtum Diviſionis Apoſtolorum* in Conſtantinopoli. An. DLXX. Gregorius M. floruit & Moralia ſcripſit.

Anno DCIII. *Anglia* convertitur cum *Eberto* Rege. *Tunica Domini* inconſutilis invenitur in Zaphat, qvam Gregorius Antiochenus, Thomas Hieroſolymitanus, & Johannes Conſtantinopolitanus Hieruſalem perduxerunt.

Anno DCVI. *Longobardi* deſtruxerunt monaſterium b. Benedicti in Monte Caſino. Anno DCXLII. b. Gertrudis obiit. An. DCLXII. Oswaldus martyrio coronatur.

Anno DCLXX. Conſtantinus regnavit. Beatus Lambertus claruit. Tunc celebrata eſt VI. Synodus univerſalis Conſtantinopoli ſub Papa Agathone & principe, reſidentibus CL. Epiſcopis, contra Pyrrhum hæreticum & ſocios ejus. Prima fuit in Nicæa contra Arrium cum CCCXVIII. patribus ſub Papa Vigilio & Principe Conſtantino. Secunda Conſtantinopoli CL. patrum contra Macedonium ſub Damaſo Papa & Gratiano Principe. Tertia in Epheſo CC. patrum contra Neſtorium Auguſtæ urbis Epiſcopum, ſub Theodoſio M. Principe & Papa Cœleſtino. Qvarta in Calcedone pa-

trum DCXXX. contra Eutychen, ſub Leone Papa, temporibus Martiani Principis. Qvinta in Conſtantinopoli contra Theodorum ſub Vigilio Papa & Juſtiniano Principe. Sexta, de qva jam diximus.

Anno DCXCIII. *Beda* Venerabilis Anglorum pater claruit. An. DCCXVIII. Leo regnat. *Beda* Venerabilis presbyter obiit. An. DCCXLV. *Voldenſe* Monaſterium fundatum eſt.

Anno DCCL. b. *Bonifacius* paſſus eſt. *Willehadus* properavit in *Friſiam.*

Anno DCCLVI. *Karolus* tendit in Italiam, deinde *Saxoniam.* *Saxones* baptizantur, & poſtea fidem violant.

Anno DCCLXXXVIII. fundata eſt *Eccleſia Bremenſis*, & ibidem Epiſcopus conſtituitur *Willehadus*, & duobus annis ſedit.

Anno DCCXCVII. *Karolus* venit in locum *Albiæ*, qvi ab eodem ejus adventu *Karlesſtadt* dicitur. *Willericus* in *Brema* fit Epiſcopus, & ſedit annis L.

Anno DCCLXXXIX. Translatus eſt b. *Maria Magdalena* in Wizcliacenſem Eccleſiam a qvodam Monacho, *Babilon* appellato.

Anno DCCCX. fundata eſt *Eccleſia Hammenburgenſis.*

Anno DCCCXV. *Ludewicus* Karoli filius regnat. Beatus *Anſcharius* claruit.

Anno DCCCXXXIII. *Anſcharius* Hammenburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ordinatur, & ibidem *Metropolis omnium aqvilonarium regionum* conſtituitur.

Anno DCCCXL. *Normanni Hamburg* cremaverunt, omnibus conſumptis, & *Anſcharius* vix evaſit.

Anno DCCCXLI. *Lodewicus* filius Lodowici regnavit XXXVI. annis, & fratres qvatuor regnum diviſerunt. *Lotharius* cum nomine Imperatoris poſſedit Italiam, *Lotkewicus* Germaniam, *Pipinus* Aqvitaniam, *Karolus* Galliam. *Anſcharius Rameſloenſem* fundavit Eccleſiam in poſſeſſione cujusdam matronæ.

Anno DCCCXLIV. *Leudericus* Bremenſis Eccleſie Epiſcopus obiit. *Anſcharius* ei ſucceſſit. Nam *Nicolaus* Papa *Bremenſem Eccleſiam* a Colonienſi exemit, & eam cum *Hamburgenſi* adunavit, ibiqve *Anſcharius* annis XVIII. ſedit. In *Hammenburg* autem XVI. annis. Statim *Anſcharius Sleswic* fundavit (a), & multos *Danorum* convertit.

Anno DCCCLXV. Beatus *Anſcharius* obiit, qvi annis XVII. poſt compoſitionem ſuæ & Bremenſis Eccleſiæ vixit. *Reimbertus* Diaconus ejus ſucceſſit.

Anno DCCCLXXXII. *Buccenſis* Eccleſia fundatur a *Remberto.*

Anno DCCCLXXXVIII. beatus *Rembertus* obiit. *Adelgarius* Corbejenſis Monachus ei ſucceſſit.

Anno DCCCCIII. *Slavi Hamburgenſem parochiam* deſtruxerunt.

Anno DCCCCXXXVI. *Otto M.* filius Henrici regnat. *Unni* Archiepiſcopus obiit. Cui *Adeldagus* ſucceſſit.

Anno DCCCCLXI. *Otto* Rex coronatur Romæ a Leone Papa in Imperatorem. *Adeldagus* Epiſcopus rediens de Italia, *Benedictum* Papam ab Ottone depulſum ſecum duxit, qvi in *Hammaborg* permanſit. Qvi cum eſſet, Romanis poſcentibus, reducendus, apud *Hammaborg* in pace qvievit *IV. Nonas Julii.*

Anno DCCCCLXXXVIII. *Adeldagus* Archiepiſcopus obiit. Cui ſucceſſit *Libentius.*

Anno MI. fundata eſt Eccleſia *Herſeveldenſis* a Comite *Henrico.*

Anno

(a) Deeſt *Eccleſiam.* Alb. Stadenſ. hæc ad An. 845. refert.

Anno MXIII. *Libentius* Archiepiſcopus obiit. Cui *Unvanus* ſucceſſit, qvi *Eccleſiam Hammenburgenſem* penitus deſolatam renovavit, Canonicis ibidem inſtitutis.

Anno gratiæ MXXI. in villa *Colbize* in Saxonia, in Monaſterio S. Magni martyris, completis matutinis, in nocte nativitatis Domini, coeperunt corizare XV. viri & III. mulieres in coemiterio. Presbiter cum primam maſſam inchoaret, non ceſſaverunt a cantilenis & chorea, donec ipſe volens inſolentiam eorum compeſcere, acceſſit ad eos, rogans, ut qvieſcerent. Nolebant. Qvibus presbyter imprecatur: Det dominus, ut potentia Dei & meritis ſancti Magni martyris ſic inqvieti annum ducatis. Qvi verba ejus ſubſanantes, perſtiterunt cantando. Erat autem una trium mulierum filia presbyteri, nomine Merſindis, qvam, jubente presbytero, frater matris ejus Johannes brachio apprehendens nitebatur extrahere a chorea, & brachium ejus detraxit a corpore, nec tamen gutta ſangvinis emanavit. Qvæ tamen cantando & pedibus ſtrependo cum aliis in chorea per annum remanſit. Sex menſibus evolutis, terræ usqve ad genua ſunt immerſi. In illo anno nec comederunt, nec biberunt, nec pluvia eos irrigavit, tegumenta facta ſuper eos dejecta ſunt, veſtimenta & calceamenta eorum non ſunt attrita, ungves eorum & capilli non creverunt. Anno evoluto, immerſi ſunt terræ usqve ad latera. Tunc die nativitatis Domini venit ibidem *Herbertus* Colonienſis Archiepiſcopus, & orationem fecit ſuper eos, & ante altare S. Magni ductos reconciliavit, ſed ante altare ſopor invaſit eos, & ibidem tribus diebus & noctibus continuis dormierunt. Unus vero ex eis, Johannes nomine, cum filia presbyteri, & cum duabus aliis fæminis, ſolo proſtrati, ſtatim ſpiritum emiſerunt. Alii poſt excitationem ſe levantes, ad propria redierunt, cibum ſumentes, ſed in recordationem hujus ſigni mirifici, usqve in diem mortis non ſunt a tremore capitis liberati. Qvidam ex eis emendati ſunt in tantum, ut ex divina gratia poſt mortem miraculis coruſcant.

Anno MXXXII. *Libentius* Archiepiſcopus obiit, cui *Hermannus* ſucceſſit, & ſedit tribus annis.

Anno MXXXV. *Hermannus* Archiepiſcopus obiit, cui *Bezelinus* cognomine *Alabrandus* ſucceſſit.

Anno MLI. *Albertus* Archiepiſcopus fundavit *Eccleſiam beati Pauli* juxta Bremam de bonis, qvæ hoſpitali pertinebant. Item *Sanctorum Willehadi & Stephani* in *Sullenberghe* (b), cujus fundamenti veſtigia adhuc apparent in eodem monte.

Anno MLXVIII. *Albertus* Archiepiſcopus curiæ Imperiali, a qva alienus fuerat, reſtitutus, Epiſcopatui ſuo duodecim Epiſcopatus facere diſpoſuit, absqve his, qvos in *Dacia* habuit. Primum in *Palmis*, II. in *Hiligenſtat* (c), III. in *Racisborgh*, IV. in *Haldenborch* (d), V. in *Mikilinborch*, VI. in *Stadio*, VII. in *Lismona*, VIII. in

(b) Mons *Sullenberg* ſitus erat in Ducatu Holſatiæ, Comitatu Vinnenbergenſi, paroecia Nienſtedt. Ibi circa medium Seculi XI. *Adalbertus* Archiep. Hamb. *Eccleſiam & Præpoſituram Sanctorum Willehadi & Stephani* fundavit, ibi qvoqve Caſtellum erexit, & Congregationem ſacram facere diſpoſuit, qvæ mox in turmam latronum converſa eſt, ideoqve locus poſtea tumultu comprovincialium deſtructus eſt, *Adam. Bremenſ.* Lindenbr. p. 35. 40. *Albert. Stad.* p. 124.

(c) Paroecia *Hilgenſtede*, Adamo Brem. *Heiligenſtad*, ſita eſt in Ducatu Holſatiæ, provincia Stormariæ & Præfectura Steinburgenſi. Ibi *S. Ansgarius* ante medium Seculi XI. in Eccleſia recens conſtructa *corpus S. Materniani*, ſibi ab *Ebbone* Archiep. donatum, repoſuit, unde Eccleſiæ illi nomen impoſitum eſſe, vix dubitari poteſt. Eundem locum Seculo poſtea XI. *Adalbertus* Archiepiſcopus in Epiſcopatum erigere deſtinaverat, vid. *Adam. Brem.* p. 7. 41. *Alb. Stad.* p. 90. 133.

(d) Eſt oppidum vetuſtum provinciæ Wagriæ in Ducatu Holſatiæ, adhuc *Oldenburg* dictum. Saxoni Gram. p. 342. *urbs antiqva* in provincia *Brammeſiorum*. Teſte Helmoldo p. 237. oppidum illud Danice *Brandebuſe* appellatum eſt, ſed Slavica lingva *Starigard* i: antiqva civitas, ibid. p. 33. Ibi circa An. 932. ab *Ottone*

in *Wildenhuſen*, IX. in *Brema*, X. in *Verda*, XI. in *Ramſola*, XII. in *Freſia*. Sed in *Hammaborch* Patriarchatum efficere cogitabat.

Anno MLXXII. *Albertus* Archiepiſcopus obiit. Cui *Liemarus* de Bavaria ſucceſſit. Item *Hammaborg* incenſa & vaſtata eſt, & Pagani *Nordalbingiam* libere poſſederunt.

Anno MLXXVI. Principes Imperii apud Oppenhem Regi *Henrico* renunciant, qvod apoſtolice vocatus nec venit nec ſatisfecit, qvi ſacrificare Romam venit, & mandatum accepit a Papa, ut poenitentiam in Roma ageret, obedivit. Cardinales interea ſvadent Papæ, regnum in alium transferre, cujus hortatu qvidam Principum Ducem Svevorum *Rodolfum* elegerunt, cui Papa auream miſit coronam, ſic inſcriptam: Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Præcepit interea Maguntino & Colonienſi, ut ſtatuerent eum Regem. Saxones & Svevi conſenſerunt, ceteri non, propter juramentum, qvod Henrico juraverant.

Anno Domini MLXXX. Bellum inter Regem & *Rodolfum* geritur apud fluvium Elleſtram, ubi Rodolfus in manum dextram vulneratur. Fugit Mersborch, & jam moriens ait: Hac manu domino meo Regi fidem ſpopondi, hac manu fidem violavi, eadem manu mortis articulum incurri: & mortuus eſt.

Anno Domini MLXXXII. Rex *Henricus* Romam cepit, Romani dant obſides, Papa fugit in Salernam, ubi moritur.

Anno MLXXXIV. *Henricus* Rex Wicbertum Rauvenſem Epiſcopum Papam eligi fecit, Clementem vocatum, a qvo ipſe cum Regina *Bertha* in die Paſchæ coronatur.

Anno MLXXXV. Synodus Maguntiæ, Imperator interfuit cum Papa Clemente, vir Gregorius excommunicatur, ſed eodem anno moritur apud Salernam, eligunt Deſiderium, qvo mortuo, Urbanum, eo defuncto, Paſchalem, & Schisma duravit XXV. annos.

Anno MLXXXVIII. Translatio ſancti *Nicolai* de Mirea in Barum.

Anno MXCVIII. XI. Kalend. Aprilis, luna paſchali XIV. Indictione VI. Epacta XV. Concurrente IV. *Ciſtercienſe Collegium* ſumpſit initium (e).

Anno MXCIX. Dux *Godefridus* in die diviſionis Apoſtolorum Jeruſalem & terram ſanctam recuperavit, unde verſus:

Anno Milleno cum Centeno minus uno
Jeruſalem ſcribo captam Duce ſub Godefrido.

Monaſteria & Eccleſiæ in terra ſancta renovantur.

Anno MC. Dux *Godefridus* obiit. *Balduwinus* Rex frater ejus in regno ei ſucceſſit. Item in *Herſevelde* Monachi ſunt pro Clericis inſtituti.

Anno MCVI. qvidam Dux, *Magnus* nomine, obiit. Et *Henricus* Rex Ducatum dedit *Ludero* Comiti, qvia *Magnus* filium non habuit, ſed duas filias. Qvarum una *Eileke* nupſit *Ottoni* Comiti, genuitqve *Albertum* Marchionem cognomento *Urſum*. Altera *Wilfildis* nupſit Duci Bavariæ *Welp*, & peperit ei *Henricum Leonem*, patrem Ducis *Henrici*, qvi Bruneswich qvieſcit. Item *Comes Holſatiæ Godefridus* a Slavis occiditur, & *Luderus* Dux Comitiam illam Comiti *Adolfo* de Schowenborch contuit (f).

Anno

Ottone M. Epiſcopatus inſtitutus eſt, ibid. p. 30. ſq. Hunc Seculo XI. Adalbertus Archiep. in tres diviſit Epiſcopatus. *Adam. Brem.* p. 18. 38. 41. *Alb. Stad.* fol. 108. b. 133. Conf. *Helmold.* p. 157. ſq. Epiſcopatus Aldenburgenſis poſtea Lubecam tranſlatus eſt.

(e) Vid. *Albert. Stad.* fol. 143. b.

(f) Conf. *Helmold.* Bangerti p. 89. 90. *Alb. Stad.* fol. 150. b.

Anno MCXXIV. *Novum Monaſterium* (g) inſtituitur. Item *Henricus* Imperator obiit, & in Spira ſepelitur juxta patrem Henricum, avum Henricum, & proavum Conradum. Unde hoc adhuc ſuper tumbas eorum invenis ſcriptum:

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet iſtic.

Anno MCXXXIII. *Vicelinus* ſacerdos claruit, poſtea in *Haldenborch* Epiſcopus ordinatur.

Anno MCXXXIV. *Luderus* Imperator paſcha in *Halverſtat* celebrat. Et MAGNUS Rex Danorum venit ad eum, qvi nepotem ſuum *Canutum* occiderat. Hæc autem eſt illa progenies: NICOLAUS & HENRICUS (h) fratres. NICOLAUS pater *Magni* & *Kanuti*, ERICUS pater *Kanuti* & *Waldemari*, WALDEMARUS pater *Erici*, occiſi a fratre ſuo *Abel*, & *Abelis* & *Chriſtophori*. *Luderus* Imperator caſtrum & clauſtrum *Seghebergbe* conſtruxit.

Anno MCXXXVII. *Luderus* Imperator obiit.

Anno MCXXXVIII. *Conradus* filius Frederici Ducis, nepos Henrici Imperatoris ex ſorore, regnavit annis XV. Latrones de *Lubeke* novum oratorium in *Zegeberghe* exuſſerunt.

Anno MCXXXIX. *Henricus* Dux Saxoniæ obiit. Comes *Adolfus* renovavit caſtrum *Zeghebergbe*, cingens illud muro.

Anno MCXLIII. Eccleſia b. virginis fundata eſt in *ſuburbio Stadenſi*.

Auno MCXLV. *Bernardus* Abbas Clarevallenſis virtutibus inſignis claruit. Item facta eſt expeditio verſus terram ſanctam.

Anno MCXLVIII. Eugenius Papa *Ciſtercienſe Monaſterium* dedicavit. *Albero* Archiepiſcopus obiit, cui *Hartwicus* major Præpoſitus ſucceſſit.

Anuo MCXLIX. *Hartwicus* Archiepiſcopus propoſuit reædificare Epiſcopales ſedes a Barbaris deſtructas, ſcilicet, *Aldenburgenſem*, *Mikilenburgenſem*, *Raceburgenſem*, e qvibus *Haldenburgenſem* magnus *Otto primus* inſtituerat, ſubjiciens ei *Polabos*, *Obotritos*, a terminis *Holſatorum* usqve ad *Penam* fluvium & civitatem *Dymin*, poſuitqve in *Haldenborch* primum Pontificem *Marconem*. Poſt hæc ſurrexit in Eccleſia Hamburgenſi magnus *Albertus* Archiepiſcopus, qvi de peregrinis Epiſcopis, qvos in ſua habuit menſa, *Johannem* in Mikelenborch conſtituit, qvæ ſedes erat in Swerin, *Ariſtonem* poſuit in Raceborch, & ſic *Haldenborch* ſedes diviſa eſt in tres Epiſcopatus. Poſt hæc propter inſultus paganorum LXXXIV. annis vacaverunt hæ ſedes, usqve ad tempora *Hartwici*, de qvo jam diximus. Hic auxilio Ducis *Henrici* magni *Leonis* cœpit Epiſcopatus abolitos ſuſcitare, & *Vicelinum* in Aldenborch, *Emchardum* in Mikelenborch, Epiſcopos conſecravit. Unde Dux *Henricus* hos tres Epiſcopatus, qvod negotium converſionis illius regio tam a Papa qvam a Romano Principe tenuit, matri ſuæ *Hamburgenſi Eccleſiæ* ſuo privilegio aſſignavit. Et *hoc Privilegium eſt in Eccleſia Hamburgenſi.*

Anno MCL. *Bernardus* Clarevallenſis Abbas in Domino obiit.

Anno MCLII. *Conradus* Rex obiit. Tempore Conradi Regis & Eugenii Papæ, puella qvædam, *Hildegardis* nomine, juxta Pingueram celebris erat, qvæ ſpiritu ſancto inflammata tres libros edidit, Librum Scinias, Librum divinorum operum, Librum Epiſtolarum. In libro Epiſtolarum multa miracula ventura prædixit,

(g) *Alb. Stad.* ad An. 1125. refert. Locus olim tribus nominibus appellatus eſt, *Faldera* ſcilicet a Slavis, *Wippenthorp* ab Holſatis, & deniqve *Novum Monaſterium*, qvod demum in *Bordesholm* translatum eſt, Vid. *Helmold.* Bangerti p. 114. 115. ſq. 212. *Alb. Stad.* fol. 157. 161.

(h) Legend. ERICUS ſcil. *Bonus*. Plures in hac Regum Genealogia errores Auctor committit.

& turbationes, qvæ univerſo clero evenient, per qvendam populum currentem, cujus diſpoſitionem & ordinem ſatis deſcribit, & ſimiliter de Antichriſto. Virgo autem *Hildegardis* in principio libri Scinias ſic de ſe dixit: Factum eſt in MCLI. filii Dei incarnationis igneum lumen, aperto cœlo veniens, totum cerebrum meum transfudit. Obiit autem ſub Adriano Papa, qvi ſedit anno Domini MCLIV. & obiit MCLIX. regnante *Friderico* Imperatore.

Anno MCLIV. *Vicelinus* Epiſcopus obiit, cui *Geroldus* capellanus Ducis *Henrici* ſucceſſit. Item *Raceburgenſis* Epiſcopatus renovatur.

Anno MCLVIII. *tempeſtas* maxima, & plurimi ſubmerguntur.

Anno MCLXI. *Gero* Halverſtadenſis Epiſcopus dignitatem ferendi Pallii a Victore Papa ſuſcepit.

Anno MCLXII. *Petrus Longobardus* librum ſententiarum compoſuit, unde verſus:

MC ſex decies annosqve recollige binos,
Tunc *Petrus* ſparſit iſtius odore libri nos
Addideris ſi forte novem, qvod paſſio Thomæ
Pontificis ſit ibi, qvem cantat Cantua pro me.

Anno MCLXIII. *Henricus* Dux caſtrum *Werle* cepit. Item poſtulante *Geroldo* Epiſcopo, Dux *Henricus* Sedem de *Aldenborch* in *Lubeke* ſtatuens ibi XII. Præbendas & Præpoſitum *Adelonem*, cujus XIII.

Anno MCLXIV. orta eſt *tempeſtas* maxima XIV. Kal. Martii, & *aqva* involvit omnes fines *Freſiæ*, *Hadeleriæ*, & terram paluſtrem *Albiæ*. Item ſtrages in *Dymin Adolfi* Comitis & plurimorum. Item *Reinoldus* Colonienſis Electus *corpora trium Magorum* de Mediolana in Coloniam deportavit.

Anno MCLXV. *Hartwicus* Archiepiſcopus dedicavit Monaſterium b. Virginis juxta *Stadium*.

Anno MCLXVIII. *Hartwicus* Bremenſis obiit. Duo ſunt electi, *Syfridus* Alberti Marchionis filius, & *Otbertus* Decanus. *Balduinus* capellanus Ducis *Henrici* intruditur, & ab Apoſtolico confirmatur.

Anno MCLXX. caſtrum *Horeborch* deſtruitur.

Anno MCLXXI. *Thomas* Cantuarenſis Archiepiſcopus occiditur.

Annus Millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas cum ruit enſe *Thomas*.

Anno MCLXXIII. Terra circa Bremam arſit in fervida æſtate, fere per menſem. Item *equus* locutus eſt ſeſſori ſuo dicenti: Bibe diabole, invitum me potes ad aqvam ducere, ſed invitum me non potes adaqvare.

Anno MCLXXV. Veneti cum Imperatore discordant, tamen *Venetia* inſula non natura ſed arte facta & ſic inchoata. Rex *Attila* Aqvilegiam obſidens, habitatores hujus fugavit, qvi ad locum illum venientes, ibidem inſulam congeſſerunt, & eam venalitate vel venatione vocaverunt. Erant ibidem duo concives, unus pauper & alter dives, dives ire volens mercatum qværebat a concive ſuo, ſi qvid vellet mittere ſecum pro mercimonio, pauper reſpondit: non habeo niſi duos catos. Qvos dives ſecum attulit, & caſu in qvendam locum venit, ubi mures fere locum vaſtaverant, ibi catos pro multa pecunia vendidit, cum qva mercatus multa bona ſocio reportavit.

Anno MCLXXVII. *Novum Monaſterium* exuritur. Item Imperator offenſus Mediolanenſibus, vocavit in auxilium Principes, & qvia Dux *Henricus* erat ei gravis, ad pedes ejus procedit, & dum eum levare contempſit, Imperator eum le-

vavit,

vavit, dicens: Surge, mi domine, & memor esto hujus casus, & memor sit Dominus. *Jordanus* Dapifer glorianter dixit Duci: Domine, corona Imperii ad pedes vestros venit, adhuc in caput vestrum ascendet. Sed fortuna Ducis ab eo tempore cœpit labefactari. Item *Alwardus* primus Abbas Stadensis obiit.

Anno MCLXXVIII. Ecclesia in Alverstat plena clericis, matribus & infantibus, a Duce *Henrico* incenditur, & ipsa civitas.

Anno MCLXXX. Imperator *Werceborch* curiam habens, abjudicavit Duci omne pheudum, qvod ab Imperio tenuit, & ab Episcopis. Item *Bernardus* Comes de Hanehalt suscepit Ducatum *Saxoniæ.*

Anno MCLXXXI. Imperator *Lubeke* veniens, civitatem in deditionem accepit. Item *Henricus* Dux se in potestatem Imperatoris dedit, & fines Imperii ad tres annos abjuravit, & Angliam intravit.

Anno MCLXXXIII. octo Principes, & multi nobiles, & plusqvam C. milites, submersi sunt in cloaca Erfordiæ, Imperatore vix se qvadam fenestra salvante, nullo tamen Episcopo vel clerico ibi periclitante. Comes *Heinricus* de Swarceborch ibi profundius corruit, qvia assidue sic juravit: Si hoc fecero, submergar in latrina.

Anno MCLXXXV. Lucius Papa obiit, cujus epitaphium est:

Luca dedit lucem, Luci tibi Pontificatum
Hostia, Papatum Roma, Verona mori.

Anno MCLXXXVI. inchoatum cœnobium *Reinvelde* (i) juxta fontem *Cuserin.*

Anno MCLXXXVIII. Abbas Joachim sic de antichristo prophetavit: Cum fuerint expleti M. anni & CCLX. nascetur Antichristus.

Anno MCLXXXIX. *Bardewich* a Duce *Henrico* destruitur die Simonis & Judæ.

Anno MCXCI. *Fredericus* Imperator in flumine Thessaliæ submergitur, & tunc dicitur exclamasse: Benedictus crucifixus Dei filius, qvod aqva me suscipit, qvi me regeneravit, & me facit martyrem, qvi me fecit christianum, & hæc dicens exspiravit.

Anno MCXCII. *Waldemarus*, Episcopus Sleswicensis, regnum affectans Daciæ, a *Waldemaro* Duce capitur, & vinculis mancipatur.

Anno MCXCIII. *Richardus* Rex Angliæ in Austria capitur, in civitate Wien ad ignem sedentem, & pro servo gallinam assans Imperatori traditur, & ipse pro centum & qvinqvaginta librarum argenti se redemit.

Anno MCXCV. Imperator cepit Salernam, cepit & Margaretam potentissimum pyratam, & cœcavit eum. Cepit & filium Tancredi Regis, & matrem ejus, & filiam Regis Constantinopolitani, desponsatam filio Tancredi, nomine Ceciliam, qvam postea duxit *Philippus* Rex. Item *Henricus* Dux obiit, relictis post se filiis, *Ottone*, *Henrico*, & *Wilhelmo.*

Anno MCXCVI. Imperator Jordanum qvendam Siculum in sedem candentem ferream posuit, & coronam ignitam clavis ferreis capiti ejus incussit, qvia miserat Imperatrici clenodia, & qvædam receperat. Gloriabatur enim se Regem futurum, & ducturum Constantiam. Qvendam etiam Richardum per plateas tractum suspendi fecit, qvod eum, ut dicebatur, consilio constanti impotionare proposuit.

Anno MCXCVII. Rex Jerusalem nocte surgens, ut urinam projiceret, de fenestra cadens mortuus est, & cliens similiter, qvi eum retrahere voluit. Item Principes

(i) Monasterium *Reinfeld* est filia *Lucensis* in Ducatu Brunsvicensi, *Leuckfeld* Antiqv. Walkenried. p. 507. Ej. Beschr. von Luckem p. 94. Conf. *Helmold.* p. 339. Glückstadsche Anzeigen 1753. p. 10. sq.

cipes elegerunt *Fredericum* filium Imperatoris Henrici, vix qvatuor annos habentem. Vocabatur autem alio nomine Conſtantinus, a nomine matris, qvæ Conſtantia dicebatur. Principes Alemanniæ elegerunt *Philippum* fratrem Imperatoris, excepto Adolfo Colonienſi Archiepiſcopo, qvi cum ſuis complicibus elegit Ducem Zaringiæ, qvi noluit acceptare. Unde *Ottonem* elegit, filium Ducis de Bruneswich, conſilio & auxilio Regis Angliæ *Richardi* avunculi ejus & *Henrici* fratris ſui & Ducis Brabantiæ. *Otto* Aqvisgrani, *Philippus* Moguntiæ coronatur, & multiplicata ſunt mala in terra.

Anno MCXCIX. *Hartwicus* Archiepiſcopus, rediens de peregrinatione, tulit Bremæ *gladium Petri*, qvo Malcho amputaverat auriculam. Item *Otto* & *Philippus* inter ſe præliantur. *Richardus* Rex Angliæ juvit multa pecunia. Item KANUTUS Rex Danorum *Hamborch* & *Stadium* expugnare propoſuit, ſed *Hartwicus* Archiepiſcopus & Comes *Adolfus* ei ad *Eidoram* fluvium obſtiterunt. Item *Elverus* Abbas Stadenſis obiit, cujus Prior ejusdem Eccleſiæ *Chriſtophorus* ſubrogatur.

Anno MCC. Rex *Philippus* Bruneswich obſidet, nec obtinet.

Anno MCCI. *Philippus* & *Otto* circa Moſellam vires ſuas ſunt experti. *Hamborch* & *Lubeke* a Duce WALDEMARO capitur, & Comes *Adolfus*, & ad *Waldemarum* Epiſcopum ponitur.

Anno MCCII. KANUTUS Rex Danorum obiit, cui WALDEMARUS frater ejus ſucceſſit.

Anno MCCIII. Homines Comitis *Adolfi* reddunt caſtrum *Lovenborch* WALDEMARO Regi Danorum pro abſolutione Comitis. Item *Albertus* Livonienſis Epiſcopus Rigam ædificavit.

Anno MCCV. *Philippus* & Otto circa Coloniam vires ſuas probant, & *Otto* graviter vulneratur.

Anno MCCVI. Colonienſis venit in gratiam *Philippi*, *Ottone* relicto.

Anno MCCVII. *Philippus* & *Otto*, duobus Cardinalibus præſentibus, pro reconciliatione tractant, ſed nichil proficiunt.

Anno MCCVIII. Rex *Philippus* a Comite de Wizelbach occiditur in Bavenberch XI. Kal. Julii, & in Spirea ſepelitur. Item Rex *Otto*, deſponſata ſibi Regis *Philippi* filia, in Imperio confirmatur, qvi ſtatim in Frankenvorde curiam habuit, leges innovavit.

Anno MCCIX. *Otto*, Ducis *Henrici* filius, Romæ a Papa Innocentio coronatur. Item eodem tempore cœpit *Ordo Prædicatorum* & *Minorum* fratrum, & Innocentius Papa vitam & regulam *b. Franciſci* approbans annotavit.

Anno MCCX. *Theodoricus* Lubicenſis Epiſcopus obiit, cui *Bertholdus* ibidem Canonicus ſucceſſit, qvem *Yſo* Verdenſis Epiſcopus in Eccleſia b. Virginis apud *Stadium* conſecravit.

Anno MCCXII. Papa Innocentius Imperatori redeunti in Alemanniam ſuſcitavit adverſarium *Fridericum* Siciliæ Regem, Imperatoris Henrici filium, cui per Papam multæ civitates Italiæ acceſſerunt. Imperator duxit filiam Regis *Philippi*, qvæ ſtatim poſt nuptias obiit. Item *Wilhelmus* de Lunenborch obiit, relinqvens *Ottonem* infantulum.

Anno MCCXIV. pueri de diverſis regionum villis & civitatibus ſine certo rectore & duce verſus transmarinas partes avidis greſſibus cucurrerunt, & dum qværeretur ab ipſis, qvo currerent, reſponderunt, verſus Jeruſalem reqvirere terram ſanctam. Papa, his auditis, ingemuit, & ait: Per hos pueros nobis Deus imperat,

qvod

qvod ad recuperationem terræ ſanctæ eis currentibus nos dormimus. Unde mulieres circa Rhenum de loco ad locum nil loqvendo vagabantur. Item Imperator cum Rege Franciæ conflictum habuit, ſed victoriam perdidit.

Anno MCCXV. *Rex Danorum Albiam* cum exercitu intrat, *Stadium* invaſurus, ſed prohibet Palatinus. Imperator, cum fratre, & Marchione de Brandenborch, & *Waldemaro* Epiſcopo, *Hamborch* obſedit, & in pace recepit. Innocentius Papa *generalem Synodum* celebrat in *Lateranenſi Eccleſia* S. Salvatoris cum CCCCXII. Epiſcopis. Et eodem anno Perufii obiit. In eadem Synodo duo Epiſcopi dicuntur ex preſſura mortui. Unde qvidam dixit:

Non intrant tuti juſſum Papale ſecuti,
Noſtri cornuti, qvia prodeſt cornibus uti,
Cum preſſentur uti pecudes jacentqve voluti
In ſqvalore luti, mors eſt vicina ſaluti.

Succesſit autem Innocentio Honorius.

Anno MCCXVI. *Ordo Prædicatorum* confirmatur. *Rex Danorum Albiam* glacie rigentem tranſiens, *Stadium* expugnare voluit, ſed anteqvam gelu ſolveretur, rediens, vires ſuas in *Hamborch* convertit, fecitqve *caſtrum* infra civitatem ſuper *Albiam*, & Comes *Albertus* aliud ſuper urbem. Unde *Hamburgenſes* affecti tædio, ſe dederunt.

Anno MCCXVIII. *Otto* Imperator magna contritione in caſtro *Haresborch* moritur, a *Sifrido* Hildenshemenſi Epiſcopo abſolutus. Item *caſtrum Vorde* a Bremenſis Eccleſiæ miniſterialibus occupatur, & tali caſu juxta idem caſtrum in loco, qvi dicitur *Bokele* ſuper Bevernam fluvium, qvidam ſimplicisſimus ruſticus habitavit, qvi cœpit benedicere infirmos cum verbis qvibusdam ruſtice compoſitis, & tandem confluxerunt homines infirmi qvaſi peregrini de diverſis partibus, & fere omni die factus eſt in turba cantus & clamor magnus, tanqvam aliqvi fuerint de ſuis morbis liberati, & multi crediderunt ei. Dux autem Heinricus defendit eum & advocatus ejus Heinricus de Offenhuſen, & qvæſtum infinitum de oblatione habebant. Interea Miniſteriales Bremenſes qvaſi verſus *Vorden* euntes, reqviſiti, qvo tenderent, dixerunt, ſe de remotis partibus venire, & viſitare limina Sancti *Otberti*, cujus dicunt balneum potatum conferre mirificam infirmis ſanitatem, aſcendunt in caſtrum *Vorde*, & homines Ducis ejecerunt. Ruſticus *Otbertus* fugit in *Stadium*, & ita venit poſtea in *Lubeke*, inde in *Rigam*, & ibi obiit. Item Rex *Fredericus* Erfordiæ curia celebrata Imperio confirmatur.

Anno MCCXIX. Rex *Fredericus*, habito conventu apud Goslariam, gaviſus eſt valde, Duce *Henrico* ei imperii inſignia præſentante. Item *Gerardus* Bremenſis Archiepiſcopus Frankenvordiæ obiit. Eiqve *Gerardus* Palburnenſis Præpoſitus, filius Bernardi de Lippia poſt Comitis, poſt Abbatis, tandem Epiſcopi, ſubrogatur.

Anno MCCXX. *Fredericus* Rex Siciliæ, Henrici Imperatoris filius, Romæ a Papa Honorio coronatur. Qvidam dicunt, eundem Fredericum fuiſſe filium Henrici magis vocalem qvam realem, cum Henricus Conſtantiam duxit, ſexagenaria fuit, unde non credunt eam in tali ætate peperiſſe. Item *Henricus* filius Imperatoris, patre volente, Frankenvordæ in Regem a Principibus eligitur. Item *Horborch* deſtruitur.

Anno MCCXXIII. Rex Danorum WALDEMARUS a Comite *Henrico* de Sverin in propria terra capitur, & in *Dammeborch* gravi cuſtodia coarctatur.

Anno MCCXXIV. *Philippus* Rex Franciæ, obiit, cui Lodewicus ſucceſſit. Item qvidam venit in Flandriam, dicens, ſe eſſe *Baldvinum* Comitem, ſed utrum

fuerit, an non, adhuc ſub judice lis eſt. Comitiſſa vero, qvæ filia ejus eſſe debuerat, eum ſuſpendi fecit.

Anno MCCXXV. Comes *Adolfus*, auxilio *Gerardi* Archiepiſcopi, & Comitis *Henrici* de Sverin, & *Henrici* de Werle, invitatus a potentioribus *Holſatiæ*, terram occupat *Transalbiam.* Item Comes *Albertus* a Comite *Henrico* de Swerin *Molne* capitur, & cum avunculo ſuo *Rege Danorum* cuſtodiæ mancipatur. Item *Rex Daciæ* pro *LXV. marcarum millibus* ſe redemit, exceptis aliis clenodiis circa *tria millia marcarum* æſtimatis. Item *Engelbertus* Colonienſis Epiſcopus a Friderico Comite de Yſenborch occiditur.

Anno MCCXXVI. beatus *Franciſcus* migravit ad Dominum. Item Comes Fredericus de Yſenborch rotatur Coloniæ. Item Domini *Nordalbingiæ Albertum* Ducem Saxoniæ vocant, eiqve *Raceborch* & *Lubeke* reſignant.

Anno MCCXXVII. prælium in *Bornehovede Regis Danorum* contra Bremenſem Archiepiſcopum, & Ducem Saxoniæ *Albertum*, & *Henricum* Comitem de Swerin, die *Mariæ Magdalenæ. Rex* per fugam elabitur, ſed Dux Lunenborch a Comite *Henrico* de Swerin capitur.

Anno MCCXXVIII. *Henricus* Comes de Swerin obiit, *Ottone* Domino de Lunenborch non dimiſſo. Volebant enim Conſiliarii *Guncelini* eum dimittere, ſed Dux *Albertus* renititur, donec ei Hedenſaken (k) traderetur.

Anno MCCXXIX. *Pariſiis* inter clerum & populum maxima orta diſſenſio, multis clericis trucidatis, ita ut Studium in Andegaviam transferretur.

Anno MCCXXX. *Bertoldus* Epiſcopus Lubicenſis obiit, cui *Johannes* ejusdem Eccleſiæ Decanus ſucceſſit.

Anno MCCXXXII. *Chriſtophorus* Abbas Stadenſis obiit, cui *Albertus* ſucceſſit.

Anno MCCXXXIV. *Stedingi* deleti ſunt a peregrinis. Item *Rex Danorum* contra *Lubicenſes* ſuper *Travemam* ædificavit duo caſtra.

Anno MCCXXXVI. *b. Elizabeth* translata eſt Kalendis Maji, præſente Imperatore Frederico & multis Principibus. Item in Livonia ſtrages peregrinorum multa, circa feſtum Mauritii.

Anno MCCXXXVII. Dux *Abel*, filius WALDEMARI Regis, duxit filiam Comitis *Adolfi* in terra Holſatiæ. Item *Eccleſia Reinevelденſis* dedicata eſt.

Anno MCCXXXVIII. Comes *Adolfus* cum uxore ſua *Heileviga Livoniam* ivit.

Tres ubi creſcit olus, nec erant tunc ſydera, ſolus
Abbas *Albertus* poſuit radiantia qvercus.

Anno MCCXXXIX. Comes *Adolfus* de Schowenborch ſe in *Hamborg* reddidit ad *Fratres Minores*, die Ypoliti, Sabbato, relinqvens poſt ſe pueros, *Johannem*, *Gerardum*, & *Luderum*, qvibus tutorem dedit generum ſuum Ducem *Abel.*

Anno MCCXLI. *Tartari* tantum terrorem hominibus incuſſerunt, ut Papa, ad inſtantiam Regis Ungariæ, generalem daret ſanctæ terræ indulgentiam contra eos. Item *Johannes* filius *Adolfi* fratris, filia Ducis *Alberti* ſibi promiſſa, receptus eſt *Hamborg* cum magno gaudio cleri & populi. Item *Eclipſis ſolis* per totum mundum Octava Michaelis, die dominica.

Anno MCCXLIV. frater *Adolfus*, olim Comes, ſedem adiit apoſtolicam pro diſpenſatione, & rediens Subdiaconus, a *Johanne* Epiſcopo, Magiſtro Ordinis Prædicatorum, in Diaconum, & a *Johanne* Lubecenſi Epiſcopo eſt in Presbyterum ordinatus,

(k) Helmoldo p. 304. *Hideſacker.*

dinatus, & in *Hamborg*, ubi Comes fuerat, miſſam apud Fratres Minores die Gregorii celebravit (l).

Anno MCCXLV. Papa *Lugdunum* veniens concilium celebravit, & qvintam partem redituum ab Eccleſiis reqviſivit. In eodem Concilio Lugdunenſi *Octavam nativitatis b. Virginis* inſtituit per univerſam Eccleſiam celebrandam, & decreto firmavit. In eodem etiam excommunicavit Imperatorem, qvibusdam reclamantibus, & dicentibus, ad Papam non pertinere deſtituere vel inſtituere, ſed electum a Principibus coronare. Sunt autem ii, qvorum intereſt, Trevirenſis, Maguntinenſis, Colonienſis, deinde Palatinus, qvia Dapifer eſt, Dux Saxoniæ, qvia Marſcalcus eſt, Marchio de Brandenborch, qvia Camerarius. Rex Bohemiæ, qva Pincerna, non eligit, qvia non eſt Teutonicus.

Anno MCCXLVI. cum Papa ſollicitavit Principes, ut aliqvis eorum imperium aſſumeret, tandem Henricus Landgravius dictus Raſpe imperium acceptavit, & ſtatim a Moguntino & Colonienſi in Regem eligitur. Item Dux Auſtriæ, habito conflictu contra Regem Ungariæ, occubuit, & Ducatum ſine hærede reliqvit. Unde qvidam in qvodam lapide ſcripſit hos verſus:

Anno Milleno centeno terqve triceno,
His qvinqvaginta ſi miſces, tunc bene diſces,
Auſtria qvod tota ſit Principibus viduata,
Terraqve cornuto diſcet ſervire tributo.

Item *Johannes* & frater ejus *Gerardus*, Comites Holſatiæ, de Pariſiis redierunt, & octava Franciſci, cum magno cleri plebisqve tripudio, in *Hamborg* ſunt recepti.

Anno MCCXLVII. *Henricus* Landgravius, noviter in Regem electus, ſine hærede mortuus eſt.

Anno MCCXLVIII. Papa Henricum mortuum intelligens, Petrum Caputium de aureo velo miſit in Teutoniam, qvo promovente, *Wilhelmus* frater Comitis Hollandiæ in miſſa in Regem eſt electus. Bernardo Paderbornenſi Epiſcopo mortuo, Simon eligitur, & frater Simonis Monaſterienſi Epiſcopo ſubrogatur.

Anno MCCXLIX. maxima tempeſtas cum inundatione aqvarum orta eſt nocte puerorum.

Anno MCCL. Comes *Johannes*, cum Bremenſi Archiepiſcopo, & avunculo ſuo *Simone*, expeditionem in Daciam ordinavit. ERICUS Rex ludens in alea cum *Hermanno* Milite, amicabiliter invitatus a fratre ſuo *Abel*, & hoſtiliter captus, & in navim projectus, a qvodam Dano, dicto *Lagone*, miſſus eſt decollari, & corpus ejus multo ferro onuſtum in aqvæ illius profundum eſt ſubmerſum, cui parcat Deus. Hoc turpe factum & inhumanum contigit in *nocte b. Laurentii.* Hujus Regis corpus inventum *fratres Prædicatores* in Eccleſia ſua *Sleſwich* ſepelierunt, ſed frater ejus *Abel* poſtea fecit eum ibidem in *nova Eccleſia Monialium* ſepeliri (m). Item in die omnium Sanctorum ABEL coronatur in Regem, & uxor ejus MECHTILDIS in Reginam, filio ejus *Waldemaro* puerulo, qvem redeuntem de Rothomago Colonienſis Archiepiſcopus ceperat, qvem Comes *Johannes* ſex millibus marcarum puri argenti redemit. Item Fredericus Imperator obiit, & in Palermitana Eccleſia, qvæ eſt in Sicilia, ab ejusdem loci Archiepiſcopo tumulatus. Et dicunt qvidam, qvod reſipuerit ante mortem. Tunc ſteterat Roma per duo millia annorum.

Anno

(l) Vid. *Alb. Stadenſ.* fol. 217.
(m) Conf. *Alb. Stadenſ.* fol. 221. b.

Anno MCCLI. orta eſt nova ſecta hæreticorum, & primo viſa eſt in villa Pariſienſi. Qvi ſe paſtores nominaverunt, qvorum non erat numerus, venerunt circa principium Pariſiis qvaſi viri ſancti, & ſunt a laicis recepti, & tandem cum ipſis contra fidem ſenſerunt. Dicebant ſe habere auctoritatem benedicendi, conſecrandi & baptizandi, ligandi & ſolvendi, & dum clerus eorum erroribus reſiſteret, irruerunt in eos, & plurimos occiderunt, Prædicatores & Minores a loco prædicationis turpiter amoverunt, & in ipſum Epiſcopum fecerunt inſultum, ſed juvante Deo, tota repreſſa eſt eorum præſumptio, & tandem a populo interfecti. Item *Wilhelmus* Rex duxit filiam *Ottonis* Ducis de Bruneſwich, & nocte Palatium, in qvo ſponſus & ſponſa qvieverunt, ex incuria ſuccenſum eſt, & Rex cum Regina vix evaſit, & duo ſartores incendio perierunt.

Anno MCCLII. *Otto* Dux de Bruneswich, die dominica, Primi & Feliciani, obiit, relictis poſt ſe filiis qvatuor, & *Albertus* major eorum Ducatum accepit. Item ABEL Rex Danorum, die Apoſtolorum Petri & Pauli, turpiſſime a *Stramtfreſiæ* ruſticis eſt occiſus, & CHRISTOPHORUS frater ejus regnum accepit. *Lago* interfector ERICI Regis cum multa pecunia ab *Abel* collecta fugit in Holſatiam, & ibidem eſt occiſus (n). Item *Hermannus* Miles de *Kerecwerdere* (o), qvi cum ERICO Rege luſerat in alea tempore, qvo captus erat, a ruſticis, qvos terram fodiendam compulit, foſſoriis, qvæ ruſtici geſtabant in manibus, eſt occiſus.

Anno MCCLIII. *Albertus* Dux de Bruneſwich *Horeborch* reædificat, & hoc contra patris promiſſum *Ottonis*. Item Comitiſſa Flandriæ multam militiam miſit contra Regem *Wilhelmum*, & victoriam perdidit.

Anno MCCLIV. Rex cum *Petro* Legato laborabat, ut Colonienſem Epiſcopum *Simonem* abſolutum dimitteret. Archiepiſcopo contradicente, tantus rancor ſurrexit, qvod Colonienſis, applicato igne ad domum, in qva legatus erat cum Rege, voluit ambos incendio ſuffocare. Contigit hoc in Nusſia, vix autem evaſerunt. Item Dux Bavariæ uxorem ſuam fecit decollari in Werden, falſum imponens ei crimen.

Anno MCCLV. Qvidam validus civis in Maguntia cœpit hortari concives ſuos, ut ſe invicem ad pacem reſtaurandam conſtringerent, & ad idem civitates vicinas & remotas invitarent. Hic vocatus eſt *Woltbodo* Rex. *Wilhelmus* & Papa *Alexander* his conſenſit. Hujus vero ſucceſſus ſatis notus eſt.

Anno MCCLVI. *Wilhelmus* Romanorum Rex a *Freſonibus* occiditur, & vi raptus a Freſonibus occultatur.

Anno MCCLVII. *Richardus* Rex Angliæ fortiter cœpit ad imperium aſpirare, tunc Moguntinus erat captus, qvem *Richardus* redemit octo millibus marcarum, ut ad ſuam eſſet benevolus electionem. Hic effudit pecuniam ante pedes Principum ſicut aqvam. Qvidam eorum, ſcilicet Trevirenſis Archiepiſcopus, *Albertus* Dux Saxoniæ, *Johannes* & *Otto* Marchiones, ei hac vice non conſenſerunt. Colonienſis vero & Trajectenſis pro adducendo transeunt in Angliam, & redeuntes cum ipſo Aqvisgrani veniunt, & eum cum infinita pecunia Principibus ſibi faventibus, præſentant, & die aſcenſionis domini ipſum in Regem Romanorum elevant, & conſecratum cum uxore ſua coronant. De pecunia ejus multa incredibilia ſonuerunt, certe tantum olei, qvantum infuſum eſt ejus capiti, potuiſſet in ſua terra pretio emiſſe minori. Stulta *Anglia*, qvæ tot denariis ſponte eſt privata. Stulti Principes Alemanniæ, qvi nobile jus ſuum pro pecunia vendiderunt. Item *Simonem* Paderbornenſem accepit Bremenſis

(n) Conf. *Alb. Stadenſ.* p. 222.

(o) Conf. *Herm. Corner.* ap. Eccard. T. II. p. 894. *Hvitfeld* p. 222. 225.

Bremenſis Archiepiſcopus in tutorem, de conſenſu Capituli & miniſterialium. Qvi ſtatim impetiit *Albertum* Ducem de Bruneswich, pro eo, qvod *Horeborch* reædificans contra fidem patris & ſui ipſius venit, ſed Dux ſuper eo treugas impetravit. Item *Fredericus* Raceborgenſis Epiſcopus obiit, cui *Olricus* ſuccesſit.

Anno MCCLVIII. Comes *Bernardus* de Berneborg duxit filiam Regis ABEL (p), die Baſilii, in *Hamborch*. Item *Gerardus* Bremenſis Archiepiſcopus obiit. Qvi cum eſſet in Parbornenſi Eccleſia ſimplex Canonicus, occurrit ei qvidam, habitu incultus, & primo nec turbidus, nec lætus, & dixit: Conſidera diem iſtum, anno evoluto, in Præpoſitum eligeris Parbornenſem, & cum poſſeſſor fueris, dabis mihi duas marcas. Et factum eſt ita. Secundo venit iterum ad eum, & dixit: anno evoluto, & tali die, eligeris in Archiepiſcopum Bremenſem, & cum poſſeſſor fueris, dabis mihi V. marcas. Sic evenit, & ille dedit. Et ille dixit ei tertio: Duas res tibi prædixi, qvæ evenerunt, tertiam rem dico tibi ſine remuneratione, Qvinqvaginta annis vives Archiepiſcopus, & poſt hos non vives uno die. Mentita eſt iniqvitas ſibi. Nam XXXVIII. annis ſedit, & trieſimo nono obiit, in die Panthalionis, qvæ Sabbato tunc erat. Qvo defuncto, facta eſt diſſenſio in electione. Capitulum enim Bremenſe, excepto Scholaſtico & Cantore, elegit Præpoſitum *Hildebaldum*, Præpoſitus Bremenſis ſe ipſum poſtulavit. Decanus Hamburgenſis, nomine totius Capituli ſui, poſtulavit Præpoſitum Bremenſem, Scholaſticus Hamburgenſis elegit *Hildebaldum*, qvem multis triumphis prætermiſſis Papa confirmavit.

Anno Domini MCCLIX. CHRISTOPHORUS Rex Daciæ moritur, & filius ejus ERICUS ſeptennis coronatur. *Ericus* filius ABEL Regis in Ducatum recipitur. Item Bremenſem Electum in vigilia Palmarum confirmavit, & in Epiſcopum die Dominica benedicta ordinatur, & dato pallio ad patriam remiſit. *Simon* Epiſcopus Parbornenſis venit *Hamborg*, &, auditis literis Papalibus, appellavit. *Johannes* & *Gerardus* Comites Capitulum Hamburgenſe & cives Hamburgenſes appellaverunt, & omnes qvieverunt, nihil eorum, qvæ propoſuerant, exeqventes. Item Poſtulatus Bremenſis in *Lubeke* obiit. Et *Engelbertus*, Bremenſis Eccleſiæ Canonicus, in Præpoſitum eſt inſtitutus ab Archiepiſcopo, & paulo poſt ipſum deſtituit, eiqve fratrem *Alberti* Ducis de Bruneswich ſubrogavit.

Anno MCCLX. *Richardus* Rex in Angliam cum uxore ſua rediit, & inveſtituram Epiſcoporum Archiepiſcopo Colonienſi commiſit. Item Archiepiſcopo Bremenſi ultra *Albiam* miſit viros validos in locum, qvi *Wildeſſcarne* dicitur, ut ex illo *Comites Holtſatiæ* expugnarent. Comites vero illo obſeqvio omnes ſe dare coëgerunt.

Anno MCCLXI. Regina Daciæ MARGARETA cum filio ſuo Rege venit contra *Comites Holſatiæ* cum magna populi multitudine ſuper *Lobeide*, ſed Comites per Dei gratiam, adepta victoria, Reginam ceperunt, & in *Hamborg* in honeſta cuſtodia deduxerunt. Statimqve dux *Albertus* de Bruneswich per auxilium Lubicenſium & qvorundam Holſatiæ infidelium *Holſatiam* intravit, & caſtrum *Plone* expugnavit. In cujus defenſione qvidam probus & fidelis, cui parcat Deus, cadens mortuus eſt, & primo *Segeberghe* ſepultus, ſed Canonici Hamburgenſes, qvod eorum Canonicus fuerat, *Hamborg* defunctum ſepelierunt, ipſe reqvieſcat in pace. Item civitatem *Kil* obſedit, ſed non profecit.

Anno MCCLXII. *Regina* Hamborg in captivitate detenta, fit tractatus de pace. Dux & Marchiones, *Johannes* & *Gerardus* Comites conveniunt in *Qvedelingeborgh*, & poſtea in *Saltzvedele*. *Regina* qvoqve interfuit, ſed tamen poſtea reverſa eſt *Ham-*

borg,

(p) Hæc de nuptiis filiæ Regis ABELIS cum *Bernardo* Anhaltino vix alibi occurrunt.

borg, & colloqvium, redeunte *Regina*, ad placitum ſic finem accepit, qvod *Holſati* transgreſſores reconciliati ſunt Comitibus, bonis ſuis obtentis, & *Regina* reverſa eſt in Daciam. Item *Helprandus* Præpoſitus Hamburgenſis obiit. Item *Rodolfus* Epiſcopus Sverinenſis obiit.

Anno MCCLXIII. Comes *Johannes* Holſatiæ obiit, & eſt ſepultus in *Reinvelde*. Item *Eclipſis ſolis* in die dominica, & in die Oſwaldi Regis. Eodem anno Dux Luneburgenſis (q) de *Dacia* rediens, cum magna multitudine ingreſſus eſt fines Marchionis Misnenſis, & captus eſt ab eo, cum multis Comitibus & dominis terrarum, & detentus eſt uno anno & ſex ſeptimanis, captus eſt in vigilia Simonis & Judæ apoſtolorum.

Anno MCCLXIV. ſolutus eſt Dux *Johannes* de Luneborch. Item *Novum Monaſterium*, qvod eſt in terra Holſatiæ, per multas provincias, tam de hoſpitalitate, qvam de bona converſatione perſonarum, famoſum, incendio devaſtatur, in nocte Sancti Martini. Item vina perierunt in Francia. Item Papa *Urbanus* mortuus eſt, & vacabat Sedes XVII. ſeptimanis. Cui ſucceſſit *Clemens*.

Anno MCCLXV. Dux *Johannes* de Bruneswich duxit filiam Comitis *Gerardi* (r), cum magna ſolemnitate, in *Hamburg*.

(q) Scil. *Alb. Magnus*, qvi ab An. 1262. regni Dani adminiſtrationem tenuerat.
(r) Conf. *Comin. Alberti Stad.* p. 2.

XVIII.

Annales Rerum Danicarum Esromenſes a Nato Chriſto ad Annum 1307.

Codex membraneus, ex qvo ſeqvens Chronicon deſcripſi, in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis, inter Cimelia ab *Arna Magnæo* donata, No. 841. in 4to aſſervatur. Conſtat 41. foliis ſcriptis, & formam habet Qvartam majorem. Codex ille exaratus videtur Seculo XIV. haud diu poſt ipſius Auctoris ævum, manu qvidem haud ineleganti, ſed nimis incurioſe & ſæpius ita mendoſe, ut verus ſenſus vix obtineri poſſit. Unde liqvet, hunc Codicem non eſſe Auctoris autographum, ſed per alium, nitidum qvidem, ſed rudem ac inſcitum librarium exſcriptum fuiſſe. Ego, ex collatione cum aliis Annalibus, menda librariorum, qvæ potui, ſuſtuli; ut Textus minimum intelligibilis & aliqvaliter emendatus prodiret. Inter optimos, & qvi in Hiſtoria noſtra inſignem uſum præſtare poſſunt, Annales patriæ merito hi cenſeri debent, præſertim in rebus, qvas ab exeunte Seculo XI. usqve ad finem aut ex antiqvioribus Chronologis Auctor congeſſit, aut ſuo ævo geſtas ipſe adjecit. Iis autem, qvæ præcedunt, etſi facile carere poſſemus, omnia tamen potius edenda duxi, qvam ut aut Codex noſter, cujus generis haud multi apud nos ſunt, mutilus & non integer haberetur, aut objiceret qvidam, me temere aliqvid omiſiſſe, qvod aliis aut jucundum aut utile foret. Qvæ ab initio mundi ad Chriſtum & a Chriſto Nato usqve ad Seculum VIII. & Karoli Magni tempora produxit Auctor, cuncta ab exteris & univerſalibus Chronicis mutuo ſumta ſunt, & apud alios Scriptores multo meliora & correctiora leguntur. In Chronologia tam Imperatorum qvam Pontificum Romanorum craſſos errores lector offendet. Pauca illa, qvæ de *originibus gentis & Regum Danorum* Seculo VIII. inter Annos 762. & 768. inſerta ſunt, longe vetuſtiores fontes ſapiunt, & partim cum

Saxone

Saxone partim cum aliis noſtris Annalibus conveniunt. Ex illis, qvæ a *Karolo Magno* usqve ad medium Seculi XI. narrantur, incautus lector facile ad credendum adduceretur, Auctorem partis horum Annalium Regi SVENONI ESTRITIO coævum fuiſſe. Sed rem penitius inſpicienti hoc nihil eſt, & qvi *Adamum Bremenſem*, levi ſaltem oculo, perlegit, eum hic omni pagina loqventem, ac omnia fere ex eo verbotenus exſcripta, deprehendet. Adeo etiam improvide egit Auctor, ut ea qvaſi ſibi dicta memoret, qvæ *Adamus* ſibi ab ipſo SVENONE rege narrata referat. Ceterum, qvoad *Adamus* ſuppetit, nihil fere præſtitit Annaliſta noſter, præterqvam qvod facta hiſtorica chronologice & annis additis diſpoſuerit. Interim tamen ad collationem textus Adami Annaliſta noſter inſervire poteſt. Binas horum Annalium editiones jam diu habemus, utramqve autem mancam, vitioſam, & initio decurtatam. Alteram, qvæ paucis cognita inter rariſimos libros locum meretur, & cujus unicum ſolum exemplar, in Bibliotheca videlicet Perill. *Klevenfeldii*, vidi, procuravit Summe Venerab. *D. Chriſtianus Wormius* olim Sialandiæ Epiſcopus, qvam ideo *Editionem Wormianam* appello. Alteram *Ludewigianam* voco, qvia eam Illuſtriſſ. *Jo. Pet. de Ludewig* inter Reliqvias Manuſcriptorum ſuas Tomo IX. No. 1. nobis dedit, ſed qvam plurimis defectibus & tam librariorum qvam typotheræ nævis ſcatentem, qvorum qvidam adeo ſunt deformes, ut verum eorum ſenſum conjectura aſſeqvi fere impoſſibile ſit, ex. gr. *Osbuconos* pro *Turones*. *Unicus* pro *veniens*. *Siort Falle* pro *Giurth*. *Sclavoniam* pro *Saxoniam*. *Hordeknude* pro *Hordeſnude*. *Captivans* pro *Captivos*. *Exerceret* pro *execraret*. Arena *magna* pro *maris*. *Alius* pro *filius*. *Æmiliam* pro *Emmam*. *Reſpueret* pro *reſipiſceret*. *Suſtinuit* pro *ſuſcitavit*. *Godium* pro *Godvini*. *Reynsberrigh* pro *Rynæbiergh*. *Grotheſaea* & *Grotbenſſee* pro *Gratbæbetb* & *Gratbæmoſæ*. *Röbe* pro *Röbo*. *Ringiſiam* pro *Rycbizam*. *Arneſkog* pro *Arueſkog*. *Vlffo* pro *Vffo*. *Emelborn* pro *Emelthorp*. *Scbiefiſkeorff* pro *Skielſiſkæöre*. *Saaſſe* pro *Samsö*. *Rindelzbola* pro *Hindsholm*. *Vocatus* pro *rotatus*. *Rauo* pro *Rano*. *Jacobi & Oleff* pro *Jacobus Olafffon*. Plura tædet enumerare. *Editio Wormiana* emendatior qvidem eſt, ſed in plurimis non multo perfectior. Attamen *Editio* & *Ludewigii* & *Wormiana* paucula qvædam [Vid. inter 1256. & 1259.] habet, qvæ in Codice noſtro non comparent. Videtur ergo utraqve Editio ex alio fonte derivata. Utramqve Editionem cum Codice noſtro magna cura contuli, & inde notabiliores variantes in Notis annotavi. *Editio Wormii*, qvæ ſolum qvatuor plagulis in 8vo conſtat, capite & calce caret, ſed pag. 1. hunc præfert titulum: *Incerti Authoris Cbronicon*, & inferius ad oram paginæ legitur: *Annal. Hiſt. Tom. II.* unde liqvet, hoc fragmentum majoris operis eſſe, qvod *Wormius* edendum molitus fuerat, ſed aliqvo infortunio non continuatum. Huic Editioni ſubnexæ ſunt *Leges Canuti Magni*, tam Eccleſiaſticæ, qvam Politicæ, qvæ in Articulo 47. abruptæ deſinunt. Qvinimo Editorem hodie neſciremus, niſi Venerandus Senex Dn. Præpoſitus *Laurentius Terpager*, qvi juvenis qvondam in familia Wormiana familiaris degit, prædicto unico Exemplari loco Tituli adſcripſiſſet: *Editor hujus Cbronici fuit D. Chriſtianus Wormius*. Qvando autem & ubi hocce fragmentum impreſſum fuerit, & qvo caſu tela abrupta ſit, penitus ignoramus. De *Editionis Ludewigianæ* origine ipſe Editor in Præfatione p. 5. ita loqvitur: „Membranam illius poſſedit olim vir nobiliſſ. *Stigotus Pors*, ſed apographum ſupereſſe dicitur „in Bibliotheca Hafnienſi. Libellus *Chronici* nomen meretur ideo, qvod temporum & anno„rum habeat rationem ſingularem. Neqve tamen eſt *unius Auctoris*, ſed *plurium*. Qvod „lector facile intelliget ex eis, qvæ 1046. habentur. Nam iſto anno provocat Scriptor ad ea, „qvæ *ipſe ſermone acceperit a Rege*. Unde poſteriorum temporum ſeriem alii continuave„runt, ſed methodo eadem.“ Sed, ut pace magni viri dicam, ille ſe inſigniter decipi paſſus eſt, dum credidit, auctorem partis horum Annalium fuiſſe Regi SVENONI coævum, nec obſervavit, eundem nimis imprudenter & fere ad verbum *Adamum Bremenſem* exſcripſiſſe. Qvod *Stigotus Porſius* olim membranam qvandam hujus Chronici poſſederit, illud Celeberr. Svecorum Hiſtorico *Jacobo Wildio* aliisqve anſam dedit ad appellandum illud Porſiſſe Manuſcriptet, *Manuſcriptum Porſianum*. Ego illud potius *Chronicon Esromenſe* i. *Annales Esromenſes*

romenſes inſcribere vellem, fretus non tam mea ipſius ſuſpicione, qvam potius conjectura *Thomæ Bartholini* Antiqv. Dan. p. 670. ita de eodem loqventis: „ *Annales* de Rebus Danicis in „*membrana*, conſcripti, ni fallor, in *Monaſterio Esromenſi*, in Anno 1307. deſinentes, „qvos in Muſeo meo aſſervo.“ Hoc *Bartholini* exemplar credo fuiſſe ipſum Codicem noſtrum, in Bibliotheca Acad. Hafn. etiamnum ſuperſtitem. Præter eum, aliud etiam fragmentum ejusdem Chronici membraneum inter Manuſcripta Magnæana ſupereſt, integro illi Codici nec ætate nec adcuratione cedens, ſed proh dolor nimis mancum & paucis ſolum foliis conſtans. Cum eodam qvoqve ipſum Codicem, qvousqve procedit, contuli, & inde præcipuas lectiones variantes in Notis annotavi. De *Auctore* nihil notum eſt, niſi qvod *Anonymus* ſit & forte *Monachus Eſromenſis*. Minimum in Sialandia vixiſſe videtur. Vixiſſe autem, credibile eſt, circa ea tempora, qvibus Annales ſuos finivit, initio ſcil. Seculi XIV. regnante ERICO MENWEDO. Unde opus ejus Monumentis illis annumerari poteſt, qvæ *Congeſta Menwedi* qvibusdam Hiſtoricis nominare placuit, ſi modo aliqva unqvam extiterint tali nomine dicta.

Ad inveniendum omnes annos ab exordio creationis mundi.
Prima etas ab exordio ſui continet creationem mundi.

De opere prime diei.

Primo enim die Deus in lucis nomine angelos condidit.

De opere ſecunde diei.

Secundo in firmamenti appellatione celos.

De opere tertie diei.

Tertio in diſcretionis vocabulo ſuperficiem aqvarum & terre.

De opere qvarte diei.

Qvarto luminaria celi.

De opere qvinte diei.

Qvinto animantia ex aqvis.

De opere ſexte diei.

Sexto animantia, ex terra & hominem, qvem appellavit Adam.

Adam anno ducenteſimo triceſimo genuit Seth, a qvo filii Dei. Ducenti triginta anni. Seth Anno ducenteſimo qvarto genuit Enos, qvi cepit invocare nomen Domini. Qvadringenti triginta qvinqve anni. Enos Anno centeſimo nonageſimo genuit Cainan. Sexcingenti viginti qvinqve. Cainan anno centeſimo ſeptuageſimo genuit Malaleel. Septingenti nonaginta novem. Malaleel Anno Centeſimo ſexageſimo V. genuit Jareth. Nongenti ſexaginta. Jareth Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo genuit Enoch, qvi translatus eſt in celum. Mille centum viginti duo anni. Enoch Anno centeſimo ſexageſimo V. genuit Matuſalam. Mille ducenti octoginta VII. Matuſalam Anno centeſimo viceſimo ſeptimo genuit Lamech. Mille qvadraginta qvatuor. In hac generatione gygantes nati ſunt. Lamech Anno centeſimo octogeſimo VIII. genuit Noe, archa edificatur. Mille ſexcenti qvadraginta duo. Noe autem anno qvingenteſimo genuit Sem, Cham & Japhet. factum eſt autem diluvium Milia ducenti qvadraginta duo anni.

Secunda etas a diluvio usqve ad Abraham.

Sem anno ſecundo poſt diluvium genuit Arfaxat, a qvo Caldei. Duo milia ducenti XLIV. Arfaxat anno centeſimo XXXV. genuit Sala, a qvo *Samarite* & *Indii*. Duo MMXXXLXXIX. Sala anno CXXX. genuit Heber, a qvo Eber. MMDIX. Heber anno CXXXIIII. genuit Phalech. *Turris babilonis* edificatur. MM. ſexcenti XLIII. Phalech anno CXXX. genuit Ragam. *Dii* primum adorantur. MM. ſeptin-

genti

genti LXXIII. Ragan Anno CXXXII. genuit Saruch (a). Regnum inchoatur *Scitarum.* MM. nongenti V. Saruch CXXX. genuit Nachor. Regnum *Egiptiorum* naſcitur. MMMXXXV. Nachor anno LXXIX. genuit Thare. Regnum *Aſſiriorum* naſcitur. MMMCXIV. Thare anno LXX. genuit Abraham. Zoroaſtras magicam reperit artem. MMMCLXXXIV. anni.

Tercia etas mundi ab Abraham usqve ad David.

Abraham anno C. genuit Yſaac & Yſmael, a qvo Yſmahelitæ. MMMCCLXXXIV. Yſaac anno LX. genuit Jacob. *Argivorum* regnum inchoat. MMMCCCXLIV. Jacob anno nonageſimo primo genuit Joſeph. Phareoneus dedit *leges Grecie.* Tria millia qvadringenti XXXV. Joſeph anno CX. *Grecia ſegetes* habere cepit. MMM. DXLV. Hebreorum ſervitus in Egipto, anni CXLIII. Achlas *aſtrologiam* invenit. MMM. ſexcenti LXXXIX. Moyſes anno XL. rexit populum. *Hebrei literas & leges* habere ceperunt. MMMDCCXXIX. Joſue anno XXVII. Erictonius in Troya qvadraginta jungit. MMMDCCLVI. Gothomel anno XL. Cachinus *literas Grecis* dedit. MMMDCC. nonaginta VI. Ayoth anno LXXX. Fabule ficte. Apollo autem *medicinam* invenit & *Cytharam* reperit. MMMDCCCVI. Gedeon anno XL. Mercurius *iiram* condidit. MMMDCCCCLVI. Abimalech anno tertio. Iſte ſeptuaginta fratres ſuos interfecit. Chorus in Grecia inventus eſt. MMMDCCCCLIX. Thola annis XXII. primus regnavit in Troya. MMMDCCCCLXXX. unus. Jayr annis XXII. Carmentis nympha latinas reperit. Qvatuor M. tres anni. Jepte anno VI. Hercules flammis ſe injecit. MMMMIX. anni. Abeſſa anno VII. Alexander Helenam rapuit MMMMXVI. Jabdon anno VIII. Troya capta eſt anno III. regni ejus. Eneas ytaliam venit. IV^{M}. XXIV. Sampſon anno XX. Aſkanius Albani condidit IV^{M}XLIV. Ely ſacerdos anno XL. Archa teſtamenti rapitur. IV^{M}LXXXIV. Samuel & Saul anno XL. *Omerus* tuiſſe putatur IV^{M}CXXIV.

Qvarta etas mundi a David usqve ad transmigrationem Babilonis.

David annos Qvadraginta regnavit. Cartago a Dydone conditur. Gad, Natan, Aſaphat prophetabant IV^{M}CXLIV. Salomon annis XL. regnavit, templum Hieroſolymis edificatur IV^{M}CCIV. anni. Roboam anno VII. X. regnum Iſrael & Juda dividitur, id eſt, decem tribus a duabus. IV^{M}CCXXI. annus. Abya anno tertio, ſub qvo Abimalech pontifex fuit. IV^{M}CCLXXIV. Aſa XLI. Yſaias, Amos, Naum, Johel & Azarias prophetaverunt. IV^{M}CCLXXV. Joſaphat anno XXV. Prophetarunt Helias & Helizeus, Abdyas & Mycheas. IV^{M}CCXC. Joram VIII. prophetabat. IV^{M}CC. XCVIII. Helyas rapitur anno uno. IV^{M}CCXCIX. Otholia annis VII. Jonadab ſacerdos claruit. IV^{M}CCCVI. Joas anno XL. Heliſeus moritur & ſacharias interficitur. IV^{M}CCCXLVI. Amaſias anno XXIX. Alia Karthago conditur. IV^{M}CCCLXXV. Ozias anno LII. *Olympias* a Grecis inſtituitur. Tunc Fidon Arginus *tonſuras* (b) & *pondera* invenit. IV^{M}CCCCXXVII. Joatham anno XVI. Romulus & Remus naſcuntur. IV^{M}CCCCXLIV. Achaz anno XVI. Roma conditur. IV^{M}CCCCLIX. Ezechias anno XXIX. Senatus Rome fit L. centum nobiliſtimi viri Senatores. IV^{M}CCCCLXXXVIII. Manaſſes anno LV. Sibilla Samia claruit. Tunc Numa Pompilius Januarium & Februarium adjecit CCCC. qvingenti XLIII. Amon anno XII. Cenſus primum agitur IV^{M}. qvingenti LV. Joſias anno XXXII. Tales Philoſophus efficitur vel agnoſcitur.

(a) Fragm. vet. in Marſine, vetuſta manu: *Tempore Saruch cepit inhabitari Dacia per quosdam profugos & relegatos.*

(b) Forte legendum *menſuras.*

IV^{M}DLXXXVII. Joachim Anno XI. Anno ejus tertio Nabugodonozor Judeam. IV^{M}DXCVIII. Sedechias XI. anno ejus secundo templum Jerosolimis incensum est. Anno edificationis qvadringentesimo LIV. MMMM milia sexcenti IX.

Qvinta etas mundi a translatione Babilonis usqve ad Christum.

Hebreorum captivitas anno LXX. Judith historia conscribitur. IV$_{M}$DCLXXIX. Darius anno XXXIV. Iste Darius filius fuit Ydaspis. Judeorum captivitas solvitur. IV^{M}DCCXII. anni. Xerses anno XX. Sophocles & Evripides tragohedi celebrantur insignes IV. milia DCCIII. Artarserses anno XL. Hesdras incensam legem renovat. IV^{M}DCCLXXIII. Darius & Notus anno XIX. Hec etas habuit *Platonem.* IV^{M}D. CCXC. duo Artarserses anno XL. Hester ystoria expletur. Iste altero nomine Assuerus ab Hebreis vocatur, qvi fuit maritus Hester. IV^{M}DCCCXXXII. Artarserses qvi & Othus anno XXVI. *Demosthenes* & *Aristoteles* predicantur. IV^{M}DCCCLIX. Arces anno IV. *Senocrates* illustris habetur usqve regnum Persarum stetit. IV^{M}DCCCLX. duo, Darius Arsami filius anno VI. Alexander Jerosolymam cepit, dehinc reges Grecorum esse ceperunt. IV^{M}DCCCLXVIII. Alexander anno V. Asyam obtinuit. IV^{M}DCCCLXIII. Tholomeus anno LX. Machabeorum liber primus inchoatur. IV^{M}DCCCCXIII. Philadelphus Tholomeus anno XXXVIII. septuaginta interpretes agnoscuntur. IV^{M}DCCCCL. unus. Evergetes anno XXVI. Jhesus filius Syrac librum sapiencie composuit. IV^{M}DXCCCLXXVII. Filopater anno XVII. Machabeorum secundi libri componitur hystoria. IV^{M}DCCCCXCIV. Epiphanes anno XXIIII. Romani Greciam obtinuerunt. MMMMMXVIII. Filometor anno XXXV. Scipio Africam devicit. V^{M}LIII. Evergetes anno XXIV. Brutus Hyspaniam subegit V^{M}LXXXII. Socher anno XVII. Traces Romanis subjiciuntur. V^{M}XCIX. Alexander anno X. Syria Romanis subjecta est. V^{M}CIX. Tholomeus ann. VIII. *Rethorica ars* Rome cepit. V^{M}CXVII. Dionisius Anno XXX. Pompejus Judeam cepit, templum crematur. V^{M}CXLVII. Cleopatra anno II. Egyptus romanis subjicitur. V^{M}CXLIX. Julius Cesar Augustus (c) Anno qvarto. Hic prior monarchiam tenuit, ex qvo Imperatores esse ceperunt Romanorum. Invenimus igitur ab inicio mundi usqve ad nativitatem Christi per libros Cronicos Vqve Milia CL. qvatuor annos.

Sexta etas ab Adam usqve Christum.

Unde versus: *Milia sunt qvinqve centum nonaginta novemqve. Annos ad Christum si numerare velis.*

Octavianus Augustus an. LVI. Natus est Christus anno Octaviani Augusti qvadragesimo secundo, Indictione qvarta, anno secundo Cicli decem novenalis, Epacta undecima, Concurrente V. Tertie linee bysextilis, Octavo Kalendas Januarii, in die prima Sabbati, luna tertia decima, ab urbe condita septingentesimo qvinqvagesimo secundo anno. Pro salute vero hominum passus est Dei filius anno Tiberii Augusti privigni ejusdem octaviani octavo decimo, Indictione qvarta, anno Cicli decennovenalis nono decimo, Epacta duodecima, Concurrente septimo, Tertie lune bysextilis, sexta Sabbathi, hora sexta crucem ascendit, luna qvinta decima.

Octavianus

(c) In Fragm. vet. manu vetusta adscriptum: *Anno ante incarnationem L. JULIUS CESAR subjugavit DANOS, non tamen vi prelii, sed terrore & astucia, & edificavit juxta SLYASIVIK castrum, qvod dicitur JURÆSBURGH, qvod tamen deberet dici JULÆSBURGH, qvi Julius vir bellicosissimus fuit in tantum, qvod preter illos, qvos in bellis civilibus occidit, qvos notare noluit, cum tamen plurimi essent, dixit se occidisse in preliis undecies centum nonaginta duo milia hominum.*

Octavianus Cesar Augustus Romanorum secundus regnavit annis qvinqvaginta VI. & mensibus sex, & in qvadragesimo secundo anno regni ejus

I. *Christus natus* (d) est in Bethleem, & sancta Maria etatem XIIII. annorum, & natus est Sanctus Johannes.

II. Hic optulerunt Magi Domino aurum, thus, & mirram.

III. Hic Herodes interfectus est & Archelaus filius ejus regnavit pro eo IX. annis, & Joseph & Maria redierunt ab Egypto in Galyleam.

VI. Ab initio mundi usqve modo V. milia centum anni.

XII. Hic Philippus & Herodes filius Archillai Lysiam & Judeam divisérunt in IIII. & obiit Archillaus.

XV. Hic cepit regnare Tiberius privignus Augusti & regnavit XXIIII. & in duodecimo anno regni ejus Pylatus preses factus est, & Tyberius accepit matrem Herodis Tetrarche, qve vocata est Lybia, & ipse Herodes regnavit Judeos annis XXIII.

XXVI. Hic accipit Pylatus potestatem super Judeos.

XXX. Hic Christus baptizatus est & elegit XII. Apostolos.

XXXIII. Hic fuit Johannes Baptista decollatus VIII. X. anno regni Tyberii passus est Dominus noster Jhesus Christus.

XXXV. Hic sanctus Paulus conversus est & sanctus Stephanus lapidatus.

XXXVI. Hic sanctus Petrus Cathedram episcopalem suscepit.

XL. Hic cepit Gayus regnum & regnavit III. annis & octo diebus & in diebus suis Matheus in Judea Evangelium scripsit, & Herodes obiit.

XLIIII. Hic Claudius Imperator cepit regnum & regnavit annis XIII. mensibus VII. diebus XXVIII. & Marcus Evangelium scripsit & beatus Apostolus suscepit Cathedram episcopalem Rome & tenuit XXV. annis, mensibus duobus, diebus IV. & in qvarto anno regni Claudii Lucas Evangelium scripsit.

LI. Hic assumpta est sancta Maria in celum.

LV. Hic sanctus Philippus Apostolus passus est.

LVI. Hic Nero imperium suscepit & regnavit XIII. annis & VII. mensibus & XXVIII. diebus.

LX. Hic Gajus Julius ante adventum Domini defunctus est.

LXII. Hic Jacobus, frater Domini dictus, passus est, & tenuit Cathedram episcopalem in Jerusalem triginta annis, & ejus etas octoginta annorum.

LXVIII. Vespasianus accepit regnum & tenuit IX. annis & IX. mensibus & XXII. diebus.

LXIX. Hic Petrus & Paulus martirizati sunt, & Nero periit, & Sanctus Linus. Papa succesit Petro.

LXX. Hic Tytus Vespasiani filius suscepit regnum & tenuit II. annis, & II. mensibus, & ipse interfecit Judeos trecenta Millia & IX. M. in Jerusalem.

LXXIX. Hic Domicianus frater Tycii suscepit regnum, & tenuit annis XV. & V. mensibus & in diebus suis.

LXXXI. Lynus Papa martirizatus est, & Sanctus Cletus suscepit Cathedram.

LXXXII. Hic Johannes Apostolus in Phatmos insula Apocalipsin scripsit.

LXXXVII. Hic Cletus Papa passus est & Clemens Papa ordinatus est.

XCII. Domicianus de *Dacis* triumphat, perdito tamen prius bis toto exercitu Romanorum cum suis principibus (e).

XCIIII.

(d) Hic incipit computatio Annorum a nato Christo.
(e) Hoc ex Fragmento vet. additum.

XCIIII. Nerua ſucceſit Domiciano & regnavit I. anno & IV. menſibus & VIII. diebus, & ſanctus Johannes apoſtolus venit in Epheſum.

XCVI. Hic Trajanus ſucceſit Nerve & regnavit X. & VIII. annis & IV. menſibus & XV. diebus. Hic de Dacis triumphat. Symon Apoſtolus paſſus eſt, & Johannes Apoſtolus aſſumptus eſt.

XCVIII. Hic Clemens Papa paſſus eſt, & Alexander ſuſcepit Cathedram.

CVI. Hic Ignacius epiſcopus paſſus eſt, qvi tertius fuit epiſcopus in Antiochia poſt Petrum.

CXIIII. Hic cepit regnare Adrianus filius ſororis Trajani & regnavit XXI. anno, & in diebus ſuis ſcripta eſt *Bibliotheca.* Hic per Qvadratum diſcipulum Apoſtolorum & Ariſtidum Athenienſem, virum ſide & ſapientia plenum, & per Serenum legatum libris de chriſtiana religione inſtructus. Precepit per epiſtolam Chriſtianos ſine objectu criminum non dampnari, & Judeos rebelles ultima cede perdomuit, etiam introeundi eis licentia ablata Jeroſolimam, qvod ipſe in optimum ſtatum murorum exſtruxione reparavit & Helyam de nomine ſuo vocari precepit. Idem eruditisſimus in utraqve lingva Bibliothecam Athenis miri operis extruxit, Jeroſolimam primus gentibus conſtituit. Epiſcopus Marchus ceſſantibus hiis qvi fuerint ex Judeis numero XV. & prefuerunt a paſsione Domini annis fere C. & VIII. vel VII.

CXXXIV. Telesphorus Epiſcopus qvi Gloriam in excelſis Deo conſtituit.

CXXXVI. Hic cepit regnare Antonius cum tribus filiis ſuis, Aurelio & Lucio & Romulo, & regnavit annis XXII. & III. menſibus, & in diebus ſuis multi Romani baptizati ſunt, per documentum Alexandri Pape, & ipſe martirizatus eſt. Et in diebus Alexandri ſcriptus eſt liber, qvi vocatur *Paſtoralis*, & in diebus ipſius regis, Policarpus & Valentinus fuerunt Rome, & ipſe precepit martirizare ſanctam Felicitatem cum ſeptem filiis ſuis.

CLX. Hic ſuſcepit regnum Magnus Antronius Verus cum fratribus Lucio, Aurelio & Commodo, & regnavit annis XIX. & menſe uno, & imperavit martirizare Policarpum & Pyonium & plures alios in Gallia, & ipſe predavit Ytaliam & Romam, & in diebus illius venit *Lucius* in *Britanniam.*

CLXVI. Eleuther Rome preſul factus, XV. annis eccleſiam glorioſisſime rexit. Cui literas Rex Britannie *Lucius* mittens, ut chriſtianus efficeretur, petiit & impetravit &c.

CLXXX. Poſt Antonium regnavit Commodus.

CLXXXIX. Severus Imperator factus, XVII. annis regnavit, qvi *Britanniam* vallo a mari usqve ad mare precinxit, apud *Eboracum* opidum morbo obiit.

CXC. Helius pertinax cepit regnare & regnavit VI. annis.

CXCI. Hic Juliam matris merſus periti ſcelere occiditur (f) menſe VII. poſtqvam ceperat regnare.

CXCII. Severus apud pontum millium bello civili victum interfecit.

CXCIII. Victor tertius decimus Rome Epiſcopus, datis late libellis, conſtituit *Paſcha* die Dominica celebrari. Sicut & predeceſſor ejus Elevther a qvarta decima luna primi menſis usqve in viceſimum primum, cujus decretis favens Theophilus ceſarie Paleſtine epiſcopus, ſcripſit adverſus eos, qvi qvarta decima luna cum Judeis Paſcha celebrant cum ceteris, qvi in eodem conſilio erant, epiſcopis.

CCVII. Synodicam & valde utilem epiſcopalem.

CCVIII. Hic cepit regnare Antonius cognomento Caracalla, Severi filius & regnavit annis VII.

CCXI.

(f) Error hic in conſtructione.

CCXI. Alexander Epiſcopus Capadocie cum deſiderio locorum ſanctorum Jeroſolimam veniſſet, vivente adhuc Narciſſo ejus urbis epiſcopo, per ſenilem etatem viro & ipſe ſibi ordinatus eſt epiſcopus. Domino ut fieri deberet per revelationem monente Teculiarius affer Centurionis proconſularis filium omnium eccleſiarum ſermone celebratur.

CCXV. Hic Macrinius cepit regnare, & tenuit anno I.

CCXVI. Abgarus vir ſanctus regnavit Ediſſe, & vult Affricanus Macrinus cum filio Dyaclimeno, cum qvo imperium invaſit, apud Archelaudem militari tumultu occiditur.

CCXVII. Hic Marchus Aurelius Antonius cepit regnare, & IV. annis regnavit, & in diebus illius civitas Emaus edificatur.

CCXX. Hic Alexander ſuſcepit regnum & tenuit XIII. annis, & in diebus ſuis Urbanus Epiſcopus Rome & ſancta Cecilia, qve convertit Tyburcium & Valerianum ad fidem Chriſti, & ſanctus Cyriacus & ſancta Vilicta mater ejus martiriſati ſunt.

CCXXIX. Hoc anno Kalixtus Papa paſſus eſt, & Sixtus ſuſcepit Cathedram.

CCXXXI. Hic cepit regnum Maximianus & regnavit III. annis, & ipſe fuit VI. de neqviſſimis Imperatoribus contra amicos Dei, ipſe fecit occidere Potentianum Presbyterum, qvi ſepultus eſt in Cymiterio Kalixti.

CCXXXVII. Hic cepit Gordianus regnum, & regnavit VI. annis.

CCXLIII. Hic accepit regnum Philippus & tenuit VII. annis, & tertio anno regni ejus ab urbe condita mille anni ſunt completi.

CCL. Philippo ſucceſſit Decius, & regnavit anno I. & III. menſibus, & ipſe fuit unus de perſecutoribus contra fideles Dei, qvia ipſe interfecit Philippum & patrem ejus & fecit occidi Sixtum Papam cum Felicisſimo presbytero & Agapito Dyacono, & cum IV. ſubdiaconibus, Januario, Magno, Vincentio, & Stephano. Dyoniſius ſuſcepit cathedram epiſcopalem. Adhuc precepit Decius Fabianum epiſcopum in Roma martirizare, & Cornelius ſuſcepit Epiſcopatum & poſtea martir effectus eſt. Et Alexander Jeroſolimorum epiſcopus fuit in Ceſaria Paleſtine & Antiochie, & babillas, & precepit martirizare ſanctum Laurentium & Romanum atqve Ypolitum cum ſociis ſuis, & plures alios adminiſtrandos.

CCLII. Decio Gallus & Volucianus ſucceſſit & regnavit II. annis & IV. menſibus, & Dyoniſius fuit epiſcopus Alexandrie in diebus ſuis, Cornelius Rome Epiſcopus & Luciana religioſa femina. Iſti duo acceperunt corpora Apoſtolorum & catacumbas & tulerunt nocte, & corpus beati Pauli abſconſerunt in via, qve dicitur Oſtenſi, qvi fuit decollatus, & ſancti Petri corpus ſecus locum qvi fuit crucifixus inter corpora ſanctorum Epiſcoporum in templo Apollonis in monte Aurelio in vaticano Pallacii Neroniani tertio Kalendas Julii.

CCLXIX. Hic Claudius ſuſcepit regnum & regnavit anno & IX. menſibus & fuit de *Gotis* natus, & XV. anno, anteqvam regnum accepit, predavit & deſtruxit Illiricum & Macedoniam & ipſe habuit ſcutum aureum & galeam auream, & Marcion presbiter in Antiochia, & ſcripſit librum qvi vocatur *Dyalogus*. Et ipſe fecit martirizare XL & VI. milia hominum propter fidem Chriſti.

CCLXXI. Hic cepit regnare Aurelianus & tenuit V. annis & VI. menſibus, & ipſe erat nonus de perſecutoribus. Ille fecit interficere treſcentos martires, qvos Eutycianus propriis manibus ſepelivit, in cimiterio Kalixti Pape, & ipſe ibidem ſepultus eſt.

CCLXXVII. Aurelio ſucceſſit Tacitus & regnavit anno I.

CCLXXVIII. Tacito ſucceſit Probus & regnavit V. annis & IV. menſibus & ipſe fuit bellator contra Paganos.

CCLXXXI. Probo ſucceſit Carus cum duobus filiis Karmo & Munerario & regnavit duobus annis.

CCLXXXV. Caro Dyoclecianus cum Hercule Maximiano ſucceſit, triceſimus tertius ab Auguſto Imperatore, qvi fuit ab exercitu electus, XX. annis regnavit. Maximianumqve cognomento Herculem ſocium creavit Dyocleſiano in oriente. Maximianus in occidente vaſtari Eccleſias, effugi interficiqve Chriſtianos. Qve perſecutio omnibus fere anteactis diuturnior atqve immanior fuit, nam per X. annos incendiis eccleſiarum, proſcriptionibus innoxium, cedibus martirium inceſſabiliter acta eſt. Et in diebus ſuis Gayus Papa, Coſmus & Damianus & alii innumerabiles martirizati ſunt. Hiis temporibus Conſtantius, qvi vivente Dyocleciano Galliam Hyſpaniamqve regebat vir ſumme manſvetudinis & curialitatis in *Britannia* obiit.

CCCIV. Hic Maximianus ſuſcepit regnum ſub Dyocleſiano, & ipſe interficere precepit uno menſe VII. milia martirum, & in *Britannia* poſt Albanum, Aaron, Julium, & Fenum, & alios plures viros, & in diebus ſuis paſſus Marcellus Papa.

CCCVI. Hic Galerius accepit regnum, & tenuit primo anno.

CCCVII. Hic cepit regnare Conſtantinus filius Conſtantii vel Elene & regnavit XXXI. anno & X. menſibus & a ſancto Silveſtro baptizatus eſt, & tunc fuerunt ab urbe condita mille ſexaginta anni & unus annus. Translatio ſancti Nicholai, ſanctus Silveſter Papa hujus temporis celebratur. Nicenum Concilium & Arelatenſe primum, in qvo fuit Anicianus Rothomagenſis Epiſcopus.

CCCXXVIII. Conſtantino ſucceſit Conſtantius cum fratribus ſuis, Conſtantino & Conſtante & regnavit XXIV. annis & V. menſibus & XIII. diebus, & in diebus ſuis Anthonius natus in Heremo fuit & vixit C. & V. annis. Conſtantius accepit corpus ſancti Andree & Luce Evangeliſte, & corpus Thimothei & ſancti Hilarii Pictavienſis epiſcopi & ſecum tulit ad Conſtantinopolim, qvia gens ſua illum dejecerunt, & ille fugit ad Conſtantinopolim, donec recordatus eſt cum eis, & redit ad regnum.

CCCXLII. Hic natus eſt ſanctus Martinus.

CCCXLIII. Hic incipit Theophilus Paſcalem ſuum centrum.

CCCLI. Hic incipit ſupputatio Romana ab Antonio.

CCCLIII. Conſtantino ſucceſit Julianus & regnavit II. annis & VIII. menſibus & precepit occidere Johannem & Paulum, & poſtea baptizatus eſt, & occidit omnes Paganos, qvi fuerunt in Sabaſtia Paleſtine, qvi oſſa ſancti Johannis Baptiſte ſparſerunt, & deſtruxerunt, & imperavit colligere omnia oſſa inſimul, qvæ potuerunt invenire, & ediſicavit Eccleſiam ibi. Et hoc anno ſanctus Martinus baptizatus eſt.

CCCLXIX. Juliano ſucceſit Jovinianus, & regnavit I. anno.

CCCLXXII. Joviniano ſucceſit Valentinianus cum fratre ſuo Valente, & regnavit XI. annis, & in diebus ſuis Damaſcus fuit epiſcopus Rome. Ordinatio ſancti Ambroſii Epiſcopi.

CCCLXXIII. Valentino ſucceſit Gratianus cum Valentiniano fratre, & ipſe predavit *Humos* & *Gotos*. Et in diebus ſuis Geruaſius & Prothaſius martirizati ſunt, & reverſus eſt in Galliam, & occidit Valentinianum fratrem Graciani.

CCCLXXX. Hic Maximianus accepit regnum, qvi fuit natus in *Britannia*.

CCCLXXXIII. Hic Theodoſius accepit regnum, & tenuit XI. annis, & Valentinianus cum eo, & hi ambo occiderunt maximum tyrannum.

CCCXCIII. Hic cepit regnare Archadius, & tenuit XIII. annis, & Innocentius Papa edificavit Eccleſiam ſanctorum Geruaſii & Prothaſii. Et in ſecundo anno regni ejus, ſcilicet Archadii, obiit ſanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus.

CCCXCVII. Hic acceperunt *Scoti* baptizari.

CCCCV. Archadio ſucceſſit Honorius, & regnavit XV. annis.

CCCCVII. Hic *Alaricus* Rex Gothorum deſtruxit civitatem Rome & partem accendit igne VIII. Kalendas Septembris, & tunc fuerunt ab urbe condita mille centum & ſexaginta IV. Et poſthac Romanus nunqvam regnavit in *Britannia.*

CCCCXII. Hic eſt invencio corporis ſancti Stephani, & ſanctorum Gamalielis atqve Abybon. Ob. ſanctus Martinus & ſanctus Jeronimus.

CCCCXVI. Hoc Paſcha ſub Papa & Ozonio ſol defecit hora tertia XIV. Kalendas Auguſti, & apparuit ſtella ardens ab oriente usqve Kalendas Septembris.

CCCCXVII. Hic Bonifacius Epiſcopus Rome edificavit Eccleſiam in cimiterio Felicitatis, & ornavit ſepulcrum ejus, & Jeronimus presbiter obiit, & ejus etas nonaginta primus annus.

CCCCXXI. Hic ſuſcepit regnum Theodoſius minor filius Archadii & regnavit XXVI. annis, & in tertio menſe regni ejus translatus eſt ſanctus Auguſtinus doctor Yponienſis V. Kalendas Septembris, & ejus etas ſeptuaginta ſeptem anni, poſt ordinacionem XL. annum.

CCCCXXV. Incipit exordium Regum *Francorum.* Primus *Farramundus.*

CCCCXXX. Hic Palladius Epiſcopus transmiſſus eſt a Celeſtino Papa ad *Scotos* evangelizare.

CCCCXXXI. Hic cepit regnum *Loygarus* ſecundus Rex *Francorum.*

CCCCXXXVI. Hic *Genſericus* Rex Wandalorum deſtruxit Cartaginem.

CCCCXXXVII. Hic *Patricius* venit in *Yherniam.*

CCCCXLV. Exitus Sixti Epiſcopi Romane Eccleſie, qvi vixit VIII. annis in Epiſcopatu ſuo.

CCCCXLVII. Hic dies tenebroſa fuit.

CCCCXLIX. Hic ſuſcepit Martinianus regnum, & tenuit VII. annis, & in IV. anno regni ejus cepit *Giurtogyrius* regnare in *Britannia.*

CCCCLII. Huc usqve *Proſper Cronicam* ſuam producit.

CCCCLIII. Qvo anno *Genſericus* Romam ingrediens rebus omnibus expoliavit.

CCCCLIV. Martiniano ſucceſſit Leo, qvi regnavit XVII. annis. Hoc anno Victorius ſuum *circulum Paſchalem* compoſuit.

CCCCLV. Victorius jubente Papa Hylario ſcripſit *Paſchalem circulum* qvingentorum XXX. annorum duorum.

CCCCLXI. Hic nata eſt ſancta Brigitta.

CCCCLXIII. Sanctus *Patricius* ad Dominum migravit, peractis annis ab inicio mundi qvinqve milia DCCXIX, & ejus etas CXXXI. annum.

CCCCLXVI. Leo papa obiit, & fuit in epiſcopatu ſuo XXI. anno & primo menſe, & XVIII. diebus.

CCCCLXIX. Hylarius Epiſcopus Romane Eccleſie obiit, qvi tenuit cathedram VI. annis & menſibus III. & diebus X.

CCCCLXXI. Leoni ſucceſſit Zenon, & regnavit XVIII. annis.

CCCCLXXXVIII. Zenoni ſucceſſit Anaſtaſius, & regnavit XXVIII. annis.

DXIV. *Theodorico* ſucceſſit *Theodebertus* Rex Francorum.

DXV.

DXV. Anaſtaſio ſucceſſit Juſtinus & regnavit octo annis, & diebus ſuis obiit Johannes Papa, & Benedictus ſuſcepit cathedram poſt eum.

DXXIII. Juſtino ſucceſſit Juſtinianus & regnavit XXXVIII. annis.

DXXVII. Obiit ſancta Brigida virgo.

DXXX. Hic corpus Antonii Monachi divina revelacione repertum Alexandriam perducitur.

DXXXII. Hic Dioniſius cepit *circulum* ſuum *paſchalem*, & continet tot annos, qvot transacti ſunt a nativitate Domini, id eſt qvingenti XXXII.

DXXXVII. *Eclipſis ſolis* facta eſt VII. Kalendar. Marcii, ab hora prima usqve ad horam terciam.

DXL. Hoc anno *Eclipſis ſolis* facta eſt XII. Kalendas Julii, & apparuerunt ſtelle pene horam mediam ab hora diei tertia.

DLXIV. Juſtiniano ſucceſſit Juſtinus minor & regnavit XI. annis.

DLXVII. Columba presbiter de *Scotia* venit in *Britanniam* ad docendos Pictos & in Niſcilahii monaſterium fecerunt.

DLXXVII. Juſtino ſucceſſit Tyberius Conſtantinus & regnavit VII. annis, & in diebus ſuis *Albanus* Rex *Longobardorum* predavit Romam.

DLXXXII. Tyberio ſucceſſit Mauricius Plagus Papa.

DLXXXV. *Childebertus* Rex Francorum.

DLXXXVIII. Hic anno ſanctus Adocius natus eſt.

DXCI. Gregorius major Papa. Hic augmentavit in precatione canones diesqve noſtros.

DXCVI. Gregorius Papa miſit in *Britanniam* Auguſtinum cum Monachis, Mellito & Juſto, & Laurentio, & Deus dedit, ut *genti Anglorum* evangelizaverint regnum Dei.

DCI. Hoc anno miſit Gregorius pallium in *Britanniam*.

DCIII. Mauricio ſucceſſit Focas.

DCIV. Hic *orientales Saxones* fidem Chriſti perciperunt.

DCV. Hic obiit Gregorius Papa, pater ejus vocabatur Gordianus & mater ejus Sylina.

DCVIII. Bonifacius Papa effectus eſt.

DCIX. Item Bonifacius petiit a Foca ceſare templum pateon, & conſtituit ſolempnitatem omnium ſanctorum.

DCXII. Hic tempore ſanctus *Columbanus* claruit.

DCXVI. Hic tempore occiſus eſt *Theodebritus* Rex Francorum, & facta eſt pugna graviſſima inter eos. Mortuo *Theodebrito* ſucceſſit *Clodoveus*.

DCXXXIII. *Clodouueo* ſucceſſit *Dagobertus*.

DCXXXV. Sanctus Romanus obiit, ſucceſſit Andoetus.

DCXXXVIII. Heraclio ſucceſſit Heraclonas.

DCXL. Heraclone ſucceſſit Conſtantinus, poſt qvem Conſtantinus filius ejus.

DCXLIII. Sanctus *Osvaldus* Rex Anglie occiſus eſt.

DCLV. *Penda* periit, & *Mercii* facti ſunt Chriſtiani.

DCLXIV. *Eclipſis ſolis* facta eſt V. nonas May.

DCLXVI. Hic ſanctus *Chutbertus* ordinatus eſt.

DCLXVIII. Theodoricus ordinatus eſt Archiepiſcopus, regnavit Rome & tenuit XVIII. annis.

DCLXXIII. Conſtantinus filius Conſtantini ſuperioris regis.

Primo tempe inuasere dacum impatore in etate
dauid: pessi de Juta. scomā. Sialandia. ogon. fallte r.
laland. Scania. non diebant dānū uel dacia. sed posta
eodem. q; nullo vocabant impio. & ad regem suethie ha
buerūt respectum. Fuit. n. in upsala auitare suethie rex
quida ygnobile. tres filios hīns: quoz un' non. alt' osten. alt'
dan. dicebat. Quem pat' suus misit in has ptes que nunc
dnr dacia. ad regendas insulas. uid. l. sielandia mon. fallā.
Lalandia q̄ omīs uno uocabulo uocitabant. wichelleifo.
Imposuerit n. ysl. dicent' hūanū ut hanc plagam. s. wi
chelleifr filio suo dan ducem ad sedem regni. Quo scō mor
tuo dan in wichelleifr sialandie ducatū. strucus lethon
noīe. qui magnis opib; dicitur. fuit alt' Lunt rex sedis illi'
regulus primū.

Qunc uero scire uolum' nīa data nomī. alb' ipa. & tpa
eisdem nobis antiquor memoria pdidas pnis istas. si
cam. scientiam. scientiā. & wichellcifr. a nullo erutas sub
ditas. excepto an lodowico. & pace. & bn uolentia hap tzaw
hardo rege. apud magunciam dam xpiānitate recepum.
alic nec sus subsequte. n an ccisore aliq un' eor subiecte.
Sz relisientes quibus ruinadentibus ī ruse ab omib; ipi ci
pio pmanserūt. Erant q; uidaq; pauli prima quoda
lingo. & frangoz minuta. ut nūc danewerch. pm lidys
augusta pnis ceseris. ad. f. qe augustus colleda multe
tu dnie pmo. sbraebat pūia. Cui resistentes nationes
dan. pncipi wichelleifr. nūq; auebant. ut eis uenirt ī auri
lū. Quo nūcio dan magno repletus gaudio suos cōuo
cans ei. a tū siue mora poterat. ad plum. Cui p dan

+ wichelleifr rex sialandie

* wichelleifr

DCLXXIX. *Clotario* succesſit *Childericus.*

DCLXXXII. *Childerico* succesſit *Theodoricus* Rex Francorum.

DCLXXXIV. Conſtantino succesſit Juſtinianus.

DCLXXXVII. *Pipinus* primus major Dominus efficitur. Fiunt anni ſecundum Yſidorum ab inicio mundi V. milia nongenti nonaginta VIII.

DCXCIII. Hic ſanctus *Chutbertus* obiit.

DCXCIV. Juſtiniano succesſit Leo, & regnavit III. annis.

DCXCV. Hoc anno converſa eſt luna in ſangvinis colorem.

DCXCVII. Leoni succesſit Tyberius, & regnavit VII. annis. Sergius Papa. *Theoderico* succesſit *Clodoveus.*

DCC. *Clodoveo* succesſit *Childebertus.*

DCCI. Hoc anno ignis de celo cecidit ſuper duas civitates in Gallia.

DCCIV. Tiberio succesſit Juſtinianus.

DCCIX. Juſtiniano succesſit Philippus, & regnavit I. anno & VI. menſibus.

DCCXI. Philippo succesſit Anaſtaſius. Conſtantius Papa obiit.

DCCXIV. Anaſtaſio succesſit Theodoſius.

DCCXV. Hic anno nox habuit lucem diei duabus horis.

DCCXVI. Theodoſio succesſit Leo. *Childeberto* succesſit *Dagobertus.*

DCCXVII. *Karolus* filius Pipini fit major Dominus.

DCCXXIV. Leoni succesſit Conſtantinus.

DCCXXV. Hoc anno *Beda* ſcripſit *Calendarium* & *Martyrologium.*

DCCXXX. Hoc anno ſanctus *Beda* ſcripſit *Hiſtoriam Anglorum.*

DCCXXXIII. *Eclipſis* facta eſt *ſolis* XVIII. Kalendas Septembris circa horam tertiam, ita ut pene totus orbis obſcuritate ſolis qvaſi in gremio horrendo videretur eſſe coopertus.

DCCXXXVI. Luna ſangvineo rubore perfuſa qvaſi hora integra, II. Kalendas Februarii, circa gallicantum, deinde nigredine ſubſeqvente ad propriam lucem.

DCCXLI. Karlo-Magnus & Pipinus in majoratu Dominio ſuccedunt.

DCCXXIII. Zacharias Papa.

DCCXLVII. Karlo-Magnus Romam perrexit.

DCCLII. *Pipinus* rex efficitur. Stephanus Papa.

DCCLXII. Hoc anno *byems* maxima fuit.

Primo (g) tempore invadente *Daciam* Imperatore in etate David, partes iſte, *Jutia*, *Feonia*, *Sialandia*, *Mön*, *Falſter*, *Laland*, *Scania*, non dicebantur *Dania* vel *Dacia*, ſicut poſtea docebimus, qvia nullo regebantur imperio. Sed ad *regem Svethie* habuerunt reſpectum. Fuit enim in *Upſala* civitate Svethie Rex qvidam *Ypper* (h) nomine, tres filios habens, qvorum unus *Nori*, alter *Öſten*, tertius *Dan* dicebatur. Qvem pater ſuus miſit in has partes, qvæ nunc dicuntur *Dacia*, ad regendum inſulas qvatuor, ſcilicet, *Sialand*, *Mön*, *Falſter*, & *Laland*, qve omnes uno vocabulo nuncupabantur *Withesleth.* Imperavit enim *Ypper* hic ab intus habitantibus, ut hanc plagam, ſcilicet *Withesleth*, filio ſuo *Dan* darent ad ſedem regni. Qvo facto, regnavit DAN in *Withesleth Sialandie* tantum, civitatem conſtruens *Lethram* nomine, qvam magnis opibus ditavit. Fuit autem DAN Rex ſedis illius, & regnavit per triennium.

(g) Hic incipit Fragmentum illud membraneum, qvocum collatus eſt Textus Codicis usqve ad hæc verba: *ad uxoris exhortacionem Hiarrarr Sialandiam claſſe peciit.*

(h) *Ypper* idem ſit, ac *Humblus* alius.

Nunc vero ſcire volumus, unde *Dacia* nomen aſſumpſit, adteſtatur eqvidem nobis antiqvorum memoria, predictas partes iſtas, *Juciam* ſcilicet, *Feoniam*, *Scaniam*, & *Withesleth*, qve nunc dicitur *Dacia*, a nullo extitiſſe ſubjectas, excepto tantum *Lodowico*, cujus pace & benivolentia baptizato *Haroldo* rege apud Maguntiam chriſtianitatem *Dani* receperunt. Aliter nec ſuo ſubſeqvente, nec anteceſſore aliqvo unqvam erant ſubjecte, ſed reſiſtentes qvibuslibet invadentibus inviſe ab omnibus in principio habebantur (i). Erat ergo *Jucia* qvaſi periculis proxima qvodam lignorum fragore munita, ubi nunc eſt *Danæwirchi*, pre inſidiis *Auguſti* (k) Ceſaris primi circumſepta, ad qvam iſte *Auguſtus* (l), collecta multitudine, primo conſtituebat prelia. Cui reſiſtentes *Jutones*, DAN Principi Withesleth nunciaverunt, ut eis veniret in adjutorium (m). Qvo nuncio DAN magno repletus gaudio, ſuos convocans exercitus ſine mora procedebat ad prelium. Cumqve DAN veniſſet ad fragorem, *Jutones* cum eo ſua movebant caſtra ad Ceſarem, & cum eo grave prelium commiſerunt. Qvo plerosqve ejus in ore gladii dejecerunt. Ceteros autem fugaverunt. Videntes autem *Jutones Dan* ſtrenuum virum, fortem, & virtuoſum, duxerunt eum ad lapidem, qvi dicitur *Danærugh* (n) poſueruntqve eum ſuper lapidem imponentes ei nomen regis (o). Seqventesqve eum *Jutones*, *Feoniam*, *Withesleſ* (p), *Scaniam*, cum aliis adjacentibus inſulis, ſubdiderunt. Vidit autem Rex DAN regionem ſuam, ſuper qvam regnavit, *Juciam*, *Fiuniam*, *Withæsleff*, *Scaniam*, qvod eſſet bona, vocavit primates (q) ſuos & exactores, & ait: Bene placet mihi regio mea, qvo nomine appellabimus eam. Reſpondentes principes terræ dixerunt: Rex in eternum vive, *Tu es Danus*, Regio tua *Dania* vel *Dacia* vocabitur, qvod nomen in eternum non delebitur.

Erat ergo DAN Rex in Dacia per triennium. Anno tandem tercio cognovit uxorem ſuam *Daniam*, genuitqve ex ea filium nomine *Ro*. Qvi poſt patris obitum hereditarie poſſidebat regnum. Patrem vero ſuum DAN colle apud *Lethram* tumulavit Sialandie, ubi ſedem regni pro eo pater conſtituit, qvam ipſe poſt eum divitiis multiplicibus ditavit. Tempore illo civitas magna erat in medio Sialandie, ubi adhuc mons deſertus eſt, nomine *Hökæbiærh* (r), ubi ſita erat civitas, qve *Hökæköpyng* nuncupata eſt, ad qvam ut mox RO Rex venit, vidit, qvod mercatores a navibus in via currus conducentes multum expenderent, a loco illo civitatem amoveri juſſit ad portum, ubi tenditur *Iſæfiorth*, & circa fontem pulcherrimum domos diſponere. Edificavit ibi RO civitatem honeſtam, cui nomen partitivum impoſuit poſt ſe & *Fontem*, partem capiens fontis partemqve ſui, *Roſkildam* Danice vocans, qve hoc nomine vocatur in eternum. Vixit autem Rex *Ro* ita pacifice, ut nullus ei aciem opponeret, nec ipſe usqvam expedicionem direxit. Erat autem uxor ejus fecunda ſobole, ex qva genuit duos filios, nomen primi *Helhgi* & ſecundi *Haldan*. Cumqve cepiſſent pueri robore confortari & creſcere, obiit pater eorum RO, & ſepultus eſt tumulo qvodam *Læthræ*, poſt cujus obitum partiti ſunt regnum filii, qvod in duas partes dividentes,

(i) Fragm. vet. habet *permanſerunt*.
(k) Fragm. vet. in margine: *Veſotis Regis Egipti*.
(l) Fragm. vet. in marg. *Ipſe Veſotes*.
(m) Fragm. vet. *auxilium*.
(n) Fragm. vet. *Danarig*. Hvitfeldio p. 5. locus ille in Jutia, ubi primi Reges eligebantur, rectius ſcribitur *Danerliung*.
(o) De hoc electionis ritu, Vid. *Saxo* p. 5. & *Stephanii* Not. p. 29.
(p) *Withesleſ* non exſtat in Fragm. vet.
(q) Fragm. vet. *Principes*.
(r) Loco *Hokæbiærh* & *Hökæköpyng* Fragmentum vet. habet *Hekebiarch* & *Hekekoping*.

dividentes, alter terras, alter mare posſidebat. Rexit itaqve terras HALDANUS, & genuit filium nomine *Simardum*, cognomine *Album*, qvi patrem ſuum HALDANUM *Lethræ* tumulavit mortuum. HELGI autem Rex erat marinus, & multos ad ſe traxit malificos navali bello bene adeptus diverſas partes, qvasdam pace, qvasdam cum piratica claſſe petiſſe perhibetur. Tempore igitur qvodam contingebat, ut indigens portu HELGI, venit ad portum qvendam juxta *Lalandiam* laſſus remigio, ubi per tres noctes in regno fratris ſui reqvieſcens cum exercitibus ſuis, tentoriis interea extenſis, cum pace commovit. Qvi carnali captus concupiſcentia, milites regi aptam qveſituros puellam mittit, qvi cujusdam Baronis *Rolf Karl* filiam, *Thoræ* nomine, proſeqvente patre, regi adducunt. Qve ab illo fecundata, poſtmodum peperit filiam, qvam *Yrſam* (s) nominavit. Rex qvoqve HELGI inde procedens, diverſas cepit vaſtare regiones. Contigit autem iterum, ut poſt multa annorum curricula idem HELGHI portui predicto injectus, facti prioris immemor, exiberi ſibi puellam juſſit, qvi propriam filiam, qvam a *Thora Rolfi* filia accepit, violavit. Qve patris ſemine ſuſcepto fecundata filium edidit, qvem avi nomine *Rolf* nominavit. Interea obiit *Thora* uxor ejusdem HELGHI & ſocrus, & in inſula humata eſt, qvæ *Thoræ* (t) dicitur, & poſtea etiam ſepultus eſt ibi pater ſuus ſenex *Rolff*. HELGI qvoqve gener ſuus rex marinus ibi tumulatus eſt. Filius autem ejus & *Yrſæ* (u) puer creſcebat *Rolf* & fortitudine vigebat. Mater vero ejus *Urſula*, velo viduitatis depoſito, data eſt Regi Svethie ATHISLO, qvi ex ea filiam ſibi genuit, *Rolf* vero ex matre ejus ſororem nomine *Skuld*. Interea dum hec de Rege marino HELGI agerentur, frater ejus Rex Dacie mortuus eſt HALDANUS. Poſtqvam Rex Swecie ATHISL a Danis ſuſcepit tributum. Qvibus conſtituit catulum qvendam latrabilem regem, nomine *Rake*, nimis dilectum. Qvi dum una die ſederet cum exercitu ſuo, regali ſervicio honoratus, vidit canes in funda luctantes, qvos dum a leſione ſeparare vellet, proſiliens de menſa inter eos *Rachi* ad mortem oppreſſus eſt. Qvod nullus *Athiſlo* nunciare audebat. Qvia ſi qvis nunciaret interitum *Rache*, decollacione protinus interiret. Erat autem Gygas qvidam nomine *Læ* in inſula, qve vocatur *Leshö*, paſtorem qvendam habens nomine *Snyo*, qvem in Sweciam miſit, regnum petiturum a Rege. Qvi in Sweciam veniens, prima ſciſcitacione ab *Athiſlo* diligenter interrogatus, qvalis eſſet in Dacia rumor, figurative reſpondit: Apes eqvidem omnes ſine principe exiſtunt errantes. Secunda autem ſciſcitacione, ubi pernoctavit, interrogatus reſpondit: ubi oves lupum devorantes manderunt. Vidit enim medicum infirmis dantem ovibus ex lupo pocula cocto. Interrogatus iterum ab *Athiſlo*, ubi prius pernoctaverat, *Snyo* reſpondit: ubi lupi currum comederunt, boves autem in ſilvam fugerunt. Vidit enim lymbiferos tres ligna colligentes, qvorum unus, qvi ſervus dicitur, ſcilicet *Biauerthrel*, extenſis pedibus reſupinus in terram cecidit, cui illi duo inter crura ejus ligna congregabant, illumqve qvaſi boves precedentes traxerunt, qvos diſperſerunt lupi currumqve devoraverunt. Adhuc ab *Atiſlo*, ubi preterito pernoctavit interrogatus, reſpondit: Ubi ſecurim mus roſit, cujus haſta remanſit, ſcivit enim, ſe ſecurim a caſeo fabricaſſe. Qveſivit iterum rex, qvis eſſet rumor in Dacia, cui *Snyo* reſpondit: Apes eqvidem ibi omnes ſine principe exiſtunt errantes. Qvod intelligens *Athiſl*, ait: mortuus ne eſt rex *Raka?* Cui reſpondit *Snyo:* Tu dicis. Et iterum Rex ait. *Racki* mortuus eſt.

Videns

(s) Fragm. vèt. *Urſulam.*
(t) *Thorö* inſula prope Svenoburgum Fioniæ.
(u) Fragm. vet. *Urſule.*

Videns autem Rex *Athiſl*, qvod eſſet Promtus ad loqvendum *Snyo*, & non poſſet eum capere in ſermone, *Regem Danorum* predeſtinavit eum, dicens: Vis Rex eſſe in Dacia. Cui reſpondit *Snyo:* Fiat voluntas tua. Rex autem *Athiſl* regali nomine decoravit eum, dicens: Ingredere tu *Snyo* in Daciam, & eſto ibi Rex robuſtus & furore flagicioſus, multas iniqvas leges illis & injuſtas inſtituens, ut memores Dani, *Snyo*, ſint nominis tui per evum. Regnavit igitur SNYO, ſecundum juſſum regis, crudeliter in Dacia, ſuperbus, iniqvus, elatus, & in malicia nimis potens, per omnia terribilis, more fluminis incedens. Flentibus, ſi qvid videbantur habere, abstulit. Habentibus & male ridentibus ſparſit. Multas iniqvas leges inſtituens & injuſtas. In judicio minime rectus SNYO plebem ſuſtinere cogens compatiqve peſſundavit. Erat enim ei omnis plebs ſubdita & favens. Unus tamen nomine *Röth* reſiſtebat ei contrarius. Qvem in inſulam miſit ad qverendum a gygante *Læ*, qva morte moriturus Rex SNYO eſſet, ea intencione, ut ne iterum rediret vivus *Röth.* Qvi in inſulam veniens, dicta ſalutatione regis, qveſivit a gygante, qva morte eſſet moriturus Rex. Cui, priusqvam tria veridica proferret, Gygas *Læch* nihil reſpondere de morte volebat. Dixit ergo *Röth*, in monte ſedens, nusqvam ſpisſiores ſe vidiſſe parietes, parietibus domus illius. Aliud dixit, prius nunqvam ſe ullum plura capita habentem vidiſſe & minorem numerum familie. Adhuc tertium, qvod fuit verisſimum, ſi illinc eſſet, nunqvam redire vellet. Dictis hiis tribus veridicis, vaticinavit ei gygas, moriturum Regem morſu pediculorum. Cui ſedenti in pretorio apud *Jutlandiam* Regi SNYO, *Röth* nunciavit, qvod inſtanter apparuit coram omnibus, exierunt enim pediculi de naribus & auribus, qvorum multitudine totum corpus tegebatur. Erat autem Rex SNYO mortuus morſu pediculorum, cujus nominis memores Dani ſunt per evum.

Interea dum regnaret *Raky* & *Snyo*, confortabatur filius HELGI, ROLFF, cognomine *Krake.* Qvem poſt mortem *Snyo* Dani regem aſſumpſerunt. Qvi *Sialandie* apud *Lethram*, ſicut anteceſſores ſui, ſepisſime moratus eſt. Sororem ſuam nomine *Sculd* ſecum habuit, *Athiſli* regis filiam, & ſue matris *Urſule*, de qva ſuperius dictum eſt, qvam fraterno amore dilexit. Cui provinciam *Hornshæræth* Sialandie ad paſcendas puellas ſuas in expenſam dedit, in qva villam edificavit, nomine *Sculdelef*, unde nomen ſuſcepit. Hoc tempore erat qvidam Comes Scanie, nomine *Hiarwarth*, theotonicus genere, ROLF tributarius, qvi ad eum pro eo miſit, ut ſororem ſuam *Sculd Hiarwardo* daret uxorem. Qvo nolente, propria ipſius voluntate puelle clanculo eam raptam ſociavit ſibi. Unde conſpiraverunt inter ſe deliberantes *Hiarwart* & *Sculd*, qvomodo ROLF interficeretur, & Hiarwardus ſuperſtes regni heres efficeretur. Non poſt multum vero temporis animoſus ad uxoris exhortacionem *Hiarwart* Sialandiam (v) claſſe peciit. Genero ſuo ROLFF tributum attuliſſe ſimulavit. Die qvadam diluceſcente ad *Læthram* miſit, ut videret tributum, ROLFF nunciavit. Qvi cum vidiſſet non tributum ſed exercitum armatum, vallatus eſt Rolff militibus, & a *Hyarwardo* interfectus eſt. *Hyarwardum* autem Syalandenſes & Scanienſes, qvi cum eo erant, in Regem aſſumpſerunt. Qvi brevi tempore a mane usqve ad primam regali nomine potitus eſt. Tunc venit *Haky* frater, *Hagbradi* filius *Hamundi*, *Hyarwardum* interfecit & Danorum Rex effectus eſt. Qvo regnante, venit qvidam nomine *Fritleff* a partibus Septentrionalibus & filiam ſibi deſponſavit ROLFF *Crake*, ex qva filium nomine *Frothe* genuit cognomine *Largus.*

Poſtqvam

(v) Lacuna heic in Fragm. vet., qvo cum Codex collatus eſt, usqve ad An. DCCXCIX.

Poſtqvam genuerat filium *Frothi Aki* Regem interfecit *Fritleff*, & in eundem gradum levatus eſt. Qvo etiam defuncto, ei in regnum *Frothi* filius ſucceſſit. Qvo a *Smærtlyngy* filiis interempto, filius ejus INGYALD in regno levatur. Huic qvoqve defuncto ſucceſſit OLAUS filius ejus, & ipſi filia nomine *Aſa*. De qva proverbia multa dicuntur. Mortua *Aſa*, qve Patri *Olavo* ſucceſſit, Rex Danorum factus HARALDUS, qvi & *Hyldedan* dicebatur, iſte dominium habuiſſe dicitur, factis ſibi tributariis omnibus regnis usqve ad mare mediterraneum. Cumqve ad *Sreciam* exigendorum tributorum cauſa proficiſceretur, bello excepit eum Rex RING in campo nomine *Bramvel*, ubi ex parte HARALDI vexillifere puelle pugnaſſe feruntur. Qvarum prima *Heltd* (x), altera *Wyſinæ* dicebatur. In congreſſu illo HARALDUS occubuit & ex permiſſu RING regis Swecie Dani puellam *Helt* regem ſuper ſe conſtituerunt. Qve etiam Dacie imperans, civitatem ſui nominis *Hethæby* apud *Jutlandiam* in *portu* ſtatuit *Slesvicenſi*.

Hic tranſit imperium Romanorum ad reges *Francie*.

DCCLXVIII. Septingenteſimo ſexageſimo octavo. *Pipinus* rex obiit. Et eodem anno initium *Karoli* regis. Et qvidem mentionem Danorum fecimus. Dignum memoria videtur, qvod victorioſiſſimus Imperator *Karolus*, qvi omnia regna Europe ſubjecerat, noviſſimum cum *Danis* bellum ſuſcepiſſe narratur. Et in tempore illo erat ferociſſimus Rex in Dacia nomine GODEFRIDUS pater *Ozzyari Dani* (y). Jam ante *Freſis*, idemqve *Nordalbingis*, *Obodridis*, & aliis *Sclavorum* partibus tributo ſubactis, ipſe *Karulo* bello minatus eſt. Hec diſſenſio voluntatem Imperatorum retardavit.

DCCLXXI. *Karolus Magnus* obiit. *Brema* conſtruitur, *Freſia* a *Willibrordo* convertitur.

DCCLXXII. Adrianus Papa obiit, & ſucceſſit Leo Papa.

DCCLXXVI. Converſio *Saxonum*. Et hoc anno obiit GODEFRIDUS Rex Danorum, & HÆMMINGUS patruelis ejus ſucceſſit, & regnavit XXVIII. annis, qvi mox pacem cum Imperatore faciens, *Eydoram* fluvium accepit terminum regni.

DCCLXXVII. Karolus Yſpaniam intrat.

DCCLXXVIII. Karolus *Saxoniam* venit, & *Saxonia* capta eſt.

DCCLXXX. Karolus Romam vadit.

DCCLXXXVI. Signum *crucis* in veſtibus.

DCCLXXXVII. Item Karolus Romam perrexit.

DCCLXXXVIII. Karolus Dux per Allemanniam venit ad fines *Britannie*.

DCCLXXXIX. Taſylo Dux venit in Franciam & Bavaria capta eſt.

DCCXCI. Karolus pergit in *Sclavos*, qvi dicuntur *Wilci*.

DCCXCIII. Karolus Rex Mangorum regnum vaſtavit.

DCCXCVI. Hic fuerunt viſi tres circuli circa ſolem.

DCCXCIX. Hoc (z) anno lingvam Leonis Pape amputaverunt, & oculos ejus eruerunt, & expulerunt eum.

DCCCI. *Karolus* imperator factus eſt, & a Romanis appellatus *Auguſtus*.

DCCCIII. Hoc anno obiit HEMMINGUS Rex Danorum, & ſurrexerunt Dani & elegerunt duos Reges SIGAFRIDUM & ANULONEM, nepotes GODEFRIDI, & facta eſt inter eos pugna X. annis. Cum inter ſe de primatu regni con-

(x) Legendum *Herba*.

(y) i: fabuloſi illius Heroïs *Oligeri Dani*.

(z) Hic iterum incipit collatio cum vetere Fragmento.

venire non potuerunt, prelio ſceptrum diviſerunt. In qva congreſsione XI. milibus hominum interemptis, Reges ambo ceciderunt. Pars aurem ANULONIS cruenta victoria potiti, REGNIFRIDUM & HARALDUM CLAK in regnum poſuerunt, & facta eſt pugna inter eos IX. annis. Moxqve REGNIFRIDUS ab HARALDO depulſus, claſſe piraticam exercuit, & HARALDUS totum regnum obtinuit.

DCCCXI. Hoc anno fuit maxima nix & fulgura maxima.

DCCCXII. Hic acceperunt regnum *Reginfridus* & *Haraldus Clac.*

DCCCXIV. Hoc anno obiit *Karolus*, qvi regnavit XLV. annis, & ſucceſsit ei *Lodovicus* filius ejus, qvi regnavit annis XXVII.

DCCCXVI. Hic Leo Papa migravit, & Stephanus ſucceſsit ei.

DCCCXVII. Stephano ſucceſsit Paſchalis.

DCCCXIX. *Lodovicus* Britanniam perrexit, interfecto *Normanno*, & obſedit.

DCCCXX. Paſchalis Papa obiit.

DCCCXXI. Hoc anno expulſus eſt REGINFRIDUS, & HARALDUS cum Imperatore fedus iniit.

DCCCXXIII. Hoc anno *fames* valida fuit.

DCCCXXVI. Hoc anno HARALDUS CLAC Rex Danorum a filius GODEFRIDI regno ſpoliatus ad *Lodovicum* Imperatorem ſupplex venit. Qvi & mox chriſtiane fidei catheziſmo (a) imbutus, apud *Magonciam* cum uxore & fratre *Herico*, ac magna Danorum multitudine, baptizatus eſt. Iſte fuit primus chriſtianus Rex inter omnes reges Danie. Hunc Imperator a ſacro fonte ſuſcipiens, cum eum decreviſſet in regnum ſuum reſtituere, dedit ei poteſtatem *trans Albiam*, fratriqve ejus *Herico*, ut piratis obſiſteret, partem *Freſie* concesſit, qvam adhuc (b) *Dani* repoſcunt qvaſi legitimam juris ſui. Hoc factum eſt VI. anno regni HARALDI Regis Danorum, & regnavit XX. (c) annis. *Dani* acceperunt criſtianitatem anno XII. Imperatoris *Lodovici*. Poſt annos aliqvot venit *Ansgarius* epiſcopus, & verbum Dei *Danis* predicavit.

DCCCXXXII. Hoc anno reliqverunt *Lodovicum* Franci, & elegerunt *Lotharium*. Tunc HARALDUS rediit in Daciam, & dimiſit chriſtianitatem, & accepit regnum ſuum. Cum autem nemo doctorum facile poſſet inveniri, qvi cum illis ad Danos vellet venire propter crudelitatem barbaricam, qva gens illa ab omnibus fugitur. *Sanctus Ansgarius* divino, ut credimus, ſpiritu accenſus, & qvi ad martirium aliqva occaſione vellet pertingere, cum ſocio ſe ultroneum obtulit *Auberto*, non ſolum inter barbaros, verum etiam in carcerem & in mortem pro criſto ire paratus. Hoc regalis munificentie dono confeſſor Dei *Ansgarius* valde gaviſus, in Daniam feſtinavit, ubi regem Danorum inveniens, criſtianum reddidit. Iſte Eccleſiam erexit in portu marino in *Sleswic*, data pariter licentia, ut, ſi qvis vellet in regno ſuo, chriſtianus fieret. Unde infinita gentilium multitudo credidit, de qvibus in hoc libro memoria relatum eſt. Plures, qvi in aqva baptismi loti ſunt, ab omni corporis infirmitate liberati ſunt. Nunc ad cetera, unde incepimus, regrediamur. Hoc autem factum eſt anno *Lodowici* noviſsimo, qvi regnavit annis viginti ſeptem.

DCCCXXXIII. *Eugenius* Papa obiit & ſucceſsit ei *Gregorius*.

DCCCXXXV. *Gregorius* Papa obiit, & ſucceſsit ei *Sergius*.

DCCCXL. Hoc anno *Lodevicus* Imperator obiit, & regnum in contentione remanſit, multa inter fratres diſcordia extitit.

(a) Fragm. vet. *exorzismo.*

(b) Sunt verba *Adami Bremenſis* edit. Lindenbr. p. 6.

(c) Edit. Ludewig. habet *XXI.*

DCCCXLI. Hoc anno obiit HARALDUS Rex Danorum, & ſucceſſit frater ejus ERICUS, qvi regnavit decem annis. Interea *Dani* piraticis excurſionibus usqve qvam (d) degraſſati, *Freſones* tributo ſubjiciunt. Eodem tempore per Renum vecti, *Coloniam* obſederunt. Per *Albiam* vero *Hamburgh* incenderunt. Inclita civitas illa tota aut preda aut incendio diſperiit. Ibi Eccleſia, ibi clauſtrum (e), ibi bibliotheca ſummo collecta ſtudio conſumpta eſt. *Sanctus Ansgarius*, ut ſcribitur, cum reliqviis ſanctorum virorum nudus evaſit. Excidium *Hamburgh* Hyſtoria Francorum non tacet & privilegia Romanorum. Poſt hec ſcribitur in *vita ſancti Ansgarii*, qvaliter in *Daniam* veniens, HERICUM Regem in regno reperit. Cui tempori congruit *Yſtoria Francorum*, qve ſic de *Danis* meminit: Regem potentiſſimum Francie timore compulſum, terram eis dediſſe ad habitandum. Deinde *Lothoryngia*, inqvit, vaſtata & ſubacta *Freſia* in ſua victrici converſos viſcera dextra. Contendentibus namqve ad invicem *Guthorm* principe Normannorum (f) cum patruo ſuo, ſcilicet Rege Danorum HERICO, tanta cede utriqve mactati ſunt, ut vulgus omne cederetur (g). De ſtirpe autem regia nemo omnino remaneret, preter unum puerum nomine HERICUM.

DCCCXLII. *Lotharius* & *Carolus* pugnaverunt.

DCCCXLV. Hoc anno *Lotharius* rex obiit.

DCCCXLVIII. Hoc anno fuit *Fames* valida & magna *mors hominum.*

DCCCXLIX. Item *fames* & *mortalitas* hominum & *peſtis* animalium.

DCCCL. Obiit *Sergius* Papa & ſucceſſit *Leo.*

DCCCLIII. Obiit *Leo* Papa.

DCCCLIV. *Karolus* Imperator obiit & *Arnulfus* Rex Imperator efficitur.

DCCCLV. Obiit *Lotharius* Rex.

DCCCLVI. Hic cecidit frater *Haraldi* HERICUS Rex Danorum in bello, qvod conſtituit contra *Guthorm* filium fratris ſui, & ſucceſſit ei HERICUS *puer*, & regnavit XLVI. annis. Iſte Rex HERICUS, mox ut regnum Danorum ſuſcepit, ingenti furore ſuper criſticolas efferatus eſt, ſacerdotes Dei expulit & eccleſias claudi precepit. In diebus illis erant ferociſſimi & crudeliſſimi principes Danorum, filii *Lothbrochi*, qvi piraticis excurſionibus Galliam vexabant, qvorum precipui erant *Aryc* (h), *Sighafrith*, *Ulff*, *Byorn*, *Ormyc* (i), *Godefrid*, *Juar*, *Rothulf*, *Inguar* & *Vbbi* (k). Crudeliſſimi fuerunt, *Iuar* & *Ingvar*, filii *Lothbrochi*, qvi ubiqve criſtianos per ſupplicia necabant (l). Dani autem federibus compreſſos eo modo retinuerunt. Dani per Lygerim ſuccendiſſe *Turonos*, per ſecanem (m) *Pariſios* obſediſſe, & totam Franciam vaſtaverunt. Poſt mortem vero Imperatoris effera barbaries laxis regnabat habenis. Et modo *Dani* cum *Normannis Hamburgenſi Eccleſie* paſtorali cura ſubjecti ſunt. Preterire neqveo, qvanta mala Deus per eos illo tempore fieri permiſerit, & qvam late pagani ſuper chriſtianos extenderint potentiam ſuam, qve

(d) Edit. Ludew. *usqve qvaqve.*

(e) Fragm. vet. pro *ibi clauſtrum* habet *cum clauſtro.*

(f) Edit. Ludew. habet *Danorum.*

(g) Fragm. vet. *caderet.*

(h) Pro *Arych* Fragm. vet. habet *Horich*, Edit. Wormii *Myrbe.*

(i) Pro *Ormyc* Edit. Ludew. habet *Ermik*, Edit. Wormii *Arnict.*

(k) Pro *Ubbi* Edit. Wormii habet *Ebbi.*

(l) Conf. *Adam. Brem.* ed. Lindenbr. p. 10.

(m) Edit. Ludew. & Wormii *Sequanam.*

qve omnia lamentabiliter ſcripta ſunt in *Hiſtoria Francorum* & in aliis libris (n). Tunc *Saxonia* vaſtata eſt a *Danis* & *Normannis*. *Brun* dux occiſus eſt, cum aliis XII. Comitibus. *Theodoricus* & *Marwath* (o) Epiſcopi truncati. Tunc *Freſia* populata, Trajectum civitas exciſa. Sanctus *Rabodus* urbis Epiſcopus cedens (p) perſecutioni *Davandrie* ſedem conſtituit. Ibiqve conſiſtens, anathematis gladio in paganis ultus eſt. Tunc Pirate *Coloniam* & *Treviris* incenderunt. *Aqvisgrani* palacium Imperatoris ſtabulum eqvis ſuis fecerunt. *Magoncia* vero propter metum inſtaurari cepit. Qvid multa? Urbes cum civibus, Epiſcopi cum toto grege, ſimul obruti ſunt. Eccleſie cum fidelibus incenſe ſunt. *Lodovicus* cum paganis dimicans, Victor extitit, & victus occubuit. Hec tragedico planctu ſcripta ſunt in *Annalibus Cezarum*. Nos propter *Danorum* mencionem perſtrinximus. Hec ſcripta ſunt in *geſtis Francorum*. In illo tempore *Normanni Apuliam* poſſederunt, & una pars *Danorum* poſſedit *Longobardiam*. Daniqve in Freſia ſe receperunt, totum imperium ulturi cum principibus *Sigefrido* & *Godofrido* per Renum (q).

DCCCLXXXVIII. Karolus Imperator obiit, & Arnolfus Rex Imperator efficitur. Et (r) Moſam & Scaldam fluvios Galliam invadentes, miſerabili cede chriſtianos obtruncaverunt, ipſumqve regem *Karolum* bello petentes, ludibrio noſtros habuerunt. In *Angliam* qvoqve miſerunt unum ex inimicis (s) nomine *Haldan*, qvi dum ab Anglis occideretur, Dani conſtituerunt in locum ejus *Gotredum*. Hic autem *Hisbumbriam* expugnavit. Atqve ex illo tempore *Normannia*, *Freſia*, & *Anglia* in dicione Danorum eſſe feruntur. Tunc ſurrexit Imperator ARNULFUS de Roma contra Danos, Deo auxiliante, tribus fratribus in bello perſeverantibus, Videlicet *Godefrido*, *Sigafrido*, & *Ywaro*. *Arnulfus* nutu Dei cum expeditione occurrit, fratres duos diffidentes de victoria tertius conſolatus eſt, includens ſe in papilione ſua, inſtigavit eos & precepit eis viriliter pugnare nichil metuentes. *Godefridus* qvidem, ne inconſulte ad bellum accederet, majus conſilium ab eo qverere diſpoſuit. Aperuit hoſtium papilionis, conſulendi gratia fratrem ſuum ſuper hiis, qve agenda erant, & invenit eum in figura urſi albi pavimentum papilionis deambulantem & terram ungvibus ſulcantem, & tam in opere qvam in ſpecie iniqve (t) fere effigiem pretendentem. Qvo viſo, deformis ille & deformata ſpecies fratri inqvit, frater mi, bellare poteris, ſed expers victorie pro certo eris. Iſti principes & ceteri hoſtes criſtianorum ab *Arnulfo* imperatore gravibus preliis usqve ad internecionem deleti ſunt. Bellum celitus adminiſtratum eſt. Siqvidem centum milibus paganorum proſtratis, vix unus de criſtianis cecidiſſe repertus eſt. Et ita reſtincta eſt perſecutio *Danorum*, Domino vindicante ſangvinem ſervorum ſuorum, qvi effuſus eſt. Hec narrat *Hiſtoria Francorum*.

DCCCXCVII. *Arnulfus* rex imperator obiit, & *Lodovicus* in regem elevatur.

DCCCCII. Hoc anno obiit HERICUS PUER Rex Danorum, & ſucceſſit OLAFF, qvi veniens a *Swecia* (u) regnum obtinuit Danicum vi & armis, habuitqve filios multos, & regnavit in Dacia qvinqve annis.

DCCCCIII. *Lodowicus* filius *Arnolfi* obiit.

DCCCCIV.

(n) Hæc omnia verbotenus ex *Adamo* ed. Lindenbr. p. 10. 11.

(o) Fragm. vet. *Harwardus*, ſed *Adam. Brem.* p. 10. rectius *Marqvardus*.

(p) Edit. Ludew. *evadens perſecutionem*.

(q) Edit. Ludew. *aſcenderunt*.

(r) Edit. Ludew. *Dani*.

(s) Fragm. vet. *nunciis*.

(t) Pro *iniqve* Fragm. vet. habet *undiqve*.

(u) Fragm. vet. *Svetbia*.

DCCCCCIV. Hoc anno factum eſt bellum Carnotis cum *paganis* III. *Idus* Marcii.

DCCCCCV. Hoc anno facta eſt pax inter Francos & Normannos.

DCCCCCVI. Hic OLAFF mortuus eſt, & ſurrexit qvidam de Dacia, & electus eſt in Regem, nomine *Gyurth* (v), & regnavit X. annis.

DCCCCCXI. *Conradus* rex obiit, & *Henricus* ſucceſſit.

DCCCCCXIV. *Karolus* pugnavit cum Roberto.

DCCCCCXV. Hoc anno facta eſt pax inter *Francos* & *Danos*. Interfectus eſt *Gyurth* Rex Danorum, cumqve paruo tempore regnaſſet, HARDEGON (x) filius *Herici* Regis ſurrexit, & regnavit XI. annis. In diebus illis immaniſſima perſecucio Saxoniam oppreſſit. Cum hinc *Dani* & illinc *Slavi* laniarent Eccleſias. Nobis autem ſcire ſufficiat, non omnes paganos fuiſſe, ac in tanta regnorum mutatione vel executione barbarorum criſtianitatem in Dania, qve a ſancto *Ansgario* plantata eſt, aliqvantulum remanſiſſe, non totam defeciſſe.

DCCCCCXXV. Hoc anno obiit HARDEGON (y) Rex Danorum, & ſucceſſit ORM, qvi dicebatur *Harthæſinthæ*, & regnavit VII. annis. Ille criſtanitatem, qve in Dania fuit, prorſus delere molitus eſt. Sacerdotes Dei a finibus ſuis depulit, plurimos necavit tormentis. *Dani* qvoqve, *Slavos* ſecum habentes, primo *transalbinos Saxones*, deinde cis *Albim* vaſtantes, magno *Saxoniam* terrore qvaſſabant.

DCCCCCXXVI. *Henricus* obiit; & *Otto* ſucceſſit.

DCCCCCXXXI. Hoc anno obiit *Orm Harthæſinutæ* Rex Danorum, & ſucceſſit GORM *Anglicus*, & regnavit V. annis. In diebus ejus Dani feruntur, incenſis Eccleſiis, ſacerdotes ante altare trucidaſſe, & clerum vulgo mixtum aut inpune occidiſſe aut in captivitatem duxiſſe. Tunc etiam cruces truncate a paganis ludibrio ſunt habite. Tanti autem Reges Danorum immo tyranni fuerunt, alter poſt alterum, utrum ſimul aliqvi regnaverunt. Tunc confeſſor Dei Sanctus *Reubertus* venit ad Danos, ubi crudeliſſimum GORM regnantem invenit, illum qvidem pro ingenita flectere fevicia non potens. Filium autem regis, HARALDUM *Blatan*, ſua dicitur predicatione lucratus. Qvem ita fidelem criſto perfecit, ut criſtianitatem, qvam pater ejus ſemper odio habuit, ipſe publice haberi permitteret, qvamvis nondum ſacramentum baptismi perceperit. Ordinatis itaqve per ſingulas eccleſias ſacerdotibus, ſanctus Dei multitudinem credentium commendaſſe fertur HARALDO. Cujus etiam fultus adjutorio & legato, omnes *Danorum inſulas* penetravit, Evangelizans verbum Dei gentibus, & fideles, qvos invenit illic captivos, in criſto confortans (z).

DCCCCCXXXIV. Hoc anno occiſus eſt *Villelmus* Dux Normannorum, filius *Rollonis*, cui ſucceſſit *Ricardus*, qvi dicitur *vetus*.

DCCCCCXXXVI. Hoc anno obiit GORM Rex Danorum, & ſucceſſit HARALDUS filius ejus L. annis. Et ſurrexit HARALDUS cum exercitu magno, perrexit ad Angliam, & fecit ibi plagam magnam, & ſubjugavit eam ſibi, & poſtea rediit.

DCCCCCXL. In diebus illis, poſtqvam reverſus eſt HARALDUS ab Anglia, ſurrexit *Otto Magnus* de Roma, & venit ad Daniam. Tunc *Dani* rebellare moliti ſunt apud *Hethæby*, legatos *Ottonis* cum Marchione trucidaverunt, deinde Saxoniam

(v) Edit. Ludew. *Siguard.*

(x) Edit. Wormii legit *Hardegorm*, Edit. Ludew. *Hardeknud.*

(y) Edit. Wormii *Hardegorm*, Edit. Ludew. *Hardeknud.*

(z) Hæc omnia ex *Adamo Brem.* p. 14.

usqve ad Coloniam depredantes (a). Ad qvam rem ulciſcendam Imperatur cum exercitu magno ſtatim invadit Daniam, trangreſſusqve terminos Danorum apud *Sleswic* olim poſitos, ferro & igne totam vaſtavit *Jutlandiam* usqve ad mare novisſimum, qvod (b) *Normannos* a *Danis* dirimit, & usqve ad preſentem diem a victoria *Ottonis Oddæſund* dicitur.

DCCCCXLIII. Cui egredienti HARALDUS apud *Sleswic* occurrens, bellum intulit, in qvo, utrisqve viriliter certantibus, Saxones & Romani potiti ſunt victoria. Dani autem victi ad naves ceſſerunt. Tandem, conditionibus ad pacem inclinatis (c), *Haraldus* Ottoni ſubjicitur, & ab eo regnum ſuſcipiens criſtianitatem in Dania recipere ſpopondit. Nec mora, baptizatus eſt ipſe HARALDUS cum uxore ſua GUNNILD & filio parvulo *Sren*, qvem Imperator a ſacro fonte ſuſceptum *Swen Otto* vocavit. Eo tempore Dania cismarina, qvam *Jutland* incole appellant, in tres diviſa Epiſcopatus, Hamaburgenſi Eccleſie ſubjecta eſt & Archiepiſcopatui. HARALDUS (d) Rex Danorum, religione & fortitudine inſignis, criſtianitatem jam dudum in regno ſuo habitam benigne ſuſcepit & conſtanter tenuit usqve ad finem vite. Unde & regnum ſuum ſanctitate & juſtitia confirmans, ultra mare in *Normannos* & *Anglos* dilatavit terminos ſuos (e). *Ædmund* (f) filius *Ring* tunc regnavit in Swecia. Hiis *Haraldus* (g) confederatus, criſtianis convenientibus placabilis fuit. In *Norwegia* erat princeps, *Hakon* (h) nomine, qvem dum Normanni ſuperbius agentem regno depulerunt, *Haraldus* ſua virtute reſtituit & criſticolis placatum effecit. *Hakon* iſte crudelisſimus de genere *Ingvar* & gyganteo ſangvine deſcendit, & primus inter *Normannos* regnum arripuit, cum antea regerentur Ducibus. Igitur *Hakon* in regno triginta annis exactis obiit, HARALDUM (i) relinqvens heredem, qvi ſimul *Daniam* poſſedit atqve *Normanniam*. *Anglia*, ut ſupra diximus, & in *geſtis Anglorum* ſcribitur, poſt mortem *Guthedi* (k) & filiorum ejus *Analaf*, *Sigerich*, & *Reginold*, annos fere centum permanſit in dicione *Danorum*. Tunc (l) vero *Ring* filium ſuum *Haraldum* miſit in *Angliam* cum exercitu. Qvi ſubacta inſula tandem proditus & occiſus eſt a Nordumbris. Novisſimis temporibus HARALDI criſtianitas turbata eſt in Dania, pulchrisqve divine religionis iniciis invidens inimicus homo ſuper ſeminare & zizaniam conatus eſt (m). Nam tunc SWEN OTTO, filius *Haraldi* regis Danorum, multas in patrem molitus inſidias, qvomodo cum jam longevum & minus validum regno privaret, conſilium habuit cum eis, qvos pater ejus ad criſtianitatem coegit invitos. Subito igitur facta conſpiracione, *Dani* criſtianitatem abdicantes, SWEN

(a) Etiam hæc ex *Adamo Brem.* ed. Lindenbr. p. 16. Sed notandum, qvod *Fragmentum vetus* ex *integriori Adami exemplari* ultimam hanc periodum ſumſiſſe videatur, qvæ a vulgatis editionibus differt, magniqve in Hiſtoria noſtra intereſt, ad exſtirpandam ſcil. fabulam de *Marchione & Colonia Ottonis Slesvici poſitis.*

(b) In margine Codicis, manu recentiori, forte *Magni Marchiæ*, ita notatum: *Pars Daniæ ultra Otteſund olim Nordania, Nordoſtdani, vel Normanni dicti, itaqve eo tempore totum regnum non dicta Dania fuit, ſed novisſimus Daniæ limes Otteſund fuit.*

(c) Hæc ex *Adamo Brem.* p. 16.

(d) Fragm. vet. in margine: *Nota de Haraldo Rege criſtianisſimo.*

(e) Hæc & ſeqventia ex *Adamo Bremenſi* p. 20. ſed cum aliqva differentia.

(f) Fragm. vet. *Emund.* Adam. Brem. l. c. *Emund* filius *Erici.*

(g) Adam. Brem. *Is Haraldo.*

(h) Adam. Brem. *Hacqvin.*

(i) Adam. Brem. male *Hartildum* legit.

(k) Edit. Wormii *Gutbredi*, Adam. Brem. *Gunidredi.*

(l) Hæc ita melius Adam. Brem. l. c. Tunc vero HAROLDUS *Hiring* filium ſuum miſit in Angliam. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 143.

(m) Totus hic articulus ex *Adamo Bremenſi* Edit. Lindenbr. p. 20. 21. deſumtus eſt.

SWEN Regem conſtituerunt, & HARALDO bellum indixerunt. At ille, qvi ab inicio regni ſui totam ſpem ſuam in Deo poſuerat, tunc vero maxime, commendans Deo rei eventum, cum bellum execraretur, armis ſe tueri decrevit, & qvaſi alter David procedens ad bellum, filium lugebat Abſalon, magis dolens ipſius ſcelus, qvam ſua pericula. In qvo miſerabili morte & plusqvam civili bello victa eſt pars HARALDI. Ipſe autem vulneratus, fugiens ex acie, aſcenſa nave, elapſus eſt ad civitatem Slavorum, qve dicitur *Jumpne* (n). A qvibus contra ſpem, qvia pagani erant, humane receptus. Poſt dies aliqvot ex eodem vulnere deficiens, in confeſſione Criſti migravit. Corpus ejus in patriam deportatum ab exercitu, apud *Roſkildam* civitatem ſepultus eſt in *eccleſia*, qvam primus conſtruxit *in honorem ſancte trinitatis*. De cujus fine cum iſtum pronepotem ſuum, qvi in Dania regnat, *Swen* interrogare maluerim (o), velut alter Tydeus crimen avi reticuit, me vero parricidium exaggerante, hoc eſt, inqvit, qvod nos poſteri luimus, & qvod ipſe parricida ſuo piavit exilio. At iſte glorioſus Rex HARALDUS (p), qvi primus Danorum populo criſtianitatem indixit, qvi totum ſeptentrionem predicatoribus & Eccleſiis replevit, ille inqvam innocens vulneratus & pro criſto de regno expulſus, martirii palma, ut ſpero, non carebit. Regnavit autem annis qvinqvaginta. Obitus ejus contigit in feſto omnium ſanctorum.

DCCCCXLVI. Hoc anno *Otto* Ytaliam ingreſſus, & eam ſibi ſubjugavit.

DCCCCLII. *Liutdulfus* Ottonis filius, ſubjugata ſibi Ytalia, ibidem obiit.

DCCCCLVI. *Otto* puerulus in regem levatur Aqvisgranis palatio.

DCCCCLXVI. Nota (q) Anno Domini DCCCCLXVI. Dani ad fidem ſunt converſi per *Popponem* ſub iſto Rege HARALDO, qvi *Popponem* fecit Epiſcopum.

DCCCCLXVII. *Otto* Imperator obiit.

DCCCCLXXVII. *Otto* Imperator obiit, & *Otto* filius ejus infans ei ſucceſſit.

DCCCCLXXXV. Hoc anno mortuus eſt HARALDUS Rex Danorum & ſucceſſit filius ejus SWEN. Cumqve cepiſſet regnare SWEN Rex (r), & perſecutionem criſtianorum exercuiſſet in Dania, fertur Archiepiſcopus ſupplicibus legatis & crebris muneribus laboraſſe, ut ferocis animum Regis criſtianis manſvetum redderet. Qvibus ille relictis (s), in ſua crudelitate ac perfidia ſevire (t) cepit, ſecuta eſt ulcio divina Regem Deo rebellem. Nam cum bellum (u) ſuſciperet contra Slavos, bis captus & in *Slaviam* ductus, tociens a Danis ingenti pondere argenti redemtus eſt, nec tamen reverti voluit ad Deum, qvem primo in morte patris offendit, & deinde in nece fidelium irritavit. Et iratus eſt furore Dominus, & tradidit eum in manus inimicorum ſuorum, ut diſceret non blasphemare Deum. Tunc ERICUS Rex Svethie, frater *Æmund* (v) filius *Ring*, cum exercitu magno, ſicut arena maris, *Daniam* invadit;

(n) Adam. Brem. edit. Lindenbr. p. 21. habet *Julinum*, ſed melioris notæ Codices Adami habent *Jumne* ſive ut hic *Jumpne*, de qvibus vide ſupra, qvæ ego ſentiam, Not. (h) ad Cap. IV. Svenonis Aggonis.

(o) Auctor Annalium horum loqvitur in perſona *Adami Bremenſis*, qvem p. 21. hic verbotenus exſcripſit, nullo autem modo hinc de auctoris ætate, qvi multo ſerius vixit, argumentari licebit.

(p) Inferius in pagina Fragmenti veteris, ſeqventia manu vetuſta notantur: *Nota de HARALDO Rege criſtianiſſimo, qvi fuit a proprio filio infideli exiſtente & apoſtatante a fide in bello vulneratus primo, & exinde mortuus ſanctus martir. SIVEN filius HARALDI SANCTI.*

(q) Hæc in margine Fragmenti veteris annotata ſunt vetuſta manu.

(r) Qvæ ſeqvuntur, maximam partem, ſunt verba *Adami Bremenſis* Edit. Lindenbr. p. 21. 22. 23. 24.

(s) Ad. Brem. pro *relictis* habet *rejectis*, qvod rectius.

(t) Edit. Wormii *perſeverare*.

(u) Edit. Ludewigii *expeditionem*.

(v) Fragm. vet. *Ömund*, Edit. Wormii *Æmund*, Edit. Ludew. *Amund*. Hæc non ap. Adamum.

invadit, & occurrit ei SWEN derelictus a Deo, fruſtra ſperans in Ydolis ſuis. Multa utrinqve bella navalia, ſic enim ea gens confligere ſolet. Copiisqve Danorum omnibus contritis, HERICUS Rex victor obtinuit *Daniam*. SWEN Rex a regno depulſus dignam factis ſuis adeo zelote ſuſcepit mercedem (x). Et hec nobis (y) recitavit SWEN junior in avo ſuo contigiſſe juſto Dei judicio, qvoniam Deum dereliqvit, qvem pater ſuus bonum defenſorem habuit, poſt vindictam ergo ſcelerum, qve in eccleſias Dei & in criſtianos commiſerat SWEN Rex victus & a ſuis deſertus, qvippe qvem Deus dereliqvit, errabundus & inops auxilii, venit ad *Normannos*, ubi tunc filius *Haconis* TRUCHO regnavit. Is, qvoniam paganus erat, nulla ſuper eum miſecordia motus eſt. Ita ille infelix & a toto orbe relictus (z), in *Angliam* transfretavit, fruſtra ab inimicis ſolatium qverens. Qvo tempore Britannis *Athelether* (a) filius *Ædgaris* imperavit, is non immemor injuriarum, qvas *Dani* ex antiqvo *Anglis* inflixerant, exulem repulit. Qvem tandem, miſertus infortunii Rex *Scotorum*, benigne recepit, ibiqve *Sven* bis ſeptem annis exulavit, usqve ad mortem HERICI. Ferunt, eo tempore claſſem piraticam, qvos noſtri *Aſcomannos* vocant, Saxonie appulſam, vaſtaſſe omnia *Freſie* atqve *Hadule* maritima. Cumqve per *Albie* fluminis oſtium aſcendentes irrumperent provinciam, tunc congregati *Saxonum* magnates, exercitu egredientes a navibus barbaros exceperunt apud *Stadium*, qvod eſt oportunum *Albie portus* preſidium. Magnum & memoriale nimisqve erat infelix illud prelium, in qvo utrisqve viriliter certantibus, *Dani* victores totam virtutem *Saxonum* obtrivere. Capti ſunt ibi Marchio *Sigefridus*, Comes *Theodericus*, & alii illuſtres viri, qvos, vinctis poſt terga manibus, barbari traxerunt ad naves, & pedes eorum catena ſtrinxerunt, totam exinde provinciam depredantes impune. Sed cum de captivis ſolus Marchio *Sigafridus* cujusdam piſcatoris auxilio furtim noctu evaderet, pirate in furorem converſi (b), omnes, qvos in vinculis tenuerunt, meliores ad ludibrium habentes, manus eis pedesqve truncaverunt, ac nare preciſa deformantes ad terram ſemivivos proiciebant. HERICUS inqvam duo regna tenuit, Sweonum & Danorum, & ipſe paganus criſtianis valde inimicus. Ad eum fertur legatus fuiſſe Ceſaris qvidam *Popo* nomine vir ſanctus & ſapiens ad regnum *Danorum* ſeu pro pace criſtianorum Ceſaris partes expoſtulans. Ajunt eum pro aſſercione criſtianitatis, cum barbari ſuo more ſignum qvererent, nil moratum, ſtatim ferrum ignitum geſtaſſe manu & illeſum apparuiſſe. Dumqve hoc facile omnem gentilibus ambiguitatem erroris videretur tollere, iterum ſanctus Dei pro ſubmovendo illius gentis paganismo aliud dicitur oſtendiſſe vel (c) magnum miraculum. Tunicam indutus cereatam, cum ſtaret in medio populi circo, in nomine Domini precepit eam incendi, ipſe vero oculis ac manibus in celum tenſis liqventes flammas tam pacienter ſuſtinuit, ut, veſte prorſus combuſta & in favillam redacta, hylari & jocundo vultu nec fumum incendii ſenſiſſe ſe teſtatus eſt. Cujus novitate miraculi credidit ipſe Rex ERICUS & omnes *Dani* usqve in hodiernum diem. Poſt mortem vero diu ERICI oblatam (d) SWEN ab exilio regreſſus obtinuit regnum patrum ſuorum anno depulſionis ſue vel peregrinationis ſue XIII. & ac-

cepit

(x) Fragm. vet. *ultionem.*

(y) Hic iterum *Adamum Bremenſem* p. 22. loqventem audi.

(z) Adam. Brem. p. 22. *rejectus.*

(a) Adam. Brem. *Adelrad.*

(b) Huc usqve Fragmentum illud vet. membran. qvocum collatio textus inſtituta fuit.

(c) Adam. Brem. *æqve magnum*, Edit. Ludew. *majus.*

(d) Forte legend. *optatam.*

aj xv. Hic decessit Dauid & elegerunt Scocci Regē qui
aj x regnauit xxxviij. annis Tunc Demus bellū molitus
Anglos Qlamiß annotatis claud Regē. Septa &
arcegno Dauid & ītrū ab Scocis amapith assistentibus
pacē tūt & olaūo filio eius q̄ regnāt ñsecta

aj. xvi
aj. xvii
aj xviii
aj xviiii
aj xvi Ffor tūc victoriosissimus rex Scocie cū exercitu magn
aj xvi ne collēs anglicū fugādit & subiugauit ea sibi simp
aj xvi misse namq; armatis Scocie ocreatum fugissimis
aj xvi Spiritalnicēt p̄ ps sicut Dauid ferunt adamū Anglia
aj xix Scocie cuius tridua pecia pacifice ssime regni
aj xx r. valde pusillos alcūi annos Scocie gentes
aj xxi arcuger & fiscia de mris Scocie obpugnāt anglia
aj xxii Qlosthū regēm Scocie cum pusillanimū multos
aj xxiii Ffugos anglos depulsos insulis cum suis Scocie
terre & annuū ptributū pepigit. & cū seruissent exhibi
isset ab indē rex anglos ap̄ Sandwich ad ccc ffg. O. Scimus
cū regno pcul amittēt & iusto dei iudicio. cum fide p̄mi
tutū estimato. duo deiudicatū cuius septem Scocie pol
sunt & p̄ficidiū tulit exp̄imit. Scocie regem adducēdi
accepit uxorē & diuinū nouē q̄ sunt sodē omittō no
uulnera tiandi. Cum eo Dauid & anglos Scocie sunt
Scdm ffernandū mangiū ffe dē q̄n Scocie Scocie

cepit uxorem ERICI relictam, matrem OLAFF, qve peperit ei KNUT (e). Sed nichil profuit ei illa affinitas connubii, cui Deus iratus est. OLAFF sane, qvi post obitum sui patris HERICI regnum super Swenos accepit, exercitu superveniens infelicem SWEN a regno expulit, & ipse obtinuit *Daniam*. Cognovit autem SWEN, ipse est Deus &c. & reversus in semet ipsum, peccata sua pre oculis habuit penitens oravit ad Deum, & Deus exaudivit eum. Dedit ei graciam in conspectu inimicorum suorum, & restituit eum OLAF in regnum, eo qvod matrem suam habuerit, feceruntqve pacem ad invicem firmissimam, ut cristianitatem in regno suo plantatam retinerent, & in exteras effunderent naciones. Audiens autem OLAF filius *Trugy* Rex Normannorum de conjunctione Regum, iratus est contra SWEN, ratus est, eum, qvasi derelictum a Deo, totiesqve depulsum, a sua etiam multitudine facile posse depelli. Collecta igitur classe innumera, bellum intulit Regi Danorum. Hoc factum est inter *Scaniam* & *Syaland*, ubi solent Reges navali bello confligere. Est autem brevis *trajectus Baltici maris* apud *Hælsingæburgh*, in qvo loco *Seland* a *Scania* videri posset, familiare latibulum piratis. Ibi ergo congressi, *Normanni* a *Danis* victi & confusi sunt. OLAF Rex, qvi solus remansit, in mare se precipitans, dignum finem vite invenit. Narrant eum aliqvi fuisse cristianum, sed cristianitatis desertorem. Omnes autem affirmant, peritum auguriorum, servatorem sortium, & in avium pronosticis omnem spem suam posuisse. Qvare etiam cognomen accepisse narratur, ut OLAF *Crakæben* diceretur. Nam & artis magice, ut ajunt, studio deditus, omnes, qvibus illa patria habundat, magicos habuit domesticos, eorumqve deceptus errore periit (f). Swen interfecto OLAVO *Crakæben* duo regna possedit. Ipse igitur mox destructo ritu Ydolatrie cristianitatem in *Normanniam* (g) per edictum suscipere jussit. Tunc etiam *Guthebaldum* qvendam ab *Anglia* venientem episcopum in *Scania* posuit doctorem. Qvi etiam in *Srecia* sepe dicitur evangelizasse, & in *Norwegia*. SWEN Rex *Danorum* atqve *Normannorum* veteres injurias fratris *Ring* (h), qvam sue repulsionis ulturus, classe magna transfretavit in *Angliam*, ducens secum filium suum *Knut* & *Olaf* filium *Crakaben*, de qvo scriptum est. Jamqve multo tempore preliis adversum *Anglos* exactis, veteranum regem depulit *Adelredum*, & insulam tenuit in sua dicione brevi tempore. Nam tercio mense postqvam victoriam adeptus est, ibidem morte preventus occubuit (i).

MVII. Hoc anno mortuus SWEN in Anglia. KANUTUS filius ejus & *Olavus Krakæben*, & omnes *Dani* reversi sunt ab Anglia, & surrexerunt *Dani*, & elegerunt KANUTUM in Regem, qvi regnavit XXXIII. annis. Tunc denuo bellum molitur in *Anglos*. OLAVUS a *Normannis* electus in Regem, separatus est a regno *Danorum*. Tunc vero KANUTUS ancipiti casu turbatus pactum iniit cum OLAVO filio *Erici*, qvi regnavit in *Swecia* (k).

MXV. Hoc anno victoriosissimus Rex KANUTUS cum exercitu magno collecto *Angliam* invadit, & subjugavit eam sibi. Itaqve mille navibus armatis KANUTUS oceánum transilivit britannicum, per qvem, sicut Dani (l) referunt, a *Dania* in

(e) Hæc ex Adamo Brem. p. 23. At fallitur hic Adamus; *Knut* enim erat filius Svenonis ex *Gunhilde* Slavica, non ex *Sigride* relicta *Erici* Regis Svecix.

(f) Hactenus ex Adamo Bremensi p. 23. 24.

(g) Edit. Ludew. *Norwegiam.*

(h) Ad. Brem. p. 26. *tam occisi fratris*, scil. *Hiring*, de qvo ante p. 20.

(i) Adam. Brem. p. 26.

(k) Ibidem.

(l) Pro *Dani* legitur *Nauæ* ap. Adam. Brem. p. 26.

Angliam, flantibus euris, triduo vela panduntur. Hoc mare magnum & valde periculoſum a leva *Orcadas* habens, dextrorſum attingit *Freſiam*. Triennio KANUTUS oppugnavit *Angliam*. Poſtqvam regnavit KANUTUS, omnium pulcherrimus, multorum populorum tirannorum depulſor, robuſtus armis, largior ceteris, in nimia probitate preclarus, & Domini (m) ſe inviſum exhibuiſſet, *Athelrad* Rex Anglorum apud *Londoniam* obſeſſus obiit, ſimul cum regno vitam amittens, juſto Dei judicio, qvi, fratre per martirium conſummato, duo de qvadraginta annis ſceptrum ſangvine polluit, is parricidium taliter expiavit. KANUTUS regnum *Adelredi* accepit, uxoremqve ejus ÆMMAM nomine, qve fuit ſoror Comitis Normannorum *Ricardi*. Cui Rex Danorum & Anglorum KANUTUS ſuam dedit germanam *Margaretam* pro federe. Qvam deinde KNUTH, repudiatam a Comite, *Vlff* (n) Duci Anglie dedit, ejusdemqve *Vlff* ſororem alteri Duci *Guthwino* copulavit, calide ratus, *Anglos* & *Normannos* per connubia *Danis* fideliores. Qve res eum non fefellit, & *Ricardus* Comes declinans iram KNUTH Jeroſolimam profectus, ibidem obiit, relinqvens filium in Normannia *Robertum*. Cujus filius eſt iſte *Willelmus*, qvem Franci *Baſtardum* appellant. *Vlf* ex ſorore regis KNUTH filios ſuſcepit, *Bern* ducem & SWEN regem. *Godwin* dux a ſorore *Vlf* Ducis genuit parricidas *Swen*, *Toſte*, & *Haraldum*. Qvam generationis ſeriem qvoniam ſecuture lectioni utilem judicavimus, hoc inſerere dignum videbatur (o).

MXXIV. Victor KNUTH ab *Anglia* rediens, in dicione ſua per multos annos regnum *Dacie* & *Anglie* poſſedit. Qvo tempore Epiſcopos multos ab *Anglia* duxit in *Daniam*. Eo tempore Imperator *Conradus* cum *Rege Danorum* & *Anglorum* fecit pacem. Cujus etiam filiam Imperator filio ſuo depoſcens uxorem. Inter KNUTH & OLAF regem Normannorum continuum bellum fuit, neqve ceſſavit omnibus diebus vite eorum, *Danis* pro imperio certantibus, *Normannis* vero pugnantibus pro libertate. In qva re juſtior mihi viſa eſt cauſa (p), cui bellum neceſſarium magis fuit qvam voluntarium. Si qvando autem a bellorum motibus qvietum (q) erat, idem OLAF judicio & juſticia regnum gubernavit. Et poſt paucos annos mortuus eſt OLAF in bello, & regnavit KANUTUS in *Norwegia* ſimul & *Dania*, &, qvod nulli Regum prius contigit, & in *Anglia*. Simili religionis amore alter OLAF in Swecia dicitur floruiſſe: Is ſubditos ſibi populos ad criſtianitatem convertere volens, magno laboravit ſtudio, ut *templum Ydolorum*, qvod in medio *Sweonum* ſitum erat, in *Upſalæ*, deſtrueretur (r). Tempore illo *Conradus* Imperator filiam CANUTI regis *Henrico* filio ſuo accepit uxorem. Cum qvibus ſtatim regio faſtu *Ytaliam* ingreſſus eſt ad faciendam regno juſticiam, comitem habens itineris KNUTH, Regem potentia trium regnorum barbaris gentibus valde terribilem. Ille qvidem, cum tres filios haberet, ſingulos ſuper ſingula regna poſuit. Ipſe aliqvando viſitans *Danos*, aliqvando vero *Normannos*, ſepiſſime autem ſedit in *Anglia* (s).

MXXXVII. Hoc anno mortuus eſt *Conradus* Imperator, & ſucceſſit filius ejus gener KNUTH Regis Danorum. Et eodem anno mortuus eſt KNUTH in Anglia. Tenuitqve *regna Danorum* in dicione ſua per XXII. annos, & ſucceſſit HARTH-

(m) Edit. Ludewigii *ut dominum.*

(n) Ad. Brem. p. 26. *Wolff* pro *Vlf* habet.

(o) Ex Adam. Brem. p. 27.

(p) Adam. Brem. p. 27. recte addit *Regis Olaph.*

(q) Edit. Wormii *qvietus eſſet.*

(r) Ex Adamo Brem. p. 27.

(s) Ex Adamo Brem. Ed. Lindenbr. p. 29.

HARTHKNUTH, & regnavit VIII. annis. Poſt mortem KANUTI regis Danorum, ut ipſe diſpoſuit, ſuccedunt in regnum ejus filii, HARALDUS in *Anglia*, SWEN in *Norregia*, HARTHEKNUTH in *Dacia*. Iſte cum eſſet filius ÆMMÆ Regine, ſororem habuit, qvam Ceſar *Conradus* deſponſavit filio ſuo *Henrico*. Ceterum vero SWEN & HARALDUS a concubina geniti erant, qvi, ut mos eſt barbaris, eqvam tunc inter liberos KNUTH ſortiti ſunt partem hereditatis (t). HARALDUS in Anglia per triennium regnavit. Contra qvem frater veniens de *Dania*, in Flandria claſſem adunavit (u). Sed *Rex Anglorum* morte preventus, bellum dirimit. HARTHÆKNUTH *Angliam* ſimul poſſedit & *Daniam*. Interea filius KNUTH, qvi regnavit in *Normannia*, SWEN obiit. Tunc *Normanni* elegerunt MAGNUM, qvi filius OLAF martiris a concubina. MAGNUS ſtatim invadens Daniam cum exercitu magno, HARTHEKNUTH morante in Anglia, qvi mox pugnaturus adverſus MAGNUM, conſangvineum *Sren* claſſi prefecit. SWEN victus a MAGNO, cum in *Angliam* remearet, HARTHEKNUTH mortuum reperit. In cujus locum Angli elegerunt fratrem ejus *Eduardum*, qvem de priori marito ÆMMA genuit, vir ſanctus & timens Deum. Isqve ſuſpectum habens SWEN, qvod ſceptrum *Anglorum* ſibi repoſceret, pacem cum tyranno fecit, conſtituens eum proximum ſe mortuo regni heredem *Anglorum*, vel ſi filios ſuſceperit. Tali pacto mitigatus SWEN in *Angliam* (v) remeavit.

MXLII. Clemens Papa obiit, & ſucceſſit Damaſus Papa.

MXLV. Damaſus Papa obiit, & ſucceſſit Leo.

MXLVI. Hoc anno mortuus eſt HARTHÆKNUTH Rex Danorum, & ſucceſſit SWEN nepos ejus, & regnavit XXIX. annis. Multa prelia SWEN cum MAGNO Rege Normannorum fuerunt. SWEN a MAGNO ter victus, ceſſit fortune, & factus eſt homo victoris, faciens ei ſacramentum fidelitatis. Sed cum denuo rebellare cepiſſet, conſilio *Danorum* nichilo minus a MAGNO ſuperatus eſt.

MXLVIII. Eo tempore *Racæburgh* (x) Dux Sclavorum interfectus eſt a *Danis*. Ad cujus mortem ulciſcendam jam tunc cum toto exercitu *Sclavi* venientes, usqve ad *Ripam* vaſtandam (y) progreſſi ſunt.

MXLIX. Qvi mox, *Danorum* copiis undiqve Collectis, egredientes a Dania paganos in campeſtribus recepit *Hethaby*. Qvindecim milia feruntur ibi occiſa, & facta eſt leticia in *Dania*. De Rege Danorum contra *Normannos* (z) denuo bellum inſtaurans MAGNUS Rex obiit in navibus (a). SWEN duo regna poſſedit, claſſemqve paraſſe dicitur, ut *Angliam* ſuo juri ſubiceret.

ML. Verum ſanctiſſimus Rex *Ædvardus* cum regnum gubernaret, tunc qvoqve pacem eligens, SWENO tyranno obtulit tributum, ſtatuens eum poſt ſe regni heredem (b).

MLI. Cumqve Rex SWEN tria regna pro libitu ſuo teneret, mox ſuccedentibus proſperis oblitus eſt celeſtis regis, conſangvineam a Swecia duxit uxorem.

MLII.

(t) Ex Adamo Brem. p. 31.
(u) Edit. Ludewigii *armavit*.
(v) Omnino legendum *Daniam*, ut etiam habet Adamus p. 31.
(x) Edit. Ludew. recte legit *Ratibor*, ita Ad. Brem. p. 32.
(y) Adam. Brem. *vaſtando*.
(z) Hic videtur aliqvid deeſſe.
(a) Ex Adamo Brem. p. 35.
(b) Ibidem p. 36.

MLII. Qvod Domino Archiepiſcopo valde diſplicuit. Furentemqve regem, miſſis ad eum legatis, de ſcelere terribiliter increpavit, poſtremo, niſi reſipuerit, excommunicationis gladio feriendum eſſe (c). Tunc ille converſus in furorem, minabatur omnem parochiam Hamaburgenſem vaſtare & incendere. Ad qvas minas inperterritus Archiepiſcopus arguens & obſecrans perſtitit immobilis. Donec tandem flexus *Danorum* tyrannus per literas Pape, librum (d) repudii dedit conſobrine. Nec tantum Rex ſacerdotum aurem prebuit admonicionibus. Sed mox, ut conſobrinam a ſe dimiſit, alias itemqve alias uxores & concubinas aſſumpſit. Qvare ſuſcitavit ei Deus inimicos in circuitu multos, ſicut Salomoni proprios ſervos. Hoc nobis (e) de ſe rex ipſe narravit.

MLIII. Eo tempore ſeparabant ſe *Angli* a regno *Danorum*, filiis *Knith* (f) rebellionis auctoribus, qvos amite Regis Danorum filios eſſe diximus. Et qvorum ſororem *Edvardus* duxit uxorem. Hii namqve ſua conſpiracione fratres SWEN Regis Danorum, qvi in Anglia Duces erant, alterum *Bern* ſtatim obtruncant, alterum *Osbern* cum ſuis omnibus ejecerunt a patria, & tenuerunt *Angliam* in dicione ſua. *Edvardo* tantum vita & inani Regis nomine contento (g). SWEN Rex Danorum ſola mulierum incontinentia laboravit, non tam ſponte, ut arbitror, qvam vicio gentis, nec tamen illi malo aliud malum per peccatum defuit, qvia una ex concubinis *Thora* GYTHÆ reginam veneno extinxit (h). Cumqve Rex SWEN filium *Thore*, *Magnum* vocabulo, (i) transmitteret, ut ibi conſecraretur in regem, infelix puer in via mortuus eſt. Poſtqvam mater impia non ſuſcepit alium filium. Gratulabatur Archiepiſcopo de novella plantacione eccleſiarum, miſitqve de ſuis epiſcopis & presbiteris viros ad principem (k) ſapientes, qvi rudem in criſtianitate populum confortarent. Preterea cum ipſe veniret in Hamburgh, *Guthſcalcum* principem invitavit ad colloqvium, magnopere illum exortans, ut inceptum pro Criſto laborem conſtanter ad finem perducat, victoriam illi pollicens affuturam in omnibus. Poſtremo ſi qvid paciatur adverſitatis pro nomine Criſti, fore beatum. Multa illi de converſione paganorum in celo repoſita premia, multas coronas de ſingulorum ſalute venturas. Eisdem verbis & ad ſtudium idem hortabatur metropolitanus *Regem Danorum*, qvi ad eum, juxta *Æydoram* fluvium conſiſtentem, multocies venit, omnia, qve de ſcripturis ab illo proferebantur, ſubtiliter notans, retinensqve memoriter, excepto qvod de gula & de mulieribus, qve vicia naturalia ſunt illis gentibus, perſvaderi non potuit, ad cetera Pontifici Rex obediens fuit & moriger (l).

MLIIII. *Leo* Papa obiit, ſucceſſit *Victor* Papa. Eodem anno bellum apud mortuum mare.

MLVI. Obiit *Henricus* Imperator, ſucceſſit *Henricus* filius ejus.

MLVII. Obiit *Victor* Papa. Succeſſit *Stephanus*.

MLIX. Stephanus Papa obiit. Succeſſit *Nicholaus*.

MLX.

(c) Adam. Brem. p. 36. addit *minatus eſt.*

(d) Adam. Brem. *Libellum.*

(e) Loqvitur hic Adamus Bremenſis.

(f) Adam. Brem. p. 36. recte legit *filiis Gudwini*, hujus enim uxor *Gytha* erat amita SVENONIS ESTRITII Regis Danorum.

(g) Ex Adamo Bremenſi p. 36.

(h) Vid. Vet. Schol. ad Adam. Brem. p. 36. 39.

(i) Edit. Wormii *Romam.* Ita Adami vet. Scholiaſtes Edit. Lindenbr. p. 39.

(k) Sunt verba Adami Bremenſis p. 30. de *Godeſcalco* Slavorum Principe, ſed ab Auctore horum Annalium male intellecta de SVENONE Rege Danorum.

(l) Hactenus Adamum Bremenſem noſter exſcripſit.

MLX. Obiit *Henricus* Rex Francorum. Succesfit filius ejus *Philippus*.

MLXI. *Nicholaus* Papa obiit. Succesfit *Alexander* Papa fecundus.

MLXV. Hoc anno fanctus *Ædvardus* Rex Anglorum obiit. Succesfit HARALDUS (*).

MLXVI. *Willelmus* Dux Normannorum obtinuit *Angliam*, & Rex effectus eft, occifo in pugna HARALDO rege.

MLXXIIII. Hoc anno obiit SWEN Rex Danorum, & fuccesfit filius ejus HARALDUS, & regnavit VIII. annis (m).

MLXXV. *Alexander* Papa obiit. Et fuccesfit *Gregorius*, *Hildebrandus* dictus.

MLXXVII. X. Kalendas May factus eft *terremotus*, feria VI. luna XIIII.

MLXXVIII. *Eclipfis lune* II. Kalendas Februarii, luna XIII.

MLXXX. Hoc anno obiit HARALDUS Rex Danorum. Et fuccesfit frater ejus KANUTUS, & regnavit VI. annis.

MLXXXVI. Hoc anno occifus eft KANUTUS Rex Danorum a populo fuo in *civitate Othonienfi* in ecclefia fancti *Albani* martiris, & in ipfo loco corpus ejus requiefcit, & cum eo frater fuus *Benedictus* martirizatus eft. Et *Ericus* fugit ad Selandiam. Et fuccesfit frater ejus OLAF, & regnavit VII. annis (n). Eodem anno obiit *Willelmus* (o) Rex Anglorum, cui fucceffërunt filii, *Willelmus* in Anglia & *Robertus* in Normannia. Et ipfo anno *translatio fancti Nicolai* Epifcopi. Et eodem anno ordinatus eft *Afcerus* (p) Lundenfis Archiepifcopus. Et tempore predicti *Olaf* Regis *fames* valida fuit in regno Dacie.

MXCV. Hoc anno mortuus OLAF Rex Danorum una nocte in lecto fuo. Et fuccesfit frater ejus ERICUS EGOTHE, qvi regnavit IX. annis.

MXCVII. Hoc anno fuit mocio criftianorum euntium Jerufalem fuper paganos.

MXCVIII. Exordium *Cyftercienfis ordinis*.

MXCIX. Hoc anno capta eft *Jerufalem* a criftianis Idus Julii.

MC. Hoc anno *Urbanus* Papa obiit. Et fuccesfit *Pafchalis*.

MCI. Item mocio facta eft euntium Jerufalem.

MCII. Hoc anno obierunt ERICUS Rex Danorum & uxor ejus BOTILD in itinere Jerufalem VI. Idus Julii. Et fuccesfit frater ejus NICOLAUS, qvi regnavit XXVII. annis. Poft mortem SWEN regis, regnaverunt V. filii ejus, alter poft alterum, HARALDUS, KANUTUS, OLAVUS, ERICUS, NICHOLAUS.

MCIV. Hoc anno miffum eft pallium *Afcero* Archiepifcopo Lundenfi a *Pafchali* Papa.

MCVI. Hic bellum fuit inter *Henricum* & *Robertum* Comitem Normannorum, in qvo victus eft *Philippus* Rex Francie.

MCVIII. Obiit *Philippus* Rex Francorum. Cui fuccesfit *Lodovicus* filius ejus.

MCIX. Hoc anno *Dux Danorum Kanutus*, ERICI EGOTHE filius, a patruo fuo rege NICHOLAO factus eft.

MCXI. Hoc anno captus eft *Pafchalis* Papa ab *Erico* (q) Theotonicorum Rege.

MCXIII. Hoc anno fanctus *Bernardus* monafterium intravit.

MCXVIII. Obiit *Pafchalis* Papa, & fuccesfit *Gelafius*.

(*) Edit. Ludewigii addit *Godium*, pro qvo *Godwini* legendum.

(m) Edit. Ludewigii ita hic notat: *Alii non fic habent.*

(n) Edit. Ludew. addit: *Alias X.*

(o) Scriptores Anglici obitum *Wilhelmi I.* ad An. 1087. referunt.

(p) Incertum eft, qvo anno *Afcerus* Epifcopus Lundenfis ordinatus fit. Vix autem ante An. 1090. factum eft.

(q) Legend. *Henrico.*

MCXIX. Obiit *Gelaſius.* Cui ſucceſſit *Kalixtus* Papa.

MCXX. Hic incipit *Ordo Premonſtratenſis.*

MCXXV. Obiit *Kalixtus* Papa, ſucceſſit *Honorius II.* annis V. menſibus tribus.

MCXXVIII. *Haraldus* (r) Dux Flandrie interfectus eſt a ſuis, qvi fuit filius KANUTI Regis & martiris, qvi jacet *Othenſö*, per conſilium (s) *Magni* filii NICHOLAI regis.

MCXXXI. Sclavorum Rex & Dux Danorum *Kanutus* filius ERICI EGOTHE, qvi lupos in agnos, predones in pacificos, bellum in pacem, paganos in criſtianos convertit, a cognato ſuo *Magno* filio NICOLAI fraude preventus, fraterno enſe peremptus eſt. Cujus mortis cauſa invidia fuit. Tanta veneracione, tam pro pace facta in Ducatu ſuo, qvam pro morum & operum honeſtate habebatur, qvod tota regio Regem futurum eum optaverat. Tantam enim pacem fecerat in patria illa, in qva piratis & predonibus infeſtantibus nullus vel in terris vel in aqvis tutus erat, qvod ubi armati & bene muniti mortem metuebant, tam viri qvam mulieres ſine metu incedebant. Et unusqvisqve tam mobilia, qvam immobilia, latronibus ſuſpenſis, raptoribus abdicatis, terra mundata ab injuriatoribus ſua libere posſidebat. Eodem anno ERICUS EMUNE Rex effectus eſt. Obiit *Honorius II.* ſucceſſit *Innocentius II.* annis XIIII.

MCXXXII. Bellum fuit *Yalinggi* inter *Magnum* & HERICUM. Et in utroqve fugit ERICUS.

MCXXXIII. Bellum fuit inter *Magnum* & ERICUM apud *Syrum* inſulam feria IV. & aliud *Rynæbyergh* (*). Eodem anno fuit bellum *Fotwic* Scanie. ERICUS a Scanienſibus in Regem electus eſt, qvem cum ceteris Danis Rex NICHOLAUS in *Fotwic* preliando aggreſſus eſt, ceciderunteqve ibi *Magnus* Regis filius, & Epiſcopi V. multiqve alii, paucos qvidem cum Rege NICHOLAO fuga tenuit, perveniensqve *Sleswic*, paucis peractis diebus,

MCXXXIV. NICOLAUS Rex a civibus neci traditur. Qvo mortuo, ERICUS *Erici* filius Regis regnum Dacie totum obtinuit, & regnavit IV. annis. *Roſkildis* devaſtata eſt a *Sclavis.* Eodem anno fractum eſt *caſtrum Haraldi Roſkildis.*

MCXXXV. Hic *Haraldus* interfectus eſt.

MCXXXVI. Obiit *Aſcerus* primus Archiepiſcopus Lundenſis. Et tenebre facte ſunt in qvadrageſima per univerſam terram. Et eodem anno *Eſkillus* Archiepiſcopus Lundenſis electus eſt.

MCXXXIX. ERICUS EMUNI interfectus eſt. Et electus eſt ERICUS LAMB, & regnavit IX. annis.

MCXL. Surrexit OLAVUS filius *Haraldi* contra ERICUM.

MCXLI. *Eſkillus* Archiepiſcopus OLAVO obſides poſuit.

MCXLIII. OLAVUS filius *Haraldi* interfectus eſt cum ſuis.

MCXLIIII. Conventus miſſus eſt in *Herwadum.* Obiit *Innocentius* Papa, ſucceſſit *Celeſtinus III.* ERICUS duxit ſororem Bremenſis Epiſcopi *Henrici* (t).

MCXLV. Obiit *Celeſtinus.* Succeſſit *Lucius* Papa II. & regnavit annis II.

MCXLVI. Obiit *Lucius*, ſucceſſit *Eugenius* Papa annum IX. Hic Monacus fuit & ſancti Bernardi diſcipulus.

MCXLVII.

(r) Legendum *Karolus Comes Flandrie.*

(s) Notatu dignum eſt, *Magnum* etiam, ſi hoc verum eſt, procuraſſe cædem *Karoli* patruelis ſui.

(*) Locus in Scania, hodie *Ronneberg* dictus, Vid. ſupra *Sven. Aggonis* Cap. VII. Not. (p).

(t) Leg. *Hartvici* Archiepiſcopi.

MCXLVII. ERICUS LAMB Monacus factus est, obiit *Othenshe*. Qvo mortuo, *Jutenses* in unum convenientes KANUTO filio *Magni* nomen Regis imposuerunt. *Scamienses* & *Syalandenses* cum minoribus insulis sibi SWENONEM in Regem elegerunt. Et facta est pugna inter eos XII. annis. Eodem anno bellum fuit *Sclangætorp* Syalandie.

MCXLVIII. Sanctus *Malachias* Archiepiscopus migravit a seculo.

MCXLIX. Captus est *Eskillus* Archiepiscopus a SWENONE.

MCL. Bellum fuit *Thorstinstborp*, & fugit KANUTUS Rex.

MCLI. Bellum fuit *Wybergis*.

MCLII. KANUTUS pugnavit contra SWENONEM, & devictus est, & exulavit in *Sweciam* & *Juciam* (u).

MCLIII. Conventus missus in *Esrom*. Sanctus Bernardus obiit.

MCLIIII. Hic rediit KANUTUS, & assumpta milicia pugnavit contra SWENONEM, & WALDEMARUS desponsavit sororem KANUTI *Sophiam*.

MCLV. Hoc anno convenerunt omnes *Dani*, & elegerunt duos Reges KANUTUM & WALDEMARUM. Et fugit SWEN in *Saxoniam*, & fuit ibi. Obiit *Eugenius* Papa, & succesit *Anastasius* annis tribus.

MCLVII. Hoc anno rediit SWEN de *Saxonia* cum duce *Henrico*, venit *Symerstath* (v) & facta est pax.

MCLVIII. Hoc anno interfectus est KANUTUS in *civitate Roskildensi* V. Idus Augusti, in vigilia beati Laurencii, & cum eo *Constantinus* cognatus ejus. Et WALDEMARUS Rex vulneratus evadens, occultansqve se per tempus, postea *Juciam* pervenit. Illuc eum armata manu SWEN persequens aggressusqve, in bello victus ab eo eodem anno in *Grathæbeth*, fugit in *Grathæmosæ*, & ibi interfectus est. Et WALDEMARUS totum regnum obtinuit, & regnavit XXV. annis & dimidio. Obiit *Anastasius* Papa, & succesit *Adrianus secundus*, qvi fuit annis tribus. Et eodem anno *Absalon* Episcopus factus est *Roskildis*.

MCLIX. Hic incipit Cisma.

MCLXI. Conventus missus est in *Soram*. *Adrianus* Papa obiit. Succesit *Victor* scismaticus annum II.

MCLXIII. WALDEMARUS adivit Imperatorem. Natus est KANUTUS Rex, filius WALDEMARI *primi*.

MCLXIIII. Obiit *Victor* scismaticus, & succesit *Alexander* annis XIII. Et *Eskillus* Archiepiscopus ivit Jerusalem.

MCLXV. Hoc anno, in die Ascensionis Domini, *Absalon* Episcopus Roskildensis divicit *Sclavos*, qvi dicuntur *Röbo* (x).

MCLXVII. Hoc anno *Burius* captus est. Hic Sclavi *Röbo* acceperunt cristianitatem, jubente WALDEMARO Rege, XVIII. Kalendas Julii.

MCLXXI. Sanctus *Thomas* Cantuariensis Archiepiscopus martirizatus est. Hoc anno *translatum* est corpus sancti *Kanuti Ringstadis*, filii ERICI EGOTHE. Die illo *Danis* omnibus gaudium duplicatur, ex parte una, qvod pater Regis authorizatur (y), ex parte alia, qvod Regis filius KANUTUS in Regem inungitur. Interfuerunt

(u) Legendum *Ruscian*; sic habent alii Annales.

(v) i: *Semmersted* in Jutia australi. Edit. Wormii male legit *Simmersbasn*.

(x) i: *Rygni*, *Rugiæ incolæ*.

(y) Edit. Wormii & Ludew. *canonizatur*.

fuerunt diei illius ſolempnitati, Rex ille WALDEMARUS, Archipreſul *Eſkillus* de Lundis, Archipreſul de Swecia *Stephanus*, lator literarum martirem ſanctum autorizantium autoritate Domini Pape *Alexandri*, & cum eis *Abſalon* Roſkildenſis, *Symon* Ottonienſis, *Swen* Aruſienſis, *Ralf* Ripenſis, *Tucho* Burgulanenſis, *Nicholaus* Wibergenſis, *Frithericus* Hethebyenſis, *Helli*qve electus de Norwegia, qvi die eadem pronunciavit pacem inter *Daciam* & *Norwegiam.* Aderant eciam, cum primis & primatibus terre, tam cleri, qvam plebis populus innumerabilis. Eodem anno matirizatus eſt, in matre Eccleſia Canturienſi, a qvatuor militibus Regis, imperio *Henrici*, die V. natalis Domini, Archiepiſcopus precioſus martir *Thomas.*

MCLXXII. Lundis ſuccenſa eſt.

MCLXXIII. *Terre motus* factus eſt in Dacia. Obiit *Criſtophorus* Dux Jucie.

MCLXXVII. *Eſkillus* Archiepiſcopus diſcesſit & Monachus in claravalle factus eſt. Eodem anno *ſancta Margaretha* interfecta eſt in (z) *Köcæ*, & KANUTUS filius WALDEMARI Regis Rex effectus eſt ſuper *Scaniam* & *Hallandiam*, conſenciente patre cum melioribus regni (a).

MCLXXX. Hoc anno facta eſt diſſencio maxima inter *Scamienſes* & Archiepiſcopum *Abſalonem*, ita ut expulſus a Scania per Syalandiam redire poſſet.

MCLXXXI. Hoc anno, fretus tandem conſilio & auxilio Regis WALDEMARI, cum manu valida & exercitu magno terram intravit, hoſtes ſuos apud *Anændælef* (b) expugnavit, & partem illorum maximam proſtravit, reliqvi manum dederunt, & deinceps univerſe terre reconſiliatus eſt, & ſic ſedem Archiepiſcopatus ſui in pace obtinuit. Eodem anno WALDEMARUS Rex occurrit Imperatori apud *Tranf* (c).

MCLXXXII. Hoc anno Rex glorioſus WALDEMARUS *primus*, filius ſancti *Kanuti* Ducis, qvi *Ringſtade* reqvieſcit, vir ſtrenuus & victorioſus, qvi ſeviciam *Sclavorum* manu armata reprimens, non ſolum *Daciam* ab eorum infeſtacione tutam reddens, ſed & eos ſub tributo *Dacie* reddens obnoxios, anno XXV. regni ſui de vita temporali ad eternam transiens. Cui ſuccesſit filius ejus KANUTUS.

MCLXXXIIII. Hoc anno expedicio facta eſt ad *Walæguſt.*

MCLXXXVII. Obiit *Alexander* Papa, ſuccesſit *Lucius* Papa III. annis V. menſibus III. diebus XIII. Jeruſalem a Salandino capitur, Rex in captivitatem ducitur, patriarcha neci traditur, ceciderunteqve cum eo clerici & Layci, monachi & moniales utriusqve ſexus & etatis & conditionis, qvorum non eſt numerus, & effuſus eſt ſangvis ſanctorum in circuitu Jeruſalem, & non erat, qvi ſepeliret. Crux vero ſancta manibus ablata eſt prophanis. *Eclipſis ſolis* eodem die. Obiit *Suno* pater *Jacobi* filius *Ebbonis.*

MCLXXXVIII. Dux *Waldemarus* factus eſt miles VII. Kalendas Januarii.

MCXCI. Expeditio facta ad *Finland*, qve victa eſt a *Danis* manu forti.

MCXCII. Epiſcopus *Waldemarus* ſibi doli conſcius, nemine fugante (d), ad *Regem Swecie* fugam tenuit.

MCXCIII.

(z) Edit. Wormii & Ludew. rectius *prope Köka.*

(a) Hic in Edit. Ludew. adjectum: *Jam multa dicebantur de Abſalone & WALDEMARO, qvæ alias habui in aliis libris, & de Rege WALDEMARO etiam multum.*

(b) Chron. Sial. p. 48. *Anundælef*, hodie dicitur *Annelöf*, paröecia & pagus ruralis in territorio Onſiöherred Scaniæ. Conflictus ille, in qvo plebs Scanienſis cecidit, vocatur alias *Dyſiæfal*, qvia ad *pontem Dyſiæ amnis* habitus eſt, Vid. *Saxo* p. 368. 373. *Andr. Wellejus* in Verſ. Dan. Saxonis male reponit Falkenberg Bro, *pontem Falkenbergenſem* in Hallandia.

(c) Legend. *Trafu*, Travenam fluvium ad Lubecam.

(d) Edit. Worm. & Ludew. *perſeqvente.*

MCXCIII. Et bellum in pace exercens, armata manu rediit ſeqventi anno, Regisqve nomen ſibi uſurpavit. Et prout racio poſtulavit, digno victoria victore exiſtente, a rege KANUTO eſt captus VIII. Idus Julii. Obiit *Lucius* Papa, ſucceſſit *Urbanus II.* annis III. Et cenobium omnium ſanctorum *Lundis* combuſtum eſt.

MCXCIV. Prima expedicio in *Holſaciam.* Conventus miſſus eſt in *As* (e).

MCXCV. Obiit *Urbanus* Papa, ſucceſſit *Gregorius III.* diebus XXXIII.

MCXCVI. Obiit *Gregorius*, ſucceſſit *Clemens* Papa annis XIX. menſes dies XI.

MCXCVII. Cardinalis *Fidancius* mortuus eſt in Dacia, *Lundis* ſepelitur. Eodem anno Rex KANUTUS cum exercitu magno ad *Eſtlandiam* profectus eſt.

MCXCVIII. Obiit SOPHIA Regina, & *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis captus eſt. Eodem anno obiit *Clemens* Papa, ſucceſſit *Innocencius* annis XIX. Terre motus in Dacia.

MCXCIX. *Holſacia Danis* ſubjugata eſt.

MCC. Incepit *Ordo fratrum Minorum.* Comes *Adulfus* captus eſt. Et comes *Albertus* miles factus eſt.

MCCI. Obiit *Abſalon* Lundenſis Archiepiſcopus.

MCCII. *Sanctus Willelmus* migravit a ſeculo.

MCCIII. Hoc anno obiit Rex KANUTUS. Succeſſit frater ejus WALDEMARUS. Comes *Adulfus* incarceratus eſt. Eodem anno obiit *Waldemarus* (f) Rex Norwegie.

MCCIV. Obiit *Esbernus Snaræ* frater *Abſalonis* Archiepiſcopi.

MCCV. Rex WALDEMARUS duxit uxorem filiam Regis Boemie *Dagwmarch* (g). Et expedicio facta eſt in *Sclaviam.*

MCCVI. Solutus eſt *Waldemarus* Epiſcopus de carcere. Et *Andreas* Archiepiſcopus Lundenſis eodem anno duxit exercitum in *Eſtlandiam.*

MCCVII. Incepit *Ordo fatrum Predicatorum.*

MCCVIII. Bellum fuit in *Lenæ.*

MCCIX. Hoc anno *Waldemarus* Epiſcopus ejectus eſt de ſede Bremenſi, & iterum excommunicatus. Et expedicio facta eſt in *Pruciam* & *Samlandiam.* Et *Waldemarus bonus* natus eſt, filius *Dagwamarch* (h), & ERICUS Rex Swevorum duxit RYCHIZAM ſororem regis WALDEMARI.

MCCX. Hic anno SWÆRCHERUS Rex corruit in *Gyeſtilren.*

MCCXII. Obiit *Dagwmarch* (i) Regina Dacie de Boemia.

MCCXIII. Obiit *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis *ſenior*, filius *Sumonis* (k). Et eodem anno Rex WALDEMARUS duxit BERINGERAM Reginam de Portægalæ. Et clauſtrum *W.* combuſtum eſt.

MCCXV. Hoc anno generale conſilium celebratum eſt *Rome* ab *Innocencio* Papa.

MCCXVI. Obiit Epiſcopus *Skelm* Aruſienſis, & *Petrus* Epiſcopus factus eſt Roſkildenſis, filius *Jacobi.* Et *Ericus Plogpænning* natus eſt. Eodem anno dabatur *viceſima* a Sacerdotibus.

(e) Latino nomine dicitur *Aſylum, Ans-Kloſter*, in Hallandia, ex bonis *Waldemari* Epiſcopi Slesvicenſis fundatum.

(f) Errore librarii aut lapſu calami irrepſit hoc nomen, nullus enim *Waldemarus* fuit Rex Norvegiæ, ſed legendum hic omnino aut *Sverrerus*, qvi præcedenti, aut *Haqvinus*, qvi ſeqventi anno obiit.

(g) Legendum eſt DAGMAR.

(h) Iterum leg. DAGMAR.

(i) Leg. DAGMAR.

(k) Edit. Ludewigii, aliiqve Annales hoc ad An. 1214. referunt.

MCCXVII. Obiit *Innocencius* Papa. Succesfit *Honorius* annis X.

MCCXVIII. Hoc anno WALDEMARUS *tertius* confecratur. Obiit *Otto* Imperator. Et eodem anno obiit Comes *Nicolaus* de Hallandia.

MCCXIX. Hoc anno WALDEMARUS cum exercitu magno ivit ad *Eſtlandiam.*

MCCXX. Hoc anno Jerufalem capitur a criſtianis. RYKIZÆ Regina Svevorum obiit. Rex WALDEMARUS ſecundo ivit ad *Eſtlandiam.* Et *Andreas* Archiepiſcopus recesfit (l).

MCCXXI. Hoc anno obiit BÆRINGARIA Regina Danorum. Urbs *Reuale* obſeſſa cum primo.

MCCXXII. Hoc anno Cardinalis *Gregorius* fuit in Dacia.

MCCXXIII. Hoc anno captus eſt Rex WALDEMARUS cum filio ſuo WALDEMAR.

MCCXXIIII. Hoc anno obiit *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis in itinere Jeruſalem, & ſepultus eſt in *Flandria* in clauſtro Griſorum Dos (m).

MCCXXVI. Hoc anno ſolutus eſt Rex WALDEMARUS cum filio ſuo, & redemit ſe XC. libris argenti examinati, hoc eſt XLV. milibus marcharum. Eodem anno *Nicholaus* conſecratus Epiſcopus Roſkildenſis.

MCCXXVII. Hoc anno capti ſunt *Dani* apud *Bornæhofæth* in die beate Marie Magdalene, & Rex amiſit victoriam. Eodem anno obiit *Honorius* Papa. Succesſit *Gregorius IX.*

MCCXXVIII. *Andreas* & *Petrus* Archiepiſcopi obierunt. Et *Vffo* electus eſt in Archiepiſcopum.

MCCXXIX. Hoc anno *Vffo* Archiepiſcopus conſecratur. Et ERICUS Rex Swevorum de *Oloſtru* (n) bello in Daciam fugit.

MCCXXX. Hoc anno *Otto* Cardinalis fuit in *Dacia.* *Eclipſis ſolis* facta eſt die Dominico.

MCCXXXI. Obiit WALDEMARUS junior III. Rex Danorum & Regina.

MCCXXXII. Hoc anno ERICUS Rex coronatur. Et *Abel* Dux factus eſt. Et ERICUS Rex Swecie rediit in terram ſuam.

MCCXXXIII. Hoc anno majus incendium fuit *Lundis*, Eccleſia totaliter combuſta eſt.

MCCXXXIII. Obiit *Nicolaus* Epiſcopus Sleswicenſis, Regis Danorum Cancellarius.

MCCXXXVI. Hoc anno Dux *Abel* duxit uxorem filiam Comitis *Adulfi* de Holſacia. Et *tempeſtas* in die Clementis fuit maxima.

MCCXXXVII. *Translacio ſancti Willelmi.* *Fratres minores* veniunt *Lundis* primo.

MCCXXXVIII. Jeruſalem capitur a Paganis. ERICUS Rex duxit uxorem.

MCCXXXIX. Obiit *Johannes* filius *Jacobi*, & *Sculo* Dux Norwegiæ occiditur.

MCCXL. Obiit Rex WALDEMARUS II. V. Kalendas Aprilis, in Vigilia Cene Domini, & *Eclipſis ſolis* eodem anno fuit. Et *Petrus Strangonis* obiit *Ripis* in itinere Jeruſalem.

MCCXLII.

(l) Edit. Ludew. addit: *ſcil. Sede Lundenſi.*

(m) Legendum ſine dubio *Dam*, vid. Pontopp. Annal. T. I. p. 566. & potius ad An. 1225. referendum.

(n) Ericus Olai edit. Loccen. p. 58. habet *Olaſtrum.* Chron. Rhytm. Svec. majus *Alwaſtra*, ſed alius Codex hujus Chronici legit *Olufſtrom*, edit. Hadorphii p. 29. Dalinus incertus eſt, an fuerit *Alvaſtrum* monaſterium T. II. p. 196.

MCCXLII. Hoc anno obiit *Gregorius* Papa, ſucceſſit *Innocencius* Papa IV.

MCCXLIII. Hoc anno ERICUS Rex duxit exercitum ad *Kaldinge* contra *Abel* fratrem ſuum.

MCCXLIV. Hoc anno ituri erant Rex ERICUS & Dux *Raſſaliam* (*), & venientes *Yſtathæ* reverſi ſunt.

MCCXLV. Hoc anno *Nicholaus* Epiſcopus Roſkildenſis, non ſuis meritis exigentibus, ſed ex malignitate Regis & ſuorum, de dioceſi ſua injuſte fugatus eſt (o). Eodem anno obiit *Wang Gunnæ* (p). Celebratum eſt *Concilium* generale ab Innocencio Papa IV. Lugduni.

MCCXLVI. Obiit pie memorie Dominus *Jacobus* filius *Sunonis*. Et orta eſt Guerra inter Regem ERICUM & fratres ſuos, videlicet *Abel* & *Criſtoforum*.

MCCXLVII. Hoc anno *Clauſtrum de Sora* cum monaſterio totaliter concrematur. Et capta eſt *Ripis* a Duce *Abel* cum melioribus Dacie, & iterum revicta a Rege ERICO.

MCCXLVIII. Hoc anno facta eſt expedicio ad *Aruæſchogh* (q). Et occupat Rex ERICUS omnia caſtra fratrum ſuorum & bona.

MCCXLIX. Hoc anno obiit pie memorie Epiſcopus *Nicholaus* Roſkildenſis in *Claravalle*, & Rex ERICUS contulit totam Daciam ad *denarios redarios*, ſive *Aratraleff* (r). Et veniens in *Scaniam* idem petens, & fugatus eſt a ruſticis cum multa ſtrage ſuorum a *civitate Lundenſi* feria III. ante Paſcha, III. Kalendas Aprilis. Et poſt hec ruſtici obſederunt eum in *Hælſingeburgh* Dominica in (s) Paraceve, & tunc in nocte Rex clam fugit in *Syalandiam*. Et poſtea in ſecunda die Paſche rediit in *Scaniam* ante *Civitatem Lundenſem*, & facta eſt compoſicio inter *Scaniam* & *Regem*.

MCCL. Hoc anno Rex ERICUS a *Freſia* eſt fugatus, militibus ſuis qvam plurimis interfectis. Et poſtea in nocte ſancti Laurencii in dolo apud *Slæſvic* per *Lavonem* & complices ſuos eſt captus, & compedibus ligatus, facta bona confeſſione, capite detruncatur, in *Myoſund* precipitatur, V. Idus Auguſti. Et parum poſt hoc frater ejus ABEL in Regem eligitur, & in die omnium ſanctorum coronatur.

MCCLI. Hoc anno *Folkungi* interfecti ſunt in *Swecia* (t).

MCCLII. Hoc anno ABEL Rex Danorum interfectus eſt a *Freſionibus* in *Jutlandia* juxta *Hvſænbro*, in die Apoſtolorum Petri & Pauli. Et eodem anno obiit pie memorie

(*) o: *Revaliam* Eſtoniæ.

(o) Auctor fugam *Nicolai* Epiſcopi excuſat. Hujus fugæ ſive expulſionis, ut eam *Chron. Sial.* p. 64. nominat, veræ cauſæ ambiguntur a *Hvitfeldio* p. 213. Veras autem detexit *Waddingus* Annal. Minor. T. I. p. 661. dicens, *Nicolaum* a Rege ERICO apud Pontificem graviter accuſatum eſſe, qvod *Regi inſidias ſtrueret*, *fiſcum defraudaverit*, & tandem ſcelerum conſcientia alio clam delapſus fuerit. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 403.

(p) Legendum *Wogn filius Gunni*, ut in Dipl. 1216. ſive *Wagn Gunnerſon*, ut Dipl. 1241. Fuit ille *Wagen fil. Gunnonis* unus ex Proceribus Daniæ, qvi compoſitionem de liberatione filiorum WALDEMARI II. 1230. ſubſcripſit, Vid. Orig. Gvelf. T. IV. Præfat. p. 89.

(q) Arx antiqva ſ. Caſtrum Fioniæ, qvam olim *Abel* Dux hæreditario jure poſſedit. Hinc a Rege ERICO An. 1248. impetitur. Poſtea eadem arx, qvæ tum ad infelicem belli Ducem *Petrum Finſon* pertinuit, An. 1264. deſtruitur, Chron. Sial. p. 68. Hvitfeld p. 264. Eſt adhuc prædium nobile, nomen *Arreſkov* retinens, ſitum in territorio Sallingenſi in paroecia Öſter-Hæſinge, vid. Atlas Dan. Tom. III. p. 543.

(r) Sine dubio legendum *arastrales*, ut Edit. Wormii habet. Hoc tributum, Danice Plogpenning, adeo exoſum erat populo, ut inde cognomen Regi impoſitum ſit. Vid. Hvitfeld p. 219.

(s) Edit. Wormii habet *donec ad*, & Edit. Ludew. *donec in paraſceve*, qvod utrumqve rectius qvam *Dominica*.

(t) Vid. *Dalin* Hiſt. Svec. Tom. I. p. 226.

memorie Archiepiſcopus *Wffo* Lundenſis XVII. Kalendas Januarii. CRISTOFORUS in Regem electus eſt (u).

MCCLIII. Hoc anno *Jacobus* in Archiepiſcopum electus eſt.

MCCLIV. Hoc anno *Sринæburgh* proſternitur. Et *Henricus Æmælthorp* edificavit caſtrum in *Skyælfiſkæörth* & tenuit, & conflictum habuit cum Rege CRISTOFORO, & fugavit eum. Obiit *Innocencius* Papa IV. & ſucceſit *Alexander IV.*

MCCLV. Hoc anno ruſtici exaſperati ſunt contra nobiles.

MCCLVI. Hoc anno obſeſſum ſuit caſtrum *Ræſſalæburgh* (v) & deſtructum (x).

MCCLIX. Hoc anno captus eſt Archiepiſcopus *Jacobus*, in nocte ſancte Agathe virginis, in curia *Gyſlæbyærgh* (y) per mandatum Regis CRISTOFORI. Et eodem anno Rex CRISTOFORUS mortuus eſt. Et Archiepiſcopus exivit de carcere. Eodem anno *Jærmarus* venit *Kopmænhauen* cum exercitu magno in VI. feria ebdomade Paſche.

MCCLX. Bellum fuit in *Næſtweth.*

MCCLXI. Hoc anno *Birgerus* Dux Sweuorum venit *Köpmannæhaffn* cum exercitu magno. Et eodem anno captus eſt Rex ERICUS cum Regina MARGARETA in *Loheeth*, & meliores regni Dacie interfecti & qvidam capti, & *Epiſcopus Sleſwicenſis* captus & carceri mancipatus.

MCCLXII. Hoc anno Archiepiſcopus *Jacobus* exulavit in *Sweciam.* Et *Dux de Brunſwic* (z) venit in *Daciam*, & operatus eſt multa mala. Et per mandatum dicti *Ducis*, & *Magiſtri Gerardi* & *Johannis* dicti *Parui*, omnia bona Lundenſis & Roſkildenſis Eccleſiarum ſunt ſpoliata, ſimiliter & bona Canonicorum confiſcata. Presbiteri vero ignominioſe capti & captivitati ducebuntur, & omnibus ſuis ſunt ſpoliati. Qvanta mala Deus permiſit fieri per dictos *Ducem de Brunſwic* & complices ſuos, longum eſt enarrare per ſingula. *Domus Aos* (a) obſeſſa eſt & deſtructa per *Scanienſes.*

MCCLXIII. Hoc anno *Scanienſes* obſederunt *Hælſinburch*, & *Scanienſes* caſtrum ceperunt. *Dux de Brunſwic* receſsit de Dacia cum magno dedecore, & captus eſt a *Marchione Miſinenſi* juſto Dei judicio.

MCCLXIV. Hoc anno Rex ERICUS de captione liberatus eſt. Et Archiepiſcopus *Jacobus* iter arripuit ad curiam Romanam.

MCCLXVI. Hoc anno venit *Guydo* Cardinalis ad *Daciam.*

MCCLXVIII. Obiit Dominus Papa *Clemens* circa feſtum beati Andree.

MCCLXIX.

(u) Edit. Wormii & Ludewigii hic addunt: „An. MCCLII. venit *Henricus de Mildehop* in Daciam, & abs„tulit Regi CHRISTOFORO *Caſtrum de Monn* cum inſula, & multum iſto anno turbavit Regem.“

(v) *Refsbaleborg*, olim caſtellum munitum, portum Hafnienſem defendens.

(x) Editiones Wormii & Ludewigii heic interſerunt ſeqventia:

„An. MCCLVII. reconciliatus eſt Rex CHRISTOFORUS cum *Rege Norwegiæ*, qvi & CHRISTOPHORO „promiſit fidelitatem.

„An. MCCLVIII. *Marchio* & *Dani* reconciliati ſunt, & *Conſilium* fuit *Roſtoch.*

„An. MCCLIX. ERICUS filius CHRISTOFORI coronatus eſt in Regem XI. etatis ſuæ.

(y) Hvitfeldio p. 254. *Giſleborg* prope Landskroniam Scaniæ, erat olim Arx ſive potius Curia ruralis Archiepiſcopi Lundenſis. *Giſlebierg Læn* inter bona Archiepiſcopalia, qvæ tempore Reformationis fiſco Regio addicta ſunt, *Hvitfeld* p. 1489.

(z) Scil. *Albertus Magnus.* Hvitfeldius pag. 263. confundit tres *Albertos*, ſcil. Saxoniæ Ducem, Marchionem Brandenb. & Ducem Brunsvicenſem.

(a) *Domus Aos* ſive *Abuſium*, Arx cum oppidulo, olim ad Sedem Archiepiſcopalem Lundenſem pertinens, eidem a Rege SVENONE GRATHE donata, Hvitfeld p. 104. in Scania ad oſtium amnis Helga ſita. Nomen varie in Monumentis noſtris ſcribitur, *Aoſia, Abuus, Aabus, Auoſia, Aawos, Aws, Awis*, Conf. Hvitfeld p. 264.

MCCLXIX. Hoc anno circa assumpcionem sancte Marie, venit Domina SOPHIA Regina *Swecie* ad patrem suum beatum ERICUM regem (b).

MCCLXXI. Post obitum istius *Clementis* Pape sedes romana per triennium vacabat.

MCCLXXII. *Gregorius Papa* X. electus est Letare Jerusalem.

MCCLXXIV. *Consilium generale* celebratur *Ludonia* (c) sub Papa Gregorio X. Obiit Dominus *Jacobus* Archiepiscopus Lundensis, & eligitur *Erlandus*.

MCCLXXV. Bellum fuit *Hobro* (d) in profesto viti & modesti, & fugati sunt *Sweui* a *Danis*. Et post breve Rex WALDEMARUS & *Regina* uxor sua capti sunt. Obiit *Erlandus* Electus Lundensis, & *Thrugotus Thorstani* eligitur. Eodem anno obiit *Hericus* Dux Swecie.

MCCLXXVI. Rex HERICUS obtinuit castrum *Almethorp*. Et convocato generali concilio *Nyburgh*, filius ejus ERICUS accepit nomen Regis, & principes, excepto *Stigoto* Marescalco suo, sub juramento sollempni fecerunt ei fidelitatem. Eodem anno natus est CRISTOFORUS *secundus* filius ejus in die Michaelis. Eodem anno MAGNUS Swcorum Rex duxit filiam Comitis *G.* Holstzacie in uxorem, & celebratis nuptiis, Sweui *Hallandiam* & *Scaniam* furtive cum exercitu intraverunt. Devastatisqve qvibusdam villulis in extremis finibus, iidem audientes, adversum se indigenos congregari, solo metu vulnerati, & in fugam conversi, cum dedecore recesserunt. Eodem anno *Thrugotus* Archiepiscopus est a summo pontifice consecratus.

MCCLXXVII. HERICUS Rex Dacie *Sreciam* a die Epyphanie usqve ad Pascha diversis insultibus impugnavit, depredacione & incendio devastando, tandem personaliter ingressus, Civitatem *Scare* cepit, ibidem tamdiu moratus, donec cum donata pace & inito fedære placaverunt. Eodem anno redit Dominus Archiepiscopus *Thrugotus*, & missam suam in festo Apostolorum Petri & Pauli celebravit.

MCCLXXVIII. Consecrati sunt in *Ecclesia Lundensi*, *Archiepiscopus Swecie*, & *Stigotus* Roskildensis Episcopus, a *Thrugoto* ejusdem Ecclesie Archiepiscopo.

MCCLXXIX. Celebratum est *Concilium* in *Wedel* cum prelatis Ecclesiarum sub Archiepiscopo *Thrugoto*. Obiit Domicellus Abel.

MCCLXXX. MAGNUS Rex Norwegie obiit, cui succesit ERICUS filius ejus. *Thrugotus* Archiepiscopus obiit. Eodem anno est *Johannes Dros* electus in Archiepiscopum. *Stigotus* Episcopus Roskildensis obiit, cui succesit *Ingvarus* Episcopus ibidem.

MCCLXXXII. *Johannes Dros* est consecratus. *Ecclesia sancti Lucii Roskildis* incensa est. MARGARETA qvondam Regina, & *Magister Nicolaus Juto* Cancellarius, & *Cecilia* uxor *Absalonis*, obierunt.

MCCLXXXIII. *Waldemarus* filius Ducis *Erici* factus est *Dux Jucie*. *Jacobus* filius *Nicholai* Comitis factus est *Comes Halandie* in *parlamento* apud *Worthingæborgh*.

MCCLXXXIV. Rex adjecit *libro legis* qvosdam articulos multum necessarios in *parlamento* apud *Nyburgh*. *Aluerus* filius *Ærlingi* de Norwegia egit pyraticam, & depredatus est omnes, qvos invenit, scilices *Danos*, *Theutonicos*, *Frisones*, & aliarum parcium mercatores. Qvidam surrexit juxta Renum, qvi se gerebat pro *Federico* qvondam Imperatore ante XXXV. annos mortuo, cui adheserunt multi. *Ericus* filius *Kanuti* Ducis habuit *Ducatum in Hallandia*.

(b) i: Sepulcrum patris sui, SANCTI ERICI Regis, Ringstadiæ visitavit, dona offerens, Vid. Hvitfeld p. 273.

(c) i: *Lugduni*, Vid. Hvitfeld p. 275.

(d) Legendum *Howa*, locus in Westrogothia in territorio Wasboensi. Hvitfeld p. 278. Dalin T. II. p. 259.

MCCLXXXV. *Aluerus* pyrata de Norwegia depredatus eſt *Horsnæs* & *Kalændæburgh*, & ſupervenientibus mercatoribus de *Sclavia* cum XXX. vel amplius magnis coggonibus & manu valida bellatorum, reverſus eſt Norwegiam cum preda, qvam rapuerat. Dicti autem mercatores locaverunt claſſem, qvam adduxerant apud *Hælſingæör*, nihilqve dignum memoria vel laude facientes, poſt octo ſeptimanas vacui honore & laude redierunt. *Jacobus* Comes Hallandie factus eſt *miles* ab ERICO Rege Norwegie. ERICUS Rex Dacie captivavit *Waldemarum* Ducem Jucie, & ſubvertit *caſtrum Tundær*. *Ericus* Dux Hallandie factus eſt *miles* a MAGNO Rege Swecie. PHILIPPUS Rex Francie oppreſſus eſt in bello, qvod habuit contra PETRUM Regem Arogonum.

MCCLXXXVI. *Waldemarus* Dux Jucie ſolutus eſt a captivitate in *parlamento* apud *Nyburgh* habito. Interfectus eſt Rex ERICUS in lecto ſuo a ſuis militibus in nocte beate Cecilie.

MCCLXXXVII. Privati ſunt occiſores Regis pace ex conſenſu totius regni ipſo die Penthecoſtes, & ad modicum poſt idem Regis occiſores receperunt ſe in *Norwegiam*. Hoc anno venit Rex Norwegie *Hælſingör* in qvarta (e) feria poſt octavam Apoſtolorum Petri & Pauli, & interiit in mari *Culben* dictus *Kattæryggær*, & alii multi, apud *Hælſingæburgh* capite ſunt truncati. Et in craſtino Rex cum populo reſiduo ipſam villam *Hælſingör* incendebant, recedentesqve *Kopænæhafn*, incuſſo eis timore ab inexiſtentibus (f), ad villam accedere non audebant, ſed in ſabbato poſt inſulas *Hvæthæn* & *Amakæ* combuſſerunt. Qvo facto ivit ex iis magna pars verſus *Scanör*, ubi cum duce exercitus *Thorth Cryter* (g) circiter LXX. ſunt occiſi. Circa idem tempus marſcalcus *Stigotus* fregit *caſtrum Samſö*. Hincqve divertens, *Thornburgh* (h) cum Eccleſia incendebat. Et hinc abcedentes, paucas reliqvias cinerum & apud *Skiælfiſkör* inventas igni concremabat. Et ſic recedentes ad *Falſtriam*, *Nyköping* incendebant. Et eodem tempore venerunt *Norwegi* ad *Lalandiam*, ubi ab incolis terre multi interfecti ſunt. Poſt obſidionem autem *Nyköping* regiravit (i) Marſcalcus *Stigotus* ad *Regem Norwegie* apud *Amakæ* exiſtentem, & hoc erat feria V. ante diem beati Petri ad vincula (k), & cum eo venit *Öthæn Hæſtæcorn*. Et in ſabbato proximo iverunt omnes ſimul ad *Grönæſund* (l), ibiqve *Caſtrum Domini Wiſzlaui* (m) per diem & nóctem impugnabant, multisqve interfectis de Norwegis, veligantes, *Stubbæköping* combuſſerunt. Et in die Aſſumpcionis beate virginis confuſi in *Norwegiam* ſunt reverſi. Hoc anno poſt feſtum beati Johannis Baptiſtæ (n) venit *Rex Norwegie* cum ſuis ad *Alaburgh*, ibiqve mora facta per qvindenam in pace, ad *Swinæburgh*

(e) Edit. Ludewig. *qvinta feria.* Hvitfeldius p. 299. male: ſemte Dagen eſter S. Peders Dag, ɔ: qvinto die poſt feſtum S. Petri; Nam *feria qvinta poſt octavam Petri & Pauli* eſt proximus dies veneris poſt d. 6 Julii, qvi Anno 1287. erat dies XI. Julii. Si *qvarta feria* legetur, erat d. 10. Julii. Sin vero, ut vult Hvitfeldius, hæc Anno 1288. acta ſint, *feria 5ta poſt octavam Petri & Pauli* erat d. 9. Julii.

(f) Hæc perverſe intellexit Hvitfeldius p. 299. qvi & in eo errat, qvod *in Sabbato* vertat om Søndagen ɔ: *die dominico*, cum *Sabbatum* apud Medii Ævi ſcriptores ſit *dies Saturni*, Løverdagen.

(g) Edit. Ludew. *Kort Cryter*, Hvitfeld l. c. *Cort Krytter*.

(h) Caſtrum olim prope Korſoram Sialandiæ, cujus nomen adhuc reſiduum eſt in villa rurali & paroecia *Taarnborg*.

(i) Edit. Wormii *remigavit*, ſuperius autem melius.

(k) Si hæc Anno 1287. contigerint, erat *d.* 31. *Julii;* Sin vero 1288, qvod rectius videtur, fuit *d.* 29. *Julii.*

(l) Fretum ad Monam inſulam, adhuc *Grønſund*, ſed apud Saxonem promiſcue *Sinus viridis* & *Portus viridis* dictum.

(m) Scil. *Stekæburg* ſive *Stegeburgum*, Arx munita olim ad oppidum Stege Monæ inſulæ ſita, qvæ tum *Wiſlavo* Principi Rugiæ loco pignoris pro dote conceſſa erat, Vid. Hvitfeld p. 300. 348. 379.

(n) Hæc *Hvitfeldius* ad An. 1289. refert p. 301.

Swinæburgh veligantes, eam incendebant. Ad modicum etiam ante, partem de *Langæland* incendio devaſtabant & ſpolio, parsqve reſidua pecunia eſt redempta. Qvibus expletis, transtulerunt ſe *Norwegi* ad Norwegiam, & exules ad *Hialm*, ipſamqve inſulam rebus & inſtrumentis bellicis inſtruxerunt. Hoc anno intendens *Rex Norwegie* impugnare *Daciam*, collecto navigio, moram fecit apud *Ekrö* (o) VI. ſeptimanis. Et cognito defectu ſuo, redierunt, unde venerunt. Et medio tempore exules *Mæthælfar* & *Hænxholm* (p) incendebant.

MCCLXXXVIII. *Abſalon Andærſon* (q) obiit.

MCCLXXXIX. Rex ERICUS Norwegie *Syalandiam* venit cum exercitu, & combuſit *Skælſiſkör*, *Thornburgh*, *Hælſingör*, *Niköping*, & multas alias *inſulas*. Archiepiſcopus *Johannes Dros* obiit.

MCCXC. *Johannes Grand* in curia conſecratur in Archiepiſcopum. *Ingvarus* Epiſcopus Roſkildenſis obiit, cui ſucceſſit *Johannes Krak*. *Alff Ællingeſun* rotatus eſt in *Helſinburg*. *Kopmanæhaffn* munitum fuit.

MCCXCI. Akon victa fuit a *Soldano*, omnibus interfectis, & tota terra ſancta devaſtata eſt.

MCCXCIV. A rege ERICO Danorum miſſus exercitus in inſulam *Hiſinge*, vaſtavit medietatem ejus. Archiepiſcopus *Johannes Grand* & præpoſitus *Jacobus* capti fuerunt.

MCCXCV. *Ramo Jonæſun* (r) captus fuit & rotatus *Roſkild*. Archiepiſcopus clam evaſit de *caſtro Syöburg*. *Yſarnus* nuncius Domini Pape venit in *Daciam*.

MCCXCVI. Rex ERICUS fecit nupcias cum INGEBURG ſorore BIRGERI Regis Swecie.

MCCXCIX. Dominus *Johannes Grand* Archiepiſcopus & *Yſarnus* nuncius, redeuntes a curia, ſuppoſuerunt totum regnum interdicto a ſexta feria proxima poſt feſtum beate Agathe (s), qvod duravit per annos qvatuor & decem ebdomadas.

MCCC. Rex ERICUS accepit terram *Roſtok* in poteſtatem ſuam. Obiit Dominus *Johannes Krak* Epiſcopus Roſkildenſis, & caſſata electione cujusdam *Florencii*, Dominus Archiepiſcopus ſupradictus elegit Dominum *Olaum*, & confirmatum miſit ad Eccleſiam Roſkildenſem de *Borendeholm* (t).

MCCCII. Facta eſt translacio domini *Yſarni* de *Rigenſi* Archiepiſcopatu ad *Lundenſem*, & Domini *Johannis Grand* predicti de *Lundenſi* ad *Rigenſem*, qvem noluit acceptare. Hanc translacionem fecit Dominus Papa *Bonifacius octavus*. Obiit Dapifer *David* (u) Regi ſuo fidelis.

MCCCIII.

(o) Inſula haud procul Bahuſio & Kongella ſita, ad Norvegiam olim pertinens, ubi portus transqvillus erat, dicta *Ekerei*, Vid. Comm. de profectione Danor. in terram ſanctam p. 139. hodie *Ekerö*.

(p) Peninſula Fioniæ, hodie *Hindsholm* appellata.

(q) Unus de Magnatibus Daniæ, qvi floruit ſub imperio ERICI GLIPPING, cujus uxor *Cecilia*, ut ſupra dictum eſt, Anno 1282. obierat.

(r) Unus de Proceribus Daniæ ſub Rege ERICO GLIPPING, cujus proditor factus eſt, de qvo vid. Hvitfeldium p. 292. 298. 304. 373. Erat Regis *Camerarius* ſive *Præfectus erario*, non autem Kamer-Junker, ut Hvitfeldio audit.

(s) i. a die 6. Februarii 1299.

(t) Ibi tum in Caſtro *Hamershus* morabatur, a Curia Romana redux, *Joannes Grand* Archiepiſcopus Lundenſis, Vid. Hvitfeld p. 310.

(u) Dn. *David Thorſtenſen*, ex familia nobili *Hak*, erat Dapifer Regis ERICI MENVED & Præfectus Scaniæ, Dan. Rigets Droſt og Gielder i Skaane. Hujus fratres, ut credo, fuere Dn. *Thrugotus Thorſtani* Archiep. Lundenſis; qvi obiit 1280. & *Nicolaus Thorſtanſon* dictus *Hak*. Dipl. 1295.

MCCCIII. Regnum *Dacie* abſolutum eſt ab interdicto per dictum Dominum *Yſarnum*, *Nyburgh*, in cena Domini. Dominus *Jon litlæ* (v) rediit de via *Romana.*

MCCCIV. *Rex* abſolutus fuit ab excommunicacione, qva tenebatur pro capcione ſupradicti Domini *Johannis Grand.* *Expedicio Koggonum* (x) indicta fuit toti regno. Obſeſſa fuerunt *caſtra Hallandie* in hyeme, ſed non potuerunt expugnari.

MCCCV. Clerus Dacie denuo ab irregularitate fuit abſolutus. Obiit domina mater Regis, qvondam *Dacie Regina* (y).

MCCCVI. Multitudo *Noricorum* apud *Thornburgh* gladio & ſubmerſione periit. In qvo conflictu Dominus *Jacobus Olafſſon* (z) miles ſtrenuisſimus, incaute navem hoſtilem inſiliens, ſubmerſus eſt. *Ericus* & *Waldemarus* Duces Svechie captivaverunt fratrem ſuum BIRGERUM Regem, comedentes cum eo in die beati Michaelis. *Magnus* primogenitus ejusdem BIRGERI Regis pridem in Regem electus, clam ductus eſt in *Daciam.*

MCCCVII. Rex ERICUS in nativitate Domini duxit validisſimam expedicionem in *Swechiam*, ſed gravisſima hyeme impeditus rediit, acceptis Treugis. Hoc anno obiit Dominus *Jon Litlæ* miles devotisſimus & preclarisſimus Regni Dacie, pridie nonas Auguſti. Obiit Domina *Cecilia* Domini *Joon* dicti *Litlæ* in qvinta die natalis Domini circa mediam noctem. Cujus corpus ſepultum eſt in *choro monaſterii Æſrom* prope *patrem* ſuum. Reqvieſcat in pace. Amen.

Induſtria (a) Domini SVENONIS ESTREDSON, Regis chriſtianisſimi, *Dania* diviſa eſt in *octo Epiſcopatus:* ipſe primus *Dalbyenſem eccleſiam* edificavit.

Primus Epiſcopus fuit *Henricus* in *Dalby*, ſecundus *Egimus* Lundenſis, tertius *Richualdus*, qvartus *Aſcerus:* Ejus pater dictus eſt *Thorchillus*, qvi etiam vocatus eſt *Suend Truendsſön.*

Apud villam *Hammer* eſt qvidam vicus, qvi dicitur *Fodewigk*, ubi magnum prælium factum eſt 1134.

(v) De hoc infra ad An. 1307.

(x) Hanc Hvitfeldius p. 322. Danice explicat Skibsleding. *Koggo* erat navigii genus, dictum adhuc Kog, cujus præcipue uſus in Sinu Lymico Jutiæ viget.

(y) AGNES ſcil. Brandenburgica, qvæ, poſt obitum mariti Regis ERICI GLIPPING, Comiti Holſatiæ *Gerhardo Coeco* An. 1293. nupſerat, Vid. Contin. Alberti Stadenſ. p. 37. Conf. *Hvitfeldium* p. 392. qvi tamen ante p. 304. 1314. errat in Agnetis ſecundo marito, putans eum *Johannem* Comitem Wagriæ fuiſſe.

(z) *Jacobus Olafsſon* erat Mareſcalcus Regni ſub ERICO MENVED, Conf. Hvitfeld p. 331.

(a) Hæc, qvæ ſeqvuntur, folio pergameneo, ad calcem Codicis involucro adfixo, manu recentiori & forte *Jonæ Turſon* Canonici Lundenſis inſcripta ſunt, ſed, ut videtur ex vetuſtis Faſtis Necrologicis Lundenſibus deſumta.

XIX.

XIX.

Annales Fratrum Minorum Wisbyenſes ab An. 67. ad 1525.

Hoſce Fratrum Wisbyenſium Annales Illuſtr. *Joh. Petr. de Ludewig* Reliqviarum ſuarum Medii Ævi Tomo IX. pag. 175-197. it. p. 212-217. No. IX. & No. XII. ſub nomine *Diarii Fratrum Minorum* inſeruit. Sed, ut ipſe in Praefatione p. 15. fatetur, exemplar, qvo uſus eſt, mutilum fuit, neqve a pluribus librarii mendis liberum: Annales autem ipſi, pergit, in ultimorum Seculorum eventis pleniores & foecundiores ſunt, qvam in principio. Codex ipſe autographus, qvi adhuc in Archivo Regio Antiqvitatum Holmenſi adſervatur, continet *Necrologium Fratrum Minorum Wisbyenſium*, in membrana exaratum & Kalendario Romano adſcriptum; cui hæc facta chronologia, ſed indigeſte, nec optimo annorum ordine obſervato, non ab uno Auctore, ſed a pluribus, & ſucceſsive, ſunt ſubjuncta. *Codex* eſt optimus, & multa egregia ad Hiſtoriam Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ illuſtrandam comprehendit, qvorum tamen aliqva ex aliis Annalibus deſumpta ſunt, antiqvus qvidem, non vero dici poteſt antiqviſſimus, cum circa 1340, ut ex collatione manuum & annorum patet, primum inceptus ſit, & maximam partem Seculis XIV. & XV. continuatus, pauculis qvibusdam Seculo XV. additis. In ſpeciali rerum *Gotlandiæ & Wisbyenſium* Hiſtoria prolixior eſt, inſignemqve indigenis uſum præſtare poteſt. Apographum, qvod ego habeo, multo plenius eſt & adcuratius, qvam illud a *Ludewigio* editum. Idem mihi ante aliqvot annos Holmia ab amico meo, tum in vivis, Dn. Aſſ. *Nicolao Reinboldo Brocmanno* transmiſſum, ipſius manu tranſcriptum, ſed a me ex inordinato in ordinem redactum, ita ut annorum numeros & eventa hinc inde diſperſa ſuo qvæqve loco diſpoſuerim, annotatis inferius iis, qvæ bis, & diverſis locis, ac cum aliqva differentia in codice inveniuntur.

Anno Domini LXVII. prima perſecutio Chriſtianorum ſub Nerone. Paulus decollatus & Petrus crucifigitur.

LXXVI. Jeruſalem a Romanis deſtruitur, qve ſtetit annis MLXXXIX.

LXXXV. ſecunda perſecutio ſub Domiciano.

CIII. Tercia perſecutio ſub Trayano.

CXXI. Jeruſalem reedificatur ab Adriano Imperatore, qvam Helyam vocavit.

CXLIV. qvarta perſeqvutio ſub Antonio pio.

CXCIII. qvinta perſeqvutio ſub Severo.

CCXL. ſexta perſeqvutio ſub Decio.

CCLVI. octava perſeqvutio ſub Walleriano & Gallieno.

CCLXXIIII. nona perſeqvutio ſub Aurelio.

CCXC. decima perſeqvutio ſub Dyocleciano.

CCCXXXII. Sanctus *Nicholaus* migravit a ſeculo.

CCCXXXIII. Inuencio ſancte Crucis ab Helena.

CCCLXXVII. S. Servazius, S. Martinus, S. Ambroſius, S. Jocundus, S. Auguſtinus, S. Maximinus claruerunt.

CCCCV. Halaricus Romam devaſtavit, qve ſtetis annis MCLXIIII.

CCCCIX. & X. *Attila* devaſtavit eccleſiam.

DIX. ſanctus *Benedictus* migravit.

DXXXIII. ſanctus *Dyoniſius* Abbas tabulam ſuam incepit.

DXCII. ſanctus *Gregorius* Doctor Papa fuit.

Anno Domini DCLXXXVI. *Longobardi* exiverunt *Daciam*, & fuerunt pro majori parte *Jutones.* Fames pervalida ad hoc ipſos compulit, ſicut & *Humos* de *Swecia.* Accidit hoc tempore *Snyonis* Regis Dacie per ſortem electi. Primo venerunt ad *Gotlandiam*, deinde ad *Rugyam*, ubi reliqverunt naves, & ad *Ytaliam* devenerunt, unde *Lombardia* dicitur terra eorum. Tempore Caroli Magni *Apuliam* intraverunt, & ſunt ibi usqve modo.

DCCXIII. Crux Domini exaltatur ab Eraclio.

Anno Domini octingenteſimo qvinto decimo, *Dani* cum HARALDO Rege ipſorum ad fidem converſi ſunt.

DCCCXXXIV. *Sanctus Ansgarius* claruit, qvi *Dacos* ad fidem convertit.

MXXVIII. *Sanctus Olavus* martirizatus eſt.

MXCVIII. *Ordo Cyſtercienſis* inchoatus.

MCI. ERICUS EGOTHÆ obiit in Cypro inſula, cui ſucceſſit frater ejus NICHOLAUS. *Aſcerus* factus eſt primus Archiepiſcopus Danorum.

MCIV. Sanctus *Bernardus* monaſterium intravit.

MCV. Conventus mittitur in *Claram vallem.*

MCXX. *Ordo Premonſtratenſis* oritur.

MCXXIX. *Sanctus Kanutus* martirizatur.

MCXXXI. bellum fuit in *Jalinge* inter NICHOLAUM Regem & ERICUM EMUNE, fratrem Sancti *Kanuti.*

MCXXXII. fuit bellum *Syræ*, & in utroqve fugit ERICUS.

MCXXXIII. *Roſkild* vaſtatur a *Sclavis.*

MCXXXV. fuit bellum in *Fothæwich*, ubi *Magnus* occiditur, & VII. Epiſcopi cum eo, & fugit NICHOLAUS, & occiditur in *Sleswich.*

MCXXXVI. ERICUS EMUNÆ occidit fratrem ſuum *Haraldum.*

MCXXXVII. Tenebre erant in XLma per univerſam terram.

MCXXXVIII. *Aſcerus* Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Eſkillus.*

MCXXXIX. ERICUS EMUNÆ in Jucia occiditur, cui ſucceſſit ERICUS.

MCXL. *Olavus* filius *Haraldi* rebellavit contra ERICUM SPAKÆ Regem.

MCXLII. bellum fuit in *Dyſterlinge* ter uno die & XIII. vicibus uno anno.

MCXLIII. *Olavus* occidit Epiſcopum Roſkildenſem.

MCXLIV (a). *Stephanus* factus eſt primus Archiepiſcopus Upſalenſis.

MCXLVII. ERICUS Rex obiit Monachus, cui ſucceſſit SWENO in *Scania*, KANUTUS in *Selandia.* KAROLUS Rex interfectus eſt.

MCL. bellum fuit in *Slangathorp*, & bellum fuit *Torſtænsthorp.*

MCLI. bellum fuit *Wibergis*, & ſemper fugit KANUTUS.

MCLII. KANUTUS fugit in *Ryſciam.*

MCLIII. Conventus venit in *Esrom.*

MCLIV. WALDEMARUS, filius *ſancti Kanuti*, duxit SOPHIAM filiam (b) KANUTI Regis.

MCLV. KANUTUS Rex occiditur *Roſkildis*, & WALDEMARUS vulneratur a SVENONE.

MCLVI. bellum fuit *Grathæ*, ubi SVENO occiditur, & WALDEMARUS fit Rex Danorum.

MCLX. *Sanctus Ericus* martirizatus eſt.

MCLXII.

(a) Potius referend. ad 1164. Vid. *Rhyzel.* Epiſcopoſc. Svec. p. 29.

(b) Legendum *ſororem*, ſcil. KANUTI V. Regis.

MCLXII. Conventus venit in *Soram.* Et conventus venit in *Tutam Vallem.*
MCLXIII. WALDEMARUS occurrit *Frederico* Imperatori.
MCLXV. Conventus venit in *Öm.*
MCLXVII. *Burisius* captus est, & oculis effosis castratus.
MCLXX. *Rö* subjugatur a Danis & ad fidem convertitur.
MCLXXI. Translatio SANCTI KANUTI Regis (c) *Rungstadis.* Sanctus *Thomas* Cantuariensis martirizatur in Anglia.
MCLXXII. Conventus venit in *Holm* (d).
MCLXXIII. Conventus venit in *Logum* (e).
MCLXXVI. Castrum *Stythin* obsessum est a *Danis.*
MCLXXVII. Passio *sancte Margarete Roskildis.*
MCLXXVIII. *Eskillus* Archiepiscopus recesit a *Dacia.*
MCLXXXII. WALDEMARUS PRIMUS obiit.
MCLXXXIV. KANUTUS duxit expeditionem in *Walghust.*
MCLXXXVI. *Suno* filius *Ebbonis* obiit.
MCLXXXVII. combusta est *civitas Sigtoniensis* a paganis, & *Johannes*, secundus Archiepiscopus Upsalensis, in *Almarnstech* ab eisdem occisus est. Et tunc *civitas Stokholmensis* edificata est.
MCXC. primo, KANUTUS (f) duxit expeditionem in *Fynland.*
MCXCVI. KANUTUS duxit expedicionem in *Estoniam* (g).
MCXCVIII. SOPHIA Regina obiit.
MCC. incepit *Ordo Fratrum Minorum* per b. *Franciscum.*
MCCII. *Adulfus* Comes Holsacie capitur, & fit tributarius Regis. Obiit *Birgerus primus*, Dux regni Swecie.

Hic nota, qvod de SWENONE Rege Dacie nati sunt, KANUTUS Rex & martir, & ERICUS EGOTE, qvi sepultus est in *Cypro* insula cum Regina sua, qvorum prior unum habuit filium, nomine *Karolum*, Comitem Flandrie, & duas filias, *Ceciliam*, & *Ingegert*, qve nupsit *Folqvino* Sweuorum nobilissimo, qvi ex ea genuit *Benedictum*, patrem *Byrgeri* Ducis, qvi videlicet *Birgerus* genuit filium, nomine *Magnum*, postea Regem Swecie & dictum *Ladælas*, & *Waldemarum.* ERICUS autem EGOTE genuit *Kanutum* Ducem & martirem. Cujus filius WALDEMARUS genuit *Rygizam* Reginam Swecie, qve genuit *Ericum* Regem Swecie & *Ingeburgh* Ducissam, uxorem *Byrgeri* Ducis, ex qva genuit *Magnum* Regem Swecie & *Waldemarum.*

MCCIII. KANUTUS Rex obiit, cui succesit WALDEMARUS II. frater ejus.
MCCIV. WALDEMARUS duxit expedicionem in *Norwegiam.*
MCCV. WALDEMARUS duxit DAGMAR.
MCCVI. *Dani* destruxerunt *Arcenzborgh* (h.)
MCCVII. *Dani* corruerunt in *Lenæ* (i).

MCCVIII.

(c) Scilicet *Regis Slavorum* & Ducis Slesvicensis.
(d) Chron. Erici: *in insula Dei*, d. *Holm-Kloster* in Fyonia, magnum olim Fratrum Cistercienssium Monasterium, post Reformationem *Ramzovholm* dicta, jam *Brabetrolleborg*, Vid. *Atlas Dan.* T. III. p. 546.
(e) Monasterium Cistercienssium in Ducatu Slesvicensi, dictum *Locus Dei* sive *Lygum Kloster.*
(f) Scil. KANUTUS VI. Rex Daniæ, ut plures Annalium nostrorum habent.
(g) Alio loco hæc ita in Codice nostro leguntur: *Anno Domini MC. nonagesimo septimo, Rex KANUTUS Dacie cum exercitu ivit in Estoniam.*
(h) Alii Annales *Ertheburg*, qvod rectius.
(i) Hæc superflua sunt, & ad An. seqventem referenda.

MCCVIII. bellum fuit in *Lenum* in *Wesgocia* inter Dacos & Swecos tempore WALDEMARI II. Regis Dacie, pridie Kalendarum Februarii, ubi SWERCHERUS Rex fugatus eſt, & ſtrages *Danorum* magna facta eſt.

MCCX. WALDEMARUS duxit expeditionem in *Pryſciam* & *Sameland*. Fuit bellum XV. Kalend. Auguſti in *Gielſteren*, ubi occiſi ſunt SWERKERUS Rex & *Fulco* Dux & multi nobiles. Eodem anno coronatus eſt Secundus ERICUS Rex Swecie, & duxit uxorem RYGIZAM, ſororem Regis Danorum.

MCCXI. WALDEMARUS juſſit caſtrum *Dumyn* reedificari.

MCCXII. DAGMAR Regina obiit.

MCCXIV. WALDEMARUS duxit BERENGARIAM Reginam.

MCCXV. WALDEMARUS vaſtavit terram *Henrici* Comitis.

MCCXVI. incepit *Ordo Fratrum Predicatorum* per —

MCCXVIII. WALDEMARUS III. Rex Danorum *Sleſwich* coronatus eſt.

MCCXIX. expeditio per eum [*Wald. II.*] facta eſt in *Eſtoniam* cum mille qvingentis longis navibus, & cepit *Revaliam*, & terras circumjacentes convertit ad fidem (k).

MCCXXII. *Gregorius* Cardinalis fuit in Dacia. *Andreas* Archiepiſcopus ceſſit.

MCCXXIII. WALDEMARUS furtive capitur cum filio per *Henricum* Comitem Swerynenſem (l). [*Alio loco ita:*] MCCXXIII. captus eſt prodicioſe Rex Dacie WALDEMARUS, cum filio ſuo WALDEMARO, a Comite *Henrico* de Swe-ryn, & abductus furtive Nonas Maji, & regnavit annis XXII. Et Anno Domini MCCXXVI. liberatus eſt a captivitate pro XL. millibus marcarum puri argenti. Iſte cum filio pugnaverunt cum Lubycenſibus & Holſatis in *Bornahöueth*, & victus fuit.

MCCXXVI. Rex rediit de captivitate.

MCCXXVII. bellum fuit in *Bornahouet* inter Lubycenſes & Regem WALDEMARUM, ubi Rex fugatus eſt, & amiſit unum oculum, & nobiliores ex Danis capti ſunt. Al. Dani corruerunt in *Bornahövet*.

MCCXXX. *Otto* Cardinalis fuit in Dacia.

MCCXXXI. *Predicatores* venerunt *Roſkildis*.

MCCXXXII. ERICUS filius WALDEMARI coronatur.

MCCXXXIV. Eccleſia S. Laurentii *Lundenſis* & *Roſkildenſis* incendio perierunt.

MCCXXXVII. bellum *Scanör* inter *Danos* & *Normannos*.

MCCXXXIX. ERICUS duxit JUTTAM, filiam Ducis Saxonie.

MCCXLII. WALDEMARUS II. obiit, cui ſucceſſit filius ejus ERICUS.

MCCXLIII. Guerra inter ERICUM & fratrem ejus Ducem *Abel* oritur.

MCCXLVII. *Sora* incenditur pene totaliter.

MCCXLVIII. *Hafn* vaſtatur a *Lubycenſibus*.

MCCL. Sanctus ERICUS martirizatur, cui ſucceſſit ABEL frater ejus. Electus eſt WALDEMARUS, germanus *Magni* Ducis, in Regem Swecie.

MCCLII. Rex ABEL occiditur in *Fryſia*, cui ſucceſſit frater ejus CHRISTOFORUS.

MCCLIII. Rex CHRISTOFORUS evertit caſtrum *Swinaburgh*.

MCCLIV. Obiit *Ingeburgis* Duciſſa Swecie. Et natus eſt *Benedictus II.* Epiſcopus Lyncopenſis & Dux Finlandenſis.

MCCLVI.

(k) Alibi hi Annales Wisb. habent: *MCCXVIII. Waldemarus ſubjugavit Eſtoniam & ad fidem convertit.*

(l) Iidem Annales ita alio loco: *MCCXXIII. Rex Waldemarus dolo captus eſt cum filio ſuo, & ductus in Slaviam, & anno Domini MCCXXVI. liberatus eſt.*

MCCLVI. *Kotkarlæ waræ galnæ met Kyluebang* (m).

MCCLVII. HAQVINUS Rex Norwegie fuit in Dacia.

MCCLVIII. bellum fuit in *Kyſtorp* inter Regem & ruſticos.

MCCLIX. Archiepiſcopus captus eſt a Rege CHRISTOFORO, & Rex obiit, cui ſucceſſit ERICUS filius ejus. Et bellum fuit *Neſtwidis*.

MCCLX. *Jarmarus* Princeps Ryanorum obiit.

MCCLXI. bellum fuit *Lohet* inter Regem & Ducem *Ericum*, ubi Rex cum matre ſua captus eſt.

MCCLXII. *Regina* ſoluta eſt. *Dux Brunswic* fuit in Dacia.

MCCLXIII. *Petrus Fynſon* ſuſpenſus eſt. Eclipſis Solis n. Kal. Auguſti (n).

MCCLXIV. caſtrum *Armeſcogh* deſtruitur. Et Rex rediit de captivitate.

MCCLXVI. *Guido* Cardinalis fuit in Dacia.

MCCLXXII. Dux *Ericus* obiit.

MCCLXXIII. Rex duxit AGNEM filiam Marchionis Brandenborgenſis.

MCCLXXV. WALDEMARUS Rex Swecie habuit bellum contra *Dacos*, victus eſt, & Anno MCCLXXIX. rediit ad regnum ſuum. Prelium fuit in *Hocſ* inter WALDEMARUM Regem Swecie & fratrem ejus Ducem *Magnum*, ubi victoria ceſſit Duci *Magno*, & WALDEMARUS fugatus eſt in *Norwegiam*, & Dux in Regem eſt electus, & coronatus *Vpſalie* in die Pentecoſtes Anno Domini MCCLXXVI. Et eodem anno in feſto Sancti Martini idem Rex duxit Dominam *Helewych*, filiam Comitis Holſacie in uxorem, & nupcie fuerunt in *Kalmarnia*.

MCCLXXVII. intravit ERICUS Rex Dacie *Wesgociam*, volens juvare WALDEMARUM Regem contra fratrem ſuum, & venit in *Axawal*. Sed facta ſuis qvadam confuſione ac deſtructione apud *Ethagy*, confuſibiliter reverſus eſt ad Daciam. Et eodem anno reconciliati ſunt Rex MAGNUS & Dominus WALDEMARUS, ita qvod WALDEMARUS haberet *Wesgociam* & *Osgociam*, Dominus autem MAGNUS partes ſuperiores, & ipſe Rex diceretur, & non WALDEMARUS.

MCCLXXIX. reſignavit Dominus WALDEMARUS Rex partem ſuam de regno ad manus fratris ſui Regis MAGNI, & in *Daciam* propter qvandam *Chriſtinam* receſſit.

MCCLXXX. natus eſt Regi MAGNO *Byrgerus* primus filius. Sortitus eſt nomen avunculi (o) ſui, qvi poſtea in Regem Swecie coronatus eſt. Eodem anno in menſe Auguſti, in *caſtro Stokholmenſi* decollati ſunt Dominus *Johannes*, Dominus *Byrgerus* filius *Philippi*, & Dominus *Johannes* ſororius eorum, & *Holingerus* miles & multi alii, per Regem MAGNUM.

MCCLXXXIV. electus eſt in Regem Swecie *Schenningie* BYRGERUS, filius Regis MAGNI, & *Ericus* frater ejus factus eſt Dux, licet ambo parvuli eſſent. Dominus autem *Benedictus*, frater Regis, factus eſt Dux Fynlandenſis.

Eodem tempore Dominus *Alwerus* de Norwegia multas naves cepit cum aliis Noricis, & multas villas in Dacia ſpoliavit, & fuit guerra inter *Noricos* & *Lubycenſes* ac alias *civitates maritimas*. Sed ſeqventi anno treuge recepte ſunt inter Lubycenſes & Noricos, & reconciliati ſunt per Regem MAGNUM *Calmarnie*, in feſto Michaelis. Sed Anno Domini MCCXC. idem *Aluerus*, cum iteraret maliciam ſuam,

(m) Vid. *Chron. Erici* ſupra pag. 168. qvæ ibi in Notis dicta ſunt, qvibus addatur, *Kyluebang* compoſitum eſſe ex *Kylve* ſ. *Kolve*, clava, & *Bang*, qvod in veteri noſtra lingva eſt, percuſſio, verbera, ictus.

(n) Legendum puto *Nonas Auguſti*.

(o) Legendum *avi ſui*.

ſpoliando naves, per Dominum *David Thorſtenſon*, Dapiferum regni Dacie, juxta *Helſingeborch* rotatus eſt.

MCCLXXXV. Guerra fuit inter *Teutonicos* & *Normannos*. Et Dux *Waldemarus* capitur a Rege.

MCCLXXXVI. Dominus *Benedictus*, Dux Fynlandenſis, in *Stokholm* in Epiſcopum Lyncopenſem conſecratus eſt.

Nota, qvod Anno Domini MCC. octogeſimo ſeptimo, occiſus eſt ERICUS Rex Dacie, filius CHRISTOFORI, in nocte ſancte Cecilie, in *Noriucya*, in villa, qve vocatur *Fynnethorp*, a *Palnone Lytlæ* ſocero Domini *Stygoti* militis, Marſcalci ipſius Regis, & hoc per procuracionem ipſius Marſcalci, racione uxoris ſue. Qvi Marſcalcus propter homicidium a Danis de regno cum ſuis expulſus, in inſula dicta *Helm*, qvæ ſita eſt in *paſſagio Baltico*, grande caſtrum edificavit, de qvo toto tempore, qvoad vixit, graviſſimam piraticam exercuit, civitates maritimas ac terras circumiacentes crudeliter depredando. Qvo mortuo, filii ejus inter ſe diviſi, dictam inſulam deſeruerunt, & ad diverſa loca fugerunt. Et qvi ex eis capiebantur, occidebantur. Poſt ERICUM regnavit CHRISTOFORUS, pater WALDEMARI Regis ultimi, qvi in caſtro *Tornaborch* in Selandia per ſuos emulos fumo extinctus eſt. Dehinc WALDEMARUS Rex, qvi pluribus annis a regno exulatus, in *Bohemia* ac aliis terris latitabat, tandem, fultus auxilio Marchionis Brandenburgenſis, Daciam armata manu intravit, & Holzatos, qvi *Selandiam*, *Fyoniam*, & *Juciam* occupabant, potenter debellavit, & *Scaniam* ac *Hallandiam* de Rege Swecie MAGNO cum qvadam placitatione optinuit circa Annum Domini MCCLX.

Nota (p) ante nativitatem Chriſti *Theutonici* fuerunt qvinqvies ſubjugati a *Regibus Danorum*. Item *Hartben* (q) erat decem cubitis, & *Haldanus* cum XII. contribunalibus ſuis.

MCCLXXXVIII. captus eſt *Waldemarus*, frater Regis MAGNI, & poſitus in caſtro *Nycopie*.

Eodem anno fuit magna guerra in *Gotlandia* inter cives *Wisby* & bondones terre, pugnaveruntqve ad invicem in menſe Aprili, tertio Sabbato poſt paſcha, & vicerunt cives (r). In cujus facti memoriam fit proceſſio per civitatem cum ymagine beate virginis. Et tandem reconciliati ſunt per Dominum Regem MAGNUM, & permiſſum eſt civibus murare civitatem.

MCCLXXXIX. Dominus Rex MAGNUS fecit filium ſuum *Byrgerum* militem, & *Ducem Brunswicenſem*, in *Stokholm*, & multos alios nobiles, tam de *Alamannia*, qvam de *Swecia*. Et tunc venerunt *Sorores ſancte Clare* in *Stokholm*.

MCCXC. in menſe Decembri, XV. Kal. Januarii, in *Wyſinghzö*, obiit vir magnarum virtutum & memoria digniſſimus, Rex MAGNUS dictus *Ladalaas*, & regnavit BYRGERUS, primus filius ejus, pro eo, XI. annum agens etatis, cum regnare cepiſſet.

MCCXCIII. expedicio BYRGERI Regis Swecie facta eſt in *Kareliam*, & *Kareli* fidem ſuſceperunt, & facti ſunt tributarii Domino Regi Swecie, & edificatum eſt caſtrum *Wyborch* in *Karelya*.

MCCXCIV.

(p) In margine manu vet. adſcriptum: *Ex Cronica.* Hæc vero ad longe vetuſtiora tempora pertinent.

(q) De *Hartbeno* vid. *Saxo* p. 124. Conf. ſupra *Chron. Erici* p. 154.

(r) Alio loco iidem Annales hæc ita: *Anno Domini MCCLXXXVIII. prelium ante Wisby, in IIItio ſabbato poſt paſcha, inter civitatenſes & rurenſes, in die ſancti Aniceti martiris.* In margine vero ſic annot: *Anno Domini* 1278.

MCCXCIV. Dominus *Johannes* Archiepiſcopus Lundenſis per Regem Dacie captus eſt & incarceratus.

MCCXCVII. fuit Capitulum provinciale *Skaris*. Et edificate ſunt ſex teſtudines (s) ſuper qvatuor pillaria proxima novo choro. Et procurata eſt Tabula major pro ſummo altari per fratrem *Albertum*.

MCCXCVIII. celebrate ſunt nupcie Domini BYRGERI Regis in *Stokholm* cum filia ERICI Regis Dacie, prius interfecti in Jucia crudeliter.

MCCXCIX. obiit ERICUS Rex Norwegie. Et frater ejus HAQVINUS in Regem eſt electus. Eodem anno totum regnum Dacie fuit ſub *Interdicto* propter Archiepiſcopum per Regem captivatum.

MCCC. omnia pecora in *Gutlandia* moriebantur.

MCCCII. Coronatus eſt BYRGERUS Rex Swecie in *Sudhercopia*. In nocte ſancti Mathei Ewangeliſte fuit maxima *tempeſtas*, ita qvod naves fluxerunt de portu in *Garna* ſine leſione.

Item Anno Domini MCCC. ſecundo, fuit Capitulum provinciale *Yſtadis*. Et in nocte Sanctorum Tyburcii & Valeriani ceciderunt in eccleſia noſtra ſex teſtudines antiqve, & edificate ſunt reliqve ſex teſtudines in medio eccleſie de novo, de elemoſina fratris *Alberti* bone memorie.

Eodem anno, circa diem corporis Chriſti, cecidit proh dolor funditus *Eccleſia cathedralis Upſalie*. Et illo anno viſa eſt Stella *Cometes* fere a feſto Purificationis usqve Paſca.

MCCCIV. Guerra fuit inter Regem BYRGERUM & Dominos Duces *Ericum* & *Waldemarum*, & fugati ſunt de regno in *Norwegiam*. Et Rex BYRGERUS optinuit caſtrum *Dalæborch*.

MCCCV. combuſta eſt tota *civitas Sudhercopenſis*. Et Duces ad regnum ſunt revocati.

MCCCVI. fuit hyems maxima, ita qvod mare inter Ö*landiam* & *Gutlandiam* & *Eſtoniam* exſtitit congelatum. Et una foca fuit vivens inventa apud *eccleſiam Yſkaleem*. Captus eſt BYRGERUS Rex, Regina, & liberi eorum, in *Hatumum*, per Dominos Duces, in die Michaelis.

MCCCVIII. BYRGERUS Rex dedit fugam in *Wisby*, deinde in *Daciam*, ibi qvoqve cum ſuis latitabat. Interim Duces devaſtaverunt *Scaniam*.

MCCCX. obiit Dominus *Srantapulk*. Rex Dacie intravit *Sweciam* cum omni potencia ſua, aſcendens usqve in *Nycopengh*, ubi moratus aliqvibus ſeptimanis, cum nichil proficerent, ipſe & ſui Dani inglorii redierunt.

MCCCXI. combuſta eſt fere tota *civitas Wisbycenſis*. Et pax reformata eſt inter BYRGERUM Regem & Duces.

MCCCXII. celebrate ſunt nupcie Dominorum Ducum apud *Aſloyan*, qvorum primus videlicet *Ericus* duxit filiam Regis HAQVINI, ſecundus ſcilicet *Waldemarus* duxit filiam ERICI Regis, fratris dicti Regis HAQVINI prius mortui. *Duciſſe* cum magno honore intraverunt regnum *Swecie*.

Eodem tempore BYRGERUS Rex armata manu cum exercitu ſuo intravit terram *Gotlandie*, & reverſus eſt cum magna dejectione.

MCCCXIV. III. Idus Maji, tota *civitas Wisbycenſis* combuſta eſt.

MCCCXVI.

(s) Scil. in templo Fratrum Minorum in Wisby.

MCCCXVI. Rex Dacie civitatem *Straleſundh* obſedit, qvam minime optinuit, & in nullo profecit.

MCCCXVII. III. Idus Decembris, captivati ſunt *Nycopie* Duces *Ericus* & *Waldemarus*, & ibidem fame & inedia affecti, vinculati moriuntur.

Immediate poſt, in menſe Februarii, ſub Anno Domini MCCCXVIII. preliatum fuit in *Karleby lange* cum BYRGERO Rege, ubi multi *Wesgoti* ceciderunt. In eſtate ſeqventi deſtructa ſunt caſtra *Stækeborch* & *Nycopungh*, & *Magnus* Domicellus, filius BIRGERI Regis, captivatur in *Stækaborch*, & *Johannes* dictus *Brunka*, Dapifer Regis BIRGERI, rotatur apud *Stokholm.* Inſuper BIRGERUS Rex, cum uxore & liberis, fugam peciit, & amplius Sweciam non intravit.

MCCCXIX. VIII. Idus Julii, MAGNUS, filius *Erici* Ducis, qvartum etatis annum agens, apud *Mora Engh*, juxta antiqvum modum Swecie, in Regem eſt electus. Et *Magnus* Domicellus, filius BYRGERI Regis, apud *Stokholm* decollatus.

MCCC trigeſimo primo, CHRISTOFERUS Rex Dacie per *Gerardum*, Comitem Holſacie, de Dacia turpiter eſt expulſus. Nam *Scaniam* & *Selandiam* Comes *Johannes* occupavit, *Juciam* totam ac alias partes Comes *Gerardus* poſſedit.

MCCCXXXII. Rex MAGNUS, de conſenſu Archiepiſcopi Lundenſis & Scanienſium, redemit *Scaniam* de Comite *Johanne* pro XXX. qvatuor millibus marcarum puri.

MCCCXXXV. in *Stokholm* coronatus eſt Rex MAGNUS, filius *Erici* Ducis, cum conſorte ſua BLANCHA, filia Comitis Nemurcenſis, a Domino *Petro* Archiepiſcopo Upſalenſi.

MCCCXXXIX. *Gerardus* Comes Holſacie a *Nicolao Ebboſſon* Jutone noctu interfectus eſt.

Nota, qvod circa Annum Domini MCCCXL. Rex MAGNUS Swecie cum magno exercitu *Ruſſiam* intravit, & caſtrum Rutenorum, qvod *Pekenſare* dicitur, cepit, & partem terre ſibi ſubjugavit. *Ruteni* vero anno ſeqventi caſtrum predictum obſederunt, & qvi in eo erant, a *Rutenis* trucidati ſunt. Tunc enim beata *Birgitta* Sweciam reliqvit, & ad Romam ivit. Poſt hec Rex MAGNUS qvendam nobilem, *Benedictum* nomine, ad inſtinctum Regine, contra voluntatem Conſiliariorum regni, *Ducem* fecit. Qvapropter nobiles regni maxime commoti, dictum Ducem, Rege ignorante, in *Scania* in *Rönaholm* occiderunt.

MCCCXLII. decollati fuerunt duo Proconſules, Dominus *Hermannus Swertingh* & Dominus *Johannes Moop*, & multi alii.

MCCCXLIV. Predicatores receperunt locum in *Stokholm.*

Eodem anno, in feſto ſancti Nicholai, Domicellus *Ericus*, patre vivente Domino MAGNO, in Regem Swecie eſt electus, & frater ſuus Domicellus *Haqvinus* factus eſt Rex Norwegie. Et poſtea diſſenſio magna facta eſt in regno Swecie.

MCCCL. fuit maxima peſtilencia per totum mundum, ſicut unqvam fuit ante annos LXXXta (t).

Circa Annum Domini MCCCLX. WALDEMARUS Rex Dacie, optenta victoria de Holſatis, ac tota Dacia pacificata, in Scania Regem MAGNUM qvandoqve minis, qvandoqve promisſionibus in tantum vexabat, qvod ei totam *Scaniam*, cum omnibus caſtris, Conſiliariis ſui regni minime reqviſitis, gratis tribuebat. Inſuper & ſibi annuit, ut etiam *Gotlandiam*, ſi eam capere poſſet, optineret. Jam enim ERICUS Rex, filius dicti MAGNI, obiit.

Anno

(t) *Brocmannus* ad marg. annotavit: *Ergo hæc ſcripta Anno* 1430.

Anno Domini MCCCLX. primo, idem WALDEMARUS veniens in *Gotlandiam* cum magno exercitu, ducens ſecum qvam plures Duces de Alemannia, in feſto ſancte Marie Magdalene, & in craſtino S. Jacobi cum bondonibus terre ante auſtralem portam civitatis pugnavit, & ex illis mille octingentos in bello occidit, & immediate *civitatem Wisbycenſem* cum placitatione optinuit. Demum in die S. Auguſtini recesſit, ducens ſecum maximum thezaurum auri & argenti, qvem de civitate & terra accepit.

Eodem anno civitates maritime ſe Regi WALDEMARO oppoſuerunt, & caſtrum *Hafnis* deſtruxerunt, & tunc Rex de civitatibus XII. liburnos cepit, & omnes, qvotqvot in eis erant, captivavit, & in Selandiam miſit, ubi ipſos labore & fame graviſſime afflixit. Et continuo ante *Helſingaborch*, qvod caſtrum tunc Theotunici circumvallaverant, inter Regem & civitates pax eſt reformata. Iſte WALDEMARUS a DAN primo Rege Danorum erat centeſimus duodecimus. Cui ſucceſſit OLAVUS Rex, filius HAQVINI Regis Norwegie, qvi parvo tempore vixit.

Anno Domini MCCCLX. primo (u), WALDEMARUS Rex Dacie cepit *Gotlandiam* & *Wisby*, ubi circa mille octingentos ruſticos in vigilia ſancti Jacobi in bello occidit, qvi accepto ſecum maximo teſauro de civitate & terra, cum ſuis ad propria eſt reverſus. Et anno ſeqventi incinerata eſt civitas, & turres *eccleſie beate virginis* cum campanis ab incendio perierunt.

Anno Domini MCCCLX. primo, capta *Gotlandia* & *Ölandia* per Regem WALDEMARUM, Nobiles Regni Swecie ſe Regi MAGNO oppoſuerunt, maxime ob hoc, qvod Rex HAQVINUS, filius ipſius, de conſenſu patris, contra promiſſum Conſiliariorum regni, Comitibus Holſacie factum, MARGARETAM, filiam Regis WALDEMARI duceret in uxorem. Qvapropter idem Rex HAQVINUS Conſiliarüs regni Swecie adherens, patrem ſuum in eccleſia parochiali *Calmarnie* in die S. Martini captivavit, & in caſtro poſuit, & in die Aſcenſionis Domini ipſum de dicta captivitate penitentia ductus liberavit. Rex igitur MAGNUS, poſt ſuam liberacionem de captivitate, concordans cum filio in omnibus, omnes nobiles regni, qvi in hoc concordabant, ut captivaretur, de regno expulit, ac ipſos exules fieri fecit, qvorum nomina ſunt hec: Dominus *Nicholaus* Epiſcopus Lyncopenſis, Dominus *Nicholaus Turæſon* Dapifer regni Swecie, *Boecius Jonſon*, qvi poſtea factus eſt Dapifer, Dominus *Karolus* de Tuphræ, Dominus *Karolus* de Vlfaſum, Dominus *Ericus Karlſon*, Dominus *Benedictus Philippeſon*, & qvam plures alii, qvi per Regem expulſi, ad *Gotlandiam* devenerunt, qve protunc *regno Dacie* erat ſubjecta, ibidemqve per hyemem manſerunt. Et abhinc immediate poſt paſca ſe ad *Wismariam* ad Dominum *Albertum* Ducem Magnopolenſem ſive de Mekelenborch transtulerunt. Habuit enim idem Dux ſororem Regis MAGNI, nomine *Euſemiam*, in uxorem, de qva genuit tres filios, videlicet *Albertum*, *Hinricum*, & *Magnum*. Hinricus duxit in uxorem filiam Regis WALDEMARI, cujus filia fuit nupta Duci Pomeranie, de qva fuit ERICUS Rex Dacie Swecie & Norwegie.

Item Anno Domini MCCCLXIII. idem Dux, aſſumpto ſecum filio ſuo ſeniori, Domicello *Alberto*, una cum militibus prenominatis, ad *Stokholm* cum exercitu venerunt, ac totam Sweciam ſibi ſubjugaverunt.

Anno ſeqventi Sweci *caſtrum Aboenſe* obſederunt, & tandem optinuerunt, ubi Dapifer regni Swecie Dominus *Nicholaus Stureſon* (v) a caſtrenſibus occulte occiſus

(u) Hæc alio loco narrant iidem Annales, qvæ tamen eadem ſunt, qvæ ſupra.

(v) Paulo ſupra *Turæſon*, qvod rectius. Erat ex familia veteri *Bielkiorum* oriundus.

ciſus eſt. Interim Rex MAGNUS in *Norwegia* exercitum collegit, & ad *Stokholm* ire propoſuit. Qvod qvidem milites predicti Ducis, *Sweci* ac *Stokholmenſes*, percipientes, cum exercitu contra ipſum verſus *Aroſiam* ire diſpoſuerunt. Sed Rege MAGNO cum ſuo exercitu de *Aroſia* egreſſo, ac multis de ſuis poſt tergum relictis, in *Aroſia* & circumqvaqve in diverſis locis, milites ſepedicti cum Domino Rege MAGNO, in die S. Lucii Pape & martiris, in qvodam prato penes *Gatu* prelium commiſerunt, ubi victoria ceſſit militibus Ducis. In qvo prelio Rex Magnus captus fuit cum ſuis, & ad *Stokholm* perductus, filio ſuo Domino HAQVINO Domicello vix euadente de prelio. Poſt hec Domicellus *Albertus*, filius Ducis Magnopolenſis, in Regem Swecie eligitur, & guerra magna in regno Swecie per Domicellum HAQVINUM, filium Regis MAGNI ac protunc Regem Norwegie, excitatur, qvi valida manu Sweciam intrans, *Osgociam* ac *Wesgociam*, bona eccleſiarum diripiens, nec clenodiis parcens, eccleſiis ab antiqvo elargitis, nec bonis nobilium, ſeu monaſteriorum, qvi pro liberacione patris toto conamine laborans, patrem *Stokholm* in vinculis fere ſeptem annis dimiſit. Et tandem cum placitatione callida ac ſagaci de dicta captivitate liberavit patrem, ducens ipſum ſecum ad *Norwegiam*, qvi paulo poſt in ſcopulis in una inſula prope *Bergenſem civitatem*, dicta *Lymgholm*, de navi ſua, qve pro tunc periclitabatur, incaute in aqvam exiliens, & per ſervitores ſuos extractus, & ad litus perductus, palpitando vitam finivit. Poſt hoc non diu Domicellus HAQVINUS ac Rex Norwegie *Osloye* defunctus eſt. Poſt hoc Domicellus OLAVUS, filius HAQVINI Regis in Regem Norwegie eligitur. Et Domina MARGARETA, Regina Norwegie, ac filia WALDEMARI Regis, regnum Dacie jure hereditario poſt mortem patris ſuſcepit gubernandum, licet pro tunc regnum Dacie multis guerris, tum a Duce *Henrico*, qvi ſororem habuit dicte MARGARETE Regine, qvam a nobilibus regni ſuit multipliciter afflictum. ALBERTUS igitur Rex Swecie *Scaniam* & *Hallandiam* ſibi ac regno Swecie ſubjugare deſiderans, qvam pluries eas invaſit, incendiis & ſpoliis devaſtando, eo qvod ad regnum Swecie olim pertinebant. Sed *Danis* ac *Scanienſibus* viriliter reſiſtentibus, in nullo profecit. Qvapropter a Dacis ac Noricis fere tota *Wesgocia* fuit vaſtata, ac *civitas Skarenſis* cum eccleſia cathedrali & *Junecopia* per incendium perierunt, & treuge fuerunt facte inter ALBERTUM & *Reginam*, licet pauco tempore durabant.

MCCCLXXV. fuit maxima *tempeſtas*, in nocte ſancti Martini, & in nocte ſancti Nicholai.

MCCCLXXVI. in die ſancti Donati martiris, inchoatum eſt edificium chori, & primum lapidem fundamenti Dominus *Nicholaus Hermanni*, bone memorie, Epiſcopus Lyncopenſis perſonaliter poſuit, & poſtea in XII. annis ſeqventibus idem chorus cum magno labore fuit conſumatus. Item locus, ſuper qvem chorus eſt edificatus, & circumjacens area, ubi qvondam erant duo balnea communia, conſtant conventui centum marcas argenti, *Gutenſis monete*, qve vendidit dicto conventui Dominus *Arnoldus Stoltevoet* junior, Proconſul Wisbycenſis, ob ſalutem anime ſue, licet patre invito & neſciente. Et hec acta ſunt Anno Domini MCCCLXXIIII. per fratrem *Albertum* Gardianum.

MCCCLXXXVI. obiit *Boëcius Jonſſon*, Dapifer regni Swecie, vir ſtrenuus in armis, & multum liberalis, qvi qvaſi totum regnum ac totam *Fynlandiam* ſub manu ſua tenebat, qvi circa *feſtum Aſſimptionis Marie* obiit, & *Waſtenis* ſepultus eſt. Poſt cujus mortem milites & optimates Swecie cum Rege ALBERTO discordare ceperunt, eo qvod idem Rex ab ipſis qvandam partem bonorum regalium,

qvam

qvam ipſi a multis retroactis temporibus, ac progenitores eorum tempore guerrarum ſibi uſurpaverant, juridice exigebat, qvod qvidem predicti nobiles regni indigne ferentes, contra Regem conſpirare ceperunt, allegando, qvod Rex patrimonia ipſorum vellet diripere, ac Theutonicis ſuis elargiri. Inſuper voluerunt, qvod Rex nullo modo aliqvod caſtrum vel beneficium in regno qvibuscunqve perſonis extraneis committeret ſeu conferret, ſed tantum Swecis in regno Swecie natis. In qvo Rex in nullo acqvievit ſeu conſenſit. Videntes igitur Sveui, qvod Regem non potuerunt ad ipſorum voluntatem inclinare, ab ipſo receſſerunt, & ad Dominam MARGARETAM, Reginam Dacie & Norwegie, cujus maritum HAQVINUM olim de Svecia expulerunt, ſe diverterunt, ut & ipſam Sweciam cum adjutorio Sveuorum de manu dicti Regis eriperet, ac eam poſſideret. Ipſa vero, miſſo exercitu ad Sveciam, qvamplura caſtra obſedi fecit. Rex ALBERTUS exercitum collegit, & in *Wesgociam* venit, & in *die ſancti Mathie* apoſtoli cum Dacis, Svecis, & Noricis, bellum iniit, & victus cum ſuis ac captus, cum filio ſuo *Erico*, & *Alberto* Comite Holſacie, & *Guntero* Comite de Reppyn, & ductus cum ipſis ad *Reginam* verſus *Lodoſiam*, per ipſam ad *Selandiam* & in *Helſingaborch* in captivitatem ſunt transmiſſi Anno Domini MCCCLXXXIX. Poſt hec maxima guerra ſuborta eſt in terris & in mari per conſangvineos ac ſervitores Regis ALBERTI, & per civitates, ſcil. *Roſtok*, *Wismariam*, & *Stokholm*, qve Daciam, Sveciam ac Norwegiam igne & ferro hoſtiliter devaſtabant. Nam pro tunc qvam plures mercatores *Bergis* fuerunt in prelio ibidem interfecti, & civitas, eccleſie, ac monaſteria depredata. In Svecia deſpoliata *Nicopia*, *Aroſia* combuſta. Item in Dacia *Swinaborch*, *Malmö*, *Helſingaborch*. Item *Wisby* fuit capta a Stokholmenſibus & ſervitoribus Regis ALBERTI Anno Domini MCCCXCIV.

MCCCLXXXVII. obiit Rex OLAVUS Dacie, filius MARGARETE Regine.

MCCCXC. primo, in craſtino ſancti Aniceti martyris, Dominus *Wernerus Grodervelt* fuit decollatus in foro, Proconſul civitatis Wisbycenſis, & ſepultus eſt apud beatam virginem.

Item Anno Domini MCCCXC. primo, fuit Capitulum provinciale *Kunegeldis*, in die S. Olavi. Et conſecratum fuit ſummum altare in choro (x) per venerabilem patrem Dominum *Henricum* Archiepiſcopum Upſalenſem in die dedicationis eccleſie.

MCCCXCIV. optinuerunt Theotonici *Wisby*.

MCCCXCV. liberatus eſt Rex ALBERTUS, & hoc ante feſtum ſancti Michaelis, de captivitate, cum filio ſuo Domicello *Erico*, qvi in Dacia in diverſis caſtris a Regina in captivitate fere ſeptem annis fuerunt detenti, cum multis de ſuis, qvi per placitacionem civitatum maritimarum evaſerunt, ſic qvod infra tres annos *Regine* darent pro ſua liberacione *ſexaginta mille marcas puri argenti*. Pro qva qvidem pecunia Regine fuit aſſignata *civitas Stokholmenſis* cum *caſtro*, & extunc ipſa optinuit totum regnum Svecie. Et capitulum provinciale fuit *Upſalie*.

MCCCXCVII. fuit Capitulum provinciale *Skaris*. Et feria qvinta poſt Marie Magdalene Dux *Ericus*, filius ALBERTI, obiit in *Gutlandia* in *Clyntæ* in caſtro ſuo, qvod edificavit, dicto *Landeskronæ*, & ſepultus *Wisby* apud beatam virginem. Et eodem anno Rex ERICUS, filius Ducis Pomeranie, *Kalmarnie* a Domino *Hinrico* Archiepiſcopo Vpſalenſi, die Trinitatis, coronatur ſuper tria regna.

Item

(x) Scil. in templo Fratrum Minorum in Wisby.

Item nota, qvod Anno Domini MCCCXCVII. Dux *Ericus*, filius ALBERTI Regis, feria ſecunda poſt Pentecoſten, armata manu abstulit duas turres de civitate, & tamen in morte eas civibus reſtitui, ſuis mandavit, qvod & factum fuit. Similiter easdem turres, ſcilicet, *Zeletorn* & aliam, Dux *Johannes* & *Sweno Sture* armata manu, feria qvarta, in profeſto ſancti Benedicti, receperunt, & hoc Anno Domini MCCCXCVIII.

MCCCXCVIII. in feſto ſancti Benedicti abbatis, venerunt *Domini de Prucya* ad *Gotlandiam* cum exercitu magno, & optinuerunt a Duce *Johanne* & ſervitoribus Regis ALBERTI cum placitacione civitatem & terram.

MCCCXC. nonageſimo octavo, in feſto Paſche, optinuerunt Domini de Prucya *Wisby* & *Gutlandiam* a Rege ALBERTO cum exercitu magno.

MCCCXCIX. fuit Capitulum provinciale *Ripis* celebratum per fratrem *Ankarum Chriſtierni*. Et facta eſt maxima *tempeſtas* in mari, ita qvod in occeano mari ultra CC. naves perierunt, in die S. Lucie virginis.

MCCCCIII. fuit Capitulum *Sudercopie*. Et completum eſt edificium refectorii eſtivalis, de procuracione fratrum Conventus. In craſtino ſancti Martini, ceperunt Dani & Sweci *Gutlandiam*, & civitatem a feſto converſionis S. Pauli usqve ad Cathedram S. Petri fortiter obſederunt, ſed civibus prevalentibus, & *Dominis de Prucia* eis in adjutorium cum maximo exercitu circiter qvindecim millium armatorum ſupervenientibus, dictos *Dacos* & *Sweuos*, deſtructis omnibus caſtris eorum, amiſſis armis & eqvis, de *Gutlandia* effugabant, & poſt hec pax inter *Reginam* & Dominos eſt reformata.

MCCCCIV. fuit maxima *tempeſtas* in die ſancti Galli abbatis, & multe naves de diverſis partibus ſub *Prucya* periclitate ſunt.

Item Anno Domini MCCCCIV. fuit Capitulum provinciale *Flensburgis*. Et facta ſunt organa nova per fratrem *Johannem Rigenſem* pro eccleſia noſtra.

MCCCCV. in die ſancti Auguſtini, & decollationis ſancti Johannis, fuit maxima *tempeſtas* de vento dicto vulgariter *Sudweſt*, & multi ſunt ſubmerſi, & ſimiliter in die ſancti Clementis, & Cecilie, & in vigilia nativitatis Chriſti, fuit conſimilis *tempeſtas*.

Anno Domini *Milleſimo qvadringenteſimo qvinto*, fuerunt miſſi ad *Lyvoniam*, pro elemoſina petenda, fratres *Hermannus Skoningh* & *Bernardus Stake*.

Iſti ſunt recommendandi: Magiſter Lyvonie Dominus *Conradus de Vittingehoue*, Dominus *Henricus Wytte* advocatus de Soneborch, Dominus *Johannes Waldenrader* Archiepiſcopus Rigenſis, Dominus *Wynricus* Epiſcopus Oſilienſis, Dominus *Adulfus* Commendator in Ouerpalen. *Gerardus Söye*, *Tyle Aſſerye*, *Gerardus Tuue* cum conſorte *Mechtolde*, *Tydericus Sorſſeven*, conſors *Elizabeth*, *Wilhelmus Aſſerye*, conſors *Margareta*, *Waldemarus Porſe*, conſors *Gertrudis*, *Henricus Tuue*, conſors *Yde*, *Henekinus Aytis* cum *Lubboldo*, *Otto Wodrus*, conſors *Margareta*, *Johannes Loede*, conſors *Elizabeth*, *Otto Tuve*, conſors *Helena*, *Johannes Tuue*, conſors *Magdalena*, *Sander Mykſæ*, *conſors Anneke*, *Bertoldus Waſſchel*, *Waldemarus Wrangel*, conſors *Helewy*, *Bertoldus Wrangel*, conſors *Elizabeth*, *Hemekinus Wrangel* de Ögel, *Waldemarus Tuve*, conſors *Gertrudis*, *Tydekinus Wekebrod*, conſors *Margareta*, *Hermannus Soye*, conſors *Eliſabeth*, *Rutgerus Bremer*, conſors *Ermegart*, *Nicolaus de Treyden*, conſors *Gertrudis*, *Bertram de Treyden*, conſors *Albeydis*, *Hermannus Rysbyter*, conſors *Mechtildis*, *Henekinus Wyrkes*, conſors *Eliſabeth*, *Otto Brakel*, conſors *Margareta*, *Otto Soye*, conſors *Amä*,

Anna, cum *Eliſabeth* matre, *Herbordus Donchof*, conſors *Anna*, *Engelbertus Wekebrod*, conſors *Alleneke*, *Hermannus Lytel*, conſors *Katerina*, *Henricus Hane*, conſors *Jutta*, *Eylardus Boltman*, conſors *Eliſabeth*, *Bertoldus Tetdorre*, conſors *Margareta*, *Fikko Wrangel*, conſors *Margareta*, *Röle Jackewalde*, conſors *Elena*, *Nicholaus de Berge*, conſors *Eliſabeth*, Dominus *Otto* miles, conſors *Katerina*, Dominus *Johannes de Lechtis* miles, cum conſorte Domina *Margareta*, Dominus *Jacobus Dickn* miles, cum conſorte *Elena*, Dominus *Henricus Rebuk* miles, cum conſorte *Ragnild*, Dominus *Goſwinus Rysbiter* canonicus Reualienſis. Iſti omnes morantur in *Eſtonia*.

MCCCCVIII. fuit maxima *hyems*, ita qvod mare fuit congelatum inter *Gutlandiam* & *Ölandiam*, inter *Roſtok* & *Ghetesör*, & multi delphines fuerunt capti ante *Wisby*, & multa pecora ac beſtie tunc fame & frigore perierunt. In feſto ſancti Michaelis, rehabuerunt *Daci Gotlandiam* a *Dominis Prucie* pro IX. millibus nobilianorum aureorum. Et tunc Stalla & chorus ligneus fuit completus.

Anno Domini MCD. nono (y), obiit frater *Hermannus Saſſe*, qvondam Curatus ad ſanctum Laurentium, de Brandenborch ortus, qvi reliqvit tria volumina ſermonum in papiro videlicet *Oſſencop*, promptuarium *Herman Saſſe*, item Coſwicum (z) de Sanctis in pergameno, item Dictam ſalutis, Poſtillam ſuper Ewangelia, Summulam Juris, Ovidium moralizatum, Breviarium cum duabus parvis miſſalibus. Item dedit ad Sacriſtiam, pro vino & oblatis, XX. marcas argenti. Item dedit ad veſtes meliores X. marcas argenti. Item ad veſtes miſſales XXX. marcas argenti. Item ad veſtes Sacriſtie XXIV. marcas argenti dedit, & ad veſtes meliores X. marcas argenti. Item comparavit duo ſuperpellicia pro I. marca argenti. Item ad tectum dormitorii auſtralis dedit X. marcas argenti.

MCCCC. decimo, decollatus fuit Dominus *Abraham Brodherſon* miles ſtrenuus per Regem ERICUM, pro forefactis ſuis, in *Sunder Jucia* ante caſtrum *Sunderborgh*, qvi pluribus annis fuit Advocatus *Hallandie*, *Wærendie*, ac plurium terrarum, & multa geſſit.

MCCCCX. in vigilia diviſionis apoſtolorum, fuit in *Prucia* crudeliter preliatum per *Dominos Prucie* contra WLADIZLAUM Regem Polonie, WITHOLDUM Regem Litſanie, Imperatorem ſeu *Ceſarem Tartarorum*, ac contra *Rutenos*, *Sametas*, & *Walochos*, qvi habuerunt in exercitu ipſorum ultra qvadringentena millia bellatorum, qvi optenta victoria de *Prutenis* ac Magiſtro ipſorum, Marſcalco, & aliis ultra ſexcentis cruciferis, cum aliis ſecularibus, circa XX. millibus virorum occiſorum, ſtatim poſt VIII. dierum ſpacium obſederunt famoſiſſimum caſtrum *Marienborch*, & alia caſtra per prodiciones hovalium & civium eo tempore optinuerunt, ut *Melvingh*, *Thorun*, *Kerſeborch*, *Reeden*, *Strateborch*, & plura alia. Sed tandem, Marſkalco de Lyvonia cum ſuo exercitu *Polonis* in adjutorium ſuperveniente, predicti *Poloni* cum ſuis paganis terram *Prucye* deſeruerunt, & ad propria redierunt, cum maximis ſpoliis & captivis. Tandem pax reformata &c.

MCCCC. undecimo, die ſancti Olavi, ERICUS Rex Dacie, Swecie & Norwegie, veniens perſonaliter ad *civitatem Wisbycenſem* cum exercitu magno, *turres* prenominatas (a) optinuit, & *Caſtrum* in die S. Petri ad vincula edificare cepit.

(y) Hæc habentur in Schedula ſeparata.

(z) Alii legunt *Codicem*. Vid. *Pontopp.* Annales T. II. p. 508. ubi & plures lectiones diſcrepantes.

(a) Vid. ſupra ad An. 1397.

MCCCC. duodecimo, obiit ALBERTUS Rex Swecie, in Cena Domini, & ſepultus in monaſterio *Doberaan.* Et facta eſt maxima guerra inter Reginam Dacie & Holſatos, & capta eſt *civitas Flensburgenſis* ab Holſatis, & de clauſtro fuit caſtrum edificatum, & in magna parte a Danis deſtructum.

Anno Domini M. qvadringenteſimo duodecimo, Dominica ante Michaelis, ſcilicet VII. Kal. Octobris, conſecrata fuit denuo Eccleſia cum novo choro per venerabilem patrem Dominum *Albertum* Epiſcopum Schopienſem ac vicarium in ſpiritualibus venerabilis in Chriſto patris Domini *Johannis* Archiepiſcopi Rigenſis, & hoc de conſenſu & beneplacito venerabilis patris Domini *Kanuti* Dei gracia Epiſcopi Lyncopenſis, ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, beate Katerine virginis, beate Marie Magdalene, & beati Franciſci confeſſoris, beati Anthonii, beati Ludowici epiſcopi & confeſſoris, & ſancte Clare virginis. Cujus *Dedicationis dies* annua celebrabitur dominica proxima ante Marie Magdalene, immediate poſt Dedicacionem Fratrum Predicatorum. Patrini autem eccleſie predicte, in die conſecracionis ejusdem, fuerunt perſone infraſcripte, ſcilicet: Proconſules (b), Dominus *Conradus de Monte*, cum conſorte Domina *Mechtilda Vootes*, Dominus *Johannes Lippus*, cum Domina *Gerdele Danielis* vidua, Dominus *Nicholaus Oſenbrugge*, cum conſorte Domina *Elizabeth.* Conſules (c), Dominus *Hermannus Mundtepenningh*, cum conſorte Domina *Hezeke*, Dominus *Heyno de Aken*, cum conſorte Domina *Elizabeth*, Dominus *Gotſchalcus Crowel*, cum conſorte Domina *Elizabeth*, Dominus *Hermannus Müinter*, cum conſorte Domina *Aghata*, Dominus *Johannes Duzeborch*, cum conſorte Domina *Chriſtina*, Dominus *Conradus Ekeman* cum coſorte, *Rutcherus Middeldorp*, cum conſorte, *Wernekinus de Brinke*, cum matre, *Johannes de Brinke*, cum conſorte, *Marquardus Steen* Advocatus caſtri, cum conſorte ſua *Katerina.* Et ſunt XIII. Nota, qvod eodem tempore recondite ſunt *Reliqvie* de ſancta *Maria Magdalena* in Summo Altari per Dominum Epiſcopum prenominatum.

Anno Domini MCCCCXII. ante feſtum omnium Sanctorum, Criſanti & Darie (d), obiit Domina MARGARETA Regina, filia WALDEMARI Regis Dacie, qve multis annis rexit tria regna, videlicet *Daciam*, *Sweciam* & *Norwegiam*, qve obiit *Flensborgis* in navi, facta pace cum Holſatis & Theutonicis. Et ſepulta eſt in *Selandia* in choro ſumme eccleſie *civitatis Roſkyldenſis*, in tumba eburnea, ut videtur. Poſt cujus mortem Dominus ERICUS Rex, filius *Wladizlai* Ducis Pomeranie, ſuſcepit gubernacula trium regnorum predictorum.

Anno Domini M. qvadringenteſimo tercio decimo, circa feſtum ſancti Antonii confeſſoris, incepta fuit miſſa animarum cantanda pro *Convivio Sancte Katerine in Bredæſethr terre Ölandie*, & hoc ſingulis ſecundis feriis (e) in perpetuum, pro qva IV. marcas argenti conventus ſingulis annis habebit. In die Diviſionis apoſtolorum, Eccleſia noſtra fuit completa in teſtudinali opere, ſcilicet in profeſto Dedicationis noſtre Anno Domini MCCCCXIII. opus eſt completum.

Anno Domini MCDXIX. conſtructa eſt nova domus a parte orientali conventus.

Karisſimi patres & fratres (f), regracior vobis omnibus, qvod tempore, qvo vobiscum fueram, bene me tractaſtis. Et ſi aliqvem veſtrum offendi verbo vel facto, dico homiliter culpam meam, rogans, ut me ad profeſſionem regule veſtre ſancte dignemini colligere propter Deum.

MCDXXXIV.

(b) ɔ: Borgemeſtere.
(c) ɔ: Raadmænd.
(d) ɔ: Die 25. Octobris, ſ, die S. Chryſanthis & S. Darie virginis.
(e) ɔ: Singulis diebus lunæ, alle Mandage.
(f) Sine dubio loqvitur hic *Auctor alicujus partis horum Annalium.*

MCDXXXIV. obiit frater *Johannes Nicolai*, in die Sancti Henrici, Sacerdos & bonus Scriptor. Eodem anno obiit frater *Matheus Hönthr* Sacerdos & bonus Predicator.

MCDXXXVI. obiit frater *Nicolaus Stenbrink*, in die sanctorum martirum Sixti, Felicisſimi, & Agapiti.

MCDXXXVII. obiit frater *Jacobus Brill*, feria sexta ante festum Thome, qvondam Sacrista.

MCDXXXVII. feria qvarta majoris ebdomade, obiit frater *Laurencius Jacobi* Terminarius.

MCDXXXVII. die Sancti Botulphi, obiit reverendus pater, frater *Abraam*, qvondam Gardianus Sudherkopensis, qvi optimam elemosinam contulit *Conventui Wisbycensi.*

MCDXXXVII. obiit nobilis vir, Dominus *Trwdh Hase*, miles, & Capitaneus tocius *Gotlandie*, qvi maximam partem castri *Wesborg* fecit edificare. Hic legavit Conventui eqvum, cum omnibus armis sibi personaliter attinentibus, & dedit Conventui C. marcas argenti pro anima sua & animabus omnium parentum & amicorum suorum, qvi etiam in vita fuit Conventui multum favorabilis, pro qvibus sit anima sua recommendata omnipotentis Dei misericordie & favori.

MCDXXXVIII. Sabbato in Octavis Corporis Christi, obiit frater *Gregorius Turgilli* Organista.

MCDXXXIX. obiit frater *Johannes Conradi* Suderkopensis Dyaconus, circa festum omnium Sanctorum.

MCDXLI. in festo exaltationis sancte Crucis, fuit coronatus CRISTOPHORUS in Regem Swecie.

MCDXLII. in vigilia S. Andree, obiit notabilis vir *Laurencius Kreyenscoth*, qvi dedit Conventui pro edificiis II. marcas argenti in testamento, & cuilibet Sacerdoti tunc conventuali unum florenum, & cuilibet juveni dimidium florenum.

MCDXLII. in die beati Stephani prothomartiris, obiit Dominus *Hermannus Funth*, Proconsul Wiisbicensis.

MCDXLII. reparata & edificata fuit *nova libraria* (g). Et seqventi anno major pars librorum fuerunt cathenate de elemosina fratrum, & pars de elemosina post Dominum *Henricum Ribbenes.*

MCDXLIII. ambitus fuit reformatus, & seqventibus duobus annis cum fenestris vitreis competenter ornatus.

MCDXLIII. feria secunda post Dominicam Judica, hora qvasi XII. obiit frater *Petrus Öninghe* vel dictus *Suartæ.*

MCDXLIII. Dominica Palmarum, inter horam secundam & tertiam ante meridiem, obiit frater *Thidekimus* dictus *Bezsteskredher*, qvi reliqvit post se reliqviarium unum, crateram argenteam, coclear argenteum, missale unum, diurnale, X. florenos, XII. marchas argenti, & plura utensilia, videlicet, amphoras, peluim &c. & sepultus est juxta *altare sancti Andree*, cujus anima in pace reqviescat. Aureus numerus XIX. litera dominicali.

MCDXL. qvarto, obiit notabilis vir & promotor Conventus, Dominus *Henricus van der Lippe*, Proconsul Wiisbicensis, sabbato ante festum Botolphi, cujus anima in perpetua pace reqviescat.

MCDLXXIX.

(g) *Bibliotheca* scilicet Monasterii Fratrum Minorum Wisbyensis.

MCDLXXIX. obiit venerandus pater, frater *Swerkerus*, Lector Wisbicenſis, & qvondam Gardianus Lyncopenſis, cujus anima in pace qvieſcat.

Anno Domini 1524. a feſto Erici Regis usqve Michaelis obſeſſa fuit *civitas Wisbycenſis* per *Sweuos*, tamen non capta, & hoc mediantibus *Danis*, illis tamen ad maximum dampnum. Qvia anno ſeqventi Capitaneus Gotlandie, videlicet Dominus *Severinus* dictus *Norby* miles intravit *Scaniam* & *Blekingiam*, volens ſibi ſubjugare totam *Daciam* ex parte CRISTIERNI qvondam Regis ibidem expulſi. Sed reſiſtentibus ſibi Danis cum Holſatis, victus & captus manſit cum ſuis, & naves ejus combuſte fuerunt per Lubicenſes, qvia civitatibus ſtagnalibus per aliqvos annos maxima dampna per ſuam piraciam fecit.

Anno Domini 1525. ſabbato ante Dominicam Cantate, capta fuit *civitas Wysbicenſis* per Lubicenſes, & totaliter deſpoliata, abſente predicto milite & Capitaneo D. S. (h), nam erat in Scania.

Nota, qvod multi, tam nobiles, qvam alii, fuerunt interempti ex utraqve parte, vid. licet non una via, tamen diſperſim, veritate me conſtante, qvi *tunc temporis eram Curatus ad S. Joannem* & confrater *majoris convivii* (i).

(h) ɔ: *Dominus Severinus Norby.*

(i) Hic habes unum & forte poſtremum ex iis Auctoribus, qvi aliqvid huic Codici Annalium Wisbyenſium adſcripſit.

XX.

Chronologia Rerum Danicarum Secunda,

Auctore

Cornelio Hamsfortio Cimbro

Ab Anno Chriſti DCLXXXVII. ad Annum MCCCCXLVIII.

Ex Codice Mscr. Bibliothecæ Regiæ Hafn. ſignato E 32.

De hac *Chronologia Hamsfortiana*, qvam Auctori *ſecundam* appellare placuit, reſpectu forte *Seriei* illius *Regum* huic operi ſuperius ſub Num. X. inſertæ, eadem præfari licet, qvæ ibi dicta ſunt, qvo etiam lectorem remitto. Hanc una cum illa, ex Ms. Donat. Delagard. Bibl. Acad. Upſal. cura Amicorum ſupra laudatorum obtinui, ex apographo forte *Stephanii* exſcriptam. *Stephanius* autem ſuum exemplar ex Codice Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis olim transſcripſit. Id tantum hic monere habeo, Auctorem in primis lineis fere in eo eſſe, ut lectori, *Lyſcandrum* teſtando, nauſeam moveret, niſi mox, antiqvos & meliores fontes adeundo, fidem ſuam egregie tueretur, optimos enim & nulla non fide dignisſimos, ubiqve citatos, fontes uſurpavit, ut ſunt, *Diplomata Loci Dei*, *Diplomata Ringſtadenſia*, *Literæ Canutinæ*, *Diarium Minorum*, *Ephemerides Roſkildenſes*, *Schediasmata* varia, *Membrana Naſcovii*, & aliæ *membranæ veteres*, *Annales* usqve ad An. 1314. ipſi a *M. Johanne Langio* communicati, *Nicolai Bruu* Epiſcopi Sleſv. *Annotata*, *Annales Sveonum*, *Annales Holſatici*, *Annales Friſiæ*, *Annales Slesvicenſes*, *Annales Slavorum*, ne dicam de *Saxone*, *Arnoldo*, aliisqve editis & autenticis Scriptoribus. *Annalibus* etiam *Eiderſtadenſibus* uſus eſt, qvi tamen, ipſe inqvit, ita ſunt conſcripti, ut illis parum fidei tribuat. Ex omnibus iſtis adminiculis,

miniculis, qvorum magna pars dudum penitus interiit, non potuit non permulta particularia, alibiqve non obvia, nobis conservasse. Hinc est, qvod in ecclesiasticis & rebus monasteriorum enarrandis copiosior aliis sit. Hinc etiam factum est, ut in *Hamsfortio* nostro inter Annalistas vetustate commendabiles collocando nullus hæsitaverim. Dolendum tamen est, librariorum forte culpa aliqvot, præcipue in nominibus hominum & locorum, falsas lectiones irrepsisse, qvarum alias, ut potui, emendavi, alias emendare non ausus.

Anno Domini DCLXXXVII. BIORNO Rex Danorum LXX. novæ regiæ familiæ conditor & auctor, regnat annos 24. aliis, ut *Lyscandro*, XI.

Anno Domini DCCXI. HARALDUS IV. Biornonis filius, Rex LXXI. regnat annos XXVII. *Lyscandro* XXIII.

Anno Domini DCCXXXVIII. GORMO I. Rex LXXII. Haraldi Filius, Biornonis Nepos, regnat annos XXXIII. Hic a *Sylvestri Giraldo* Cambrensi *Gurmundus*, & ipsius legatus rerum bellicarum *Torchillus Turkesius* appellari videtur. Hinc facile colligi potest, *Gormonem* in Britannia & Hybernia Duce *Torchillo* bella gessisse & utriusqve insulæ gentes armis domuisse. Fuit enim *Gormo* rerum obscurarum solertissimus indagator, ad qvas inveniendas uti mirabiles usus est *Torchillo Athelfarero*, indagatore novarum rerum callidissimo.

Anno Domini DCCLXXI. SIGERICUS, qvi & *Sigefridus* & *Haraldus* appellari videtur, ac GOTORICUS, qvi *Godfridus* dicitur, cognomento *Largus*, frater, *Gormonis* filii, *Haraldi* nepotes, Reges Danorum LXXIII. & LXXIV. Regnat hic annos XL. aliis XLI. An. DCCLXXI. *Gotoricus* bellum facit Saxonibus. Anno Domini DCCLXXVI. *Videkindus*, Saxonum Rex, bellum gerens cum *Carolo Magno* Cesare, ad *Sigericum* Sororium suum in *Daniam* confugit.

Anno Domini DCCLXXVII. *Dani* Saxonibus auxilium denegant publicis comitiis.

Anno Domini DCCLXXXII. *Dani* Oratores suos & Legatos, *Asmundum* & *Blonem*, ad Cesarem mittunt. Exules in Daniam veniunt, *Aribo Vnellionis* filius, *Beringarius Balestadiani*, *Vidichindus* Rex, & *Abbo*, Regulus Saxoniæ Transalbinæ, *Edelhardi* filius.

Anno Domini DCCLXXXIV. hi, acceptis auxiliis Danicis, bellum renovant Saxonicum in *Carolum Magnum.*

Anno Domini DCCLXXXXI. defuncto *Sigerico*, Danorum Rege, regnum ejus iniit HEMMINGUS illius filius. Nam huic in Annalibus qvibusdam ascribuntur anni XXII. & hic *Hemmingus* regnat cum patruo cum minore potestate in qvibusdam Danorum provinciis. Hic etiam cum fratribus conspirasse in *Gotoricum*, ejus vitæ insidiantibus, traditur.

Anno Domini DCCCI. GOTORICUS, potentissimus Danorum Rex, hortatur Saxones, ut Francis rebellionem faciant, promittens suppetias.

Anno Domini DCCCIV. Fœdus Danus cum *Carolo Magno* icit.

Anno Domini DCCCVIII. *Longus murus* in Istmo Cimbrico condi cœpit. *Gotoricus* bello lacessit *Carolum Magnum.*

Anno Domini DCCCIX. de pace actum in finibus, *Carolo* Cæsare *Holingstadii*, *Gotrico Slieuic:* commorantibus.

Anno Domini DCCCX. *Gotricus Frisios* oppugnat, & suorum fraude occiditur. Cui OLAUS III. filius succedit, Rex Danorum LXXV. Regnat paucis mensibus. Huic substituitur

Anno Domini DCCXI. HEMMINGUS Sigerici filius, Rex Danorum LXXVI. Regnat annos II.

Anno Domini DCCCXII. moritur *Hemmingus.* Huic ſuccedunt

Anno Domini DCCCXIII. SIVARDUS II, *Annulus* cognomento, a Schaniis & Selandiis, & RINGO Olai filius a Cimbris, deſignati Reges Danorum LXXVII. & LXXVIII. Regnant annos V.

Anno Domini DCCCXV. bellum inteſtinum in Dania. REGNERUS conſors imperii fit cum patre abſente. HARALDUS CLACHUS fugatus e Dania.

Anno Domini DCCCXVII. *Ringo & Sivardus*, bellum ſociale & inteſtinum gerentes, occumbunt mutuis vulneribus. *Haraldus Clachus* Ringoni, *Regnerus Lothbroga* patri Sivardo ſubſtituuntur Reges LXXIX, XXC. Hic regnat annos XXXVII. aliis XL.

Anno Domini DCCCIX. *Haraldus Clachus* regno pulſus, a Saxonibus reſtituitur, & regnat annis XXXII.

Anno Domini DCCCXXVI. perſecutio Regneriana contra Novitios Chriſtianos.

Anno Domini DCCCXLV. Dani diverſis ſtudiis ſecuti partes *Haraldi Clachi*, gliſcente bello civili, ERICUM RODE, Haraldi fratrem, & SIVARDUM reges creant & collegas Haraldi. *Ericus* ab eo tempore regnat annos XIV.

Anno Domini DCCCLIV. *Regnerus* occiditur ab Hella.

Anno Domini DCCCLV. SIVARDUS III. & IVARUS Regneri filii, Reges Danorum XXCI. & XXCII. Regnat ille annos III.

Anno Domini DCCCLVII. moritur *Sivardus* Rex. Succedit ERICUS I. Haraldi Clachi frater, Rex Danorum XXCIII. cognomento *Rode*. Regnat annum unum, ſolus oppreſſus bello ab *Erici II.* tutore *Guthormo*, Haraldi Clachi filio.

Anno Domini DCCCLIX. ERICUS II. *puer*, Sivardi filius, Rex Danorum XXCIV. Regnat annos XIV. Hoc anno regnare incipit *Olaus* (crediderim *Tretelia*m fuiſſe Regem Sveonum) & cum filiis *Eningmupo* & *Giurdone* partem Daniæ occupat, defendens *Canutum Lotnam.* Erat *Canutus Lotna* Erici Rode filius, æmulus *Erici* Regis II.

Perſecutio II. Ericiana biennio duravit.

Anno Domini DCCCLXIII. mortuo *Olao*, filii *Giurdo* & *Eningmupus Canuti* defenſionem & tutelam ſuſcipiunt.

Anno Domini DCCCLXXXII. moritur ERICUS II. *puer.* Succedit CANUTUS I. *Lotna* dictus, Erici Rode vel Clachi filius, Rex Danorum XXCV. regnat annos XI.

Giurdo, cum annos X. in parte Daniæ regnaſſet, necatur. *Eningmupo* fratre ſuperſtite, & tutore *Canuti Lotnæ* Regis.

Anno Domini DCCCLXXXIII. *Canutus* Rex moritur. Succedentibus FROTHONE VI. & SVENONE fratribus, Regibus Danorum XXCVI. & XXCVII. *Frotho* regnat annos 2.

Anno Domini DCCCLXXXV. *Frotho VI.* moritur: cui ſuccedit filius GORMO II. *Anglicus* cognomento dictus, Rex Danorum XXCIIX. Regnat cum *Svenone* patruo annos VI. aliis IV. ut in *veteri* qvadam *membrana.*

Anno Domini DCCCLXXXXI. *Gormo* Rex in Angliam proficiſcitur, & regnum committit fratri *Haraldo.*

Anno Domini DCCCLXXXXII. HARALDUS V. Frothonis VI. filius, Rex Danorum XXCIX. Regnat annos circiter octo. *Gormo* apud Northumbros regnat annos XII. in Anglia, abdicato Regno Danico.

Anno

Anno Domini DCCCLXXXXIV. moritur *Gormo.* Regnum Danicum obtinet ſolus HARALDUS annos V.

Anno Domini DCCCLXXXXIX. moritur *Haraldus*, qvem ſeqvitur GORMO III. filius. Regnat crudeliter annos fere XXXI. Rex Danorum XC.

Anno Domini DCCCLXXXXX. perſecutio III. Gormoniana, qva ædes Sacræ *Slieuici* dirutæ.

Anno Domini DCCCCXIV. moritur *Gormo* Danus in Anglia, ſuccedente filio *Siderico*, qvi ducta *Edditta*, *Tyræ* ſorore, genuit *Olaum* & *Gotoricum.*

Anno Domini DCCCCXXXI. *Gormone* mortuo, Haraldi filio, Rege XC. Danorum, ſuccedit & regnum iniit HARALDUS VI. BLATAN, Gormonis III. filius. Rex Daniæ, Angliæ & Norvegiæ XCI. Regnat annos L.

Anno Domini DCCCCLXXX. *Haraldus Blatan* inſidiis *Tuconis Trillæ* telo trajicitur Kl. Novembr. Corpus *Roſchildiam* delatum, in æde Trinitatis, qvam ipſe nuper condiderat, ſepelitur.

Anno Domini DCCCCLXXXI. SVENO II. *Biſurcalis barbæ* regnum init. Haraldi filius, Rex Danorum XCII. Regnat ſecundum qvosdam annos XXIII. ſed rectius XXIV. Perſecutio IV. Svenoniana.

Anno Domini cIↃXII. *Sveno Biſurcalis barbæ* tota Anglia potitur.

Anno Domini cIↃXIII. *Sveno* Rex Danorum, Angliæ & Norvegiæ moritur, qvi & alio nomine *Sven Otto* dicitur. Alii habent annum cIↃXIV.

Anno Domini cIↃXIV. CANUTUS MAGNUS II. hoc nomine, cognomento *Lambertus*, Rex Daciæ, Angliæ, Norvegiæ & totius ſeptentrionis potentiſſimus, regnum (Sven Ottonis filius) iniit. Regnat annos XXIII. aliis XXIV.

Anno Domini cIↃXV. *Canutus* Anglos bello vexat & eorum Regem *Ethelredum.*

Anno Domini cIↃXVII. necato *Edmundo*, Ethelredi filio, totam Angliam occupat & regno Danico ſubjicit.

Anno Domini cIↃXXX. *Sodales Benedictini* in Daniam opera *Canuti* introducuntur.

Anno Domini cIↃXXXVI. moritur *Canutus Magnus* Rex Danorum. Succedente *Canuto Duro.*

Anno Domini cIↃXXXVII. CANUTUS III. DURUS, Canuti Magni filius, Rex XCIV. iniit regnum, *Magno Bono* Norweciam, *Haraldo Harefota* Angliam occupantibus. Regnat annos VI.

Anno Domini cIcXL. *Canutus*, poſt exceſſum Haraldi fratris conſangvinei, potitur regno Anglico biennium.

Anno Domini cIↃXLII. moritur *Canutus Durus*, cui ex pacto ſubſtituitur

Anno Domini cIↃXLIII. MAGNUS, Divi Olai filius, Rex Danorum XCV. & Norveciæ: regnat annos IV. In hoc *Canuto* deſiit familia *Biornonis*, qvæ regnavit annos CCCLVII.

Moritur hoc anno *Odincarus Junior*, qvi alias, imprimis in *Diplomatibus Coenobii Loci Dei*, vocatur *Ottho Carolus*, Epiſcopus Ripenſis; ſuccedente *Valone* Friſio.

Anno Domini cIↃXLVI. *Magnus*, Rex Daniæ & Norweciæ moritur, & regno potitur Danico SVENO III. ESTRITICUS, qvi & *Magnus* cognomento dicitur, *Ulfonis Spragalogis* filius, *Trugilli Svenonis* nepos, *Biornonis* pronepos, *Biornonis Urſi* abnepos, Rex Danorum, Norvecorum & Anglorum XCVI. regnat annos XXVIII.

Anno Domini cIↃL. *Haraldus Durus*, Divi Olai frater uterinus, Rex Norveciæ, populatur inſulas Balthici maris, vaſtat oras Henetum & cum Danis pugnat bene.

Anno Domini cIↃLVII. Heneti a Saxonibus, qvi laborabant bello civili inter Cycinos & Circipanos ac Tholenſios & Rhedarios, qvibus, ſcilicet Tolenſiis & Rhedariis opem ferunt *Sveno* Rex Danorum, *Bernhardus* Elector Saxoniæ Regulus, & *Godeſchalcus*, Obotritorum Dynaſta.

Anno Domini cIↃLXI. *Rudolpho*, Slieuicenſi Epiſcopo, ſuccedit *Sivardus*, homo Danus, auctoritate & conſenſu *Svenonis* Regis creatus, cum Hamburgenſis Pontificis auctoritatem Rex nihili faceret, docens, incolas male inſtrui religione ab iis, qvi ab Hamburgenſi mitterentur, lingvæ patriæ & Danicæ rudibus. Moritur item *Henricus* Dalbienſis Epiſcopus, & ejus Eccleſiam cum Lundenſi *Eginus* conjungit.

Anno Domini cIↃLXVI. magni motus & mutationes fuerunt in Anglia, Norwecia, Sveonia, & in Henetum Obotritorum oris.

Anno Domini cIↃLXXI. *Sveno* Rex *Henricum VI.* Ceſarem ad Lunæburgum convenit. Fœdus contra rebelles Saxones initum.

Anno Domini cIↃLXXII. moritur *Edbertus*, Epiſcopus Fiuniæ. Hic *Reinaro* ſucceſſerat.

Anno Domini cIↃLXXIV. *Sveno* Rex moritur & *Roſchildiæ* ſepelitur, qvem ſeqvitur 8. Idus Maji *Gvilhelmus* Epiſcopus Roſchildenſis. In locum *Svenonis* ſubſtituitur Rex ejus filius HARALDUS VII. cogn. *Piger*, Rex Danorum XCVII. Regnat annos VI. *Saxoni* & aliis II.

Anno Domini cIↃLXXX. moritur *Haraldus* Rex & in Scania *Dalby* ſepulturæ traditur: cui ſuccedit CANUTUS VI. *Sanctus*, Svenonis Eſtritici alter filius, Rex XCIIX. Regnat annos VI. *Saxoni* annos X.

Anno Domini cIↃXCIV. *Carthuſianorum* religio initium habuit. *Eginus* Epiſcopus Lundenſis & Dalbienſis moritur. Ejus locum tenet *Ricaldus*.

Anno Domini cIↃLXXXVI. Feria Sexta A. D. VI. Idus Julii, proditione *Blacconis* trucidatur *Canutus* Rex *Otthoniæ* in æde Albani, una cum fratre *Benedicto*, occiduntur alii ſedecim Eqvites cum Rege conſternatione Cimbrorum: *Asmundus*, *Sveno*, *Acho*, *Turgatus*, *Bernhardus*, *Gutmarus*, *Eſchillus*, *Tocho*, *Datno*, *Attilus*, *Suno*, *Roſtenus*, *Milo*, *Rudolphus*, *Altejus* & *Vilrupus*: cadit etiam *Blacco* proditor. *Ericus Eigotta*, alter Regis frater, ferro viam ſibi parat & evadit.

OLAUS VI. FAMELICUS, Svenonis Eſtritici filius tertius, Rex Danorum XCIX, regnat annos IX. menſes V. dies II.

Anno Domini cIↃLXXXVII. annonæ inopia inſigni laboratum per decennium.

Anno Domini cIↃXCV. *Olaus* Rex captus vitæ & regni tædio, cum natalitia Chriſti præ inopia ſolenni ſacro epulo ſatis ſplendide celebrare non poſſet, ſe pro ſalute populi devovet: Verum preces haud inanes neqve carebant, Deo ita volente, pondere; ſtatim enim repentina morte decedit.

Anno Domini cIↃXCVI. ERICUS III. EIGOTA, id eſt, nomine & virtute *Bonus* (ut appellatur in *literis Canutinis*) Svenonis Eſtritici filius 4. Rex Danorum C. Regnat annos IX. aliis VIII. nonnullis VII.

Ricaldo Epiſcopo Lundenſi vita functo ſuccedit *Aſcerus Svenonis* filius, Cimber, homo nobilis.

Anno Domini cIↃXCVII. magna annonæ ubertas & copia ubiqve locorum, ut modius frumenti denario veniret unico.

Anno

Anno Domini cIↃXCVIII. *Sodales Ciſtercienſes* primum in Daniam, favente Rege, introducuntur. Piraticæ excurſiones Henetum. *Henricus* Godſcalci filius, auxiliantibus Danis, & *Magno* Saxonum Regulo Electore, Henetos & *Cruconem* bello lacesſit, paternam ditionem repetens.

Anno Domini cIↃXCIX. *Ida*, fœmina nobiliſſima, de Eccleſia Roëſchildenſi optime merita, VIII. Kal. Septembr. moritur, juxta *Ephemerides Roeſchildenſes.*

Anno Domini cIↃC. *Canutus* Rex Danorum, defunctus a Pontifice *Paſchali II.* in Apotheoſin refertur Divisqve aſcribitur rogatu *Erici* Regis, qvi litem habebat cum *Liemaro*, Pontifice Hamburgenſi. Ab hoc tempore qvotannis *Othoniæ* VI. Id. Julii Divalia celebrari cœpit.

Anno Domini cIↃCIII. *Friſia Eydorenſis* excoli coepit templis, in primis in territorio (*).

Anno Domini cIↃCIV. *Ericus Eigota* Rex in Græciam proficiſcitur, liberaliter ab Imperatore Conſtantinopolitano *Alexio Commeno* exceptus. Moritur tandem in *Cypro.* BOTILDA Regina, Sacri itineris Comes, fatum viri ſeqvitur, & in valle Joſaphati tumulatur. *Aſcerus* Lundenſis Epiſcopus a Legato Sedis Apoſtolicæ Pontifex Danorum creatur, Primas Sveoniæ & Norveciæ, & Apoſtolicæ ſedis legatus.

Anno Domini cIↃCV. Interregnum in Dania per biennium: cui præerat *Haraldus Keiſa*, Erici Regis filius nothus. *Cruco* ſenex, tyrannus obotritorum Henetum, a Dano eqvite in comeſſationibus Plonenſibus, inſidiis uxoris *Slavinæ* Pomeranæ, Svantibori filiæ, & *Henrici* Godſcalci filii, Regni conſortis, trucidatur.

Anno Domini cIↃCVII. NICOLAUS, Svenonis Eſtritici filius natu minimus, Rex Danorum CI. regnat annos XXVIII. aliis XXVII.

Anno Domini cIↃCIX. in *Friſia Eydorenſi* Sacellum condi cœpit in *Cleve* ad *Garſandum* in honorem D. Chriſtiani, Mariæ Magdalenæ & Bartholomei.

Anno Domini cIↃCX. Clariſſimi viri eminent in Dania, *Arnoldus*, Epiſcopus Roeſchildenſis, qvi obiit in exilio, cui ſucceſſit *Petrus*: *Hubaldus* Anglus, Sodalis Benedictinus, Epiſcopus Othonienſis, *Gunnarus* Slicuicenſis, *Thoro* Ripenſis.

Anno Domini cIↃCXIII. in *Friſia Eydorenſi Boyemanni* ſuum paſtorem verbi divini trucidant, nomine *Hermannum Lutke.* Condi coeperunt ſacella *Popenbullæ*, *Tetenbullæ*, *Oſterheveræ*, *Weltæ*, *Fullervici*, & in agro *Chatarinæ*, teſtibus *Annalibus Eyderſtadenſibus*, qvi tamen ita ſunt conſcripti, ut illis parum fidei tribuam.

Anno Domini cIↃCXVII. dederat, hoc fertur anno, *Nicolaus* Rex *Cœnobio Canutio*, qvod eſt *Otthoniæ*, ab *Erico Eigota* extrui coepto, privilegia, additis bonis & beneficiis: cui donationi ſubſcripſerant *Ubbo Esberni* filius, Comes, Gener Nicolai Regis ex Ingerta filia, *Carolus* Regis frater, *Acho* camerarius, & alii. Hujus Regis pietatem erga Sodales Benedictinos *Paſcalis II.* Pontifex Maximus, approbans, ſcribit *Hubaldo*, Epiſcopo Othonienſi 3. Id. Oct. & omnia a Rege Benedictinis Coenobii Canutii attributa rata eſſe jubet, eosqve in libertatem aſſerit. Laudat etiam piam voluntatem *Hubaldi*, de Sodalibus intercesſione & largitionibus optime merentis. Poſtremo excommunicationis minas adjicit, qvi male mereri de Sodalibus non verentur. Contulit his *Nicolaus* Rex, iisdem Benedictinis Otthonienſibus, alia bona pro filii *Ingonis* inferiis celebrandis, ſed qvo anno incertum. Extructo *delubro D. Chriſtiani* in Friſia Eydorenſi, oppidulum *Gardinga* creſcere & augeri cœpit.

Anno Domini cIↃCXIX. *Canutus*, Erici Eigothæ filius, Slicuicenſium Regulus, bellum contra *Henricum*, obotritorum & vagriorum regulum gerit, conſobri-

 num

(*) Territorii nomen deſideratur.

num ſuum. Mox inita pace & fœdere *Henricus Canutum* filiorum tutorem & ſucceſſorem regni inſtituit, accepta pecunia pro bonis paternis, qvæ *Henrici* in Dania erant, reconciliatur etiam Regi *Nicolao* avunculo opera *Canuti.*

Anno cIↃCXX. *M. C. bisqve decem, Danorum Clerus abegit uxores ductas non ſine clade gravi.* Qvi ſacerdotes id facere recuſarent, appellabantur *Nicolaitæ.*

Anno Domini cIↃCXXIV. bellum *Nicolai* Regis contra Henetos Pomeranos.

Anno Domini cIↃCXXV. *Alberus*, Epiſcopus Slieuicenſis, templis per *Cimbriam Slieuicenſem* condendis dat operam. Hic ſucceſſit *Gunnero.*

Anno Domini cIↃCXXVIII. *Canutus* Regulus Slieuicenſis, cognomento *Lavardus*, Erici filius, diademate & regiis inſignibus donatus, a Cæſare *Lothario* Saxone, regnum Obotritorum & Vagriorum iniit.

Anno Domini cIↃCXXIX. conſpirationes in *Canutum* a *Magno*, Rege Sveonum, Nicolai filio, & aliis ſuſceptæ.

Anno Domini cIↃCXXX. *Canutus Lavardus*, Rex Obotritorum, Dux Daciæ, 7. Id. Janv. *Harelſtadii*, dolo *Magni*, Nicolai Regis filii, trucidatur, & procurantibus *Scialmonis Magni* filiis Ringſtadis ſepelitur. Hinc bellum civile ortum. *Voldemarus* Canuti filius 8. Kal. Febr. naſcitur matre *Ingeburgi.*

Anno Domini cIↃCXXXI. bello inteſtino durante in Dania *Lotharius*, Cæſar opem fert *Erico* contra *Nicolaum* Regem ejusqve filium *Magnum*, oppugnat *Slieuicum. Nicolaus* copias *Erici Emunnæ* ad *Jalungam* profligat, capto exercitus duce *Chriſtiano.* Sveones deficiunt a *Magno*, & *Sverconem* Regem creant.

Anno Domini cIↃCXXX. *Nicolaus* Rex *Ericum* adverſariarum partium ducem Dania expellit cum ſua factione, qvi in Norweciam exulatum it.

Anno Domini cIↃCXXXIII. *Ericus*, inſidiis evadens *Magni* Regis Norwecorum, in Dania, bellum reſtaurat civile. *Ubbonem*, *Esberni* filium, Comitem, Regis generum, præfectum inſularum, fracta laqveo gula necat.

Anno Domini cIↃXXXIV. *Magnus*, Nicolai Regis filius, fit circa Paſca Imperatori Cæſari *Lothario* ſupplex. Circa Pentecoſten III. Non. Junii ad *Simum Foticum* pugnans cadit. Perierunt 4. Epiſcopi Cimbriæ, *Petrus* Roeſchildenſis & 60. Presbyteri. *Nicolaus* Rex fuga in Cimbriam elabitur, & *Slieuici* a calcariis conficitur. Cui ſuccedit adoptatus a Nicolao HARALDUS IIX. KEISA, Rex Danorum CII. Regnavit fere annum unum. In locum defunctorum Epiſcoporum, *Petri* Roeſcildenſis *Eſchillus*, *Thoronis* Ripenſis *Notaldus*, *Elloci* Arhuſii *Eſchillus* ſubſtituuntur. Floret *Ricolphus*, Epiſcopus Otthonienſis, qvi *Hermanno* ſuccedit.

Anno Domini cIↃCXXXV. *Haraldus Scipetorpi* a fratre *Erico Emuna* capitur & cum omnibus liberis ſecuri feritur, excepto *Olao.* Corpora ſine ullo honore in foveam projiciuntur.

ERICUS IV. EMUNA, qvi & *Fulmen Septentrionale* dicitur, Rex Danorum CIII. regnat annos IV. Hic privilegiis, immunitate & bonis cumulat *Coenobium Ringſtadenſe*, primum auctum in honorem & memoriam *Canuti* Obotritorum Regis, teſtibus *Petro Botildæ*, *Ricone* Sacellano Regis, *Ebbone Stigothi* filio, *Acone Richio*, & aliis. Hic *Richo* Sacellanus, hoc anno defuncto *Albero*, Epiſcopo Slieuicenſi, in ejus ſufficitur locum.

Anno Domini cIↃCXXXVI. *Ericus* Rugianis bellum infert. *Haraldus Gylla* fugatus a *Magno* Rege Norwecorum, auxilia impetrat ab *Erico.*

Anno Domini cIↃCXXXVIII. *Ericus* Rex Sialandia pellitur, excitata ſeditione ab *Eſchillo* Epiſcopo Roeſchildenſi & *Petro Botilda.* *Aſcerus*, Pontifex Lundenſis, moritur.

moritur. Schanii in ejus locum *Eſchillum* Roeſchildenſem poſtulant. *Ericus* Rex *Riconem*, Epiſcopum Slieuicenſem eligit. Erant graviſſimæ inter *Albanianos* & *Sodales Canutios* controverſiæ *Otthoniæ*, qvas, ut Rex tolleret, ſcribit *Linoni* Præpoſito & omnibus Albani Parochianis, ac Baſilicam Albani a Sodalium Canutiorum dominio liberam pronunciat, qvam ante legitimo poſſeſſionis jure tenuerant, ac pro hujus jurisdictionis amiſſione, certos duarum librarum reditus e qvibusdam agris, qvi ſolvebantur Baſilicæ Albanianæ, Sodalibus attribuit. Præterea audivimus, inqvit, hinc iterum inter vos contentiones oriri, qvod profecto dolemus; qvia in nullo fratrum qvietem turbari volumus vel patiemur. Qvocirca Te, *Lino* Præpoſite, per gratiam perqve fidem, qvam mihi debes & inter nos eſt, rogo ac incunctanter præcipio, omnibusqve vobis amicitiæ tenore denuncio, ut pactum intra vos firmatum nullo modo irrumpetis, ſed, ut dictum eſt, Eccleſiam veſtram libere poſſideatis. Fratres autem præfatas 4. marcas cum aliis XVI. noſtræ Eleemoſynæ, qvæ ſimul ſunt XX. annuatim accipiant. Qvod ſi qvis noſtris præceptis contrarium facere certaverit, divinæ ultioni & noſtræ ſubjacebit.

Anno Domini cIↃCXXXIX. *Innocentius II.* Pontifex Romanus, ſcribens *Ormoni*, Priori Coenobii Ringſtadienſis, Sodales illius loci in tutelam ſuam recipit, & jus immunitatis & bona a Regibus conceſſa Sodalibus Diſciplinæ Benedictinæ Ringſtadienſibus, concedendaqve, approbat & confirmat Kl. Martii, Subſcribentibus 10. Cardinalibus. *Ericus* Rex *Comitiis Vedingenſibus*, dum contributionem agrariam decernit, indignante plebe, a *Plogo Nigro* Cimbro armato inermis transfoditur. Corpus *Ripis* ſepultum in Baſilica principe. Fuit de Sodalibus religioſis, maxime de Canutiis Othonienſibus, bene meritus, ut ejus literæ oſtendunt.

ERICUS V. OVICOLA, *Ajvini* filius, *Sumiuæ* nepos, Fionis Rex Danorum CIV. regnat annos IX.

Eſchillus, ſecesſionem molientibus Scaniis, Pontificatum Lundenſem, *Rico* Roeſcildenſem, *Hermannus* Slieuicenſem, Epiſcopatus iniunt.

Anno Domini cIↃCXL. *Concilium Lundis* habitum ab *Eſchillo* Pontifice. Interfuerunt *Deodignus*, Pontificius Legatus, *Rico* Roeſchildenſis, *Gislo* Lincopenſis, *Sveno* Vibergius, *Notaldus* Ripenſis, *Silveſter* Burglanenſis, *Sigvardus* Bergenſis, *Ormo* Faroenſis, *Hermannus* Slieuicenſis. Ibi inter alia rerum ſacrarum negotia, V. Id. Auguſti, confirmantur omnia privilegia & bona conceſſa *Sodalibus Canutiis Othoniæ* & attribuuntur prima creando Epiſcopo ſuffragia, at ſingularia Priori proprio. Etiam deſignatur his litteris annus I. *Eſchilli*, ſecundus *Erici* Regis, qvi ibidem *Tertius* nominatur: adjicitur indictio II. rectius III. *Olaus* Haraldi Keiſæ filius, ab exilio Norwecico reverſus, a Rege bona paterna repetit. Denegante Rege, bellum oritur. A copiis profligatur regiis, profugit in *Sveoniam*.

Anno Domini cIↃCXLI. OLAUS, e Sveonia reverſus, *Comitiis Arnenſibus* Rex proclamatur, Rex Danorum numero CV.

Eſchillum Pontificem bis profligat, & alium conſtituit Pontificem Presbyterum qvendam, qvi etiam *Eſchillus* dicitur. Exitu anni *Ericus* Rex *Othoniæ* fuit, & *Sodalibus Canutiis* reditus Regios Inſulæ *Syltiæ* liberaliter attribuit 7. Id. Decembr. Teſtibus *Aſcero* Sacellano, *Acone Pichio*, *Ubbone Bodildæ* filio, *Tuchone Scafnonis* filio. Præſentibus qvoqve illuſtribus filiabus Canuti, Obotritorum qvondam Regis, *Chriſtina*, *Catharina*, cum Domina *Margaretha*, *Bodilda*, ac pluribus aliis.

Anno Domini cIↃCXLII. *Ericus* Rex 6. Kal. Maji, qvi fuit dies dominicus in Albis, iterum Sodalibus Canutiis donationes *Nicolai* Regis, maxime piſcationem Lu-

neburgicam approbat & ſancit perpetuo habendam. Aderant *Eſchillus* Pontifex, *Petrus Botildæ* filius, *Aco Pichius*, *Helias* Præpoſitus Eggasleuenſis, *Tucho Scafnonis* filius Theſaurarius, *Aſcerus* Sacellanus, *Gumma* & *Rico* Cimbri. Inde Rex procinctum in *Olaum* facit, Scaniam perturbantem: *Eſchillum* vitio creatum novum Pontificem necat ſuſpendio: *Olaum* divincit & fugat, cæſis Lundenſibus. Per mortem *Aſceri*, *Helias* Flandrus e Præpoſito Eggasleuenſi fit Epiſcopus Ripenſis. *Tutavallis*, Coenobium Ciſtercienſium, condi cœpit.

Anno Domini cIↃCXLIII. *Olaus* in Selandiam irruens, *Riconem*, Epiſcopum Roeſchildenſem *Ramſolæ* occidit; igitur a Cimbricis Epiſcopis excommunicatur. *Riconi* ſuccedit *Hermannus*. Rex ſcribit præfectis ſuis, *Eſchillo* & *Ebboni*, ut a violentia ſe cohibeant, & *Sodalibus Canutiis* piſcari *Löneburgi* permittant, a *Nicolao* & *Erico* Regibus donationem eis piſcandi eodem in loco eſſe conceſſam.

Anno Domini cIↃCXLIV. *Ericus* Rex matrimonio dat operam, ducens LUDGARDIM, *Rudolphi* Comitis Limitanei Ditmarſi filiam, ſororem *Rudolphi II.* Ditmarſi & *Hardvici* Præpoſiti, poſtea Pontificis Bremenſis.. *Olaus* ab *Erico* cum ſuis deletur. *Rudolphus* Ditmarſus, Reginæ frater, a Ditmarſis popularibus trucidatur, in arce Boclenburgenſi. *Coenobium Herivadenſe* a Sodalibus Ciſtercienſibus, impenſis *Eſchilli* Pontificis, extrui coeptum.

Anno Domini cIↃCXLV. expeditio in *Henetos* ſuſcepta infeliciter, qvamplurimis Danorum captis, Rex inſigni erga eos ſibi militantes liberalitate uſus, regios reditus diminuit. Eminent magni viri, *Georgius Muncus* & *Elius Comes de Veſtatorp*, inter eqvites clariſſimos Selandiæ, de Sodalibus Canutiis benemeriti. Hi *Baſilicam Canutiam Othoniæ* agris & reditibus cumulant. *Elius* Saxoni Præpoſito de vico *Viſingo* appellatur.

Anno Domini cIↃCXLVI. *Heneti* in Freto Balthico exercent piraticam, qva fere Rex captus fuiſſet, inter Selandiam & Fioniam trajiciens, niſi induſtria nautarum & vento ſecundo uſus evaſiſſet. Forte hoc tempore *Thomas*, Prior Canutiorum *Othoniæ*, bona, qvæ ſunt *Sverretorpi*, qvæ *Elius* de Vico *Viſingo* & *Georgius Muncus* Eccleſiæ donarant, *Ricolpho* Epiſcopo Othonienſi concedit, facta permutatione. *Ricolphus* vero *Aſcero*, Epiſcopo Roëſchildenſi, auri puri libris duabus & ſemiſſe conſenſu Canutiorum mancipat. Aderant præſentes: *Hubaldus* Cardinalis, miſſus in Daniam a Pontifice Maximo, ut *Ericum* Regem ad belli ſacri commercium (qvod Divus *Bernhardus* Clarevallenſis per Germaniam Principibus perſvaſerat) invitaret: *Eſchillus* Pontifex Lundenſis & cæteri Danorum Epiſcopi.

Anno Domini cIↃCXLVII. Expeditio in *Henetos*, *Obotritos* & *Luticios*, ſuſcepta a Germanis Principibus, cui *Dani* ſe adjungunt ſocii. *Ricolphus*, Epiſcopus Othonienſis, Sodales Canutios magnis affecit donariis. Donatio hæc *Othoniæ* die Euchariſtiæ ſacro facta, teſtibus *Linone* & *Hermanno* Præpoſitis, *Acone Pichio*, *Ubbone Bondonis* filio. *Ericus* Rex habitum Sodalicium *Othoniæ* apud Canutios ſumit, & paulo poſt moritur.

Anno Domini cIↃCXLVIII. SVENO IV. Erici Emunæ filius, a Selandis, cum inſulis minoribus & Scaniis, CANUTUS V. Magni filius, Nicolai Regis nepos, a Cimbris, Reges Danorum CV. & CVI. ſalutantur. Regnant annos IX. Hinc bellum ſociale. *Comitia Harelſtadii Sveno* a partium ſuffragiis confirmatus celebrat. Ibi *Coenobium Ringſtadienſe* multis beneficiis afficit, & a parente attributa approbat augetqve, & *Johannem* rite electum Abbatem confirmat, comprobante *Eſchillo* Pontifice & Innocentii II. Pontif. Max. decreto ſatisfaciente, teſtibus *Tucone* Epiſcopo Vin-

niliorum,

niliorum, *Absolone* Priore, *Ascero* Sacellano, *Carolo* viro illustri, *Petro Thorstani* filio, *Ulsone* Ripensi, *Magno* Erici Ovicolæ Regis filio Notho, & aliis, eas litteras per Selandiam publicat. *Eschillus* Pontifex ad *Canutum* in Selandiam irruentem deficit. *Comitia Lundis* de pacificatione inter Reges habita.

Anno Domini cIↃCXLIX. *Sveno* Rex *Eschillum* Pontificem bello superat & capit, & *Canutum* æmulum de Selandia expellit, pugna ad *Slangetorpum* edita.

Anno Domini cIↃCL. *Sveno* & *Canutus*, factis inter sese induciis, una cum Saxonibus, expeditionem in *Henetos* suscipiunt. *Rugiani* hoc bello *Ascerum* Episcopum Roschildensem in fugam conjiciunt. *Canutus* reversus ab expeditione Heneta Selandiam, capit *Roeschildiam* non satis munitam; sed a *Svenone* ad *Torstorpum*, auxiliante *Eschillo* Pontifice, profligatur. *Valdemarus*, Canuti Lavardi filius, a *Svenone* Cimbria Slicuicensi donatur, qvi bellum cum *Canuto*, *Henrici Scatelcri* filio, ea de dignitate & honore insignito, gerit. Bellum *Northalbingis*, adnitente *Ethelero* Ditmarso, *Sveno* facit.

Anno Domini cIↃCLI. *Ebbo Schialmonis magni* filius moritur, præfectus Roeschildensis, relictis liberis, *Tucone*, *Svenone* de Giarderopo, *Petro*, & *Guta Olao Gluggio* nupta. *Coenobium Herivadense* ædificiis & agris augeri cœpit. *Sveno*, capto oppido *Vibergio* deditione, in Cimbria Transgudiana ad hoc oppidum tertio adversus *Canutum* pugnat bene. Victus *Canutus* ad *Sverconem* Regem Gothorum, Vitricum, hinc in Sarmatiam ad *Boleslaum IV. Crispum* Avunculum profugit. Rediens, *Hardtvici* Pontif. Bremensis auxiliis & *Henrici Leonis* instructus, qvarto ad *Vibergum* funditur & fugatur, & exulatum in Saxoniam abit.

Anno Domini cIↃCLII. *Sveno* Rex duo propugnacula, unum in *Fionia*, alterum in *Selandia*, ad fretum Balticum, molitur contra piratarum Henetum irruptiones. In *Fionia* contra Henetos piratas pugnat bene *Canutus*. Ab exilio Saxonico rediens, ad *Mildam* amnem propugnaculum erigit. *Frisii*, fuga evadente *Canuto*, a *Svenone* vincuntur, capiturqve propugnaculum. *Canutus*, spe omni destitutus, ad novum Cæsarem, *Fridericum Ænobarbum* confugit. Is *Svenonem* ad *Comitia Marsburgica* invitat. Acceto humaniter *Svenoni Canutus* abjecto regio nomine reconciliatur: *Woldemarus*, Regulus Slicuicensis vades additur. Reversus in regnum *Sveno*, omnem promissam obedientiam & fidem Cæsari denegat, qvasi dolo malo extortam, *Canuto* fraudem facit; sed intercedente *Woldemaro*, ei promissa restituit bona. Ducit in matrimonium *Adelheidam*, Conradi, Comitis Bythini, Marchionis Mysniæ & Lusatiæ, filiam. Exitu anni in *Sverconem*, Regem Gothorum, procinctum suscipit. In Norvecia *Johannes* primus Pontifex Nidrosiensis creatur a *Nicolao Brecspeare*, Cardinali Albano, qvi paulo post in Daniam venit, Regi dissvadit bellum Sveonicum, & *Eschillo*, ob dignitatis suæ diminutionem offenso, promittit Sveoniæ primatum.

Anno Domini cIↃCLIII. *Sveno* Regis Gothorum provincias populabundus invadit, *Finniam* & *Verendiam* ferro & flamma vastat, *Sverkone* Rege nusqvam apparente. Scanios secessionem facientes pacat. *Canutus*, inita singulari amicitia, *Woldemaro* sororem uterinam *Sophiam*, *Sverconis* Regis filiam, desponder. Uterqve, permittente Rege, in Gothorum & Sveonum provincias fortunas suas visum proficiscitur. *Canuto* filia *Sverconis* e priore uxore despondetur. Celebratis sponsalibus, *Sveno* cum piratis Henetis bellum gerit. *Comitiis Sumbiensibus* armatis inter Principes & Regem de concordia actum. *Svenoni* nascitur filius nobilissimus puer. In Saxoniam proficiscitur, comitante *Waldemaro*, ad Socerum *Conradum* Marchionem.

Anno Domini cIↃCLIV. CANUTUS & WALDEMARUS *Comitiis Wibergicis* a Cimbris Reges creati, Duumviratum Reipublicæ regendæ contra *Svenonem*

 iniunt.

iniunt. *Sveno* bellum parans, deficientibus ſuis, profugit ad Socerum exulatum in Saxoniam. Æmuli regnum occupant.

Anno Domini cIↃCLV. *Sveno* in Saxonia exulat, fruſtra *Henrici Leonis* auxilia implorans, in Italiam cum Imperatore Cæſare *Friderico* abeuntis, Socero Rempublicam abdicante & Monachum induente. Anni fine, impetratis auxiliis, occupat *Longum murum*, *Slieuicum* diripit IX. Kal. Janv. *Sverco*, Rex Gothorum Sveonumqve, a Cubiculario ſuo *Tolſtadæ* noctu trucidatur.

Anno Domini cIↃCLVI. *Sveno* Regno Danico auxiliis Saxonum reſtituitur. *Comitiis Lalandicis Sveno*, *Canutus* & *Waldemarus*, triumviri Reip. regundæ Regio nomine conſtituuntur. In Comeſſationibus Roeſchildenſibus V. Idus Auguſti, juſſu *Svenonis* Tyranni, *Canutus* a *Detlevo* Dithmarſo confoditur, *Waldemarus* elabitur & in Cimbriam profugit, ac ſuos ad arma contra Tyrannum vocat, unde bellum ſociale renovatum.

Anno Domini cIↃCLVII. *Waldemarus Vibergi* cum *Sophia*, ſorore uterina *Canuti* Regis, celebrat nuptias: in *Campo Grathico* exercitum Tyranni fundit, fugatqve. Ipſe *Sveno* Tyrannus, latibulo extractus, ab agreſtibus ſecuri feritur, ibiqve ſine ullo regiæ dignitatis honore terræ traditur. *Waldemarus*, Canuti Lavardi filius, ſolus regnum obtinet, Rex Danorum CVII. Regnat annos XXVI. Hoc anno *Waldemarus* procinctum primum in Henetos facit ſine fructu.

Anno Domini cIↃCLVIII. *Waldemarus* Rex veris principio alterum procinctum in Henethos ſuſcipit, *Barthia* regiuncula Henethum vaſtatur. *Coenobium Vitiſcolæ* condi cœpit. Autumno *Waldemarus* procinctum III. facit. Ager Rugianorum & Oppidi *Arconæ* vexatur ferro & igne. Hexamilio *longum murum* imponunt *Rex* & *Abſalon*, Epiſcopus Roeſchildenſis, qvi nuper *Aſcero* ſucceſſerat.

Anno Domini cIↃCLIX. *Waldemarus* qvartum in Henetos procinctum ſuſcipit; ſed intermittitur, *Damboro* Rugianorum oratore bellum deprecante. *Comitia Iſoræ* belli Heneti cauſa habentur.

Anno Domini cIↃCLX. *Waldemarus*, procinctu V. inito, bellum *Nicloto*, Obotritorum Dynaſtæ, infert, auxiliante una *Henrico Leone*, Saxonum & Bojoariæ Regulo. Dani agros Polaborum populantur. Rex *Henricum Leonem* convenit, & ſplendide accipitur. *Rugiani* iterum bellum deprecantur. *Hermanno* Epiſcopo Slieuicenſi defuncto, diverſis Collegiis, Sacerdotum ſuffragiis, *Occo* & *Esbernus* Epiſcopi creantur. *Occo* conſecratur a *Victore IV.* Pontifice Maximo, permittente Rege, ſed *Eſchillo* Pontifice excommunicante & proſcribente.

Anno Domini cIↃCLXI. bellum in Dania inteſtinum inter *Waldemarum* & *Eſchillum* Pontificem. *Elleholmum* capitur. Miles *Esberni* Epiſcopi *Nicolaum Razi* filium, præfectum Slieuicenſem, trucidat. *Esbernus* in Saxoniam exul confugit. Idibus Julii *Coenobium Sora* condi cœpit, impenſis *Tuconis* jam demortui, auctoribus *Abſalone* Epiſcopo & *Esberno Celeri*, fratribus.

Anno Domini cIↃCLXII. *Waldemarus*, expeditione VI. ſuſcepta, Henetis arma infert, capit *Wolgaſtum*. Simultas inter *Waldemarum* & *Henricum Leonem* oritur, *Bernhardus*, Pontificius Nuncius, *Concilium Slieuici* habet, cupiens Danicorum Epiſcoporum ſuffragia colligere. *Comitia Waldemarus Othoniæ* habet, *Hofitumqve Sodalibus Ringſtadienſibus* jure ſacro & profano attribuit. Aderant *Magnus* Erici Ovicolæ Regis filius, *Euriſius* Comes, Regis cognatus, *Elias* Epiſcopus Ripenſis, *Rodolphus* Regis Scrinii Magiſter, *Stephanus* Prior Otthonienſis, *Lino* Præpoſitus, *Fridericus* Notarius Regius. *Tutavallis Coenobium* condi cœpit.

Anno

Anno Domini cIↃCLXIII. moriuntur *Elias* Kal. Martii Ripenſis & *Ricolphus* Otthonienſis Epiſcopi. Huic *Lino* Præpoſitus, illi *Rudolphus* Anglus Regis *Waldemari* Conſiliarius ſuccedunt, ſed non confirmantur ab *Eſchillo* Pontifice. *Waldemarus* a Cæſare invitatus, menſe Auguſti ad *Concilium Biſuntinum* proficiſcitur. Hoc anno Hexamilio *murum longum* impoſitum, alii volunt in Iſtmo Cimbrico. Regi naſcitur filius *Canutus* nobiliſſimus puer. *Waldemarus* bellum in *Erlingum Scaccum* & ejus filium *Magnum* Norvecosqve ſumit, ab adverſa factione *Aqvini Herdebredi* accitus. *Eſchillo* Epiſcopo Aruſiorum mortuo ſuccedit *Sveno*.

Anno Domini cIↃCLXIV. *Waldemarus*, cum ſociis, *Henrico Leone* & *Alberto Urſo*, in Henetos expeditione VII. bellum reſumit. *Demmum* expugnatum. In hoc bello *Adolphus* Holſatiæ & *Reinoldus* Dithmarſiæ Comites pereunt, & *Pomerani* hujus belli calamitatis haud expertes erant, Danis in eos ſævientibus. In *Comitiis Ringſtadii* Rex Sodalibus Ringſtadienſibus privilegia, ab Innocentio II. Papa & bona ab *Erico Emuna* filioqve *Svenone* Regibus attributa, liberaliter aſſerit & confirmat: majora qvoqve adjicit VI. Id. Septembr. *Gutvalia Coenobium* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCLXIV. in *Rugianos* Henetos, Danis rebelles, authore *Henrico Leone*, procinctus IIX. veris initio, & autumni principio IX. ſuſcipitur. Hoſtes, datis obſidibus, in officium redacti. *Canutus*, Regis filius, nobiliſſimus puer, *Comitiis Roeſchildenſibus* Princeps Juventutis deſignatur, ſolo *Buriſio* Sacramentum dicere detrectante. Is *Vimilios* Cimbros obtinebat. *Chara Inſula* (*Omum* Coenobium vocatur) condi cœpit.

Anno Domini cIↃCLXVI. Vere appetente procinctus X. ductu *Abſolonis* Epiſcopi, *Chriſtophori*, Regis filii, & *Magni*, Erici Ovicolæ filii, fit: qvo diripitur fœde *Tribaſana* Henetum provincia. Æſtate Rex procinctum X. inſtaurat contra *Henetos*, *Wologaſtios* & *Leuticios*. *Buriſius* crimine læſæ Majeſtatis a *Tucone*, Epiſcopo Winniliorum, accuſatus, carceri *Letrico* impingitur. Norveci, duce *Erlingo Scacho*, irruunt populabundi in Daniam. *Abſolon* Epiſcopus in Inſula *Sproa* munitionem condit contra Piratarum excurſiones. Rex & *Henricus Leo* ad *Crempinum amnem* Stormariæ conveniunt, & illorum amicitia fœdusqve diſſolvitur. *Rudolphus* Epiſcopus Ripenſis ab *Eſchillo* Pontifice conſecratur.

Anno Domini cIↃCLXVII. *Buriſio* Regulo, propter crimen læſæ Majeſtatis, juſſu *Waldemari*, oculi & teſtes adimuntur, & paulo poſt mari ſubmergitur. Rex cum Saxonibus XI. Henetis & Norvecis bellum habet. Piratæ Daniam vexant incurſionibus. Renovata demum amicitia, Rex & *Henricus Leo* ad *Eidoram* conveniunt. Rex arma in Henetos *Wologaſtios* ſumit, facto procinctu XII.

Anno Domini cIↃCLXVIII. Veris principio *Waldemarus* alterum in Norvecos *Erlingumqve Scachum* procinctum facit claſſe, ductu *Abſolonis* Epiſcopi, qvi hoc anno *Haffniam* condidit. *Rugiani* deficiunt.

Anno Domini cIↃCLXIX. *Rugiani* bellum deprecantur, ſed fruſtra. Rex procinctum XIII. in eos facit, & capta *Arcona*, repudiatis Idolis, Chriſto nomen dare coguntur & fiunt tributarii, *Tetislao* & *Jaromaro* Fratribus, cum nobilitate, in Regis verba jurantibus.

Menſe Septembri Oratores Regii & *Stephanus* Pontifex Upſalenſis Roma in Daniam redeunt cum literis *Alexandri III.* Papæ, qvibus ille Archiepiſcopo, Epiſcopis aliisqve ſacratis viris ſcribit Beneventi VI. Id. Novemb. ut *Canutum*, Obotritorum Regem, *Waldemari* Patrem, Apotheoſi celebrata, in Deorum numerum recipiant propter miracula & fonticuli Scatebram ipſo cædis die exortam, diem ipſius natalem VII.

Kal. Julii ſacrum & celebrem omnibus ceremoniis habeant, ipſum precibus, votis nuncupandis, uti tutelarem & genium loci, colant, venerentur.

Anno Domini cIↃCLXX. *Waldemaro* Regi filius naſcitur a *Sophia*, *Waldemarus II.* poſtea dictus. *Abſolon* Epiſcopus cum piratis pugnat ad *Olandiam.* Circa Solſtitium æſtivum *Comitia Ringſtadii* Rex habet, & VII. Kal. Julii *Canutus*, Obotritorum Rex defunctus, ex mandato Pontificis Maximi ab *Eſchillo* in Apotheoſin refertur. *Canutus*, Regis filius, Princeps Juventutis, ante oſſa avi jam ſacrati inauguratur & Rex ſalutatur puer ſeptem annorum. Iis Comitiis VIII. Kal. Aug. *Leges agrariæ & ſacræ latæ Selandis* a Rege & Abſolone. *Waldemarus* etiam Rex rogationem fert, qvi de ſubſtantia bonorum ſuorum ſumma dederint *Collegio Ringſtadienſi*, liberos & immunes fore ab omni regalis juſtitiæ debito & exactionis jure. Iis Comitiis interfuit *Stephanus*, Pontifex Upſalenſis, coram eo *Rudolphus*, Epiſcopus Ripenſis, accuſat Canonicos ſuos perfidiæ. Pax Norvecis datur & *Erlingus Scachus* Regem convenit. Procinctus XIV. in Henetos Pomeranos duce *Abſolone* fit: *Julinum Caminumqve* oppida vaſtantur. Eodem anno *Eſchillus* Pontifex *Comitiis Lundenſibus*, qvibus aderant *Baldvinus*, Epiſcopus Vexionenſis, *Marcus* Abbas omnium Sanctorum, & *Palni* Præpoſitus Hallandiæ, bona qvædam cum jurisdictione *Sodalibus Ringſtadienſibus* elargitus: Notum eſſe volumus, inqvit, Univerſis Sanctæ matris Eccleſiæ dilectis filiis, tam præſentibus qvam futuris, qvod ego *Eſchillus*, S. Lundenſis Eccleſiæ Metropolitanus Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Duorum Regnorum Primas, credens me in reſurrectione juſtorum partem habiturum cum eis, qvi dilexerunt decorem & libertatem domus dei & collationibus amplificare ſtuduerunt, memento mei Deus in bonum, qvi per nos collatum eſt *Eccleſiæ S. Mariæ de Ringſtad*, qvod Monachi fratres ibidem Deo famulantes obtinent Capellam unam, in *Hallandia* ſitam, ad uſus fraternos, cum omnibus attinentiis ſuis tam decimationum qvam piſcationum infra terminos Parochiæ in *Hof* perpetuo jure poſſidendam & alia. *Abſolon* qvoqve munificus in Collegium Ringſtadienſe fuit. *Neoburgum* in Fionia a *Canuto*, Præbislai Obotriti filio, Regulo Lalandiæ & Inſularum, condi cœptum. Sub id tempus *Seemii* ad urbem Ripenſem erant *Benedictini Sodales*, Coenobiis *Herivadenſis* coloni, vitæ ſanctimonia illuſtres, *Torſtamus* Prior, *Aſcerus*, *Jordamus*, *Serlimus*, *Johannes*, *Petrus*, *Athlimus*, & eorum Abbas *Helſius.* Fere omnes *Seemii* mortui: imprimis *Aſcerus* & *Jordamus II.* transferuntur a *Rudolpho*, Epiſcopo Ripenſi, eos bonis cumulante, in *Locum Dei* coenobium, commorantes Gangriæ, conſenſu *Eſchilli* Pontificis, ubi brevi poſt *Locum Dei* coenobium condidere.

Anno Domini cIↃCLXXI. *Eſchillus Lundis* cum *Marco* Abbate omnium ſanctorum, *Aſcero* Præpoſito Ædis Laurentianæ, & *Petro* Diacono approbat & confirmat bona & privilegia *Sodalibus Camutiis Otthonienſibus* a Regibus, Epiſcopis, & viris illuſtribus conceſſa, idqve juſſu *Alexandri III.* Papæ facit. *Waldemarus* procinctum XV. in Henetos Pomeranos ſuſcipit. *Stetinum* capitur, *Bertislao* deditionem faciente. *Eſchillus* Pontifex in Syriam proficiſcitur religionis ergo. XVI. Kal. Martii moritur *Rudolphus*, Epiſcopus Ripenſis, fundator *Coenobii Loci Dei.* Ejus locum tenet liberis collegii ſuffragiis *Stephanus*, patria Bronſtienſis, conditione Abbas Herivadenſis.

Anno Domini cIↃCLXXII. Coenobium *Inſula Dei*, a *Rudolpho* condi cœptum, abſolvitur. *Waldemarus* ad *Eidoram* amnem *Henricum Leonem* convenit, qvi paulo poſt in *Sveciam* proficiſcitur. Coenobium *Dargum* in *Hildam* translatum extrui cœptum VII. Kal. Julii. Procinctus XVI. in Henetos *Brameſios* bis reſumitur,

ducibus

ducibus *Absolone* & *Christophoro*, Regis filio Notho. Inde fiunt Inducię in reditum usqve *Henrici Leonis* peregrinantis.

Anno Domini cIↃCLXXIII. 3. Idus Aprilis moritur *Christophorus*, Regis filius Nothus, Regulus Cimbrorum, sepultus *Ringstadis*. *Woldemarus*, procinctu XVII. inito, oppugnat Henetos *Circipanos*. Æstate convenit *Henricum Leonem*, ad *Eidoram*, reversum Syria, magnos gerentem spiritus. *Absolon Hasniam* munit, piratas captos capite plectit. *Eschillus Legem Scamiis fert* V. Kal. Augusti, & inde in Gallias *Claræ vallem* proficiscitur, amicos videndi causa. *Waldemarus* procinctum XIIX. in Henetos *Pomeranos* resumit. Capitur *Julinum* & flammæ traditur. Fuit hoc anno *Abbas Loci Dei*, *M. Eberhardus*, de Sodalibus optime meritus, qvi auxit eorum reditus pecunia & agris: tandem abdicavit.

Anno Domini cIↃCLXXIV. Veris initio, procinctus XIX. in Henetos *Pomeranos* suscipitur, sed iis in biennium induciæ conceduntur pacem petentibus. Rex conventum more solito ad *Eidoram* agit cum *Henrico Leone*. *Suerus* graves motus, sumptis in *Erlingum Scachum* Satrapam & *Magnum III.* Regem, Erlingi filium, armis, in Norvecia excitat. Insidiæ *Waldemaro* Regi nectuntur a suis.

Anno Domini cIↃCLXXV. insidiæ a *Magno*, Erici Ovicolæ filio, *Carolo* & *Canuto*, *Caroli*, viri clarissimi, *Nicolai* Regis fratris uterini, filiis structæ, Regi per indicem aperiuntur. *Waldemarus Comitia Syelverstadii* habet, & VII. Kal. Julii, qvo die *Canuto* ejus Patri Divalia peragebantur *Ringstadii*, inter alia actum de bonis, qvæ Rex permutatione Collegio Canutio *Othoniæ* dederat: ut sunt, *Hethium*, *Ormuma*, *Repa*, *Casattunga*. Præterea ubi Cives *Othonienses* frumentum pistrino Canutio apportent pinsum, & non alio. Cuncta privilegia Canutiis confirmata, testibus *Henrico Scherpio*, *Thurone Schialmi* filio, *Strangone* Juvene, *Tacone Algoti* filio, referente *Omero* Regio Sacellano. Aderant *Simon*, Episcopus Othoniensis, qvi excommunicationis fulmine decretum Regium corroborat: *Fridericus*, Slieuicensis Episcopus, *Thomas*, Abbas Insulæ Dei, & *Ottho*, Sacellanus regius, Indictione VIII, Concurrentibus II, Epactis XX & VI.

Anno Domini cIↃCLXXVI. *Eschillus* e Galliis rediens *Ripas* appellit, *Carolus* & *Canutus* exulatum in Sveoniam profugiunt. *Magnus* in Saxoniam abiens, in Contubernium *Henrici Leonis* se confert, revocatus publica fide *Comitiis Arhusiis* conjurationis crimen confitetur & absolvitur. *Carolus* & *Canutus* fratres pròscribuntur & damnantur: eorum bona in fiscum rediguntur. In exilium qvoqve conjiciuntur *Christianus*, Svenonis filius, & *Ascerus* Præpositus Lundesins, fratres. *Calumda* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCLXXVII. veris initio, *Waldemarus* filiæ suæ nuptias, præsentibus Danorum Sveonumqve optimatibus, facit. *Comitiis Lundensibus Eschillus* Pontificatu se abdicat, & *Absolonem* successorem, qvamvis renuentem, nominat. Inde Rege amicisqve valedictis, in Gallias proficiscitur, & *Claræ vallem* Coenobium ingreditur. Rege, *Absolone*, & optimatibus *Roeschildiæ* IIX. Kal. Maji festum Pascatos celebrantibus, novi conatus *Magni*, Regi iterum insidiantis, deteguntur. Igitur jussu Regis capitur & in carcerem *Letricum* conjicitur.

X. Kal. Junii *Comitiis Ringstadis* habitis, Rex Coenobio Ringstadiensi attribuit bona qvam plurima, ædis *Halstadiensis* jus, & bona sacra concedit, prærogativas renovat & approbat. Aderant *Pain*, Abbas illius Coenobii, *Homerus* Sacellanus Regius, *Henricus* Regi a Cubiculo, *Turo*, *Ascerus*, *Rotingerus*, *Thoterus*, *Martinus*, Stabularii Regis. Confirmatæ etiam sunt Cimbrorum in Divalia & honorem

Canuti inſtitutæ viſcerationes. Ea de re *Otto* Sacellanus honoris ergo ad Cimbros mittitur.

III. Kal. Auguſti moritur *Stephanus* Epiſcopus Ripenſis. Hic auxit reditibus Coenobium *Loci Dei*. *Waldemarus* procinctum XX. in *Henetos* facit, ſocio *Henrico Leone*. Delentur *Julinum*, *Guconium*, & alia oppida incendio. *Galandus* Pontificius Legatus *Roeſchildiæ Comitia* habet, & *Abſolonem* Pontificem pronuntiat.

Anno Domini cIↃCLXXVIII. *Lundis* inde conſecrat, qvi conſecratus *Homerum* Electum e Præpoſito Burglanenſi Epiſcopum Ripenſem inaugurat. Hyeme elapſa *Galandus* Romam revertitur. *Sverus Magnum Erlingi Scacci* filium, Regem Norwecorum, bello devincit, ac eo ſubmerſo rerum per Septentrionem potitur.

Anno Domini cIↃCLXXIX. *Fridericus* Epiſcopus Slieuicenſis in *Selandiam* navigans ad delectum, qvem Rex indixerat, cum claſſe Cimbrorum Meridionalium, vento procelloſo everſa nave, in freto Baltico cum ſuis perit. Corpus XIII. Kal. Jan. inventum pietate *Abſolonis Sorœ* ſepulcro traditur. Subito delectu Claſſis Regiæ ducibus *Abſolone* & *Canuto* Regis filio, procinctu XXI. inito, *Wordeburgo* ſolvit & *Pomeranis* magnum infert vaſtitatem, donec *Caſimirus* & *Bugislaus* pro violatis Legatis magnam pecuniæ vim paciſcerentur. *Carolus* & *Canutus*, arma Scaniis inferentes, ab *Hallandis* vincuntur. *Carolus* in prælio oppetit, *Canutus* captus, ad perpetuum Carcerem, *Magno* Erici Ovicolæ filio aſſociatus, damnatur.

Anno Domini cIↃCLXXX. *Comitia* IIX. Id. Febr. *Hyuleby* Rex habet. Inter alia de Sodalium Canutiorum *Othoniæ* immunitate ab omni exactione non ſolum ſacris initiatorum ſed etiam inſervientium iis actum. Triginta jugera (manſos vocant) & alia a Rege conceſſa per Fioniam beneficia, exceptis liberalitate Epiſcoporum & aliorum piorum largitionibus, attributis libere regiis tributis ſcribuntur: ſic tamen, ut teneantur Sodales alere Regi, cum Othoniæ fuerit, denos eqvos gratitudinis ergo. Approbantur hæc omnia Regis *Canuti* conſenſu, teſtibus *Henrico Scherpio*, *Thurone Scalmi* filio, *Nicolao Stigoti* filio, *Petro Palni* filio, *Strangone* juvene, *Tacone Algoti* filio Prætore, *Esberno Haconis* filio, *Nicolao Torchilli* filio. Aderant *Symon*, Epiſcopus Othonienſis, *Carolus* Magiſter Scrinii Regis, *Omerus* Sacellanus Regius, *Jonas*, *Andreas*, *M. Johannes*, *Baldvinus*, Clerici Regis, *Esgerus* Præpoſitus, *Thomas* Abbas Inſulæ Dei, *Saxo Grammaticus* Præpoſitus Roeſchildenſis. Hæc Regis beneficia, prærogativas & liberalitatem, Canutiis conceſſa, *Abſolon* Pontifex *Comitiis Lundenſibus* ut rata ſint decernit, præſentibus *Stenaro* Epiſcopo Vexioenſi, *Marco* Abbate omnium ſanctorum, *Johanne* Abbate ædis trinitatis, *Hugone* Abbate Tumetorpio, *Nicolao* ædis Laurentianæ Decano, *Aſcerico* Priore Monialium ædis *Mariæ* & *Petri* Lundis, *Walberto* Abbate Esromenſi, *Johanne* Notario Pontificis, *Andrea* Diacono Pontificis, *Paine* Abbate Ringſtadienſi, *Saxone Grammatico* Roeſchildenſi Præpoſito. Subſcriptio continet Indictionem XIII. Epactam XXII. *Henricus Leo* a Cæſare proſcriptus, Comitiis ad *Eidoram* habitis, *Waldemarum* rogat, ut ſibi contra hoſtes auxilio & uſui foret; Rex denegat. In *Scania* plebs ruſtica & oppidana ſeditionem excitat ob tributa, decimas pendere renuit, Sacerdotibus conjugia decernit, ne uti hactenus per libidinem filiabus & conjugibus abuterentur illorum. Paulo poſt Rege in *Scaniam* veniente, *Abſolonem* accuſant ſeditioſi, predia Pontificalia & nobilium diripiunt. Ea de cauſa excommunicantur ab *Abſolone*, qvem nihili faciunt. Rex & Pontifex cum ſeditioſis *Scaniis* & *Hallandis* ad *Pontem Diſium Falchebergi*, menſe Februario, prælium iniunt bene: ad *Gedingam* dedentibus veniam dant ſeceſſionis, acceptis obſidibus, ſed decimarum ſolutionem denegantibus. Rex

Imperato-

Imperatorem *Fridericum*, *Lubecam* obſidentem, accidit, ſvaſu Reginæ *Sophiæ*, & filiæ Regis filiis Imperatoris promittuntur. *Sifridus* Comes provincialis Turingiæ majorem natu Regis filiam, celebratis *Slicuici* nuptiis, in matrimonium ducit. In hoc Regis & Imperatoris conventu ante *Lubecam* in caſtris confirmaſſe Regi Imperatorem omne jus obtinendæ *Transalbinæ Regionis* traditur.

Anno Domini cIↃCLXXXII. contra Henetos piratas, in *Peni* & *Sveni* amnium oſtiis propugnacula extruentes, procinctum XXII. Rex valetudinarius inſtituit, ducibus *Canuto* filio & *Abſolone*, & paulo poſt IV. Id. Maji, qvi fuit dies Mercurii poſt Dominicam *Spiritus Veritatis* & Sanctæ Crucis, *Vordeburgi* vita excedit. Corpus *Ringſtadii* ſepulturæ traditur. In ejus locum CANUTUS VI. ejus filius Rex fit Danorum CIIX. Regnat annos XX. Menſes 7. Dies XXIII. Hic in privilegiis Canutiis *Qvartus* nominatur.

Canutus Rex *Comitiis Vibergicis*, deinde *Urnicis* confirmatur. *Scanii*, authore *Acone*, *Tuconis* filio, ſeceſſionem iterum facere occupant, libertatem proclamantes, nobilium fortunas diripiunt: accitum e Sveonia qvendam *Haraldum*, regio ſangvine clarum, ſed indolis ignavæ & remiſſi ingenii juvenem, belli ducem creant, mox ei Regium nomen deferunt. Hi ad *Lummam*, autumno in hyemem prolapſo, a nobilitate profligantur, & non levi clade afficiuntur, cæſis & captis qvam plurimis.

Anno Domini cIↃCLXXXIII. *Canutus*, rebus in Cimbria & Selandia compoſitis, movet in rebelles Scanios, *Froſtiorum* agros prædæ & incendio pro militis libidine concedit: Cæteris impoſita mulcta pecuniaria gratiam facit. *Hiuleby* A. D. XII. Kal. April. donaria qvam plurima *Canutiis Sodalibus* a majoribus data approbat, ac pariter majora attribuit, conſenſu matris *Sophiæ* & Germani *Waldemari*, nobiliſſimi pueri, annum ætatis agentis XIII. Aderant Regi *Homerus* Ripenſis, *Sveno* Arhuſius, *Simon* Otthonienſis, *Nicolaus* Vibergius, *Henricus* Hetlandiæ Epiſcopi: *Marcus* omnium ſanctorum, *Thomas* Inſulæ Dei, *Acho* Herivadenſis, *Goto* Horenſis, *Simon* Soræ, Abbates: *Andreas* Othonienſis, *Saxo* Roſchildenſis Præpoſiti. Subſcriptio Indictionem primam, annum regni *Canuti* primum continet. *Sifridus* Turingus Regis Sororius a Cæſare in Daniam mittitur, qvi Regi perſvadeat Imperatorem adire & nominis Danici omne imperium potentiæ auguſtali ſubjicere: nihil effecit. Exitu anni *Canutus*, *Præbislai* principis filius, Lalandiæ Dynaſta, condito Teſtamento, Canutios Sodales bonorum in *Alſia* Inſula & aliorum qvorundam ſcripſit heredes, ac XII. Kal. Decemb. ſacris illorum initiatus *Othoniæ*, aſſumpto habitu monaſtico, non diu poſtea ſupervixit. Adfuit his ceremoniis *Simon*, Epiſcopus Othonienſis. Teſtes fuerunt, *Esgerus* Præpoſitus, *Henricus* Sacellanus & Medicus *Canuti* Principis, *M. Hilarius*, *Robertus* Sacerdos Heslagrienſis, *Ubbo*, *Gotfredus*, *Taco*, Stabularii Principis, *Thuro Scalmi* filius, *Petrus Vangi* filius, *Wilhelmus Saxonis* filius, *Hemmingus Elevi* filius, *Grimmo Taconis* filius. Hoc anno *Canutus* Rex, Regis Pannoniæ filiam in thalamum regiam duxiſſe traditur.

Anno Domini cIↃCLXXXIV. Scanii & Selandi Piratis *Æſtionibus* arma inferunt. *Abſolon*, auſpiciis *Canuti*, *Bogislao* Pomerano, qvi *Jaromaro* Rugiano vim fecerat, bellum infert & claſſem Pomeranicam memorabili victoria A. D. XIII. Kal. Junii, qvi erat feſto Pentecoſtes celebris, fundit fugatqve, depreſſis 13. captis 447. navibus: inde in *Wolgaſtios* ducit. Regem a procinctu Pomeranico reverſum adiit *Sifridus* Pontifex Bremenſis, *Friderici* Imperatoris nomine petebat, Sororem Regis ſeptuennem filio Imperatoris tradi ex pacto cum patre inito.

Anno Domini cIↃCLXXXV. *Canutus* alterum in *Pomeranos* procinctum facit: *Circipanis* fœda infertur vaſtitas & omni belli clade ſævitum in hoſtes: petenti *Bugislao* induciæ conceduntur. *Homerus* Epiſcopus Ripenſis accipit confirmationem a *Lucio III.* Papa.

Anno Domini cIↃCLXXXVI. Vere adventante, Rex in *Bugislaum* tertium ducit: *Grosvinum* oppidum exſcindit. *Cavinum* deditione capit, & *Bugislaum* bello victum, ſupplicem cum liberis, conjuge & ſuis, in ſuam redigit poteſtatem. *Henricum* inde *Burevinum* a *Jaromaro* Rugiano & *Bertislaum* a Bugislao captos, libertati & patriæ ditioni reſtituit, in verba ſua jurare adactos. *Soror Regis* a Cæſare in Daniam remiſſa, & *Sophia* Regis mater a marito *Ludovico* Comite provinciali Turingiæ repudiatur.

Anno Domini cIↃCLXXXVII. *Suno*, *Ebbonis* filius, de Cnarderopio, vir illuſtris moritur, pater clariſſimorum virorum, *Andreæ* Pontificis, *Petri* Epiſcopi Roſchildenſis, Magiſtri regii Scrinii, & aliorum.

Pridie Nonarum Septembris Solis defectio incidit tanta, Luna orbem ſubeunte, ut cœleſtia ſydera interdiu perinde ac noctu micuerint. *Annales*, qvas mihi communicavit *Langius*, annotant hoc diliqvium, cujus *Gerardus Mercator* & *Vincentius* meminerunt.

Anno Domini cIↃCLXXXVIII. Æſtate media *Comitia Lundis* publica *Abſolon* Pontifex habet, ſacris per Daniam conſtituendis & diſſonis collapſisqve ceremoniis in conſentientem formam redigendis habet. Fuit is annus *Canuti* Regis (ut legitur in *membrana Naſcovii*) ſextus, *Abſolonis* in Epiſcopatu Roeſchildenſi XXX, Pontificatus Lundenſis decimus. Venerant ad ea Comitia patres peritiſſimi ſacrorum Pontificiorum, a *Nicolao* Vibergio *Sveno* Præpoſitus, a *Svenone* Arhuſio *Esbernus* Præpoſitus & *M. Thomas*, ab *Homero* Ripenſi *M. Rudolphus* & *Thomas* Presbyter. *Trugothus*, Epiſcopus Burglanenſis, *Achonem* Presbyterum & *Johannem* Canonicum, *Johannes* Otthonienſis *Petrum* & *Gotifredum* Presbyteros, *Woldemarus*, Canuti V. Regis filius, Electus Slieuicenſis *Svenonem* Præpoſitum miſerunt. Ex eccleſia Roeſchildenſi aderant *Abrahamus* & *Albertus*, Presbyteri: e Dalbienſi *Johannes* & *Benedictus* Canonici: E Metropolitana *Sveno* Archidiaconus, *Andreas* Diaconus & *Martinus* Presbyter. Hujus rei meminit *Arnoldus* Lib. IV. Cap. XVIII. his verbis: *Abſolonis* induſtria omnes eccleſiæ totius Daniæ prius diſcordantes, uniformes in officiis Divinis factæ ſunt, & lcætera. Hoc anno *Chetillus* in Divos refertur, & illius Apotheoſis peragitur. *Roeſchildiæ Comitiis* publicis *Waldemarum*, Regulum Cimbrorum Slieuicenſium, Rex frater militaribus inſignibus exornat. *Dani* claſſe L. navium cum *Friſiis* circumnavigant *Hiſpaniam* & *Suriam* petunt.

Anno Domini cIↃCLXXXIX. Liber, continens ritus ſacros Eccleſiæ ab *Abſolone* publicatur. Expeditio facta in *Henetos*. Rex *Canutus Henrico Leoni*, oppugnanti *Bardovicum*, fert ſuppetias: qvo vi V. Kal. Novemb. capto, *oſſa Egiſti Evangeliſtæ* Petri Apoſtoli diſcipuli a ſacro Victore obtinet dono, qvi ea ſecum in Daniam transfert. *Fidentius* Cardinalis, a Pontifice miſſus in Daniam, moritur & *Lundis* ſepelitur.

Anno Domini cIↃCXC. *Magnus* Erici Ovicolæ Regis filius vita excedit. *Gavfridus*, Abbas Soranus, bona in *Rimma*, qvæ ex pia largitione *Ulfo*, *Ingertæ* filius, Coenobio dederat, *Sodalibus Canutiis* Othonienſibus permittit.

Anno Domini cIↃCXCI. bellum *Henetis* illatum. Moritur *Nicolaus* Epiſcopus Vibergius.

Anno

Anno Domini cIↃCXCII. *Celeſtinus III.* Papa, ſcribens *Ansgario* Abbati & Collegio *Ringſtadienſi*, omnia illorum privilegia approbat, & inſuper concedit, ut liceat Sodalibus, cum univerſale terræ interdictum fuerit, ſacra facere clauſis januis & non pulſatis campanis ſuppreſſaqve voce. Literæ promulgatæ IV. Kal. Martii indictione XI. Pontificatus Celeſtini anno II. Inter alios, Cardinalis ſubſcripſit *Fidentzius* tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter, qvi poſtea Legatus Pontificius in Dania fuit. *Petrus Sunonis* filius fit Epiſcopus Roſchildenſis, reſignante Abſolone. Grex *Sodalium Nigrorum* apud *ædem Michaëlis Slieuici* mittitur in *Inſulam auream*, auctore *Waldemaro* Epiſcopo, qvi, inita contra Regem agnatum cum Cæſarianis conſpiratione, profugit in Norveciam, ſolicitatum auxilia a *Sverro* Rege.

Anno Domini cIↃCXCIII. *Comitia Neoburgi* adulta hyeme habita. Aderant *Waldemarus* Regis frater, Slieuicenſium Regulus, *Sverco II.* Princeps Sveonum, & alii. Iis Comitiis bona qvædam Sodalibus Canutiis ab ERICO III. cognomine & virtute *Bono*, proavo & patre, liberaliter conceſſa, atqve alia *Virginibus Coenobii Burgii Othoniæ* data XI. Kal. Febr. Rex confirmat. Subſcribunt confirmationi Regiæ præter nominatos, *Henricus Scherpius*, *Gunno Balthius*, *Ago Vind*, *Torbernus Cry*, *Olaus Pribbe*, *Petrus Strangi* filius, *Elinus de Sproa*: item *Nicolaus de Wallum*, Regis Sacellanus, *Nicolaus de Torſtan* Diaconus Regis, *Aſcerus* Sacellanus Reginæ matris Regis. Diploma publicatum de manu *Aſceri*, Stabularii Ducis per *Nicolaum* Sacellanum de Veſtni. *Woldemarus* Epiſcopus claſſe 35. navium e Norvecia rediens, dolo circumventus, capitur & in cuſtodiam *Soburgicam* traditur. *Adolphus* Comes Holſatiæ, ſocius Epiſcopi, Regis viribus impar, pecunia mulctatur.

Anno Domini cIↃCXCIV. in bellum piraticum contra *Æſtiones* Canutus proficiſcitur. *Aſylum Cœnobium* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCXCV. *Ingeburgim*, Regis Canuti ſororem, *Philippus Auguſtus* Rex Galliarum ducit & brevi poſt repudiat, qvare *Cœleſtinus* Pontifex Maximus, petente Dano, Galliam excommunicat. *Petrus* Epiſcopus Roeſchildenſis & *Torbernus* fratres infeliciter cum *Othone* Marchione pugnant: Capto *Petro*, *Torbernus* prælio oppetit, & omnem Henetum oram Danis ſubditam hoſtis fœde vaſtat. Rex hujus belli exitum in *Mona* operiebat. Cladem hanc *Danorum* alii in annum cIↃCXCVIII. referunt.

Anno Domini cIↃCXCVIII. moritur III. Maji SOPHIA Regina, *Sverconis* filia, *Canuti* Regis mater, *Ringſtadii* ſepulta. *Dania* gravem terræ concuſſionem paſſa. Mittuntur Legati Romam ad Concilium ab *Innocentio III.* Papa inductum.

Anno Domini cIↃCXCIX. *Cœnobium Esromenſe* conflagrat incendio fortuito. *Canutus* Rex, duce *Waldemaro* Slieuicenſium Regulo fratre, *Transalbinos* bello aggreditur, contra *Adolphum Daslaum*, *Burevinum* Obotritorum, & *Nicolotum* Cicinorum Dynaſtas, patrueles, mittit. Qvi, edita in *Campo Varſcovenſi* pugna, *Daslaum* vincunt, cadente *Nicoloto*. Autumno adulto *Waldemarus Adolphum III.* Holſatiæ Comitem, gravi edita ſtrage in *Campo Stilnovio*, ſuperat: capit *Iſſeoum*, *Plonam*, & alia oppida.

Anno Domini cIↃCC. *Transalbina* regio data Danorum poteſtati cedit. Exitu anni capitur *Hamburgum*, & *Adolphus* in Daniam vinctus, a *Waldemaro* Regis fratre qvaſi in triumpho ducitur. Sub id tempus floret *Vagenus* Abbas Loci Dei, cui *Abſolon* Pontifex & *Homerus* Epiſcopus Ripenſis multa privilegia ad Cœnobii uſum largiuntur, ut teſtantur literæ, qvæ ſine annorum annotatione extant. *Flensburgum* condi cœpit. Nonis Decembris *Roeſchildiæ M. Gerardus*, Canonicus ejusdem loci, de Eccleſia bene meritus, obiit.

Anno Domini cIↃCCI. moritur *Abſolon* Pontifex XII. Kal. April. ſuccedente *Andrea Sunonis* filio, Doctore S. Theologiæ. Hujus anni exitu captum volunt *Adolphum* Comitem Holſatiæ. *Ingeburgis* Canuti Regis & Waldemari Reguli ſoror, reſtituta poſt repudium in thalamum regium, aliqvot *Sanctorum reliqvias* ſeu oſſicula *Nicolao* Epiſcopo Slieuicenſi dono dat.

Anno Domini cIↃCCII. *Waldemarus* Regulus *Othonis IV.* Cæſaris ſororem ducit uxorem, & vicisſim *Helena* ſoror Regis nubit *Gvilhelmo*, *Otthonis* Cæſaris fratri, celebratis *Hamburgi* nuptiis. *Canutus* Rex III. Id. Novembr. decedit: cui ſuccedit frater WALDEMARUS II. *Victor*, Rex Danorum CIX. Regnat annos XXXIX. Inauguratur Rex *Lundis* ab *Andrea* Pontif. VIII. Kal. Janvar.

Anno Domini cIↃCCIII. *Waldemarus* Rex multis privilegiis & confirmatis veteribus cohoneſtat *Sodales Camutios*. *Lubecam* ſplendide ingreditur menſe Auguſto. Capit *Luneburgum* deditione, demiſſo *Adolpho III.* Holſato.

Anno Domini cIↃCCIV. moritur *Esbernus Snare* vel *Celer*, ſepultus *Soræ*. *Olaus Homero* Epiſcopo Ripenſi ſuccedit, Notarius Regius, de *Cœnobio Loci Dei* optime meritus, qvia ei multa legavit.

Anno Domini cIↃCCV. Rex in *Norvecos* movet expeditionem. Dani *Vedam* ad *Tunsbergum* exſtruunt. *Esromenſe Cœnobium* iterum incendio abſumitur. In *Friſia Eydorenſi Oldenarti* Sacellum condi cœpit. *Innocentius III.* Papa cuncta *Cœnobii Loci Dei* privilegia confirmat, qvod & *Andreas* Pontifex facit, *Paulo* Abbati ſcribens. Holſati oppreſſi a Danis in *Vilſtermarſorum* terram uliginoſam & paluſtrem confugiunt.

Anno Domini cIↃCCVI. *Waldemarus Dagmarem*, Regis Boëmiæ filiam, in thalamum regium ducit, cujus & *Andreæ* Pontificis precibus *Waldemarus* Epiſcopus carcere *Soburgico* emittitur certis conditionibus. *Andreas* & fratres Colonias in *Livoniam* ducunt & *Revaliam* condunt. Holſati, munito oppido *Iſſeo*, contra Danos ſe & libertatem ſuam defendunt. IV. Kal. Auguſti *Saxo Grammaticus* Præpoſitus moritur *Roeſchildiæ*, ibidem ſepultus.

Anno Domini cIↃCCVII. *Waldemarus*, Bononiæ exulans, ſalutatur Epiſcopus Bremenſis, ſed excommunicatur ab Innocentio III. Papa. *Adalbertus*, Regius per Transalbinas regiones Præfectus, juſſu Regis, Sverinenſibus *Henrico* & *Guncelino*, propter *Johanni Gamſio* de Graboe, Potliziæ Dynaſtæ, illatas injurias, bellum facit. *Ertenburgum* expugnatur & *Boiceburgum.*

Anno Domini cIↃCCVIII. Dani, *Ebbone Sunonis* filio cum *Laurentio* & *Jacobo*, fratribus, ducibus, opem ferentes *Sverconi* Sveonum Regi, ad *Lenam* gravem accipiunt ſtragem. *Woldemarus* Rex auxiliatum venit *Burcardo* Præpoſito contra *Waldemarum* Epiſcopum. *Wittebergum* exſcindit, *Horeburgum* munit, & *Albim* ponte ſublicio trajicit.

Anno Domini cIↃCCIX. naſcitur Regi filius e *Dagmare*, cui Avi nomen imponitur, appellatqve Parens *Waldemarum.* Reditus Cœnobii *Inſulæ Aureæ* transferuntur ad *Cœnobium Ruris Regii* die S. Magni. Transmutatio confirmatur *Comitiis Husbyenſibus*, approbante *Nicolao*, Epiſcopo Slieuicenſi. Sodales erant *Ruris Regii* ex Cœnobio *Aureæ Inſulæ.* Regula & Diſciplina proponitur pridie S. Thomæ Apoſtoli. Egit Qvæſtorem Sodalium *Sivardus* Monachus Laicus. Totam hanc actionem *Innocentius III.* Papa & *Andreas* Pontifex Lundenſis comprobarunt &c.

Anno Domini cIↃCCX. *Dani* populantur *Borusſiam.* *Stralſundum* a *Waldemaro* Rege & *Jaromaro* condi cœpit.

Anno

Anno Domini cIↃCCXII. *Dani* condunt *Demimum*, & *Nienburgum* evertunt.

Anno Domini cIↃCCXIII. *Stetimum* vi capiunt & *Mutonum* Marchionis propugnaculum. IX. Kal. Junii DAGMAR Regina moritur. Item moriuntur *Petrus Senior* Roſchildenſis, Magiſter Regis Scrinii, & XIII. Kal. Maji *Olaus* Ripenſis Epiſcopi: hic ſepelitur in *Loco Dei*. Hujus tempore fuit Abbas Loci Dei *Tuco* & huic ſucceſſit *Nicolaus*. Cum eis Epiſcopus egit de qvibusdam bonis, qvæ data Cœnobio fuerant, transferendis *Honum*. Hoc anno Comites Sverinenſes *Gumcelinus* & *Henricus*, belli calamitate adducti, veniam commiſſi expetunt, qvare a Rege reſtituuntur in integrum, jurejurando verbis conceptis, ſe in fide Regis & Danorum ſemper fore.

Anno Domini cIↃCCXIV. *Waldemarus*, tertiis celebratis nuptiis, *Beringariam*, Sanctii Luſitaniæ Regis filiam, uxorem ducit, inſigni venuſtate & nitore virginem. Hujus fratrem *Ferdinandum*, Comitem Flandriæ, *Otthoni* Cæſari opem ferentem, in proelio Bovenenſi capit Rex Galliæ *Philippus*. *Fridericus II.* Cæſar omnes regiones *Transalbinas* dono dat Regi *Waldemaro*, datis in urbe Mediomatris literis, ut ferunt.

Anno Domini cIↃCCXV. naſcitur *Waldemaro* e *Beringaria* filius *Ericus*, qvi poſtea *Plocfpenninga* dictus eſt. *Comitia in Samo* Inſula *Waldemarus*, Regis filius, princeps juventutis declaratur, & optimates in ejus verba jurant. Rex Cæſari *Otthoni* in Holſatiam irruenti occurrit & vi militis Danici expellit. Eo in bello virtus Friſiorum *Svenonis Stercke* & *Broderi Gauling* eminebat. *Olao* Epiſcopo Ripenſi III. Kal. Maji vita functo ſuccedit *Turo* Archidiaconus. Hic cum Sodalibus *Loci Dei* Ciſtercienſibus & *Nicolao* Abbate egit ſuper bonis qvibusdam, qvæ conſenſu Collegii obtinuit & facta permutatione *Honum* transtulit.

Anno Domini cIↃCCXVI. *Waldemarus* Rex Albim glacie congelatum trajiciens, venit populabundus in ditionem *Henrici* Palatini, cuncta obvia occupans, *Hamburgum* duobus propugnaculis oppugnat & deditione in poteſtatem redigit, adjuvante fortiter *Adalberto* C. Orlamundio. *Ericus*, Regis filius, puer nobiliſſimus, a parente Regulus Cimbrorum nominatur. *Nicolaus*, filius nothus, *Comes Hallandiæ* conſtituitur.

Anno Domini cIↃCCXVII. *Adalbertus* Orlamundus, Præfectus Transalbinorum regius, *Travemundum* munit. Dani in *Dithmarſia* arcem extruunt.

Anno Domini cIↃCCXVIII. *Comitiis Slieuici* publicis, juſſu Patris, WALDEMARUS III. filius Rex Danorum CX. coronatur, IIX. Cal. Julii, præſentibus XV. Epiſcopis, tribus Regulis, tribus Comitibus & innumeris Abbatibus & Optimatibus. Obiit *Nicolaus* Comes. *Hamburgum Adalberto* Orlamundio dono datur ob rebellionem a Rege accipiente CCC. argenti libras. Exundatio per *Friſiam*.

Anno Domini cIↃCCXIX. Rex ingenti ſua navium longarum claſſe conflata *Æſtnionibus* & aliis Paganis bellum Piraticum infert, & ad Religionem Chriſtianam victos adducit.

Anno Domini cIↃCCXX. Dani in *Livonia*. Rex bello incumbit. *Beringaria* uxor marito conjuncta ex improviſo ſagitta percutitur VI. Kal. April. Tum *Danopolis*, *Revalia*, *Leale*, & alia oppida in *Livonia* a *Danis* condi cœpta.

Anno Domini cIↃCCXXI. Regina *Richeſſa* moritur. *Andreas* Pontificatu Lundenſi ſe abdicat, ſuccedente *Gunnaro* Abbate Omenſi.

Anno Domini cIↃCCXXII. moritur IX. Kal. Febr. *Homerus* Roeſchildenſis Archidiaconus. *Gregorius* Diaconus Cardinalis, Legatus Pontificius, per omnes Danorum Epiſcopas vagatur, & Kal. Novemb. *Slievicum* rediens, in *Concilio generali*

Sacerdotum liberos exhæredat & iis ſtricte matrimonium inhibet. *Tuno*, Epiſcopus Ripenſis, *Rivaliæ* rudes Chriſtiana religione inſtruit per hiemem.

Anno Domini cIↃCCXXIII. in Daniam e *Livonia* rediit, *Revalia Canuto* Regis filio relicta, *Duci Æſtniorum.* Rex *Waldemarus* cum filio *Waldemaro III.* capitur *Lytho* in Selandia ab *Henrico* Comite Sverinenſi pridie Non. Maji, & captus *Dameburgum* ducitur, ubi vinculis aſſervatur biennio. Proditores fuerunt aulici Regis.

Anno Domini cIↃCCXXIV. *Petrus Saxonis* filius Pontifex Lundenſis creatur. Moriuntur *Andreas* Camerarius & *Hugo* Præpoſitus Arhuſienſis & Canonicus Roeſchildenſis.

XIII. Kal. Septemb. *Henricus* Cæſar, Imp. Friderici II. filius, in Saxoniam proficiſcitur, cum *Cunrado*, Epiſcopo Portuenſi, Cardinale tit. S. Rufinæ, & *Engelberto* Colonienſi Pontifice, & aliis Principibus, pro liberatione *Waldemari* Regis & reſtitutione terræ injuſte ablatæ. Venientes ad *Albim* præmittunt reconciliationis gratia *Hermannum* Magiſtrum Hoſpitalitatis Teutonicorum. Cujus ſvaſu perſvadetur Rex, ut omnem terram ablatam reddat Imperio, & det qvinqvaginta millia librarum argenti. At Comes de Orlamunda *Adalbertus* & Barones Daniæ reprobantes, aſcenſis navibus, cum indignatione recedunt, ingentem pecuniam, qvam ad redimendum Regem attulerant, ſecum deferentes. *Holſati*, inito cum vicinis Regulis fœdere, arma pro libertate expediunt contra *Danos.*

Anno Domini cIↃCCXXV. menſe Januarii, *Adalbertus* C. Orlamundus confligit cum *Henrico* C. Sverinenſi, & capitur cum multis Danorum nobilibus, cuſtodiæqve *Dannebergicæ* traditus, aſſociatur Regi. *Adolphus IV.* auxilio Pontificis Bremenſis *Gerardi*, *Henrici* C. Sverinenſis, & *Henrici* Heruli, invitatus etiam a Potentioribus Holſatiæ, *Albim* tranſit & Regionem *Transalbinam* occupat. XV. Kal. *Petrus Jacobi* filius, Epiſcopus Roeſchildenſis, ad Danubium in exilio, pridie Kal. Junii *Syvando Saxonis* Præpoſiti filius, Canonicus Roeſchildenſis moriuntur. Redierunt ambo Reges e cuſtodia Dannebergica, magno lytro perſoluta.

Anno Domini cIↃCCXXVI. Rex libertati reſtitutus, immemor juramenti, auxiliante *Ottone*, *Henrici Leonis* nepote, Principe Lunæburgenſi, regionem iterum invadit Transalbinam. *Friſii* complures cæduntur in *Ditkmarſia* & *Danis* fiunt ſubditi.

Honorius III. Pontifex Maximus *Sodalibus Canutiis* omnes, qvas tenebant in *Fionia*, *Lalandia*, *Herro*, *Halſe*, *Jutia*, *Rimo*, *Sild*, poſſeſſiones confirmat, de Electione Prioris addit, & Cœnobium facit *Aſylum* eſſe periclitantibus. Diploma divulgatum per manus *M. Simbaldi* XVIII. Kal. Decemb. Pontificatus Honorii III. anno XI.

Anno Domini cIↃCCXXVII. *Lubecenſes* in Carnevallibus rebellionem *Danis* faciunt, & fraude capiunt Arcem, ejecto Danorum præſidio aut occiſo. Rex *Transalbinis* bellum infert, opem ei ferente ſororis filio *Ottone*, Leonis nepote. Holſatis ſuppetias ferebant *Gerardus* Bremenſis Pontifex, *Albertus* Saxoniæ Elector, *Henricus* C. Sverinenſis, *Adolphi*, Schaumburgius & Holſatus, pater & filius, *Henricus* Herulus *Burevini.* Dux Lubecenſium erat *Alexander* Soltvedelenſis. Et, commiſſo in *Campo Bornchovitico* prœlio, *Dani* vincuntur perfidia & defectione *Dithmarſorum.* Rex, amiſſo oculo, fuga evadit cum filio. Inter alios capiuntur *Ottho* Lunæburgicus Princeps & *Tuno* Epiſcopus Ripenſis: hic ſe CCCL. argenti libris redemit, ille depoſito Saxoniæ Ducis titulo. Prælium eſt commiſſum XI. Kal. Auguſti, feria qvinta poſt Dominicam Juſtitiæ Chriſtianæ & Phariſaicæ, anno Regni *Waldemari II.* Viceſimo ſexto ineunte, qvi de ſuis deſideravit eo prælio qvatuor millia hominum.

Anno

Anno Domini cIↃCCXXVIII. moriuntur *Andreas*, qvi abdicaverat, & *Petrus Saxonis* filius, Lundenſes Pontifices: hic VI. Idus Julii.

Anno Domini cIↃCCXXIX. *Otto* Cardinalis fuit in Dania, & *Offo* Pontifex Lundenſis creatur.

Anno Domini cIↃCCXXXI. Pridie Idus Martii *M. Johannes* Canonicus Roeſchildenſis: X. Kal. Maji *Adela*, fœmina illuſtris, de eccleſia Roeſchildenſi bene merita: III. Idus Maji *Leonora*, *Waldemari III.* Regis Conjux, in puerperio, ac IV. Kal. Decemb. ejus maritus *Waldemarus* Rex, in *Sylva Resnica* improviſo ſagitta percuſſus, moriuntur.

Anno Domini cIↃCCXXXII. Juſſu parentis ERICUS Regis filius Rex nominatur, & ab *Offone* Pontifice regio diademate inſignitur, & *Abeli*, alteri Regis filio, Cimbriæ Slievicenſis ditio attribuitur, Reguli ſeu *Ducis* tytulo. *Franciscani* irrepunt in Daniam & nidulos ſuos primum *Ripis* ponunt. Eccleſiæ, *Lundenſis* & *Roeſchildenſis*, incendio vaſtantur.

Anno Domini cIↃCCXXXII. fuit ſingularis per orbem Chriſtianum in Eccleſiis Latinis religionis devotio plena ſuperſtitionis.

Anno Domini cIↃCCXXXIV. Collegium Franciſcanorum *Slieuici* fundari cœpit.

Anno Domini cIↃCCXXXVI. *Waldemarus*, olim Epiſcopus Slievicenſis & Bremenſis, qvi *Aſylum* Cœnobium condidiſſe fertur, *Lucæ* moritur in Hetruria. Conventicula Franciscanorum *Randruſii* in Cimbria Cisgudiana & *Scenеburgi* in Fionia extrui cœpta. III. Idus Martii moritur *Ludgerus* Canonicus Roeſchildenſis bene meritus.

Anno Domini cIↃCCXXXVII. *Adolphus IV.* Comes Holſatiæ filiam *Machtildim* elocat in matrimonium *Abelis* Reguli Slieuicenſis, qvam contra parentis Regis voluntatem filius duxiſſe traditur, & eum terræ Transalbinæ tutorem conſtituit. Prælium ad *Scanoram* inter Danos & Norvecos: cæſi *Norveci.* Horrenda ventorum tempeſtas die Clementis. Conventiculum Franciscanorum *Roeſchildiæ* fundari cœpit ſub Rege *Erico*, *Nicolao* Epiſcopo & Pontifice *Offone*, illorum fautoribus & patronis. Bellum *Waldemari* Regis contra *Lubecenſes*, Transalbinis ſuppetias ferentibus.

Anno Domini cIↃCCXXXVIII. VI. Idus Janvar. *Jordanus*, Canonicus & Cantor Roeſchildenſis, IIX. Kal. April. *Nicolaus*, Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ, moriuntur. Conventicula Franciſcanorum *Lundis* ab *Offone* Pontifice & *Haſniæ* poni cœpta.

Divus Wilhelmus refertur in Apotheoſin *Apelholti.* Pax & Concordia inter Regem *Waldemarum II.* & *Hermannum*, Præceptorem ordinis Teutonici in Livonia, de *Revalia*, *Gervia*, *Harria* & *Vironia*, VII. Idus Septembris ſancitur datis literis. *Offoni* Pontifici III. Id. Septemb. ſcribens *Tuco*, Epiſcopus Slieuicenſis, omnia Cœnobio *Loci Dei* & Sodalibus Ciſtercienſibus privilegia corroborat, addito excommunicationis fulmine adverſantibus, & teſtatur ſe litem inter Cœnobium & *Ubbonem*, illuſtrem virum, diſiniviſſe, cum ad eum accederet comitatus Dei, *Johanne* Trugilli filio, *Matthia Urna*, *Ivaro Cabrico*, *Lagone de Karlſura*, & aliis.

Anno Domini cIↃCCXXXIX. Franciſcanorum Conventicula *Neſtvedæ* in Selandia & *Calumdeburgh* extrui cœperunt. *Ericus* Rex & Conſors Regni paterni celebrat nuptias cum *Juditta*, Ducis Saxoniæ filia. Qvamvis eſſent cognati qvarto gradu, tamen illis matrimonium conceſſum permiſſu Pontificis Max. *Gregorii IX.* qvi hoc anno *Eccleſiæ Frauticæ* liberaliter attribuit indulgentias in *Fionia.* III. Idus Septembr. obiit *Magiſter Petrus*, frater *Remberti* Canonici Roeſchildenſis, bene meritus de Ec-

cleſia Roeſchildenſi: alias nomen ipſius in libitinam non perveniſſet: Sic & de aliorum Canonicorum nominibus ſentiendum.

Anno Domini cIↃCCXL. Veris principio, Rex *Vordeburgi Comitia* habet & *Leges Danicas evulgat*, qvæ jam in omnium manibus verſantur. Interfuerunt Comitiis *Ericus* Rex conſors Regni, *Abel* Regulus, *Chriſtophorus* tertius Regis filius, *Offo* Pontifex, *Nicolaus* Roeſchildenſis, *Ivarus* Otthonienſis, qvi Loio ſucceſſit, *Johannes* Slieuicenſis, *Gunnarus* Ripenſis, *Petrus* Arhuſius, *Gunnarus* Vibergius, *Johannes* Burglanenſis, Epiſcopi. *Aqvinus Sveri* nepos, Rex Norweciæ *Sculoniem* Regulum ſeditioſum a filio trucidari curat bello victum. *Abel* Regulus Cimbriæ Slieuicenſis confirmat *Ripis* XIV. Kal. Martii Sodalibus *Loci Dei* omnia privilegia & VII. Kal. Septemb. idem iisdem omnia jura per majores attributa *Slieuici* corroborat.

Anno Domini cIↃCCXLI. moritur WALDEMARUS II. Cogn. *Victor*, Rex celeberrimus Danorum, V. Kal. April. die Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacro. Cui ſuccedit ERICUS VI. Waldemari II. filius, Waldemari I. nepos, cogn. *Plochpeming*, Rex Danorum CXI. Regnat annos X.

Waldemarus II. primus honorifice *Minores* ſeu *Franciſcanos* in Daniam recipit, teſtante eorum *Diario*. Moriuntur *Petrus Strangonis*, Vir Illuſtris & IV. Kal. Oct. *Petrus Ingvari* filius, Præpoſitus Roeſchildenſis. Arſit *Cometa* juxta ſolem, cujus deliqvium etiam fuit.

Anno Domini cIↃCCXLII. Pridie Id. Januarii *Petrus* Canonicus, IX. Kal. Febr. *Paulus* Canonicus & Cantor Roeſchildiæ, XIII. Cal. April. *D. Johannes Johannis* filius, vir nobilis, *Lundis*, beneficus in Eccleſiam, nonis Maji *Jordanus* Canonicus & ædificiis Procurator, *Roeſchildiæ*, vita excedunt. Cœnobia *Ringſtadii* cum villa & *S. Mariæ Roſchildiæ* conflagrant. *Ericus* Rex confirmat *Canutiis Othonienſibus* privilegia & poteſtatem piſcandi in *amne* præterfluente facit: Actum *Othoniæ* III. Idus Novemb. Idem facit *Abel* Regulus, Regis frater. Bellum ſociale & fraternum inter *Regem* & *Abelem* cœpit. IV. Non. April. *Ripæ* exuſtæ.

Anno Domini cIↃCCXLIII. *Ericus* Rex bellum in *Abelem* fratrem meditatur. *Tundera* jus municipale *Lubecenſe* ab *Abele* Regulo obtinet.

Anno Domini cIↃCCXLIV. IV. Non. April. obiit *M. Henricus Harpeſtreng*, Canonicus Roeſchildenſis bene meritus. Legatus Pontificis Max. in Daniam venit. Expeditio fit in *Revaliam*. Innocentius IV. Papa omnia privilegia a Regibus conceſſa *Sodalibus Canutiis* approbat & libertatem illis concedit ab omnibus exactionibus: omnes reditus illis a Regibus & piis hominibus datos corroborat, & facit, ut illorum Eccleſia ſit *Cathedralis*, dato Diplomate XIII. Kal. Martii Lugduni. Subſcripſerunt Cardinales XIII. per manum M. Marini S. R. E. Vice-Cancellarii: Indictione II. Pontificatus Innocentii IV. Papæ anno II. Rex *Ericus* copias ducit in fratrem *Abelem* ad *Coldingam*. Cœnobium Franciſcanorum ab *Adolpho IV.* jam Sacris Minoritarum initiato *Chilonii* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCCXLV. Epiſcopus Slieuicenſis *Johannes* moritur, ſuccedente *Eſchillo Nigro*. *Petro Jacobi Sunonis* filio, Epiſcopo Roſchildenſi, ſubrogatur *Nicolaus Stigoti* filius. *Concilium Otthoniæ* ceremoniis conſtituendis facit poſt XI. Kal. Febr. Interfuerunt *Offo* Pontifex, *Gunnarus* Vibergius, *Nicolaus* Roeſchildenſis, *Petrus* Arhuſius, *Gunnarus* Ripenſis, *Johannes* Burglanenſis, *Eſchillus* Slieuicenſis, *M. Petrus Dacus* Coadjutor, *Ivarus* Othonienſis Epiſcopi, *M. Johannes de Placentia*, Pontificis Maximi nuncius. *Johanni* Burglanenſi Epiſcopo ſuccedit *Eſchillus* Præpoſitus. Generale *Concilium Lundis* ab *Offone* habitum. *Nicolaus*, Epiſcopus Roeſchildenſis, Concilium hoc fugiens, e Dania aufugit in Gallias. Anno

Anno Domini cIↃCCXLVI. *Sora Cœnobium* combuſtum. XVI. Kal. Junii obiit Dominus *Jacobus Sunonis* filius, vir illuſtris, beneficentia & meritis erga eccleſiam Roſchild. clarus. Rex *Ericus* denuo exercitum ducit in fratrem *Abelem:* cui occurrit *Abel*, copiis Teutonum ſeptus; nam ei militabant *Gerardus*, Pontif. Bremenſis, & *Johannes*, Comes Holſatiæ, ſororius, & alii. Commiſſo prœlio, ecciderе multi. VII. Idus Auguſti Rex in *Alſia* Inſula erat, ubi Cœnobio *Loci Dei* privilegia corroborat.

Anno Domini cIↃCCXLVII. Kal. Febr. *Godechinus Scredera*, Roſchildenſis Civitatis Magiſter, moritur. Capiuntur *Ripæ* ab *Abele*, recipiunturqve. *Sora* & *Colbas* Cœnobia comburuntur. Teutones milites *Othoniam*, Rex *Sveneburgum* totum exurit. Magnæ calamitates miſeriæqve, vaſtationibus ubiqve locorum illatis, dum frater fratris vitæ inſidiatur.

Anno Domini cIↃCCXLVIII. Teutones exurunt *Haſniam*. *Olaus* Pincerna obiit. *Chriſtophorus* & *Canutus*, fratres Regis, capiuntur a Rege. *Nicolaus* Epiſcopus Roſchild. in *Claræ-valle* altero die Lucii Papæ decedit.

Anno Domini cIↃCCXLIX. *Ericus* Rex Sveoniæ moritur. Scribit Pontif. Max. Innocentius IV. *Rudolpho*, Canonico Ripenſi, Non. Auguſti Lugduno, ut litem dirimat inter *Virgines Dalumenſes* & *Taconem*, *Gudmundi* filium, *Tuconem de Bageheret*, & alios, & niſi injuriis faciendis ſuperſedeant, excommunicet: item ut judicium ferat in *Piperam* militem, *Tuonem Hermanni* filium, *Nicolaum Halde* & *Achonem Sa:* qvi Prioriſſæ bona & Monaſterii *Dalumenſis* invadebant, ſita in *Wendelsheret*, *Huusherret*, *Vimmingherret*, *Sundsherret*, litteris datis Lugduni XII. Kal. Auguſti: item ut judicium ferat pro Virginibus de bonis in *Torslund*, *Langeland*, *Laland*, contra *Matthiam Brochi*, *Nicolaum Toſingh*, *Rech* & *Heming de Ottensherret:* Item de bonis in *Erre*, *Alſe*, *Imbre*, contra *Ingvarum Tuxigrum*, *Chriſtiannum Ellaffi* filium, *Bemered de Galter*. IX. Kal. Auguſti moritur *Gunnarus*, Epiſcopus Ripenſis, de Cœnobio *Loci Dei* bene meritus, ubi ſepulturæ datus eſt.

Anno Domini cIↃCCL. *Abel* Regulus dolo malo fratrem *Ericum* Regem accedentem *Slicuici* capit, & qvidam militum *Abelis* captum abducit navigio, *Lago Gudmundi* filius, & ſecuri occidit V. Idus Auguſti feria tertia ſeptimanæ poſt Dominicam *Phariſæi* & *Publicani* in templo precantium: Corpus in *Slyam* projicit multo ferro onuſtum. Eo anno rediit *Pariſiis* e Schola *Waldemarus Abelis* filius, ſed capitur ab Epiſcopo Colonienſi. ABEL Rex eligitur Danorum CXII. Regnat annos tres, aliis duos. Coronatur menſe Novembri. Nemo ex his, qvi hujus cædis auctores fuerunt, ſua morte defunctus eſt.

Anno Domini cIↃCCLI. *Abel* Rex IV. Idus April. *Ripis* Cœnobium *Loci Dei* privilegiis & beneficiis afficit. VII. Kal. Junii Prædicatoribus Sodalibus *Lundis* multas prærogativas erogat. *Neoburgi* Confirmatio pactorum, a *Waldemaro II.* Rege Parente cum Teütonicis initorum, per *Abelem* ſancitur 17. Idus.

Anno Domini cIↃCCLII. moritur *Jacobus* Epiſcopus Othonienſis, cui *Regnerus* ex ordine Franciſcanorum Minorum Sodalium, adnitente *Abele* Rege, ſuccedit. *Abel* Rex hieme in *Friſios Eydorenſes* movet ſibi rebelles, ſed tepore aëris glacie colliqvata intermittere expeditionem cogitur.

Anno Domini cIↃCCLIII. in *Friſios Eydorenſes*, juxta eorum *Annales*, denuo reſumit expeditionem, & ad *Mildaburgum* hoſtilem regionem init VII. Idus Julii. Die poſtero *Eydoram* trajicit ad *Osderswortum* pagum, ibiqve caſtrametatur. Ei obviam procedunt *Friſii*, actisqve aggeribus ſe fortiter defendunt: Ipſe ſex diebus omni belli clade hoſticum vexat. Demum XVI. Kal. Auguſti, commiſſo cum *Friſiis* præ-

lio, in fugam agitur ad *Coldebutelam* & terra ejicitur, ac, cum omni periculo defunctus, videretur, in aggere *Mildæ* amniculi circumventus opprimitur. Alii referunt cædem parricidæ contigisse superiori anno. Hæc secundum Relationem *Annalium Eyderstadensium.* Alii diem hujus cladis & cædis exprimunt III. Kal. Julii. Hujus frater CHRISTOPHORUS I. Rex Danorum CXIII. creatur: Regnat annos VII.

Christophorus Rex *Waldemaro*, *Abelis* fratris filio, *Ducatum Cimbriæ* dato vexillo concedit *Coldingæ.* Pugna inter Regem & *Henricum Amelthorp* ad oppidum *Schelfiscoram.* Eo in bello *Svenoburgum* & *Skelfiskora* capiuntur in bello intestino.

Anno Domini cIↃCCLIV. Idibus Martii *Haffnia* ab Episcopo Roeschildensi *Jacobo privilegia & jus municipale* obtinet. *Offo* Pontifex Lundensis moritur, cui substituitur *Jacobus Erlandi*, de qvo diximus, Episcopus Roeschildensis, consensu Innocentii IV. Pontif. Max.

Anno Domini cIↃCCLV. moriuntur *Roeschildiæ Petrus Sybilla* Kal. Jan. *Petrus Ruffus* XIII. Kal. Febr. *Andreas Everbaltson* XIII. Kal. Martii, omnes Canonici. Eodem die, scilicet XIII. Kal. Martii iniit Pontificatum Lundensem, in Insula *Rugia*, *Jacobus Erlandi* filius, Episcopus Roeschildensis. Pridie Kal. Jan. moritur *Petrus* Regis Canonicus Roeschildensis. *Esgerus* Episcopus Ripensis privilegia cuncta Cœnobio *Loci Dei* confirmat.

Anno Domini cIↃCCLVI. Agrestes bellum servile excitant, armati fustibus sudibusqve, vocanturqve *Kotkerlæ*, ac nobilitati cleroqve arma inferunt ac multas arces demoliuntur. Iterum *Esgerus* Ripensis Sodalibus *Loci Dei* omnia concessa corroborat privilegia. Reges Daniæ & Sveoniæ *Hafniæ Comitiis* publicis conveniunt, amicitiam & fœdus ineuntes.

Anno Domini cIↃCCLVII. Cadaver Regis *Erici VI.* fratris sepulcro educit Rex *Christophorus*, & e Basilica Petrina *Slieuico* transfert *Ringstadium*, præsente *Nicolao* Episcopo Slieuicensi, qvi hoc anno successerat *Eschillo Nigro.* *Othoniæ Tuco Lycky* & ejus filius *Petrus*, *Tuuo Ostenson*, *Tuuo Bertrasson*, *Matthæus Broky*, *Johannes Torendosz*, Senatores eminent, homines religiosi. Ab his sibi comparant pratum *Aconis* Canutii Sodales. *Aqvinus* Rex Norweciæ fuit in Dania. *Christophorus* Rex *Ripis* Cœnobio *Loci Dei* VI. Nonas & V. Idus Maji privilegia corroborat & aliis auget, additis majoribus donariis.

Anno Domini cIↃCCLVIII. pugnat Rex *Christophorus* cum agrestibus ad *Kutzedorpium.* Grave damnum ex *inundatione* patiuntur *Ripæ.*

Anno Domini cIↃCCLIX. VII. Idus Febr. *Roeschildiæ* moritur *M. Alexander* Canonicus. Orta lite inter Regem & *Jacobum* Pontificem ob decimas, capitur Pontifex & in custodiam *Hagenscoviam* conjicitur. *Petrus Bang*, Episcopus Roeschildensis aufugit e Dania, qvo procurante, *Jaromarus* Rugianus Selandiam vastat, & prælium ad oppidum *Nestvedam* editur. *Christophorus* Rex Ripis IV. Kal. Junii moritur (ut volunt nonnulli) veneno, & *Ripis* in Basilica sepelitur. In ejus locum substituitur ERICUS VII. Cognomento *Cleppinga*, Christophori filius, Rex Danorum CXIV. Regnat annos XXVII. Menses VI. Ob Pontificis Lundensis custodiam & vincula a Pontifice Maximo Dania sacrorum communione eximitur.

Anno Domini cIↃCCLX. *Olaus* Episcopus Burglanensis in Ecclesia per qvendam militem *Johannem Glob* confoditur. Pridie Nonas Martias *Comitia Helsingburgi* publica. XI. Kal. Octobr. *Waldemarus* Regulus Cimbriæ privilegia confirmat *Loci Dei* Cœnobio. Moriuntur *Absolon* Provincialis, *Jaromarus* Rugianus & *Waldemarus* Regulus Cimbrorum. *Ericus*, Abelis filius, obtinet *Ducatum.* Obiit qvoqve Idibus Oct. *Canutus* Dux Lalandiæ, relicto filio *Erico Longipede.* Anno

Anno Domini cIↃCCLXI. Rex bellum in *Ericum* Regulum Cimbrorum ſumit, & conſerta in *Campo Leonico* V. Kal. Auguſti manu, Rex victus & Regina mater *Margareta* capiuntur & complures Dani trucidantur. *Ericus* hujus prælii Victor Sunderburgi VII. Kal. Decemb. præſentibus *Andrea Petri* filio, qvondam Magiſtro Eqvitum, *Nicolao Henrici* filio, *Helmerico* Diacono, *Magno Grummeſio*, Sodalibus Canutiis Othoniæ concedit immunitatem mere majorum ab omni tributi exactione. Moritur *Adolphus IV.* Comes Holſatiæ & Scaumburgi jam Franciſcanus pridie Nonas Julias,

Qvondam noſtrorum pater & ſpeculum dominorum,
Laus Holſatorum, Comes *Adolphus*, Regula morum,
Fragrans flos florum, Lux, Scumberus, Gemma bonorum:
Sertum Doctorum cui contulit Ordo Minorum.
Ne Fraus Ranorum ſeducat Dœmoniorum,
Nos prece juſtorum conducat ad alta Polorum.

Anno Domini cIↃCCLXXII. Regina *Margarita Sprengkeſt* liberatur vinculis & in Daniam rediit. Matrona nobiliſima *Ingeborgis de Kalendborg* in exilium proſcribitur.

Anno Domini cIↃCCLXIII. Conventiculum Franciſcanorum *Flensburgi* fundari cœpit. *Regina*, mater Regis, curat comprehendi *Petrum Finſſon* & *Ivarum* ob proditionem, & ad *Neoburgum* laqveo necari. Scanii obſident *Helſingburgum.*

Anno Domini cIↃCCLXIV. III. Id. Aprilis vita excedit *Nicolaus Iuriſſon*, Canonicus Roeſchildenſis, qvi conſtruxit & dotavit *aram* Divorum *Andreæ* & *Thomæ* de bonis matrimonii. *Ericus* Rex vinculis emittitur liber. *Aruescovum* evertitur.

Anno Domini cIↃCCLXV. IIX. Idus Maji decedit *Philippus* Stabularius, qvi dedit Eccleſiæ Roſchildenſi manſum in *Havertorp* ad aram Michaelis. *Mogeltundera* arx ſolo æqvatur & deſtruitur.

Anno Domini cIↃCCLXVI. Pridie Id. April. decedit *Nicolaus Peterſon*, qvondam Camerarius. Hujus filius fuit *Jacobus* Archidiaconus Roſchildenſis. III. Non. Jul. moritur *Tuco* Paſtor bene meritus de Eccleſia Roſchild. In *Sconia* Conventiculum Franciſcanorum extrui cœpit *Iſtadii*. *Gvido* Presbyter Cardinalis tit. Laurentii, Legatus Apoſtolicus, fuit in Dania, & *Ripis* comprobat privilegia Cœnobio *Loci Dei.* XV. Kal. Septemb. anno Pontificatus Clementis Papæ IV. ſecundo. *Birgerus* Dux Sveoniæ decedit vita.

Anno Domini cIↃCCLXVII. *Nicolao*, Epiſcopo Slievicenſi, vita functo ſuccedit *Bundo.* Moriuntur *Ingeburgis* Matrona in exilio *Hatheby*, & XIV. Kal. Nov. *Gvilhelmus* Uplandenſis, Canonicus Scholaſticus Roeſchildenſis, bonarum artium Magiſter.

Anno Domini cIↃCCLXVIII. Rex arcem *Coldingæ* extrui curat.

Anno Domini cIↃCCLXIX. *Ripis* IIX. Kal. Febr. Cœnobium *Loci Dei* privilegiis & bonis auget Rex *Ericus*, præter antiqva a majoribus conceſſa.

VII. Kal. Febr. obiit *Chriſtina*, uxor qvondam *Nicolai* Camerarii. Menſe Martio *Comitia Helſingburgi* Rex habet, ubi *Leges ſumptuariæ & veſtiariæ latæ ſunt.*

VI. Kal. Julii *Neoburgi Comitia* publice habita: ibi qvoqve qvædam *Leges rogantur agrariæ & oppidanæ.* *Benedictus* Legatus Pontificis Maximi fuit in Dania pro decimis colligendis. Cœnobia *Holbeci* & *Helſingburgi* deductis Sodalium coloniis condita.

Anno Domini cIↃCCLXX. moriuntur *Roeſchildiæ* III. Kal. Auguſti *Michaël* Canonicus & Cantor, 3. Id. Novemb. *Petrus Ottheſon* Archidiaconus: Item *Andreas*

Pincerna, *Olai* Pincernæ filius. *Chriſtina*, nobilisſima fœmina, vidua illuſtris viri, *Nicolai* Camerarii, legaverat teſtamento qvædam bona *Mqnaſterio Dalumenſi* octava Epiphaniæ, teſtibus *Tuuone* Dapifero & *Waldemaro* Priore Canutiorum. Ea offerunt *Henricus Cremper*, Civis Otthonienſis, & *Jacobus Tacheſon*, Canonicus Ripenſis, Monaſterio hoc anno. Obiit *Abel*, Regis *Abelis* filius, ſepultus *Svenoburgi*.

Anno Domini cIↃCCLXXI. X. Kal. Oct. *Benedictus* Decanus moritur *Roſchildiæ*, qvi conſtruxit & dotavit *aram Johannis Evangeliſtæ*. *Urbs Ripenſis* conflagrat. *Terræ motus* gravis in qvibusdam *Sveoniæ* partibus. Rex *Ericus* Cimbriam Slieuicenſem populatur & ferro flammaqve vaſtat. *Othoniæ* Canutiorum Prior *Hennechinus* fuit de Scholis puerilibus bene meritus.

Anno Domini cIↃCCLXXII. *Johannes Erlandi* filius in vinculis moritur: item *Ericus* Regulus Slieuicenſium Cimbrorum. *Gregorius X.* Papa Cœnobio *Loci Dei* privilegia comprobat anno Pontificatus I. Fuit inſignis *annonæ caritas*, qvæ ab eſturialibus diebus usqve ad meſſem duravit, & complures *Lubecæ* & iis in locis fame extincti ſunt.

Anno Domini cIↃCCLXXIV. *Roeſchildiæ* moriuntur III. Idus Martii *Petrus Unæſon* Præpoſitus & XV. Febr. *M. Henricus* frater in Paradiſo Canonicus & Cantor.

Anno Domini cIↃCCLXXV. *Concilium* Univerſale fuit *Lundis* contra Clericos tempore Gregorii X. Papæ. Moriuntur Pontifex *Jacobus Erlandi* in reverſione ab exilio, *Aſcerus* Canonicus & Sacriſta Roeſchildiæ VI. Idus Auguſti & XVI. Septemb. *M. Nicolaus Trugothi* filius, Canonicus ejusdem loci. In Pontificatu *Jacobo* ſubſtituitur *Erlandus*.

Anno Domini cIↃCCLXXVI. Interdicto, in qvo fuerunt, *Dani* eximuntur. Bellum in *Sveonia* civile. Circa Solſtitium æſtivum Dani, duce *Stigotho*, Magiſtro Eqvitum, *Sveones* devincunt. Rex *Waldemarus* regno pellitur. *Magnus*, Rex Sveoniæ, *Scaniam* populatur.

Anno Domini cIↃCCLXXVII. moriuntur *Roeſchildiæ* IIX. Kal. Maji *Conradus* Diaconus, XIV. Kal. Julii Dominus *Henricus* Presbyter, dictus *Lamb*, IIX. Kal. Julii *Petrus Bang* Epiſcopus: In Sveonia *Ericus* Dux. *Trugothus*, *Torſtani* filius, Pontifex Lundenſis creatur. *Norveci* vincuntur a Danis ad *Scanoram*.

Anno Domini cIↃCCLXXVIII. *Trugothus* conſecratur Pontifex, perſolutis *Nicolao III.* Papæ Cathedraticis. *Alfus* nobilisſimus obiit. *Trugothus Concilium Velæ* celebrat, præſentibus Clericis & Prophanis. X. Kal. Decemb. moritur *Jacobus*, *Nicolai* Camerarii filius, Archidiaconus Roeſchildenſis.

Anno Domini cIↃCCLXXIX. Rex IIX. Kal. Feb. *Neoburgi* Cœnobio *Loci Dei* complura beneficia largitur & Sodalium privilegia confirmat. *Andreas*, *Nicolai* Camerarii filius, oppugnabat Teſtamentum matris *Chriſtinæ*, qvo Virgines *Dalumenſes* bonis dotaverat, & *Andreas*, Dalumenſis Prior, litis procuratorem *M. Jacobum* Canonicum Lundenſem fecerat, teſtibus adhibitis *Johanne* Archidiacono Lundenſi & *Nicolao* Præpoſito Otthonienſi. Inde gravis actio inſtituta, ut *Trugothus* Pontifex conſtituerit *Tuconem*, Epiſcopum Arhuſium, ejus rei judicem, & demum menſe Martio litigantibus coram ſe diem dixerit *Helſingoræ*, poſtremo totam cauſam æſtate dijudicandam Epiſcopo Arhuſio & *Waldemaro* Præpoſito reliqverit: Ipſe pro Virginibus Idibus Aprilis pronunciavit. VI. Non. Julii obiit *Trugothus*, Epiſcopus Revalienſis, qvondem Roeſchildenſis Eccleſiæ Canonicus. *Collegium Franciſcanorum Othoniæ* extrui cœpit, jubente & permittente Rege: & a *Tucone* Epiſcopo Ripenſi V. Id. Auguſti conſecratur, *Sodalibus Minoribus* illud ingredientibus XIIX. Kal. Sept.

Anno

Anno Domini cIↃCCLXXX. XII. Kal. Maji pridie Paſchatos, *Tondernæ Woldemarus* Regulus Slicuicenſis Cœnobio *Loci Dei* privilegia confirmat. *Roſchildiæ* moriuntur IV. Kal. April. *D. Tuco Juriſſon*, III. Idus Septemb. *Stigothus* Epiſcopus Roſchildenſis, Pridie Kal. Novemb. *Nicolaus Hvid* Sacriſta. Moritur qvoqve *Trugotus* Pontifex, de Collegio *Sodalium Canutiorum* optime meritus. *Trugoti* locum obtinet *Johannes Droos.*

Anno Domini cIↃCCLXXXII. Privilegia, *Urbi Hafnienſi* a ſuperioribus Epiſcopis conceſſa, approbat *Ingvarus* Epiſcopus Roeſchildenſis. *Comitia* menſe Julio *Neoburgi* celebrantur, juri dicundo indicta a Rege, & aderant præter Regem, *Woldemarus*, Regulus Slicuicenſis, *Johannes Droos* Pontifex, *Petrus* Vibergius, *Tuco* Arhuſius, *Tuco* Ripenſis, *Nicolaus* Electus Burglanenſis, *Ingvarus* Roſchildenſis, *Jacobus* Slieuicenſis, Magiſter regii ſerinii, *Johannes* Othonienſis, Epiſcopi, *Waldemarus* Dynaſta Roſtochienſis, Comes Ravensburgius, & alii, ut *Ivarus Foſſius* & *Stigotus Pors* Judex. IIX. Kal. Julii obiit *Andreas Erlandi* Dapifer: cui ſurrogatur *Andreas Jonſon.* VI. Kal. Septemb. exuritur *Baſilica Luciana Roeſchildiæ.* MARGARITA Regina vita excedit, mater Regis.

Anno Domini cIↃCCLXXXIII. *Ducatus Slicuicenſis* dividitur a Daniæ Regno & eum obtinet *Woldemarus. Jacobus* fit Comes Hallandiæ. Turris *Ripis* ſecedit, & complures homines oppreſit. XVI. Kal. Novembris moritur D. *Jacobus Syoburus* Archidiaconus Roeſchildiæ.

Anno Domini cIↃCCLXXXIV. Februarii menſis principio, Sodales Cœnobii *Ruris Regii* in Anglia Cimbrorum ejiciuntur nidulis ſuis cum dolore & moerore.

VI. Idus Aprilis, pridie Paſchatos, *Waldemarus* Regulus Slicuicenſis *Tondernæ* privilegia vetera Sodalibus *Loci Dei* approbat, nova addit, qvod & *Tuco* Epiſcopus Ripenſis etiam facit. *Tuco*, Epiſcopus Arhuſius, in *Conventu Neoburgenſi*, Canutiorum Cœnobio & Baſilicæ indulgentias qvadraginta dierum largitur, qvibus fruuntur, qvi erga Sodales & Baſilicam liberales fuerint munerum, ubi ſic ſcribit: Omnibus præſens ſcriptum cernentibus, *Tuco*, Dei gratia Arhuſienſis Epiſcopus, ſalutem in Domino Sempiternam. Univerſitati veſtræ intimamus, qvod nos omnibus & ſingulis (*), ad Eccleſiam B. Canuti in Othensö diebus Dominicis, Apoſtolorum Solennitatibus ac aliis diebus interfuerint ſupradictis, ipſos ad devotionem ac pietatis opera, qvaſi qvibusdam muneribus affectivis, cupientes excitare, dummodo pœnitentes fuerint & confeſſi, qvi etiam ad dictam Eccleſiam manum porrexerint adjutricem, XL. dies ipſis de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum *Nyborgh* in hebdomada aſcenſionis Domini, ab Incarnatione ejusdem MCCLXXX. qvarto. *Waldemarus* Regulus *Flensburgenſi Oppido* jus & privilegia fert XVII. Kal. Sept. In qvibus inter alia irrogatur mulcta vulnera infligentibus & homicidis, & fures recens capti ſuſpenduntur. Miles vel Baro *Flensburgi* habitans ſubjicitur omnibus Civitatis oneribus.

Anno Domini cIↃCCLXXXV. moritur *Acho*, Prior Provincialis Daniæ. Rex *Waldemarum* Regulum *Helſingnoræ* capit & in compedes mittit *Solurgum. Tunderna* ſolo æqvatur. *Alfus Ellingſon* Norwecus exercet piraticam, deprædatur *Lundburgum* & multas Danorum inſulas ſpoliat. *Jacobus* Comes Hallandiæ a Rege Norweciæ creatur Eqves auratus. III. Kal. Julii *Gulbergishethæ*, *Brynulphus* Scarenſis, *Bovo* Lyncopenſis, *Amundus* Strengenenſis, Epiſcopi, concedunt indulgentias iis, qvi *Baſilicam Canutiam* viſitaverint cauſa *Canuti* & in Eccleſiam & Sodales Canutios liberales fuerint.

(*) Aliqvid deeſſe videtur.

Anno Domini cIↃCCLXXXVI. Idus Martii moritur *Godeca Decken*, Canonicus Roeſchildenſis. III. Kal. April. obiit *Trugillus* Archidiaconus Slieuicenſis. Conventiculum Franciſcanorum *Nyſtadii* in Lalandia inſtitui cœpit. *Gyſico* fit Epiſcopus Othonienſis. Rex *Othoniæ* XVI. Kal. Septemb. conventu cum *Petro* Neſtvedenſi, *Juriſio Iriſiano* Ringſtadienſi, *Olao* Holmenſi Abbatibus & *Petro Jacobi* filio habito, promittit ſe relicturum electionem & poſtulationem Epiſcopi Othonienſis Priori & Collegio Canutio, & conſervaturum Sodalibus ſua privilegia. Hoc tempore *Sigtunæ* in Sveonia *Concilium* a Clericis celebratur. *Johannes* Sodalis Prior Collegii Sigtunenſis creatur Epiſcopus Findlandiæ, præſente Rege *Magno* Ladalaas, & Prior Roeſchildenſis *Olaus* fit Prior provincialis ejusdem loci. Pridie Kal. Novemb. tres ſoles viſi, portentum mirum, & qvi erat ultimus, aſcendit medium cœli & qvaſi iris factus. Paulo poſt conſpirantibus *Stigoto Andreæ* filio, Magiſtro Eqvitum, *Jacobo Porſio* Comite Hallandiæ, *Ovone Dyræ*, *Jacobo Blafot*, *Aggone Caggo*, D. *Petro Porſio*, D. *Nicolao Hallando*, D. *Tucone Abildgard*, *Renildo Johannis* filio, *Finderopi*, cum venationi indulgeret, Rex ERICUS occiditur, LVI. vulneribus confectus XI. Kal. Decemb. feria qvinta poſt Dominicam *Cæſaris confirmati a Chriſto.* Monialium monaſterium *Slieuici* conflagrat, & *Waldemarus* Regulus Vinculis Soburgicis emittitur.

ERICUS IIX, Erici VII. filius, Chriſtophori I. nepos, in locum Patris ſubſtituitur. Cognomen habuit *Menvetæ:* a Franciſcanis, ut invenitur in illorum *Diario*, *Pius* dicitur. Rex Danorum CXV. Regnat annos XXXIII.

Anno Domini cIↃCCLXXXVII. Epiſcopus Slieuicenſis *Jacobus*, Regii Scrinii Magiſter, decedit, ſuccedente Archidiacono *Bertoldo*, patria Haffnienſi. *Comitiis Skelfiſcoricis* ERICUS Princeps, Erici Regis occiſi filius, & AGNES mater in vitæ periculum incidunt qvorundam conſpiratione. *Comitiis* inde *Neoburgicis* ERICUS definit litem, ex agro qvodam Othonienſi ortam inter *Priorem Canutiorum* & inter *Michaelem* & *Nicolaum Aſcerſon*, VII. Kal. Apr. judicium ferente *Petro* Regis Dapifero. Iisdem Comitiis ab *Ottone* Marchione avunculo Eqves auratus creatur, & ipſe eodem die *Waldemarum* Ducem iisdem ornamentis Eqveſtribus ornat. Inde *Jacobus* Comes Hallandiæ, *Stigotus Andreæ* filius, Magiſter Eqvitum, *Acho Cagge*, & alii, ob cædem Regis proſcribuntur, bona regio fiſco adjudicantur. Paulo poſt Dux *Waldemarus* nuptias cum filia Reguli Saxoniæ celebrat. Die natalicio Chriſti *Comitiis Lundenſibus* ERICUS a *Johanne* Pontifice conſecratur. Hoc anno, nonis Junii, moritur *Otto* Diaconus, Canonicus Roſchildenſis.

Anno Domini cIↃCCLXXXVIII. *Woldemarus* Dux Slieuicenſis cum Conjuge Ducis Saxoniæ filia, qvam ſuperiori anno duxit, in Daniam progreditur. *Slieuicum* incendio conflagrat, ad cujus inſtaurationem demolitur Dux *Gotorpum.* Idem IV. Nonas Febr. *Haderslebiæ* privilegia vetera & nova confirmat Cœnobio *Loci Dei.* Conventiculum Franciſcanorum *Coldingæ* a Regina AGNETA fundari cœpit.

Pridie Kal. Octobr. decedit *M. Rano* Decanus Roſchildenſis. XIV. & IX. Kal. Decemb. ERICUS, Othoniæ commoratus, confirmat & auget privilegia *Canutiis*, & concedit immunitatem a ſolutione telonei & paſſagio Baltici freti, & alia de molendinis & piſcationibus attribuit, teſtibus *Petro* Dapifero & M. *Martino*, Cancellario Regni. Qvidam impoſtor in Daniam venit, prædicans ſe eſſe *Fridericum II.* Cæſarem. Rex ERICUS celebrat nuptias cum filia Regis Sveoniæ, INGEBURGI. *Tucones*, Ripenſis & Arhuſius, moriuntur Epiſcopi.

Anno Domini cIↃCCLXXXIX. Hoc anno volunt in feriis nataliciis ERICUM inauguratum fuiſſe in Regem Danorum; ſed ego, ſecutus *Langii annales*, ſuperiori

anno,

anno posui. Pridie Idus Martii obiit *D. Nicolaus*, per plurima de Ecclesia Roeschildensi bene meritus Civis. ERICUS, Norwecorum Rex, *Haffiniam* obsidet classe, & multi Norwecorum trucidantur. Norwecus deniqve discedit amissa victoria. Moritur *Alfus Grandis*, vir insignis.

Anno Domini cIↃCCLXXXX. IV. Kal. Maji moritur *Johannes Droos* Pontifex, de Ecclesia Roeschildensi bene meritus. *Alfus*, *Erlingi* filius, Norwecus, Piratarum nobilissimus, in Scania capitur, & ad *Helsingburgum* supplicio rotæ afficitur. Proscripti Piraticam exercent in Danos. *Hielmia* ab iis capitur & munitur.

Anno Domini cIↃCCLXXXXI. *Hereuadum* Cœnobium suo igne conflagrat. VI. Kal. Julii diem obiit *M. Johannes Ade*, Archidiaconus Roeschildensis.

Anno Domini cIↃCCXCII. *Haderslebia* a *Waldemaro*, Duce Slieuicensi, accipit privilegia & jus municipale. X. Kal. Septemb. interficitur in præsentia Regis *Schialmo Dros* seu Dapifer ab *Erico Longipede*, Duce Lalandiæ, de Ecclesia Roeschildensi optime meritus. *Concilium Lundis.* Comitissa *Elizabeta* moritur.

Anno Domini cIↃCCXCIII. *Norweci* tertiam in Danos expeditionem faciunt & regnum bello maritimo & piratico vexant.

Anno Domini cIↃCCXCIV. *Johannes Grandis* Pontifex capitur a *Christophoro*, Regis fratre, Duce Scaniæ & Hallandiæ. Capitur una Canonicus Lundensis *Jacobus Langius*, captus fuit in curia sua *Lundis*, qvi rediens Lundas, capto Episcopo, frangit & spoliat templum, Litteras & Privilegia in ignem conjicit. Moriuntur *Stigotus Andreæ*, Magister Eqvitum in *Helmia* proscriptus, & IX. Kal. Novemb. *Nicolaus Hermansson*. *Ranildus Jonsöni* supplicio rotæ afficitur.

Anno Domini cIↃCCXCV. XI. Kal. Martii *Flensburgensibus Waldemarus* Regulus Leges dat de mensura, modiis medimnisqve frumenti, easqve publicat *Flensburgi*. *Johannes Grandis* Pontifex custodia Soburgica clam evadit. *Waldemarus* Regulus arcem *Gotorpum* restaurat. *Isarnus* nuncius Papæ fuit in Dania. V. Kal. Julii *Andreas Jonson*, Præpositus Roeschildensis, V. Kal. Octob. *M. Johannes Sybrandi*, Canonicus Roeschildensis & Lundensis, moriuntur. Pontifex Romanus, *Bonifacius VIII.* jubet mense Octobri Præpositum Utinensem Ecclesiæ Lubecensis, ut bona adempta vel oppignorata restituat *Monasterio Dalumensi.*

Anno Domini cIↃCCXCVI. Pridie Kal. Januarias *Slieuicum* totum incendio absumitur. Dux *Ericus* celebrat nuptias cum filia Regis *Magni* Sveonis. Rex & Dux occurrunt obviam cum exercitu in *Somerstetheret* (*).

Anno Domini cIↃCCXCVIII. XIII. Kal. Maji obiit *Petrus Olai* de Berketong, bene meritus de Ecclesia Roeschildensi. *Bertoldus*, Episcopus Slieuicensis, Hochtensibus, propter injurias Cœnobio *Loci Dei* illatas, *Conventu Haderslebiensi*, communione sacrorum interdicit.

Anno Domini cIↃCCXCIX. *Isarnus* Papæ Nuncius iterum in Daniam venit. Dania interdicto Pontificio subjacet, & excommunicata sacrorum communione privatur. *Tonsbergi* ERICUS Rex Norweciæ moritur IIX. Idus Maji, & regnum capessit AQVINUS frater.

Anno Domini cIↃCCC. *Jobilæus Romæ* publicatur, concessis liberalissime indulgentiis. Moriuntur Non. Augusti *Johannes Craagus*, Episcopus Roeschildensis, sepultus *Soræ*: III. Kal. Oct. Regina AGNES, mater Regis, *Alberti* Brandenburgici filia. III. Idus Novemb. *Magnus* Decanus Roeschildensis. *Neoburgi* Rex privilegia Ecclesiæ *Lundensis* reformat.

(*) Legendum forte *Somerstetheth.*

Anno Domini cIↃCCCI. VI. Idus Febr. D. *Joſephus Magneſon* miles, de Eccleſia Roeſchildenſi optime meritus, ſepultus apud Prædicatores *Lundis.*

IX. Kal. Aug. *Yagrus* dictus *Foot*, Archidiaconus Roeſchildenſis & *Magiſter in Decretis.* III. Non. Novemb. *Petrus Ramloſon*, Canonicns & Sacriſta Roeſchildenſis moriuntur. Bellum in *Henetos* eorumqve Principes Rex parat, & jubet, ut defenderetur *Roſtochium*, qvæ urbs in Regis clientela erat.

Anno Domini cIↃCCCII. XVI. Kal. Maji obiit *Botilda*, *Martini Jonſon* uxor, de Eccleſia Roeſchildenſi bene merita: hujus filius fuit *Jacobus* Canonicus. *Iſarnus* iniit Pontificatum Lundenſem, *Johannes Grandis* Rigenſem.

Anno Domini cIↃCCCIII. Dania abſolvitur interdicto & publicatur *Comitiis Neoburgicis* die Cœnæ Dominicæ. Pridie Non. April. moritur *Vislaus* Princeps Rugiæ in Norwecia, & Regis frater *Chriſtophorus* nominatur *Dux Eſtoniæ.* Pridie Id. Maji moritur *Joon Billa*, Canonicus Roeſchildenſis. Othoniæ VII. Kal. Maji *Johannes Barthe*, Vir nobilis, condito Teſtamento, magnam partem ſuarum fortunarum *Franciſcanis* legat & Prædicatoribus *Dominicanis* & ſibi Anniverſarium conſtituit. Teſtes facti ſunt Viri nobiles: *Petrus Nicleſon*, Prior Dalumenſis, qvondam Camerarius, *Johannes Vinning*, *Petrus Friis*, *Hennechinus Kirchedorp*, & *Simon Tuconis:* conſenſu & voluntate *Haubardi* filii *Barthæ* & *Ingridis* uxoris. Hoc anno volunt nonnulla *Schediaſmata* obiiſſe Reginam AGNETAM.

Anno Domini cIↃCCCIV. *Woldemarus*, Regis frater, juvenis nobiliſimus, ERICI *Cleppingæ* filius, moritur in Marchia Brandenburgica, ſepultus *Ringſtadii. M. Olaus* Epiſcopus Roeſchildenſis conſecratur Romæ. Moriuntur qvoqve *M. Martinus* Theologus, Canonicus Roeſchildenſis & Pariſienſis, ibi ad Dominam ſepultus, Cancellarius Regis Daniæ, bene meritus de Eccleſia Roſchildenſi, Non. Octob. *Olaus Thurberni* filius, Decanus Roſchildenſis. Graves motus in *Sveonia.* Baſilica Canutia *Othoniæ* conflagrat.

Anno Domini cIↃCCCV. XVIII. Kal. Maji obiit *Abſolon Nicolai* miles. XIV. Kal. Novembr. ejus uxor decesſit *Chriſtina.* VII. Idus Maji *Comitiis Skelfiſkoricis*, *Henricus*, Revalienſis Epiſcopus, Litteras indulgentiales contribuit Sodalibus Canutiis pro *Baſilicæ exuſtæ* inſtauratione: qvod idem faciunt, in *Comitiis Helſingburgicis*, *Petrus* Vibergius & *Olaus* Roeſchildenſis, Epiſcopi. IV. Idus Septembr. cunctos ad Fabricam *Baſilicæ exuſtæ Canuti* inſtaurandam adhortantes. Hoc anno *peſte* laboratum.

Anno Domini cIↃCCCVI. *Birgerus*, Rex Svioniæ, ſororius Erici, Regina *Margareta* & liberi capiuntur a fratribus Comitibus *Erico* & *Waldemaro*, ſolo elabente induſtria *Arvidi* Gothi *Magno* puero nobiliſimo. Magnum gelu & frigus, ut omnia maria inter inſulas Danorum & Sveoniam Norweciamqve congelarentur. Tum uſus *capuciorum* in Dania cœpit. Rex Danus bellum in *Sveones* molitur.

Anno Domini cIↃCCCVI. Pridie Kal. Maji *Johannes Foot* Junior, Canonicus, Pridie Non. Auguſti D. *Joon Litle* Junior, alterius *Joon Litle* filius, de Eccleſia optime meriti, moriuntur. Hic reditus ſuos in Inſula *Mona* legavit Roſchildenſi Eccleſiæ, optimus Senex. *Iſarnus* Pontifex *Comitiis Ripenſibus* V. Kal. Junii, Feſto Trinitatis, indulget Eccleſiæ *Altorp* (*) piacula qvadraginta dierum concedenda iis, qvi liberalitate uterentur ad ædificationem ejus. Nam lapidea extruebatur, & hortatur, ut ſtructuræ opem ferant. Rex magnum exercitum contrahit & contra *Sveones* proficiſcitur auxiliatum Regi ſororio, & hoſtilem oram ad caſtrum *Stegit* populabundus vaſtat. Urbem *Lubecam* in tutelam & defenſionem ſuam ſuſcipit in decennium. XVI. Kal. Jan. moritur *Bertoldus* Epiſcopus Slieuicenſis, ſuccedente *Johanne Bocholto.*

(*) Legendum forte *Attorp*, niſi potius ſit *Allerop* in Fyonia.

Anno

Anno Domini cIↃCCCVIII. Rex ERICUS iterum *Sveoniam* hoſtiliter ingreditur, exercitu ingenti ſtipatus, qvibus duces erant, ut volunt Sveones, *Comes Holſatus* & *Woldemarus* Slieuicenſis Regulus: populatur provincias & oppida. *Petrus* Epiſcopus Othonienſis ad ſtructuræ Eccleſiæ *Altorp* promotionem XVI. Kal. Maji, Feria tertia Paſcatos, concedit Litteras indulgentiales, & *Orchilla* III. Id. Julii ſcribit Fyoniis, qvod Cambium, qvod Dominus *Camutus*, qvondam Camerarius, cum Dominabus in *Dalum* fecit, cum nullius Prælati conſenſus ad hoc acceſſerit, tenore præſentium caſſum & irritum judicamus, prohibentes diſcrete hæredibus dicti Camerarii, ne ſe de bonis dictis a Monaſterio permutatis, qvia hactenus minus legitime tenuerunt, qvomodolibet intromittant, prout ſatisfactionem condignam voluerint evitare &c. Pridie Octob. hortatur & jubet *Othonienſes*, ne ſuis ſterqviliniis ſint Prædicatoribus *Dominicanis* moleſti, additis anathematis minis.

Anno Domini cIↃCCCIX. *Olaus* Epiſcopus Roeſchildenſis VII. Kal. Feb. concedit Eccleſiam Parochialem in *Cverkeby*, ſalvo tamen jure Epiſcopali, *Sodalibus Ringſtadienſibus.* ERICUS Rex tertio ingreditur *Sveoniam* populabundus per *Gothiam Orientalem.* *Esgerus Jul*, Epiſcopus Arhuſius, fit Pontifex Lundenſis, & *Johannes Grandis* init Pontificatum Bremenſem. Epiſcopus Othonienſis *Petrus* irritam declarat permutationem cum Virginibus *Dalumenſibus Canuti* Camerarii feria 2da & 3tia poſt Paſcha ↄ: pridie & ipſis Kal. April. Blanſvetæ. Sed hæ res privatæ ſunt, neſcio num pertineant ad Hiſtoriam, qvæ nihil niſi ampla & illuſtria ſapit. *Birgerus* Rex Sveonum, libertati reſtitutus, a Sveonia in Daniam aufugit.

Anno Domini cIↃCCCX. Nonis Jan. obiit *Canutus Jul* Miles, bene meritus de Eccleſia Roſchildenſi. IV. Id. Junii inſtituta eſt *Cantoria*, qvarta dignitas in Eccleſia Roſchildenſi, cum ante erat officium. ERICUS Rex reducturus ſororium *Birgerum* in Sveoniam, ſexaginta millibus bellatorum, tam Danorum qvam Teutonum *Sveones* oppugnat. *Birgerus* reſtituitur. Pax *Sveonibus* datur. *Comitia Helſingburgi* indicta litibus inter *Sveones* dirimendis. Conveniunt ERICUS Rex Daniæ cum fratre *Chriſtophoro*, *Birgerus* Rex cum fratribus *Erico* & *Waldemaro*, *Henricus* Megapolus, *Gerardus* Comes Holſatus. Actum de pace æſtate media. His Comitiis *Rex Norwegiæ* aderat: fratres diſcordantes fœdus & pacem iniunt. Obierunt *Hemingus* Abbas Sorenſis & *Ericus* Dux Lalandiæ cogn. *Longipes.* *Ericus* Dux Cimbrorum Slieuicenſium, *Woldemari* filius, deſponſavit ſibi *Nicolai* de Slavia filiam, ſororiam Regis *Erici.* *Iſarnus* Pontifex revertitur ad Epiſcopam Salernitanam.

Anno Domini cIↃCCCXI. Rex *Roſtochii Comitia* celebrat: eduntur ibidem extra urbem *ludi equeſtres* ſplendide, ubi VIMCCCC. eqvites cataphracti congreſſi dicuntur uno certamine. Ex iis centum *militaribus inſignibus* a Rege decorantur ob virtutem, ac inter eos Marchio Brandenburgicus *Waldemarus* Eqves auratus creatur.

Anno Domini cIↃCCCXII. V. Kal. D. *Adamus Boſs* Canonicus, Pridie Non. Martii *Thordo* Archidiaconus *Roſchildiæ* moriuntur. In Regnis Arctois graviſſima *peſtilentiæ* lue laboratum. Bellum in rebelles *Roſtochianos* Rex parat, auxiliantibus Marchione Brandenburgico, Megapoleo, & aliis Henetum Principibus. Cæterum *urbes maritimæ* prævenientes claſſe inſtructæ, Danorum inſulas diripiunt, ac imprimis *Scaniæ* agros & oppida in littore ſita, ferro, direptionibus & flamma vaſtant. Rex Danus Turrim *Varnemindam* expugnat, ac inde facit ſibi propugnaculum contra hoſtes. Vita excedunt *Waldemarus*, Regulus Slieuicenſis & *Agnes* Chriſtophori Reguli filia. *Ericus* & *Woldemarus*, Reguli Sveonum XIIX. Kal. Septemb. in *Cœnobio Warnamenſi* tribuunt *Lubecenſibus* immunitates & libertatem per amnem *Nyam* navigandi

vigandi *Nougardiam* & exercendi per *Sveoniam* negotiationes & recipiendi bona naufraga, confirmatis insuper veteribus privilegiis. Testes fuerunt *R.* Lincopensis, *Styrbernus* Strengenensis, Episcopi, Fr. *Henricus de Stromberg* ordinis Domus Teutonicæ: Domini qvoqve *Philippus Olaffon*, *Birgerus* Pater Sanctus, *Gutmarus* Legifer, & *Gotscalcus de Kiren*, milites.

Anno Domini cIↃCCCXIII. *Conventu Nascovii* Lalandiæ habito, *Margarita*, D. *Torberni Stert* vidua, sua bona legat Virginibus *Dalumensibus* IV. Id. Martii, testantibus *Canuto* Priore Halstadii, *Gotscalco* Sacerdote Sandbyensi, Præposito Lalandiæ. Primæ sunt *literæ*, qvæ a me visæ sunt *Danice* scriptæ: ibi *Margarita* intitulatur Hoederlig och Hoffuisk Fruc. Eodem tempore & die *Ericus* Dux Slieuicensis privilegia vetera comprobat & bona concessa Cœnobio *Loci Dei Nortborgi* Alsiæ Insulæ, & eadem faciens *Burgi* vetera novis augens privilegiis. *Exundatio Oceani* Kal. Maji XV. Kal. Jun. qvæ fuit feria VI. post Dominicam *Cantate*. *Esgerus Julus* Pontifex promittit se fore in potestate Regis, & obligat se facturum ad nutum regium. *Roschildenses*, trucidato magna ex parte Senatu, dedunt se Regi. Is hoc anno valida fortissimorum Bellatorum manu *Cimbriam inferiorem* invadit, punitum eos, qvi contra ipsum fœdus iniissent, multos vexat & patria expellit, & imponit tributum grave, qvod vocatur *Gulkorn*. VI. Id. April. moritur sepultus *Slicuici* Inclytus Holsatus, *Wolrodus Plona* vocatus, Miles honoratus, jacet hic incineratus. VI. Non. Octob. obiit D. *Olaus Biornszon* Decanus Roschildensis. *Johannes* Episcopus Slieuicensis, imitatus facilitatem *Esgeri* Pontificis, qvædam promittit Regi.

Anno Domini cIↃCCCXIV. *Henricus* Dynasta Megapoleus, nomine Regis Daniæ, occupat *Rostochium*, fontes supplicio afficit vel expellit urbe. XVI. Kal. Junii moritur M. *Johannes Glungsio* dictus, homo nobilis, Præpositus Roeschildensis. Rex ERICUS Cimbria ejicit familiam *Appelgardianorum*, qvia fœdus feciffent contra ipsum. Et inter *Wislaum*, Rugianum Principem, & *Waldemarum* Marchionem bellum componit. Huc usqve perveniunt *Annales*, qvos mihi communicavit *M. Johannes Langius*, qvos magna ex parte sumus secuti. In hoc scripto Episcopus Othonensis, *Petrus Paghus*, jus patronatus ecclesiæ Frauticæ ab *Ingvari* abdicatione *Johanni* Priori & Canutiis attribuit *Othoniæ*.

Anno Domini cIↃCCCXV. Pridie Non. April. feria VI. post Dominicam in Albis *Vordingburgi* Rex mandat, procurante Episcopo *Petro*, ne *Canutii Othonienses* aliqvem cum eqvis & canibus hospitio recipiant, nec qvivis eorum hospitium subeat. Mittit *Hermannum* de Jutia, Magistrum Eqvitum, cum XXC. liburnicis & aliis navibus infinitis & VII. M. armatorum, excepto gregario milite, contra *Stralsundum* oppugnandum, & obsidio inchoatur Kal. Maji, & vastat omnem circa regionem usqve ad præcipitem autumnum. *Wislaus* Rugiæ Princeps resignat Regi bona sibi pignori tradita, & promittit se in potestate Regis fore. A Rege qvoqve *Lubecæ* privilegia conceduntur. VIII. Id. Decemb. moritur *Olaus* dictus *Hixvthe præst*, Canonicus Roschildensis.

Anno Domini cIↃCCCXVI. Rex renovat tutelam urbis *Lubecæ* in qvadriennium. XIII. Kal. Janvarii erat Rex *Neoburgi*, ut indicat *Diploma* Regium de *Stenlesa* Ecclesia, attributa *Canutiis* pro sustentatione studiosorum, concessio patronatus jure Sodalibus.

Anno Domini cIↃCCCXVII. Mense Febr. ipso die Cinerum, Rex despondet *Elisabetam*, *Nicolai*, Principis Rostochianorum, filiam, *Wordingburgi*, *Christiano* Comiti Delmenhorstio. XI. Kal. Martii *Ascerus Sumpii* Canonicus, VII. Kal. Maji

Jonas

Jonas Wick, civis egregius, *Roſchildiæ* moriuntur. *Concilium* peragunt *Petrus* Wibergius, *Olaus* Roſchildenſis, *Petrus* Othonienſis, *Nicolaus* Burglanenſis, *Johannes* Slieuicenſis, *Johannes* Ripenſis, Epiſcopi. *Chriſtina* Relicta D. *Canuti Mulæ*, Regis ERICI Camerarii, vendit & attribuit ſua bona *Petro* Abbati Ringſtadienſi, & Collegio Sodalium ejusdem loci, omnia in *Sprackloſe*, confirmantibus ſubſcriptione *Ingvaro Hiort*, *Carolo Peterſön*, *Canuto Nilſon*, *Canuto Mule*, *Petro Herlugſon*, *Magno Siumdeſon*, *Benedicto Bille* & *Nicolao Jonſon*. VII. Id. Decemb. BIRGERUS Sveonum Rex capit fratres, fugatur in *Daniam*. Filius *Magnus* captus gladio feritur. Naves Danorum incenduntur. Rex concedit *Lalandiam* titulo pignoris uxori INGEBURGI, reſignat *Roſtochium Henrico* Megapoleo. *Wisby* in Gothia Inſula *prætorium* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCCCXVIII. *Petrus Brand*, pro ſuæ animæ ſalute & uxoris *Eſæ* legat Cœnobio *Loci Dei* multa bona.

Anno Domini cIↃCCCXIX. Rex in Marchionem Brandenburgicum *Woldemarum* bellum molitur. MAGNUS SMECK regnum Sveonum init, & mortuo AQVINO Rege Norwecorum, regnum Norwecicum capeſſit. Privilegia ab Epiſcopis Roſchildenſibus, *Jacobo* & *Ingvaro*, conceſſa *Urbi Haffniæ*, augentur a Rege ERICO, a qvo etiam *Bornholmenſes* auxilium petunt contra *Esgerum* Pontificem & ejus fautores. XV. Kal. Julii obiit *Martinus Jonſon*, Civis Roſchildiæ, bene meritus de Eccleſia. Idibus Novembris moritur ERICUS IIX. Rex Danorum, ſepultus *Ringſtadii*. Huic ſuccedit ejus frater CHRISTOPHORUS II. Erici VII. filius, Chriſtophori I. nepos, Rex Danorum CXVI. Regnat annos XVI.

Anno Domini cIↃCCCXX. *Comitia Vibergi* habita, Regi creando menſe Jan. interfuerunt *Chriſtophorus* Dux Daciæ, *Petrus* Vibergius, *Nicolaus* Burglanenſis, *Esgerus Bondo* Arhuſius, *Johannes* Ripenſis, *Nicolaus* Tarpathenſis, Epiſcopi: *Ludovicus* Magiſter Eqvitum, *Lago Opponis* filius, qvi Magiſtratu Eqvitum abdicarat, *Petrus Mule* de Bygh, *Nicolaus Hens*, *Johannes Nicolai* filius de Caas, *Johannes Cama*, qvi *Scaniæ* præfecturam tenuit &c. CHRISTOPHORUS iis Comitiis Rex deſignatur, & *multæ Leges feruntur*, exilium *Nicolai Olai* filii comprobatur Dapiferi. XVI. Kal. Martii *Johannes Thytæbergus*, Canonicus Roeſchildenſis, & VI. Id. Mart. *Olaus* Epiſcopus Roſchildenſis moriuntur. *Johannes XXII.* Papa Privilegia Cœnobio *Loci Dei* confirmat. In Scania *Malmogia* condi cœpit. *Comitiis Holmenſibus* in Sveonia *Magnus*, Birgeri Regis filius, capite plectitur.

Anno Domini cIↃCCCXXI. *Esgerus* Pontifex Roma in Daniam revertitur cum *Bernhardo*, nuncio Pontificis Maximi: reconciliatur Regi. Pridie Kal. Junii *Spicaborgi* moritur BIRGERUS, Rex Sveonum exul, & Ringſtadii ſepelitur.

Anno Domini cIↃCCCXXII. XII. Kal. Febr. *Petrus Wæther* Armiger, D. *Abſolonis* filius, *Nicolai* nepos, bene meritus de Eccleſia Roſchildenſi. III. Id. Oct. *Gvilhelmus Matthæi*, Conſul & Senator, *Roſchildiæ* moriuntur. *Wordeburgi* publicis *Comitiis Esgerus Julus* Pontifex conſecrat CHRISTOPHORUM Regem & filium ERICUM. Seqventi die Rex perjurium committit, fide jurejurandoqve neglecto, ac Pontifici & ſuis, niſi ſuæ voluntati obtemperent, minatur extrema. Kal. Julii Holſati in *Dithmarſia* gravem patiuntur ſtragem. *Canutus Porſius* & *Nicolaus Olſön* conducto exercitu in *Holſatia* & oris *Henetis* in *Scaniam* irruunt, omnia vaſtantes.

Anno Domini cIↃCCCXXIII. *Gerardus* Comes Holſatiæ multis beneficiis & liberalitate Cœnobium *Loci Dei* decorat XII. Kal. Febr. *Othoniæ* IV. Non. Febr. meritur *Tuno* Decanus, de Canutiis bene meritus: corpus illius in *Baſilica Canutia* hono-

rifice ſepulturæ datur. Rex exactiones graves omnibus, tam eccleſiaſticis & nobilibus qvam plebeis, imponit, & decimas omnium bonorum exigit. VII. Kal. Auguſti obiit nobilis Vir D. *Clemens Herlugſon* miles.

Anno Domini cIↃCCCXXIV. CHRISTOPHORUS Rex *Cnarderopum* mutat in Cœnobium, idqve matri magnæ Virgini dedicat. *Esgerus* Pontifex, ob tenuitatem redituum, bona attributa Scolaſticorum laboribus & ſtudiis concedit *Collegio Othonienſi*, ut poſſideant, XII. Kal. Sept. *Slieuici* II. Non. Novemb. moritur *Iſaacus* Canonicus. *Henricus* Abbas Loci Dei, acceptis beneficiis & reditibus, promittit *Erico* Duci Jutiæ, celebraturum pro eo Miſſam qvotidie, & poſt obitum anniverſaria, præſentibus *Gerardo* Comite Holſatiæ, *Gyſicone* fratre ſuo, *Jacobo*, *Roſteno* & aliis.

Anno Domini cIↃCCCXXV. IV. Idus Martii moritur *Ericus* Regulus Cimbrorum Slieuicenſium: Cui ſubſtituitur filius *Waldemarus*, puer decem vel duodecim annorum. *Esgerus* qvoqve Pontifex, poteſtate pontificali ex perturbatione in priſtinum ſtatum & tranqvillitatem reſtituta, contraqve Regis perjurium ſingulari moderatione defenſa, atqve pro honore bene geſta, vita excedit: cui Comitiis creando Pontifici habitis ſubſtituitur *Carolus*, cogn. *Ruffus*, Præpoſitus.

Anno Domini cIↃCCCXXVI. ob Tyrannidem CHRISTOPHORI Regis, orta conſpiratione optimatum, *Torningi* capitur ERICUS Princeps, Regis filius, & Haderslebiam in cuſtodiam deducitur. Pater id audiens profugit in Germaniam, a *Roſtochienſibus* benigne exceptus. WOLDEMARUS, *Erici* Reguli Slieuicenſis filius, Rex deſignatur. Fuit Danorum Rex CXVII. Regnat titulo tenus annos XIV. cum CHRISTOPHORO. Is XVIII. Kal. Septemb. *Comitia Neoburgi* publica habet. Intererant *Carolus*, Pontifex Lundenſis, *Nicolaus* Burglanenſis, *Petrus* Othonienſis, *Johannes* Slieuicenſis, *Johannes* Ripenſis, *Johannes* Roeſchildenſis, *Tuco* Viburgius, *Sveno* Electus Arhuſius, Epiſcopi, *Laurentius* Dapifer, *Ludovicus* Magiſter Eqvitum, *Canutus Porſius*, *Johannes Offeſön*, *Albertus* Dux Saxoniæ, *Johannes* & *Adolphus*, Holſatiæ, Stormariæ & Scumburgi Comites, *Henricus* & *Nicolaus* Comites Sverinenſes, *Walterus* de Werningeroda, *Burchardus* de Svalenberg, Comites, *Petrus* & *Andreas Sticki*, fratres. His teſtibus & præſentibus, WALDEMARUS avunculo ſuo, *Gerardo* Comiti Holſatiæ, *Ducatum* Cimbriæ Slieuicenſis attribuit, *Lalandiam* & *Falſtriam Johanni*, Comiti Vagriorum, agnom. *Largo*, concedit. Moriuntur XVII. Kal. *Petrus Rœienſon* de Gabno miles, bene meritus de Eccleſia Roſchildenſi, Pridie Kal. Septemb. *Petrus* de Cungby Sacriſta, IX. Kal. Octob. D. *Hemmingus Petri* filius, miles B. M. de Eccleſia Roſchildenſi. *Gerardus* Holſatus, promiſſis Præfecto Teutonici generis duabus millibus argenti libris, *Wordeburgam*, minutiſſimam arcem, in ſuam poteſtatem redigit. *Carolus* Pontifex, *Othoniæ* V. Idus Auguſti moratus, *Eccleſiæ Frauticæ* expiationes ſcelerum ad XL. dies concedit, iis tribuendas, qvi liberalitate uſi fuerint in *Eccleſiam Frauticam*. *Johannes Lycky*, Præpoſitus Othonienſis, citat juſſu Papæ *Johannis XXII.* qvi bona habent a Monaſterio *Dalumenſi*, coram ſe & *Petro*, Priore Dalumenſi, ut *Othoniæ* veniant & rationem reddant. Citati ſunt Idibus Decemb. *Petrus Falſter*, *Johannes Braachus*, *Petrus Jonæ* filius, *Andreas* Diaconus Ballinenſis.

Anno Domini cIↃCCCXXVII. *Holſati*, poſtqvam Regem & liberos regno ejecerunt, opera optimatum regnant impotenter annis multis, *Johannes* in Scania, Hallandia & Bleckingia, *Gerardus* in Fionia, Nor-Jutia & Jutiæ Ducatu, & qvicqvid præclarum & pulchrum abducunt in partes exteras. Hæc ſunt verba *Chronici Lundenſis*. Conſtrui cœpit *Sacellum Dionyſii*, Baſilicæ Laurentianæ adhærens, a

Carolo

Carolo Pontifice. Is, postqvam est factus Pontifex, MAGNUM SMECK, Regem Sveoniæ in *Scaniam*, *Hallandiam* & *Bleckingiam* potenter introducit, fretus consilio Scaniorum. CHRISTOPHORUS, instructus auxiliis Germanorum, in Selandiam reversus, cito repellitur & in Henetum oras redire cogitur. IV. Kal. Junii Lutetiæ Parisiorum moritur *Johannes Grandis*, Pontifex qvondam Lundensis, nunc Bremensis, de Ecclesia Roschildensi optime meritus. Dani ejicere regno Holsatos moliuntur, sed frustra. *Christina*, qvædam fœmina nobilis, moritur, sepulta *Anderscovii*. WOLDEMARUS designatus Rex, dum Regnum & Fioniam perlustrat; *Neoburgi* XVIII. Kal. Septemb. supplicantibus *Welleis* immunitates & privilegia confirmat, alia etiam largitur, postea continentibus itineribus Cimbriam inferiorem peragrans. *Horseni* demum iisdem *Welleis* VII. Kal. Jan. concessa a se privilegia corroborat.

Anno Domini cIↃCCCXXVIII. Cimbri, ægre ferentes Holsatorum impotentiam, irruunt in Cimbriam Slieuicensem, *Haterslebiam* oppugnant, in qvo oppido erat præsidium Holsatorum. In *Norvecia* pridie Non. Aprilis *Basilica Nidrosiensis* conflagrat incendio. IIX. Kal. Novembr. *Petrus Frisius* Sacerdos ædis Botulphi *Roschildiæ* moritur.

Anno Domini cIↃCCCXXIX. Dani, infesti Holsatis, vincuntur. De restitutione CHRISTOPHORI Regis exulis & liberorum agi cœptum. *Roschildiæ* vita excedunt IV. Idus Augusti *M. Johannes Gedrost*, V. Non. Octob. D. *Johannes Ulfterp*, ambo Canonici. Hic dedit prædium *Ulfterpium* Ecclesiæ Roschildensi.

Anno Domini cIↃCCCXXX. VII. Kal. Augusti moritur EUPHEMIA Estonica, CHRISTOPHORI Regis Conjux, sepulta *Soræ*. Depositis armis, *Jacobus*, Episcopus Ripensis, reconciliatur WOLDEMARO Regi designato, Duci Slievicensi, & *Gerardo* Comiti Holsatiæ, & cum iis in gratiam redit Kal. Octob. Comites *Johannes* & *Gerardus*, intercedentes pro *Arnoldo Pinnovio*, Sacellano suo, apud *Petrum* Episcopum Otthoniensem: ei scribentes IV. Non. Augusti, impetrant, ut Episcopus *Pinnovio* Ecclesiam *Nybelensem* concederet XI. Kal. Octob. administrandam. *Hermannus Jura* in Fionia Vir Magnus de Virginibus *Dalumensibus* bene meretur.

Anno Domini cIↃCCCXXXI. XVI. Kal. Junii D. *Peperus* Canonicus, IX. Kal. Octob. *Schialmo*, Præpositus, *Roschildiæ* moriuntur. *Johannes XXII.* Papa Auenione IIX. Kal. Junii scribit *Henrico de Lutre*, Canonico Lubecensi, ut bona restitui curet adempta Monasterio *Dalumensi* & Priori ordinis Benedictini, addita excommunicationis pœna. Episcopi Gallici XII. Auenione largiuntur Ecclesiæ *Ingeslafftica* S. Dionysii qvadraginta dierum indulgentias Liberalibus in Ecclesiam concedendas & visitantibus, rogatu Domini *Nicolai* Rectoris ejusdem Ecclesiæ, V. Kal. Januarii. In his litteris præter cætera festa fit mentio festi corporis Christi. *Petrus Paghus*, Episcopus Otthoniensis, subscribit litteris his, addito sigillo XIII. Forte adfuisse Avenione videtur hoc anno. Rex & Dani ob *Svenonis* Episcopi Burglanensis vincula diris & inferiis per omnium Sacerdotum religiones a Johanne XXII. Papa devoventur.

Anno Domini cIↃCCCXXXII. XII. Kal. Octob. *Laurentius*, *Germodisii*, viri docti & clari, filius, Sacerdos de Ecclesia Roschildensi bene meritus. II. Non. Maji *Johannes* dictus *de Bocholte*, Episcopus Slieuicensis, obiit. *Huic* succedit *Helimbertus*, solvens Cathedratica Pontifici *Carolo*. Rex totus erat in eo, ut regnum integrum reciperet ope Holsatorum, plurimas per Daniam munitiones & agros pignoris nomine obtinentium. Cæterum Cimbris Slievicensibus & compluribus Danorum, qvi WALDEMARO, novo Regi designato, adhærebant, adversantibus, exigua spes pacis & otii videbatur, metuentibus plerisqve, hanc disceptationem perjurio, libidine & sævitia

CHRISTOPHORI incendium grave excitare facile posse, præsertim cum adhuc factiones glisicerent. *Scaniam* Sveonibus vendunt Holsati.

Anno Domini cIↃCCCXXXIII. *Gerardus Magnus*, Comes Holsatiæ, Fioniæ cum *Woldemaro*, regno abdicante, Cimbriæ Slieuicensis causa transigit. IV. Nonas Maji *Gytha*, *Petri Hemmingii*, civium Roschildensium primi, de Ecclesia Roschildensi bene meriti, uxor decedit. *Christina* e familia, cujus *insigne duobus diversis per rectum coloribus distingvitur*, fœmina nobilis, viro claro *Esgoni* nupta, defuncto marito, *Othoniæ Dominicanos* prædicatores muneribus cumulat non exiguis. *Petrus* Episcopus Othonienſis, petentibus Frauthicis, eorum delubro IV. Kal. Augusti *Blansvetæ* XL. dierum expiationes ab omnibus delictis tribuit.

Anno Domini cIↃCCCXXXIV. *Halstanus*, Episcopi Othonienſis Officialis, Othoniæ moritur, cujus munus obtinet *Arnoldus Pinnovius*. VII. Id. Martii *Jacobus Martini* filius, Canonicus Roschildensis, XVII. Kal. Junii *Carolus* Pontifex Lundensis, sepultus in Basilica Laurentiana, III. Kal. Novemb. *Johannes Starlosius*, Canonicus & Cantor, XIV. Kal. Decemb. *Johannes Julus*, moriuntur. *Carolo* Pontifici *Petrus* substituitur. *Petrus*, Episcopus Otthonienſis, *Alevathi* III. Id. Novemb. *Sodalibus Canutiis*, qvi litteris *Luteciæ* operam daturi essent, proventus, juxta voluntatem Regis ERICI MENVETÆ, Ecclesiæ *Stenlosæ* annectit & concedit in Stipendium. *Othoniæ* in magna æstimatione tum temporis erat *Canutus*, *Ivari* filius, *Colbergius*, qvi hoc anno magnis donariis *Franciscanos* & *Dominicanos* affecerat. *Petrus Danus* Monachus, Commendator Johannitarum, *Nicolaus* Vicarius ædis magnæ matris virginis. In Cimbria Slieuicensi *Waldemarus* Regulus VII. Kal. Maji concessa antiqvitus Sodalibus *Loci Dei* privilegia comprobat, & his alia adjicit in *arce Torningica*.

Anno Domini cIↃCCCXXXV. orta inter *Johannem Largum*, Comitem Vagriæ, Regis fratrem Uterinum, & *Gerardum Magnum*, Comitem Holsatiæ & Fioniæ, dissensione, bellum grave excitatur inter agnatos: cujus Dani fiunt participes, Rege fratri uterino opitulante. *Gerardo* militant *Guilielmus* Comes Orlemundius, *Burchardus* Svalenbergi, *Henricus* Brunchovsii & *Gunzelinus* Wittenbergi Comites. Ductabat eqvitum turmas *Burchardus Iccenda*. Autumno adulto Rex *Slieuico* in *Gerardum* ducit, consertaqve pugna in *Campo Leonino* prid. Kal. Dec. funditur, fugatur. Cæsa exercitus Danici magna parte & qvamplurimis captis, ERICUS, princeps juventutis, Consors imperii paterni, vulneribus confectis innumeris, *Chilonii* extingvitur in maximis animi & corporis cruciatibus. Corpus elatum sine ulla funeris pompa sepulturæ ibidem datur, sed paulo post *Soram* translatum, regiis exeqviis tumulo materno infertur. Pugna hac ex Holsatis *Witichinus Ostenius*, homo nobilis, *Gerardi* familiarissimus cadit. Rex fuga evadens, adjuvante *Johanne Largo*, in regnum infœlix revertitur. Moriuntur Idibus Febr. *Soræ Bondo Strangonis* filius, Sodalis Cistercienſis; Sacerdos, qvi, abdicato Canonicatu Roschildensi, ordinem Sodalitatis iniit, vir multis meritis præstans. Pridie Id. Aprilis *Roschildiæ Nicolaus Stenbo*, VII. Kal. Decemb. *Nicolaus Aconis* Sacerdos, Canonici ambo. *Petrus*, Episcopus Othonienſis, Ecclesiæ Uberaticæ jus patronatus, Collegio Canutio Othoniæ, cum omnibus reditibus, XIX. Kal. Septemb. confert. In Lalandia *Ravinsbergum* condi cœpit.

Anno Domini cIↃCCCXXXVI. Rex in Daniam restitutus, in Lalandiam pervenit, *Saxcopiæ* commorans, ab Holsatis & Danis, illorum sociis, oppugnatur & obsidetur. Captus *Aleholmum* ducitur: inde *Nicopiam* venit. Ibi prid. Id. Julii morbo & curis confectus moritur. Funus, *Soram* delatum, juxta conjugis & filii tumulum humatur. *Roschildiæ* moriuntur VII. Kal. Martii *Petrus Hemmingii* filius, Non. April.

April. *M. Petrus Herba*, Archidiaconus. Hujus erant fratres *Boëtius Creſia*, *Esbernus Ricolffon* & *M. Hemmingus*, qvi in Archidiaconatu fratri ſucceſſit. Benedictus XII. Papa, miſſis ad Abbatem & Collegium *Ringſtadienſe* litteris XIV. Kal. Aprilis, eorum prærogativas, immunitates & principum donationes corroborat. Statu Reipublicæ Danicæ perturbato, internis & externis armis, ut ſine diſcrimine ſexus & conditionis fierent injuriæ, *Petrus* Pontifex id malum inhibiturus, edictum promulgat, qvo excludit omnes cœtu Chriſtianorum & ſimul diris exſecrationibus devovet, qvi Sacerdotum Collegiis, ædibus Sacris & hominibus Deo dicatis vim & damna intulerint. Edictum IV. Id. Octob. promulgatum.

Anno Domini cIↃCCCXXXVII. *Otto*, defuncti Regis filius, collectis copiis e Lalandia, movet in Cimbriam Cimbrosqve ad libertatem revocat: occurrens hoſti *Gerardo*, cum eo ad *Vibergum* manus conſerit, ſed infœliciter. Victus enim, fuſis ſuis, in hoſtis poteſtatem venit, qvi eum mittit *Segebergum* in cuſtodiis habendum. Æſtate incunte *Sidus crinitum* arſit ultra duos menſes in parte cœli Septentrionali.

Anno Domini cIↃCCCXXXVIII. Cæſar *Ludovicus* Bajarus, miſſis *Johanne* Comite Hennebergio & *Lubecenſibus* in Holſatiam, de liberando cuſtodia Segebergenſi & reſtituendo in integrum *Ottone* cum *Gerardo Caluo*, Comite Holſato, agit, ſed fruſtra. Apud *Friſios Eidorenſes*, *Ditmarſos* & vicinas paluſtres regiunculas fame & annonæ penuria laboratum, ex ingentibus pluviis imbribusqve, XL. dies perdurantibus, continue exorta. Erat & ſalis inopia non levis. Nati vermes in hominum corporibus e magna putredine: qvo malo multi exſtinguebantur. E qvorum mortuorum ore vermes repebant, horrendo viſu. Aſſidui etiam imbres in his uliginoſis regionibus magnam cladem hominibus & pecoribus intulerunt, disruptis aggeribus. VIII. Octobr. decedit *Elſa*, fœmina nobilis, *Canuti Nicleſon* militis vidua, de Collegio Roſchildenſi bene meriti.

Anno Domini cIↃCCCXXXIX. XVI. Kal. Feb. *Petrus* Epiſcopus Otthonienſis *Ragelundam* adjungit Parochiæ *Aſymorum* a *Marslobica* detractam, petentibus *Haraldo* Sodali, Commentatore Collegii Johannis Baptiſtæ *Otthoniæ*, *Conrado Meſſeco*, *Nicolao Rantzovio*, & aliis. Kal. April. moritur *Roſchildiæ Guilielmus Friſius* Canonicus, & paulo poſt Prid. Kal. Junii, qvi fuit dies proximus feſto Trinitatis, Epiſcopus Parochiam *Paterpicam* aſcribit uſui Sodalium Canutiorum, qvi peregre in Gallias profecti libris operam darent. *Aſſero* Priore per annulum & baculum inveſtito, accedente conſenſu *Gerardi Calvi*, Comitis Holſatiæ & Stormariæ, ac liberorum, in primis admittente *Ottone Splitt*, milite, qvi jus patronatus haberet. Eodem *Gerardo*, ob immenſum æs alienum ſolvendum, Fioniis omnibus tributum imponente, & nulli hominum dignitati parcente, Status Eccleſiaſticus pariter gravabatur, ac maxime Sacerdoti *Aſumorum* onus intendebatur, uti cæteris ditiori, qvod ædium ſuarum, præter aliarum caſarum Plebejorum hominum morem, frui immunitate videretur: ea de re conſultus *Petrus* Epiſcopus, III. Kal. Octobr. ædificium id adhærens Eccleſiæ *Aſumicæ*, uti dotem Eccleſiæ, oportere uti ſua libertate more conſveto & liberum eſſe ab omni annua penſione & exactionibus pronunciat: nec longo poſt temporis ſpatio in morbum incidit Epiſcopus, qvo ingraveſcente, XII. Kal. Januar. abſumitur. Corpus ante aditum *Baſilicæ Canutiæ* Sepulchro Marmoreo conditum. *Petrus Nilſſon Lycke* monaſterium Dalumenſe & Sodales Johannitarum ordinis Hieroſolymitani multis afficit beneficiis *Othoniæ*.

Anno Domini cIↃCCCXL. Poſt varia de eligendo Epiſcopo in locum defuncti *Petri Paghi* certamina, Comitiis creando Epiſcopo habitis *Ottoniæ*, cum ſuffragia

Andreæ Prioris Dalumenſis & Teutonicorum repudiarentur & rejicerentur, *Nicolaus Suderovius* Præpoſitus, qvi dignitatem ambiebat, *Nicolaus Jonæ* filius, Sodalis Franciſcanus, a Collegio Canutio nominatur Epiſcopus Ottonienſis, obſcuro loco & plebejo genere natus. *Otto*, Regis CHRISTOPHORI filius, emiſſus cuſtodia Segeburgica, cum pactis non ſtaret, irritatus *Gerardus Calvus* Comes, bellum in Cimbros reſumit, & exercitu fortiſſimorum juvenum, qvi *Gunsheren* vocabatur, omnia occupat cis & trans *Gudium* amnem. Tandem *Randruſiæ*, ubi caſtra habebat, noctu dormiens, in cubili opprimitur & a *Nicolao Jepſon* de Norengriſe confoditur XV. Kal. Aprilis, die Sabbathi ante Dominicam, qvam vocant *Oculi*, perierunt una Sacellanus Comitis & *Henricus de Wittinghove* miles. V. Kal. Maji *Roſchildiæ Johannes Jonæ* filius vita excedit. WALDEMARUS IV. Chriſtophori II. filius alter, ab exilio Brandenburgico in Daniam reverſus, ineunte æſtate reconciliatur *Waldemaro*, Cimbrorum Slieuicenſium Regulo, nomen Regium ferenti, & ejus ſororem HELUIGIM, celebratis *Sunderburgi* nuptiis, in matrimonium ducit: unde in Cimbriam inferiorem profectus, *Comitiis Wibergicis* VIII. Kal. Julii Rex proclamatur. Fuit igitur WALDEMARUS IV. Danorum Rex CXVIII. Regnat annos XXXV.

Proclamatio illa facta *Wibergi*, circa Kal. Qvintiles *Waldemarus* Regulus regio nomine ſe plane abdicat, ſancitur oblivio præteritorum & ſupplicationes habentur, *Simone* Epiſcopo Wibergio ſacra faciente. Proficiſcitur inde in Selandiam, ſed cito rediit in Cimbriam. VI. Kal. Septembr. *Roſchildiæ* obiit *Johannes Brunus*, civium primus, de Collegio Sacro & æde Luciana bene meritus. *Henricus* & *Nicolaus*, Comites Holſatiæ, *Gerardi Calvi* filii, datis V. Id. Decemb. ad *Nicolaum*, Epiſcopum Ottonienſem litteris, Parochiam & templum *Nybelenſe* Monaſterio *Dalumenſi* abdicunt & largiuntur, nullo non patrocinii jure ſimul conceſſo, ut virgines piis manibus *Gerardi* patris & majorum parentarent, & bene merita pro illorum ſalute Deo optimo maximo largius ponerentur. Erant autem tum temporis in magnis fortunis poſitæ virgines *Dalumenſes*: qvare *Giſelbertus* Holſatus, Præpoſitus Bremenſis, qvem Pontifex Maximus *Johannes XXII.* Epiſcopum Halberſtadenſem deſignarat, negotiis rerum tam profanarum, qvam ſacrarum, nomine Comitum cognatorum per *Fioniam* incumbens. Hoc anno XIX. Kal. Januarii magnum pecuniæ numerum ab *Andrea*, Priore Dalumenſi, virginum nomine mutuatur: Cujus ſolutionem *Flensburgi* aut *Bremæ* pollicetur; ſed litteræ non exſtant. In *Fionia* eminent *Otto Hardenbergius* miles, *Nicolaus Jonæ* filius de Cheldebachæ, *Olaus Elevi* filius, cujus *inſignia bini obliqvi tranſverſi bacilli*, qvorum extrema *liliis* exornantur: fuerunt de virginibus Dalumenſibus bene meriti.

Anno Domini cIↃCCCXLI. VI. Non. Martii MARGARITA, *Birgeri* Regis Sveonum Conjunx, *Waldemari* Regis Amita, moritur, *Ringſtadii* apud maritum ſepulta. *Benedictus XII.* Papa mandat III. Non. Junii Epiſcopo Arhuſio litteris *Avenione* ſcriptus, ut Abbatiſſæ & monaſterio *Dalumenſi* opem ferat contra eos, qvi bona monaſterii ex contractu ad vitæ tempus, vel definitum, poſſidebant, eaqve illis adempta curet reſtitui Monaſterio, addita anathematis pœna & ſublata provocatione. *Petrus de Wimilis* Diploma hoc monaſterio impetravit. Legata *Nicolai Alverſtorpii*, coloni *Imbriæ* Inſulæ, ad Fabricam *Baſilicæ Canutiæ*, *Conventus Imbrienſis* VI. Kal. Julii rata eſſe decernit, approbante *Nicolao* Epiſcopo Otthonienſi & anteceſſoris ſententiam confirmante. VIII. Kal. Septemb. *Jacobus Splithafus*, Epiſcopus Ripenſis a Rege WALDEMARO in defenſionem ſuſcipitur, qvi etiam *Haffnienſibus* vetera privilegia ab Epiſcopis & Rege ERICO MENVETA Patruo conceſſa confirmat & novis

auget.

auget. *Roſchildiæ* VII. Kal. Decembr. vita excedit *Laurentius Oluſſon* de Tromelstorp, bene meritus de Eccleſia.

Anno Domini cIↃCCCXLII. in Selandia VII. Id. Aprilis moritur nobiliſſima fœmina, *Chriſtina*, *Nicolai Booſon* filia, militis, *Johannis Duæ* de Seſtiböle uxor, corpus in Delubro Herfulgenſi ſepultum, bene merita de Eccleſia Roſchildenſi. *Roſchildiæ* IIX. Id. Maji *Petrus Pauli* filius, Canonicus, moritur. In *Friſia Eydorenſi* & vicina *Dithmarſia*, *Eydora* & *Albis* facta inundatione omnes agros depopulantur, & haud exiguum hominum pecorumqve numerum opprimunt. *Otthoniæ ædes Franciſci* ſplendidius reſtaurari cœpit. Turbulenti motus in Holſatia propter prædones, qvibus maritimæ urbes, *Lubeca* & *Hamburgum*, infectæ erant.

Anno Domini cIↃCCCXLIII. in Cimbria Slieuicenſi Non. Januar. vita excedit *Marqvardus Skinckel* cognomento *Vosben*, ſepelitur *Slieuici* in æde Petrina cum hoc epitaphio: In vigiliis Epiphaniæ obiit *Marqvardus Skinckel* dictus *Vosben*, cujus anima per Jeſu Chriſti piam miſericordiam reqvieſcat in pace. In Livonia *Revalia* urbs, regno Danico ſubjecta, a Præfecto Regio ab Agreſtibus Magiſtratui rebellionem facientibus oppugnatur. VI. Kal. Auguſt. *Otthoniæ*, *Nicolaus Jonæ* filius Epiſcopus *ædem Franciſci*, abſoluta ejus fabrica, & aram principem dedicat, atqve ſolenni ritu magnæ matri virgini conſecrat. WALDEMARUS Rex Oratores in *Sveoniam* mittit ad Regem MAGNUM, pecuniæ grandem vim, in debitum Holſatis promiſſum & bellr ſumptum, mutuatum. Iis benigne reſpondet Rex Sveonum & certum definit diem. *Comitiis Wardebergi* XIV. Kal. Decemb. adfuerunt *Petrus* Lundenſis, *Hemmingus* Upſalenſis, Pontifices, & alii ex Scania & Sveonia. WALDEMARO Regi iis Comitiis XXXV. millibus librarum argenti puri mutuo datis, (cui ſummæ alia magna auri vis, pro trecentorum militum & ducentum eqvitum e vinculis liberatione, Scaniis numerata, a Rege Sveone adjiciebatur) tota *Scania* cum *Hallandia*, *Blekingia*, *Lyſtria*, & Inſula *Hvena*, MAGNO Regi Svenonibusqve adjudicatur. Rex inſuper MAGNUS, acceſſione Scaniæ oppignoratæ imperio auctus, cœpit uti largitionibus, & WALDEMARO Regi dono dat IIX. millia pondo argenti. *Canutum*, *Brynolphi* filium, Magiſtrum Eqvitum, Scaniæ imponit. XII. Kal. Januarii *Johannes Duus*, *Bondonis Vycræ* militis filius de Toſtebola, moritur, beneficus in Eccleſiam Roſchildenſem: ſepelitur juxta conjugem in *Delubro Herfuglæ*. *Roſchildiæ* moritur XVII. Kal. Sept. *M. Petrus Strangonis* Cantor.

Anno Domini cIↃCCCXLIV. MAGNUS Rex Sveonum, Norwecorum & Scaniæ, *Trællaburgi* Kal. Sept. *Lubecenſium* privilegia corroborat & civibus ejusdem urbis poteſtatem concedit per *Nyam* amnem proficiſcendi *Nougardiam* & per omnes Sveonum oras mercaturam exercendi. In Norwegia *Nidroſiæ* urbis pars magna & *Michaelis ædes* fortuito incendio conflagrat. WALDEMARUS Friſios Cimbrios ſubigit armis XIII. Kal. Novemb. & magnum pecuniæ numerum a MAGNO Rege Sveonum pro *Scania* accipit.

Anno Domini cIↃCCCXXXXV. WALDEMARUS Rex in *Boruſſiam* navigat, comitatus *Erico* Juniore, Regulo Saxoniæ ad Lauenburgum, & fratrem *Ottonem*, militiæ Teutonici ordinis adſcriptum inviſit atqve in *Boruſſia* hiemat. VII. Feb. *Hermannus Gurſtorp*, vir nobilis, Canonicus Roſchildenſis, moritur. Veris initio WALDEMARUS cum ſocio *Erico* Juniore per Sarmatiam in Suriam proficiſcitur. Iisdem diebus *Comitia* publica *Helſingburgi* celebrantur: eo cum Senatu & Optimatibus veniunt *Petrus* Pontifex Lundenſis, *Sveno* Arhuſius, *Nicolaus Jonæ* filius Otthonienſis, *Andreas* Burglanenſis, *Jacobus Pauli* filius Roſchildenſis, *Petrus* Wibergius,

Epiſcopi, conſultatum, peregrinante WALDEMARO, ne qvid detrimenti Respublica Danorum capiat, reſtituaturqve regni dignitas in priſtinum ſtatum. Inter hæc negotia patres, referente *Nicolao* Epiſcopo, tenuitati redituum *Baſilicæ Camutiæ* Ottonienſis inopiæqve advertentes animum, ad illius fabricæ abſolutionem, a multis retro annis inchoatæ, facultates non ſufficere proprias, ſine piorum beneficentia. Igitur datis pridie Idus Maji litteris, precio precario impetratis, cunctis de *Baſilica Camutia* bene mereri volentibus expiationem ſcelerum XL. dies usqve liberaliter tribuunt: Iis etiam, qvos delictorum pœniteret, aut ſolutis piaculo, habita coram Sacrifico Sodalium omnium criminum pronunciatione, aut qvi religionis opinione vel votis nuncupandis Baſilicam freqventarent, ſacris Concionibus, Sacrificiis, Litationi intereſſent, inferias celebrando manesqve defunctorum expiando, aut qvi libo Chriſto Deo dicato panarioqve inter Lithurgiæ miſteria, ante Sigillaria Divorum, ſuperſtitione nova ſupplicarent, aut circumferentem libum oleumqve ſacrum Sacerdotem ſeqverentur, Baſilicæ ſtructuram adjuvarent, ponerent oſcilla, donaria inferrent, aut bona teſtamento negarent, aut qvi ad ſerotinum *nolæ tinnitum* (is mos tum inolevit primo adductus Roma) orationem a Chriſto traditam & ſalutationem magnæ matri virgini dicatam trinis vicibus recitarent, precesqve pro Reipublicæ Chriſtianæ tranqvillitate & ocio & populi Danici ſalute Deo immortali flexis genibus funderent, his vitia animiqve ſublata labes & data peccatis venia. *Rex* interim Syriam & Paleſtinam perluſtrat & Hieroſolymis ad monumentum Servatoris ab *Erico* Juniore, itineris ſocio, *inſignibus militaribus* XI. Kal. Auguſti donatur, leni enſis ictu humeris incuſſo; is vicisſim Comites iisdem inſignibus exornat pauloqve poſt patriam repetit.

Anno Domini cIↃCCCXLVI. *Henricus Ferreus*, Holſatiæ Comes, navigat in *Britanniam*, militatum *Edvardo III.* Regi contra Gallos, & arces & munitiones omnes, qvas in Dania pignori habebat, committit fratri ſuo *Nicolao* defendendas. Rex WALDEMARUS, reverſus e Suria, totus in eo erat, ut integre recuperaret patriam, ejectis Holſatis & Teutonicis, ſed deerant nervi. XVI. Kal. Apr. *Roſchildiæ Otto Johannis* filius, primus ædiculæ magnæ matris virginis Sacellanus, & *Machtildis*, *Guilielmi Prychii* primi Decuriorum uxor, fœmina religioſa, prid. Kal. Julii moriuntur. *Ottoniæ Hennechinus Chermerus*, magnæ auctoritatis vir, cum uxore, & filio, *Nicolao Chermero*, *Franciſcanos* magnis afficit beneficiis, & Teſtamento aream domumqve iis legat. In *Fionia* magna exiſtimatione vigebat *Boëtius* Abbas Inſulæ Dei.

Anno Domini cIↃCCCXLVII. in Fionia *Heina de Hov*, virgo nobilis, Sacris *Dalumi* initiata, acqvirit ſibi qvædam bona de *Ottone*, *Randulfibi* filio, Ottonienſi, & *Magno*, ſibi emit, & monaſterio Dalumenſi poſt mortem ejus integre obtinenda. Ipſa vitæ ſuperſtes uſum fructum retinet. WALDEMARUS æſtate inita iterum in *Borusſiam* navigat, ut fratrem conveniret & ſibi pecuniam, cujus erat inops, de Eqvitum Marianorum vectigalibus conficeret, & *Livoniæ* partem pro mutuo data pecunia iisdem pignori daret, ac cujus ipſe defenſionem propter itineris longinqvitatem navigationisqve tædium atqve pericula ſubire non poterat, traderet propugnandam. Igitur Commercio *Marieburgi* IIX. Kal. Jul. inito, WALDEMARUS Rex & *Otto* fratres *Henrico Tyſemero*, Magiſtro eqvitum Marianorum, & Collegis Marianis Livoniæ provincias Danici nominis, *Harrigiam*, *Virlandiam*, & urbem *Revaliam*, *Narvam*, *Veſeburgum*, IX. millibus & qvingentis pondo argenti puri puti vendunt, ea tamen lege, ut beneficiarii clientelam harum provinciarum a Regibus Danis accipiant, confectis ea de re tabulis. *Otto* ante biennium Sacris Eqveſtribus initiatus, jure ſuo, qvod in Regno Danico habere videbatur, decedens, aſſumto ſacro ordinis habitu,

cruce

cruce insignito in verba *Tusemiri* jurat. His actis, WALDEMARUS in regnum revertitur. Kal. Novemb. præsidia Danorum *Revalia* & e *Livonia* deducuntur secundum præscriptum tabularum WALDEMARI, & conscensis navibus in Daniam redeunt, Marianis *Burchardum Dreilevum Revaliæ* & omni *oræ Estonicæ* Commendatorem imponentibus.

Anno Domini cIↃCCCXLVIII. MAGNUS, Sveoniæ, Norweciæ & Scaniæ Rex cum *Roxolanis* bellat, & capto castro *Baccenhard*, Regulum Roxolanorum capit qvingentis hominibus. Prid. Id. Aprilis, qvi fuit dies Sabbathi ante Dominicam Palmarum, Dalumi *Helvigis* & *Berta*, *Johannes Wermesteri* filiæ, sacris initiantur. His bona tribuit *Andreas*, Prior Dalumensis, de *Johanne Esberno Marsvino* cive Ottoniensi emta, testimonio adhibiti, qvi inaugurationi & viscerationibus interfuerunt, Ottonia acciti, *Andreas* Prior Canutius, *Ascerus* Officialis Episcopi, *Elivus* Prior Dominicanorum: e civium numero, *Widolphus Frisius*, *Johannes Bang*, *Otto* & *Hemichinus*, *Randolphi* filii, fratres. *Pestis* per totum terrarum orbem grassatur, cujus acerbitate Dania funeribus completur. Mense Octobri *Ottoniæ Concilium* celebrat *Nicolaus Jonæ* Episcopus: cui assidebant *Andreas*, Prior Canutius, *Martinus* Præpositus, *Christianus* Præpositus Tostensis & Canonicus Lundensis, *Amundus* Sacellanus, & *Matthæus*, Notarii Cæsarei: Actum & probatum, nemini jus esse eligendi Episcopum Ottoniensem præter Canutios Sodales, & *Andreæ* Prioris Dalumensis, qvi aderat, pravitas damnatur, se cum qvibusdam Teutonicis suffragiis immiscentis. Latæ sententiæ testes fiunt: *Nicolaus* in Lundosa, *Johannes* in Scamby, *Nicolaus* in Sondersou, *Johannes* in Lunde, *Petrus* in Heringe, *Ballo* in Sunderby, *Johannes Locker* in Hæriæstedt, *Hennechinus* in Metelby, *Herbordus* in Flesby, *Ericus* in Sonderbroby, *Johannes* in Dalby, & *Petrus* in Wyby, Ecclesiarum supradictarum Rectores, tanqvam Seniores.

Anno Domini cIↃCCCXLIX. IIX. Kal. Martii, Parochiæ Marslovensis reditus ludo literario & *Scholasticis Ottoniensibus*, loco stipendii tribuit *Nicolaus*, Episcopus Ottoniensis: qvam donationem *Petrus*, Episcopus Ottoniensis, Antecessor iisdem fecerat, consensu *Esgeri* Pontificis, cum visitaret Ecclesias. *Comitiis Neoburgi* mense Majo habitis interfuerunt *Petrus* Pontifex, *Sveno* Arhusius, *Nicolaus* Ottoniensis, *Andreas* Burglarensis, *Jacobus* Roschildensis, *Petrus* Wibergius, & *Petrus* Ripensis, Episcopi. Ab iisdem conceduntur indulgentiæ XL. dies delictorum bene merentibus de Ecclesia *Brendrup*. *Nicolaus*, Episcopus Otthonensis, potestatem indicandi *Hennechino* Priori & Collegio Canutio in jurisdictione sua concedit Non. Septemb. & prohibet Scholasticos pauperes qvicqvam solvere Magistris pro labore, III. Kal. Dec. qvæ fuit prima Dominica Adventus. Moriuntur *Roschildiæ*, XV. Kal. Junii *Boetius Jonesson* de Alsloff in reditu de terra sancta, XI. Kal. Decemb. *Johannes Areldsson*, cujus frater, D. *Hennechinus* Presbyter, bene meritus fuit de Ecclesia Roeschildensi. Rex graves exactiones omnibus ordinibus sine discrimine imponit, qvæ vocantur *precariæ:* has exegerunt *Nicolaus Jura* Neoburgi & *Hermannus Jura* Nesboiticus, Præfecti. Erat tum Justiciarius *Nicolaus Jonsson* de Kieldebeck.

Anno Domini cIↃCCCL. Exactiones adhuc durant, qvas colligebat *Hermannus de Jura*, Nesboiticus Præfectus. Romæ secundus celebratur *Jubilæus:* eo proficiscuntur multi Dani. In Dania, in Ducatu Slieuicensi, Frisia Eydorensi, & Norwecia, *peste* laboratum gravissime bubonaria. Abdicante *Helimberto*, Episcopo Slieuicensi, ejus locum tenet *Nicolaus Brun*. Hic fuit diligens Vir, & multa annotavit, qvæ suo tempore acciderant in Cimbria Slieuicensi. WALDEMARUS Rex in

Germaniam proficiſcitur, & *Carolum* Imperatorem Buddisſinæ convenit menſe Februario, præſentibus *Ludovico* Seniore, *Ludovico* Romano, Electoribus Brandenburgicis, *Roberto* Comite Palatino Reni, fratribus, *Erico* Juniore Duce Saxoniæ ad Laoburgum. Imperator WALDEMARUM Regem & illius Amicos in gratiam recipit, & ſi qvicqvam ab iis contra Imperatorem commiſſum ſit, XIV. Kal. Martias, ac ei annuam penſionem urbis *Lubecæ*, Imperatori debitam, tribuit pro certo pecuniæ numero, qvod etiam *Ludovicus* Bavarus, Elector Brandenburgicus, facit, penſionem ejusdem urbis annuam III. M. librarum argenti ei aſſcribens: item *Ericus* Saxonum Dux, qvicqvid *Lubecæ* habebat a Marchione *Ludovico*, Regi oppignorat VII. Kal. Martii. Imperator etiam eadem de re Praga ſcribit *Lubecenſibus* IV. Kal. Mart. Clemens VI. Papa, qvi Romæ ſecundo celebravit inſtinctu *Birgittæ* Sveonicæ *jubilæum*, Avenione ſcribit Decano Roſchildenſi XII. Kal. Jun. ut contra injurias Monaſterium Dalumenſe defendat & bonorum monaſterii raptores excommunicet. Obierunt XIII. Kal. Junii Romæ *Nicolaus Plade*, Canonicus Roſchildenſis, V. Id. Oct. D. *Tychemannus* Presbyter, Prid. Id. Oct. *Nicolaus Brun* & *Johanna* uxor de Kalendburgo, optime de Eccleſia Roſch. meriti. XV. Kal. Nov. *Paulus Dychn* Civis Roſchildenſis.

Anno Domini cIↃCCCLI. Kal. Maji WALDEMARUS Otthoniæ fuit: operam litibus judicandis dabat. In his actionibus forenſibus nominantur *Chriſtinæ*, Relictæ *Hennichini Randulfsſon*, Creditores, *Willechinus* & *Hermannus*, dicti *Skyttæ*, fratres, *Andreas*, Prior Dalumenſis. Prid. Id. Julii iterum *Otthoniæ* juri dicundo operam dabat Rex WALDEMARUS, & afficiebat beneficiis Prædicatores Sodales, præſentibus oppidi decurionibus. Erant autem tunc *Otthoniæ* nomine clari cives, de Franciſcanis & Prædicatoribus bene meriti, *Johannes Bang*, Procurator & Advocatus, *Nicolaus Michelſon*, *Hermannus Röd*, *Lucius*, *Hins Schoneberg*, *Hins Gryſs*, *Nicolaus Petersſon* de Klinſtrop, *Jacobus Papæ*, *Petrus* Piſtor; *Nicolaus Jonsſon*, Regis Juſtitiarius, de Keldebeck, ſubſcripſit judicio. VII. Id. Nov. obiit *Tucho Tollfſon*, de Eccleſia Roſchildenſi bene meritus.

Anno Domini cIↃCCCLII. *Andreas* Prior Dalumenſis, bona ad *Nonneberg* poſita, qvæ *Bertholdus Schermer* habebat, & oppignorata fuerunt *Hennechino Fredæ* & *Alberto Grotæ*, attribuit prid. Kal. Apr. virgini moniali Dalumenſi, *Margaritæ Sunſtorpii Tymonis* filiæ, qvæ ipſa ſibi comparaverat & alia. Hoc anno de Franciſcanis bene meriti, ut in litteris nominantur judicialibus, *Johannes Esberni Marſvin*, *Johannes Gittonis* fratrum majorum Otthoniæ, *Petrus Aſtradi*, ordinis ejusdem Sodalis, *Albertus Grota* origine Lubecenſis, *Hennechinus Vetta*, *Rigvardus Parne*, *Rigvardus Regnikſon*. VII. Id. Aug. obiit Roſchildiæ *Regnorch Gyncechini*.

Anno Domini cIↃCCCLIII. Exactio Regia, qvæ *precaria magna* vocatur, adhuc viget, colligentibus Regis nomine tributum *Hemone* & *Hemmingo Splitiis*, militibus per Fioniam: Qvitanciæ, ut vocantur, id teſtantur. VII. Id. Septemb. moritur Roſchildiæ *Olaus* dictus *Duſæ* Presbyter.

Anno Domini cIↃCCCLIV. Otthoniæ floret vir dives *Richardus Reymigſon*. *Comitia* publica *Neoburgi* Kal. Julii Rex WALDEMARUS habet. Aderant *Nicolaus* Otthonienſis, *Petrus* Ripenſis, *Petrus* Wibergius, *Henricus* Roſchildenſis, & *Paulus* Arhuſius, Epiſcopi, *Nicolaus Lembeck* Dapifer, *Palno Jenſon* Magiſter eqvitum. Decretum, ut *Leges Waldemarinæ* in conſvetudine permanere debeant. *Henricus Ferreus* & *Nicolaus*, Comites Holſatiæ, aſcitis in Societatem Cimbris, WALDEMARO Regi bellum inferunt. Moriuntur Roſchildiæ VII. Kal. Auguſti, *Andreas Nicleſon*, Sacriſta & perpetuus Vicarius Othoniæ, XI. Kal. Sept. Civium primus &

magnus

magnus vir *Albertus Grota*, ſepultus in æde magnæ matris virginis: iterum Roſchildiæ *Nicolaus Bone*, Canonicus, X. Kal. Oct. Durant adhuc in Dania exactiones, teſtantibus litteris qvittanciarum.

Anno Domini cIↃCCCLV. XVII. Kal. Maji moritur *Petrus* Pontifex Lundenſis: cui ſubſtituitur *Jacobus Nicolai* filius. *Henricus* & *Nicolaus*, Comites Holſatiæ, & Cimbri cum WALDEMARO pacem ac amicitiam iniunt. *Nicolaus*, Epiſcopus Otthonienſis, de Eccleſia Frautica bene merentibus concedit indulgentias 40. dierum. VII. Id. Oct. & IIX. Id. Decemb. viſitat *monaſterium Dalumenſe*, & virginum mores & diſciplinam inſpicit atqve corrigit.

Anno Domini cIↃCCCLVI. Principes *Lubecæ* conveniunt, invitante Rege WALDEMARO: ibi certamina eqveſtria eduntur, choreæ ducuntur, teſte *Crantzio* Lib. 8. Vandaliæ, Cap. XXXVI. Daniæ Lib. 7. Cap. XXXVI. Aderant e Dania *Henricus* Regulus Cimbriæ Slieuicenſis & *Canutus* Dux Hallandiæ. *Otthoniæ* clarent *Nicolaus Juta*, Sodalis Ordinis Hieroſolymitani, *Hermannus de Gholmar*, Commendator S. Johannis Baptiſtæ, *Smale Hintze* & *Johannes Nyborgh*. Idibus Junii obiit *Botildis Hemmgi* uxor, de Eccleſia Roſchild. bene merita. Dedit enim curiam, qvam maritus habuit a *Nicolao Johannis* filio, dicto *Hvide Krembere*.

Anno Domini cIↃCCCLVII. XIV. Kal. April. ipſa die Dominica Lætare *Petrus* Wibergius, *Petrus* Ripenſis, *Paulus* Arhuſius, Epiſcopi, evulgato Diplomate: Pia mater (inqviunt, concedentes piacula) Eccleſia, de animarum ſalute ſollicita: devotionem fidelium per qvædam munera ſpiritualia, remiſſiones videlicet & indulgentias, irritare conſvevit, ad debitum famulatus honorem Deo & ſacris ædibus impendendum, ut fidelis populus eo melius delictorum ſuorum veniam & gaudia conſeqvi mereatur æterna. Hi cunctis, qvi aut dederint ad *Sacellum Benedicti* in Baſilica Canutia *Otthoniæ*, aut qvid teſtamento legaverint, aut ſacris interfuerint, plenam tribuunt indulgentiam, accedente Dioceſani voluntate & conſenſu.

Roſchildiæ III. Kal. Martii obiit *Saxo Saxonis* filius, civis, homo privatus bene meritus. *Comitiis Calundborgenſibus* VI. Kal. April. concedunt iis, qvi Eccleſiæ Dalbicæ in *Hinsholmia* benigni fuerint, indulgentias 40. dierum, *Nicolaus* Otthonienſis, *Petrus* Wibergius, *Petrus* Ripenſis, *Henricus* Roſchildenſis, *Paulus* Arhuſius, *Crafto* Macharenſis, & *Magnus* Burglanenſis, Epiſcopi: idem & Eccleſiæ *Callenſtrop* concedunt VII. Id. Apr. ipſa die Paſſionis Domini. III. Kal. Octob. *Elerus* & *Hardvicus Porsfeldii*, *Abelem* & *Helenam*, ſorores, *Nicolai* fratris filias, mittunt in monaſterium Dalumenſe & iisdem virginibus adjungunt, additis bonis, qvæ *Andreas* Prior ſuſcepit.

Anno Domini cIↃCCCLVIII. moriuntur VI. Non. Oct. *Petrus Tonandi*, Canonicus Roſchildiæ bene meritus, ſepultus in ſepulchro avunculi, Præpoſiti *Scialmari* VI. Id. Novemb. *Hemingus Bryggere*, Civis Roſchild. VII. Kal. Jan. *Strango Jonſon*, *Monetarius Lundenſis*, bene meritus de Eccleſia Roſchildenſi.

Anno Domini cIↃCCCLIX. V. Non. Martii *Wilhelmus Capella*, Decanus Haffnienſis, prid. Kal. Dec. D. *Johannes Kraak*, Decanus Haffnienſis, prius Canonicus Roſchildenſis, bene meriti de Eccleſia Roſchildenſi. *Jacobus* Pontifex, dolo circumventus ab *Erico*, Principe Sveoniæ, Rege deſignato, capitur *Aroſiæ*. Mediaphori (*) *Nicolaus Buggi*, vir magni nominis, juſſu Regis WALDEMARI occiditur a civibus & conventu Venſicorum.

Anno

(*) ↄ: *Medelfarri* in Fionia.

Anno Domini cIↃCCCLX. IV. Non. Martii moritur *Johannes de Alenfeld*, Armiger, ſepultus *Nyſtadii* apud Franciſcanos, de qvibus bene meritus, in Lalandia. Florent in Scania *Johannes Botulſon*, *Petrus Botulſon*, Canonicus Lundenſis, & *Nicolaus Akeſon*, Sacerdos Lundis. Ineunte æſtate *Comitia* publica *Calundburgum* Rex indicit. Eo accedunt, Rex ipſe, *Chriſtophorus*, Regis filius, Dux Lalandiæ, *Waldemarus* pater & *Henricus* filius, Duces Cimbriæ Slieuicenſis, *Nicolaus* Otthonienſis, *Petrus* Wibergius, *Petrus* Ripenſis, *Henricus* Roſchildenſis, *Paulus* Arhuſius, *Magnus* Burglanenſis, Epiſcopi. *Stigotus Anderſſon*, *Nicolaus Lembeck*, *Hemingus Pudebuſch*, *Ericus Barneſon*, *Benedictus Anefeld*, Senior, milites. Rex iis Comitiis de regni diminutione conqveritur: privilegia omnium Statuum confirmantur. XVI. Kal. Oct. *Nicolaus*, Epiſcopus Otthonienſis, rogante *Andrea* Priore Canutio, Sodalibus Canutiis reditus Parochiarum *Paterp*, *Aſumorum*, *Stenloſæ* & *Uberatæ* computationem comprobat. XI. Kal. Oct. *Waldemarus*, Dux Slieuicenſis, *Openradæ*, privilegia Sodalibus Cœnobii *Loci Dei* confirmat. Moriuntur IV. Non. Sept. D. *Nicolaus Torchilli*, Presbyter & Vicarius perpetuus Roſchildiæ, Idibus Sept. *Michael* de Ringſtadis, Cantor Roſchildiæ, XVIII. Kal. Oct. *Johannes Sartor*, dictus *Syoborgh*, Kal. Oct. *Nicolaus Sartor*, *Johannis Sioborgi* filius, Cives Roſchild. bene meriti. *Malmogia* privilegium vacationis a telonio ſolvendo accipit a WALDEMARO Rege.

Anno Domini cIↃCCCLXI. IIX. Kal. Apr. moritur *Tucho Juul*, dictus *Alfing*, Roſchildiæ. WALDEMARUS Rex *Scaniam* iniit. VI. Id. Julii *Helſinburgum* obſedit, & totam *Scaniam*, *Hallandiam*, *Blekingiam*, ejecto MAGNI Regis præſidio, obtinuit. Gravis *peſtis* per Daniam graſſatur, qva vigente, *Jacobus* Pontifex exſtinguitur, ſuccedente *Nicolao*, *Johannis* filio, Canonico Roſchildenſi. Æſtate media *Gotiam Inſulam* Rex claſſe adoritur, & edita ingenti *Gotenſium* ſtrage VI. Kal. Aug. ante portus urbis Wisbicenſis, *Wisbiam* longe clarisſimam urbium Septentrionis capit, occiſis agreſtibus MCCC. Expugnat qvoqve *Borcholmium* Oelandiæ.

Anno Domini cIↃCCCLXII. Id. Febr. moritur Roſchildiæ *Johannes Bernhardi* filius, Canonicus & Sacriſta. *Comitia Calundburgi* celebrantur. Iis Comitiis IX. Kal. Septemb. *Nicolaus* Pontifex, *Nicolaus* Otthonienſis, *Petrus* Wibergius, *Petrus* Ripenſis, *Henricus* Roſchildenſis, *Paulus* Arhuſius, *Magnus* Burglanenſis, Epiſcopi, omnibus, qvi de Eccleſia *Solinge* bene mereri cupiunt, largiuntur indulgentias qvadraginta dierum.

Autumno medio *inundatio* graviſsima fuit & inaudita in *Friſia Eydorenſi*, *Straudania*, *Riſimoria*, & illis oris, qvas incolunt *Friſii Cimbrici*, Oceano Britanico vicinis, qvam annotavit Epiſcopus Slieuicenſis, *Nicolaus Brun*, qva multi pagi & regiones ſubmerſæ ſunt. *Nicolaus* Pontifex a Rege WALDEMARO pignoris loco obtinet *Inſulam Burgundam* cum *Caſtro Hamerenſi* VI. Id. Decembr.

Anno Domini cIↃCCCLXIII. WALDEMARUS Rex in *Sarmatiam* invitatus proficiſcitur. Cohoneſtat ſua præſentia nuptias CAROLI IV. Imperatoris, ad liberalia *Cracoviæ* celebratas, cum aliis Regibus & Regulis. Cum *Caſimiro* Rege Sarmatiæ & *Imperatore* fœdus icit. Repudiata *Elizabeta*, *Henrici Ferrei* Comitis ſorore, deſponſata AQVINO Regi Norwecicorum, *Magni* Regis filio, *Magno*qve Rege WALDEMARO armis libertati reſtituto, AQVINUS, celebratis *Hafniæ* nuptiis, ducit WALDEMARI Regis filiam, nomine MARGARITAM, puellam undecim annorum. Aderat nuptiis BLANCA Regina, *Aqvini* mater, qvæ *Hafniæ* in ipſis ſolennibus moritur. *Chriſtophorus*, Dux Lalandiæ & Hallandiæ, commiſſo prœlio navali

ad

ad *Helſingoram* cum urbibus maritimis, ſauciatur, & paulo poſt extinguitur 3. Idus Junii. Bellum inteſtinum in *Sveonia*. MAGNUS SMEK regno privatur, & ALBERTUS Megapoleus, Alberti filius, Rex *Holmiæ* proclamatur prid. Kal. Decembr.

Anno Domini cIↃCCCLXIV. Rex WALDEMARUS in Germaniam proficiſcitur, & circa Theophania *Imperatorem* convenit. Confirmantur illi ab Imperatore omnia privilegia & litteræ, Regibus Danorum a Cæſaribus conceſſa Pragæ. Aderant *Rudolphus*, Elector Saxoniæ, *Arnoldus* Pontifex Pragenſis, *Johannes* Olomucenſis, *Petrus* Florentinus, Epiſcopi, *Stephanus* Baroniæ, *Boleo* Suitnicenſis, *Barnimus* & *Bugislaus* Sedinorum, *Prinslaus* Fesligenſis, Reguli. Diebus eſurialibus Rex MAGNUS ab ALBERTO nepote ſuo ad oppidum *Oenocopiam* capitur dolo. Tum temporis Rex WALDEMARUS, in Gallias profectus, ab Urbano V. Papa *Avenione* honoratur *aurea Roſa*. Dania oppugnatur ab *urbibus maritimis*. *Petrus Ænobarbus*, Claſis Regiæ Præfectus, capitur a *Wismarienſibus*, ſed hoſtibus arte deluſis, cuſtodia evadit. *Ericus*, Regulus Saxoniæ ad Laoburgum, *Wordinburgum* Regem convenit, & VI. Kal. Sept. Regi omnes litteras Imperatorias corroborat ſua ſubſcriptione, ex mandato Imperatoris. *Henricus* Abbas Loci Dei multa bona, hoc & præterito anno, comparat ſibi ſuoqve Cœnobio.

Anno Domini cIↃCCCLXV. Hoc anno ſcribunt *Sveones* pugnam inter ALBERTUM Regem & MAGNUM SMECH, ſtipatum Danorum auxilio & AQVINI filii, & fugato AQVINO captum fuiſſe VI. Kal. Mart. & *Holmiam* deductum. XVIII. Kal. Sept. *Ericus Johannis*, Epiſcopus Otthonienſis, omnia privilegia a majoribus conceſſa Sodalibus Canutiis approbat, & promittit neminem evecturum ad Præfecturam Otthonienſem & Prioratum Dalumenſem, qvi aliqvid damni dare velit ſodalibus & ſe immiſcere ſuffragiis, & nullum jus præpoſitum habere in Collegium Sodalium teſtatur. Summam deniqve poteſtatem illis concedit. Reliqvit tamen ſuo poenitentiario judicium de homicidio & puerorum oppreſſionibus. XII. Kal. Novemb. *Henricus* Regulus Slieuicenſis approbat privilegia Sodalibus *Loci Dei*. XI. Kal. Febr. *Nicolaus Brun*, Epiſcopus Slieuicenſis, omnes proſcribit, excommunicat, qvi injuriam Cœnobio *Loci Dei* fecerant: erat tum Abbas Loci Dei *Olaus*.

Anno Domini cIↃCCCLXVI. *Calundburgicis Comitiis* IIX. Kal. Febr. *Nicolaus* Pontifex, *Henricus* Roſchild. *Paulus* Arhuſius, *Nicolaus* Slieuicenſis, *Petrus* Wibergius, *Magnus* Ripenſis, *Ericus* Otthonienſis, *Johannes* Burglanenſis, Epiſcopi, indulgentias tribuunt iis, qvi beneficiis afficiunt Eccleſiam *Helderup*. *Nicolaus*, Prior Dalumenſis, conqveſtus literis fuerat de injuriis ſibi & *Monaſterio Dalumenſi* illatis coram Pontifice Maximo *Urbano V.* qvare is ſcribit Epiſcopo Otthonienſi, ut curet addicta pœna excommunicationis reſtitui Monaſterio adempta. XIII. Kal. Maji *Nicolaus* Prior, *Heilæ* & *Birgittæ*, Virginibus ſacris Monaſterii Dalumenſis attribuit ea, qvæ fuerunt illis adjudicata in *conventu publico Fioniæ*. *Mercatus* publicus *Scanorenſis* in totum deſolatur *inundatione*, exceptis duabus tabernis Stettinenſium: unus Mercator nunqvam comparuit. Magnæ in Dania ærumnæ, premente Rege ſuos ſubditos, qvos timebat. XVI. Kal. Novemb. moritur *Petrus Strangonis*, Canónicus Roſchildenſis, opt. m. Hujus Sòrorius fuit *Petrus Henrici*.

Anno Domini cIↃCCCLXVII. *Magnus* Epiſcopus confirmat Cœnobio *Loci Dei* ſua privilegia. VI. Kal. Julii *Nicolaus* Epiſcopus Slieuicenſis Divorum oſſicula & reliqvias colligit & in thecas redigit, ut in honore habeantur. *Urbanus V.* Papa menſe Octob. Viterbio ſcribens, mandat Decano Roſchildenſi, ut Monaſterio Dalumenſi reſtitui bona adempta curet. IIX. Id. Junii *Elias* Magiſter Prædicatorum Avenione Da-

lumenſibus virginibus piacula qvadraginta dierum indulget. V. Id. Decemb. moritur Roſchildiæ *M. Hemingus* Archidiaconus.

Anno Domini cIↃCCCLXIIX. *Nicolaus*, Prior Dalumenſis qvædam bona ad vitæ tempus attribuit virginibus nobilibus, *Ingertæ* & *Margaritæ*, Sororculis Monaſterii Dalumenſis. WALDEMARUS Rex, nemine proſeqvente, actus ſcelerum conſcientia, e regno aufugit. Moriuntur Roſchildiæ XVI. Kal. Octob. OLAUS JOHANNIS Cantor, Sextus in illa dignitate, III. Non. Oct. *M. Machonius*, Archidiaconus, de Eccleſia Roſchildenſi bene meritus, Id. Oct. D. *Johannes Eſchilli*, Canonicus, XV. Kal. Nov. *Henricus Gerardi*, Epiſcopus Roſchildenſis, ſuccedente *Nicolao Jacobi*, qvi fuit e familia Ulfeldiorum.

Anno Domini cIↃCCCLXIX. VI. Kal. Mart. *Ericus*, Epiſcopus Otthonienſis, decernit, petentibus *Johanne* Priore & Sodalibus Canutiis, ut *Ragelunda* vicus pertinere debeat ad *Aſumorum Parochiam.* Civitates de *Hanſa* (hæc ſunt verba Annalium Slavorum) potenter fugarunt WALDEMARUM Regem de Regno ſuo, & Daciam fortiter oppugnarunt, capto *caſtro Copenhagen* cum pluribus aliis. Nobiles regni dederunt civitatibus terram *Scaniæ* cum omni jure & reditibus per XVI. annos, qvibus illapſis, rediret ad regnum pro damno mercatoribus illato. Eodem anno *Nicolaus Brutzeon* Lubecæ in Eccleſia B. Mariæ interfecit *Bernhardum Oldenborg* Conſulem & alios duos vulneravit: captus afficitur ſupplicio rotæ, & in partes qvatuor dividitur. Moriuntur Roſchildiæ Kal. April. *Laurentius Olai* Hafnienſis Canonicus, Prid. Id. Octobr. D. *Chriſtophorus Erici* miles bene meritus.

Anno Domini cIↃCCCLXX. *Olaus* AQVINI Regis & MARGARITÆ filius naſcitur. Prædones, *Wogensmanni* dicti, ejecti ex *Strandania* ab *Ingvardo*, præfecto potentisſimo Welandiæ, propter ſcelera, condiderunt in Territorio *Weſterheuer* propugnaculum *Wognsmansborg:* inde agebant prædas, & *Friſiorum Eydorenſium* conjuges & filias rapiebant, ſtuprabant, & totum tractum *Weſterheuer*, *Utholmiæ* & *Euerſcopis* vaſtabant rapinis, & *Strandaniæ* moleſtabant incolas, qvæ Inſula Friſiæ Eydorenſi ad *Weſterheuer* & *Pilluoramum* erat *ponte Bollenbruggico* juncta. Raptis igitur hoc anno XIV. puellis honeſtis, Friſii, duce *Ouonę Heringe*, Præfecto Utholmiæ & Everſcopii, terra mariqve oppugnant prædonum arcem: III. Id. Julii expugnant, prodente qvadam rapta. Prædonibus LX. captis, ſupplicio affectis: raptæ incorruptæ, & nati ex illis legitimi judicantur. Arx ſolo adæqvatur.

Anno Domini cIↃCCCLXXI. *Henricus* Regulus Cimbriæ Slieuicenſis Cœnobium *Loci Dei* auget privilegiis. Prid. Non. Maji Roſchildiæ obiit vir magnus D. *Johannes de Capella*, Presbyter optime meritus de Eccleſia. Prid. Non. Julii *Ericus* Otthonienſis, *Johannes* Ripenſis, *Jacobus* Wibergius, & *Olaus* Arhuſius, Epiſcopi, Eccleſiæ *Collenſtrup* in Fionia piacula indulgent qvadraginta dierum, qvorum participes fiunt, qvi de Eccleſia bene merentur. *Margarita*, *Jacobi* filia, fœmina illuſtris, Relicta *Erici Selandfar*, reſidens in Lalandia, legat ſua bona fere omnia Franciſcanis *Otthoniæ* & *Naſcovii*, teſtibus D. *Hemmingo Meinſtrop*, milite, *Henrico* & *Otthone Meinſtropiis.* XIX. Kal. Sept. poſtqvam diu oppugnaſſet ALBERTUM Sveonum Regem AQVINUS Rex Norweciæ, vinculis Holmicis emittitur MAGNUS SMEK, & qvasdam fortunas in agro Scarenſi retinet, & ſe ad filium AQVINUM in Norweciam confert.

Anno Domini cIↃCCCLXXII. *Henrico* Epiſcopo Slieuicenſi vita functo ſuccedit *Johannes Sconeleue*, Doctor Theologiæ. Hic ſedit annos 49. Prid. Non. Julii *Otthoniæ* Epiſcopi conveniunt, *Ericus* Otthonienſis, *Johannes Laxman* Ripenſis,

Jacobus

Jacobus Wibergius, & *Olaus* Arhuſius, Eccleſiis *Stenstorp* & *Drechlet* piacula indulgent. Clarent ibidem *Petrus Magni* filius, Advocatus Otthonienſis, *Johannes Bang Erici* filius, *Henricus Silou*, *Smale Hintze*, *Langus Nicolaus*, *Hinſerus Calleſon*, Conſules: item *Nicolaus Calchoxſt*, *Hennechinus Veſtalius*: Hi poſtremi de Prædicatoribus *Otthoniæ* bene meriti ſunt.

Anno Domini cIↃCCCLXXIII. *Cereviſia Hamburgenſis* in pretio haberi cœpit, vileſcente *Bremenſi.* Roſchildiæ IV. Kal. Julii moritur *Olaus Nicleſon*, de Eccleſia Roſchildenſi bene meritus.

Anno Domini cIↃCCCLXXIV. V. Id. Febr. WALDEMARUS Rex, copiis conductis, in *Friſiam Eydorenſem*, *Euerſcopium* & *Utholmiam* irruit, vexat, rapit & cogit, ut qvælibet domus locuples daret ei 1. *Pd. Engelſch*, & admittit illis antiqva privilegia & immunitates, ac complures captos abducit. Cauſa hujus mali, qvod illi tributum debitum annis XIV. non perſolviſſent. *Johannes* Epiſcopus Ripenſis privilegia Cœnobio *Loci Dei* corroborat. *Comitia Neoburgi* publica peraguntur æſtate. Iis interfuerunt *Nicolaus* Pontifex, *Ericus* Otthonienſis, *Johannes* Ripenſis, *Jacobus* Wibergius, *Olaus* Arhuſius, *Nicolaus* Roſchildenſis, *Sveno* Burglanenſis, Epiſcopi. Hi concedunt piacula qvadraginta dierum ſive indulgentias Eccleſiis *Elveſted*, *Solinge* III. Kal. Julii, & jubent preces fieri pro *Hardvico Hummelsbuttel* & uxore ejus *Albeida*, qvi litteras impetrarunt, qvi ex Holſatia pulſi fuerant. Præterea largiuntur indulgentias Eccleſiæ *Eknæs* in Conventu Meridionali *Lundiæ* Fioniæ die Proceſſi & Marcipiani. Iisdem Comitiis III. Non. Julii *Magnus Nicolai* Decanus Lundenſis & *Johannes* Epiſcopus Ripenſis facti Judices arbitrarii, *Ragelundam* adjudicant Parochiæ *Aſumorum.* De iſto vico enim erat inter Sodales Canutios & Tutores Parochiæ *Marsleuicæ* controverſia, & nolunt eſſe in poteſtate Prioris Canutiorum. WALDEMARUS Rex *Riſam* Eccleſiam concedit *Marqvardo Bullæ* Bremenſi Sacerdoti, collatione facta per *Ericum* Epiſcopum Otthonienſem, reprobantibus *Canutiis.* Erant autem *Otthoniæ* in magna exiſtimatione *Johanes Jul*, Prior Canutiorum, *Andreas* Sodalis Officialis Epiſcopi, *Henricus Tailou* civis.

Anno Domini cIↃCCCLXXV. IX. Kal. Nov. moritur *Gorræ* WALDEMARUS IV. Rex Danorum: ſepelitur primum *Wordingborgi*, deinde *Soræ.* *Comitia Slavloſæ* poſt mortem Regis habentur: iis VI. Id. Decemb. litteras piaculares tribuunt Eccleſiæ *Eknes* in Fionia *Nicolaus* Pontifex, *Johannes* Ripenſis, *Nicolaus* Roſchildenſis, *Olaus* Arhuſius, Epiſcopi. III. Non. Martii obiit Roſchildiæ *Paulus Johannis* civis. Otthoniæ florent *Echardus Puge* & *Hennechinus Fechte*, cives. Regina MARGARITA accitur e Norwecia cum filio OLAO a patribus, juxta decretum Comitiorum. MARGARETA, AQVINI Regis Norweciæ Vidua, WALDEMARI Regis filia, & OLAUS V. Aqvini filius, Reges Danorum CXIX & CXX. Regnant, hic annos XII. illa XXXVI.

Anno Domini cIↃCCCLXXVI. *Comitia Slavloſæ* V. Non. Maji Regi creando habita. Exactiones tolluntur iis Comitiis, & confirmantur omnium privilegia & leges. Florent Otthoniæ *Matthæus Eſſonis* filius, *Smek* cognomento, *Wernerus Alberti* filius *Grota*, *Richardus Friſius*, *Michaël Tuchonis* filius. Erat in Dania tum temporis Eqvitum Magiſter *Palli Jenſon.*

Anno Domini 1377. *Nicolaus*, Prior Dalumenſis, conſorori ſuæ *Helenæ Hoeſten* & *Dieterico Hoeſten* attribuit de monaſterio qvædam bona ad vitæ tempus poſſidenda. Comitia publica litibus judicandis, *Neoburgi* Kal. Julii, OLAUS Rex Danorum, MARGARITA mater, Regina Norweciæ & Sveoniæ, habent. Aderant

Nicolaus Pontifex, *Johannes* Ripenſis, *Jacobus* Wiburgius, *Olaus* Arhuſius, *Nicolaus* Roſchildenſis, *Sveno* Burglanenſis, & *Waldemarus Poddibuſchius* Otthonienſis, Epiſcopi, *Hemingus Poddibuſchius* Dapifer, *Everhardus Moltikius* Dapifer, *Tuno Gallen* Præfectus Scaniæ, *Petrus Munck*, *Boëthius Hoeg*, & 39. milites, & militares 86. Omnia jura & privilegia approbantur. Iis Comitiis Pontifex & cæteri Epiſcopi largiuntur iis, qvi benefici fuiſſent in Eccleſias, *Dalumenſem* & *Aſumorum*, veniam delictorum Prid. Non. Julii, ac Eccleſiæ *Frauticæ* litteras piaculares concedunt VI. Id. Julii & *Gerlefficæ* in Cimbria, Dioceſeos Ripenſis, Id. Julii. Iisdem qvoqve Comitiis XI. Kal. Aug. coram *Johanne* Epiſcopo Ripenſi, delegato a Sede Romana judice, litem movet *Johannes Jull*, Prior Canutius, *Marqvardo Bullæ*, Bremenſi Sacerdoti, de Eccleſia *Riſa Inſulæ Erræ*, & cauſſam obtinet. Subſcribunt judicio cum Epiſcopo D. *Magnus* Decanus Lundenſis, *Olaus* Archidiaconus Ripenſis, *Laurentius* Præpoſitus Hardeſyllæ, *Trugillus* Canonicus Ripenſis, *Johannes Jacobi*, Canonicus Lundenſis. Id. Nov. immoderata *tempeſtas* & vehemens ventus fuit, qvi magnam cladem dediſſe terra mariqve traditur.

Anno Domini cIↃCCCLXXVIII. Matrona nobilis *Margarita Jacobi*, in Landia habitans, multa bona legat Franciſcanis, qvi ſunt *Otthoniæ*, uxor Vidua *Erici Selandfari*. III. Non. Maji moritur illa uxor qvondam *Pauli Skyodeberg*, bene merita de Eccleſia Roſchildenſi. Clarent Otthoniæ *Johannes Hemixon* Pro-Conſul, *Herbertus Johannis* filius, Advocatus, & *Hemechinus Weſtvalus*. Kal. Oct. *Concilium Otthoniæ* celebrat *Andreas* Sodalis, Officialis Epiſcopi *Waldemari* in ſpiritualibus generalis, & accuſante *Nicolao*, Priore Dalumenſi, *Henricum Speck* cum complicibus, diro anathematis fulmine percutit, & ſacrorum communione privat, qvod armata manu *Monaſterium Dalumenſe* invaſerit violaveritqve, & alia crudeliter fecerit.

Anno Domini cIↃCCCLXXIX. Non. Febr. moritur *Nicolaus*, Pontifex Lundenſis, cui ſuccedit *Magnus Nicolai* filius, Decanus Lundenſis, Patria Fionius. *Nicolaus* Pontifex optime fuit meritus de Eccleſia Roſchildenſi. Otthoniæ Advocatus erat *Hemichinus Galleſon*. Qvidam impoſtor permeabat Daniam, nomine *Conradus*, Nuncius Sodalium Ordinis Antonii. Hic omnes in trium recipiebat dantes pecuniam: Et hoc anno Id. Dec. *Virgines Dalumenſes* ſuo ordini aſcribit & illis veniam delictorum impertit.

Anno Domini cIↃCCCLXXX. Non. Kal. Maji obit Roſchildiæ D. *Nicolaus Duue*, Decanus bene meritus. Kal. Maji Oceanus inundat *Inſulas Oelandicas Friſorum*, ſubmerſis hominibus & pecoribus innumeris. Non. Kal. Aug. moritur Roſchildiæ *Mathildis*, *Hennechini Cosfeld* uxor, bene merita.

Anno Domini cIↃCCCLXXXI. moriuntur Id. Aug. Roſchildiæ *Hennechinus Cosfeld*, bene meritus de Eccleſia: Otthoniæ XI. Kal. Januarii *Elizabeta*, mater *Henrici* & *Johannis*, Dominorum *de Papen:* in Holſatia *Henricus Ferreus* Comes, tribus filiis relictis, e qvibus major natu erat *Gerardus.*

Anno Domini cIↃCCCLXXXII. Otthoniæ clarent *Johannes Hennechini* filius, Conſul, *Hennechinus Rinckeby*, *Andreas Hennechini* filius.

Anno Domini cIↃCCCLXXXIII. Hyemem & æſtatem commorando *Neoburgi* abſumit OLAUS Rex, uti teſtantur ejus reſcripta. Nam paulo poſt Epiphaniam qvædam bona adjudicat cuidam *Waldemaro Skinckelio*, & menſe Junio ibidem Comitia publica celebrat, & III. Kal. Jul. Prædicatoribus qvædam bona largitur, teſte *Nicolao Drage* Juſtitiario, & VII. Kal. Septemb. bona qvædam *Andreæ Stigiſon*, viro illuſtri, adempta reſtituit, qvæ ejus avus *Kettillus Petriſon* habuerat in Norreby: *Nicolaus*

Urna,

Urna, *Johannes Bryms*, *Nicolaus Draco*, Juſtitiarius. Initio menſis Martii *Adolphus*, Comes Holſatiæ, erga Cœnobium *Loci Dei* ſe beneficum præſtat multis donariis. VII. Kal. Maji *Magnus* Pontifex beneficiis afficit delubrum Franciſcanorum, & Eccleſiæ, ſuo arbitratu, ſacerdotem imponit, *Malmogiæ* commorans. *Lubecæ* hoc anno mirum accidit portentum Papiſticum, cruce Chriſti lignea ad hominem maleficum perjurantem ſe convertente.

Anno Domini cIↃCCCLXXXIV. æſtate ineunte, OLAUS Rex *Comitia* publica litibus judicandis *Neoburgi* habet. Floret Otthoniæ Præpoſitus *Johannes Briutzori*. IV. Non. Sept. moritur Roſchildiæ D. *Jacobus Falſter*, Canonicus.

Anno Domini cIↃCCCLXXXV. *Nicolaus*, Prior Dalumenſis, elocat qvædam bona Monaſterii *Hincero*, dicto *Lille Hintze*, civi Orthonienſi. XI. Kal. Martii Roſchildiæ *Nicolaus Petrus* Sacriſta & IV. Non. Mart. D. *Semundus* Canonicus moriuntur. Exitu anni OLAUS Rex *Otthoniæ* fuit: apud eum conqveruntur Prior Canutius & Collegium de injuriis, ob Parochiam *Riſam Errø* Inſulæ, a Clericis & Laicis illis illatis, & petunt, ut illorum defenſionem ſuſcipiat. Rex igitur eorum poſtulatus annuens, prohibet injurias amplius fieri & majorum donationes ratas eſſe vult probatqve IV. Non. Decemb.

Anno Domini cIↃCCCLXXXVI. IV. Idus Maji moriuntur Roſchildiæ *Tucho Esberni* dictus *Ympar*, XIV. Kal. Junii *Thomas Lamberti*, Presbyter, Sacriſta & perpetuus Vicarius, XIIX. Kal. Julii *Nicolaus Aqvini* dictus *Snöfot*: omnes de Eccleſia Roſchildenſi bene meriti. *Comitia* publica majorum more conſveto *Neoburgi* celebrantur æſtate media, qvibus interfuit OLAUS Rex, operam juri dicundo dans. Hic bona in *Hilleſtoft* a *Margarita*, *Jacobi* filia, prædicatoribus conceſſa, confirmat IX. Kal. Julii, & ea pariter, qvæ dederant Franciſcanis *Ivarus Chriſtenſon* & *Ivarus Cnutſon* de *Saurorum* familia Armigeri. Iis Comitiis *Gerardus*, Henrici Ferrei filius, Comes Holſatiæ, ab OLAO & MARGARITA Regina *Dux Slieuicenſis* creatur. Litteras iisdem Comitiis piaculares *Magnus* Lundenſis, *Nicolaus* Nidroſienſis, Pontifices, *Henricus* Gardenſis, & *Johannes* Slieuicenſis, Epiſcopi, Cœnobio *Loci Dei* communicant. IV. Kal. Aug. & paulo poſt iidem Pontifices, *Johannes* Ripenſis, *Sveno* Burglanenſis, *Jacobus* Wibergius, & idem Slieuicenſis & Gardenſis nominati, indulgentias Eccleſiis *Brendrop*, *Harby*, & VII. Kal. Aug. *Stendorp* largiuntur. Volunt etiam, ut ſupplicationes habeantur pro ſtatu Reipublicæ & pro ſalute Regis OLAI. IV. Kal. Septemb. moritur in Fionia vir magnus, *Nicolaus Friſius* Armiger, ſepultus *Otthoniæ* apud Franciſcanos. Hujus uxor fuit *Tora*: ab his trahit originem *Johannes Friſius*, Cancellarius Chriſtiani III. Regis. Eminent Otthoniæ hoc tempore *Petrus Nicleſon Friſius*, dictus Advocatus, *Henricus Fylaum* Pro-Conſul, *Nicolaus Otteſon*, *Hennechinus Hanſon*, *Thomas Stége*, *Lille Hintze*, *Johannes Marſvin*, *Wernechinus Grota* & *Petrus Care* Conſules, *Nicolaus Petri* dictus *Kulben* & *Johannes Rigvardi Fryſs*, *Robertus Richardi*, vir magnæ æſtimationis, cives.

Anno Domini cIↃCCCLXXXVII. moritur OLAUS, Rex Danorum & Norweciæ, ſepultus *Soræ*. XIII. Kal. Oct. Roſchildiæ decedit *Johannes Hennechini*, Præpoſitus Roſchildenſis. Hic dedit Eccleſiæ Roſchildenſi, qvæ habuit a *Johanne Benedicti* & a *Gyncelino*. *Lubecæ* conveniunt hoc anno, ut vult *Crantzius*, ALBERTUS Rex Sveoniæ, MARGARITA Regina Daniæ, *Ericus* Saxo, *Nicolaus* & *Adolphus*, Comites Holſatiæ. IX. Kal. Decemb. anathematis fulmine ferit *Magnus*, Pontifex Lundenſis, propter injurias Cœnobio *Loci Dei* factas, *Olaum Ivari*, dictum *Stenſten*, & complices.

Anno Domini cIↃCCCLXXXIIX. MARGARITA Regina ſola in Dania & Norwecia regnat. *Magnus* Pontifex & *Sveno* Abbas Herivadenſis beneficiis cumulant *Thomam* Abbatem Loci Dei & Sodales Ciſtercienſes, & *Hemmechinus Limbeck* erga Cœnobium *Loci Dei* hoc anno beneficus & liberalis extitit. *Comitiis Neoburgicis* principio æſtatis more conſveto habitis, MARGARITA Regina Ducatum Slieuicenſem *Gerardo* confirmat, & XVI. Junii ſcribens *Petro Bejero*, *Tuuoni Michelſon*, *Burchardo Lembeck* & *Avoni Bundo*, de Bonis in *Hollerſtoft* Prædicatorum Otthoniæ, & Sodalibus adjudicat habenda extra omnem controverſiam. Bello Sveonio exorto, MARGARITA Regina cum ALBERTO Sveonum Rege, XI. Kal. Oct. prælium committit, duce *Ivaro Lycheo*, qvo, fuſis fugatisqve hoſtibus, capitur in *Follonia* Weſter-Gotorum ALBERTUS Rex cum *Erico* filio. Veniunt qvoqve in Danorum poteſtatem *Comes Rupenſis*, *Bouslaus* Dominus Stargardiæ, & *Gerardus* Comes Holſatiæ. Captus Rex cuſtodiæ datur *Babuſii*. *Magnus* Pontifex ſancit X. Kal. Oct. ut *Riſam*, Inſulæ Erricæ Parochiam, Sodales Canutii retineant perpetuo: Lundis id actum.

Anno Domini cIↃCCCLXXXIX. VI. Kal. *Luderus Coboltus* miles moritur. Hic diu decubuit vulneribus, in prælio contra ALBERTUM Regem contractis: confectus ſepelitur ad Franciſcanos *Nyſtadii* in Lalandia. MARGARITA Regina magnam partem Sveoniæ occupat, ubi vigebant ſeditiones, cum Megapolei & Albertiani inſidiarentur incolis. Non. Oct. cives *Holmenſes* necantur a Teutonibus.

Anno Domini cIↃCCCXC. VI. Non. Martii *Magnus Nicolai* filius, Pontifex, decidens de ponte minore *Caſtri Aoſiæ* moritur: Corpus Lundas relatum ſepulturæ traditur: Cui ſurrogatur Dominus *Petrus*. Kal. Aug. obiit *Andreas Sivedeſon* de Kerſtrop in Lalandia: ſepelitur *Nyſtadii* apud Franciſcanos: cui uxor *Chriſtina* Familiæ *Ulfeldicæ* monumentum poni curat. Florent in Fionia *Chriſtianus Friſius*, dictus *Lumby*, *Eſcio Nicleſon* miles, *Johannes Urna*, *Hermannus Karkendorp*, Otthoniæ *Matthæus* Provincialis Daciæ ordinis prædicatorum, *Johannes*, Prior ejusdem ordinis, *Matthæus Bagener* civis.

Anno Domini cIↃCCCXCI. XI. Kal. Febr. *Andreas Emich*, Prior Canutius, moritur. *Comitiis* publicis more conſveto *Neoburgi* habitis interfuerunt *Nicolaus* Roſchildenſis, *Johannes* Slieuicenſis, *Petrus Lodehat* Arhuſius, *Eſchillus* Ripenſis, & *Thorſtanus* Scarenſis Epiſcopi. Hi litteras Prid. Non. Julii piaculares Eccleſiæ *Aldorp* & die poſtero *Gardisloficæ* conferunt liberaliter. XVI. Kal. Dec. *Petrus*, Epiſcopus Olenſis, ejusdem generis litteris Eccleſias *Helderop* & *Solinge* cohoneſtat. Prid. Kal. Jan. *Petrus* Pontifex moritur *Helſingburgi*.

Anno Domini cIↃCCCXCII. in *Petri* locum fit Lundenſis Pontifex *Jacobus Gerardi* filius. Ipſo die feſto Hypopantes in Fionia conveniunt hi nobiles viri: *Sabel Karkendorp*, miles, qvi reſignat bona ſita in Conventu Juridico *Gumæorum* uxori *Cæciliæ*, *Johannes Urnæ*, filius *Lagonis Nicleſon Urnæ*, Armiger, *Nicolaus Nicleſon* de Kereby miles, *Ottho Stiigeſon*, *Paulus Nilsſon*, *Chriſtianus Friſius*, *Offo Wineſtorp*, *Nicolaus Urna*, Armigeri. XII. Kal. Maji moritur *Waldemarus Podebuſcius*, Epiſcopus Otthonienſis, & ſepelitur *Nyſtadii* ad Franciſcanos. Æſtate inita *Wordingburgi Comitia* celebrantur publica. In iis Comitiis IV. Kal. Julii *Jacobus* Wibergenſis, *Nicolaus* Roſchildenſis, *Sveno* Burglanenſis, *Bouo* Aroſienſis, *Petrus* Arhuſius, *Tezo Podibuſchius*, qvi *Waldemaro* ſucceſſerat Patruo, Otthonienſis, & *Eſchillus* Ripenſis, litteras piaculares Eccleſiis *Aſumorum* & poſtridie *Synderbroby* ac Prid. Kal. Julii *Helderop* & *Frauticæ* ac paulo poſt Prid. Non. Julii Eccleſiæ *Pedſted*

Ripenſis

Ripenſis Dioceſeos in Cimbria largiuntur. Iis Comitiis de emiſſione e Carcere ALBERTI Regis actum. *Vitaliani*, e qvorum numero *Roſtochienſes* & *Wismarienſes* fuere, in Danos & Sveones in mari Sarmatico ſeu Venedico & Baltico piraticam faciunt propter ALBERTI vincula.

Anno Domini cIↃCCCXCIII. qvam & hoc anno crudeliter exercent.

Anno Domini cIↃCCCXCIV. VII. naves piraticæ *Vitalianorum* Roſtochienſium & Vismarienſium, glacie conſtrictæ, ſe egregie contra Danos defendunt, donec glacies diſſolveretur. *Comitia* fuerunt publica *Helſingburgi* a MARGARITA indicta æſtate media. Iis Comitiis inter alios præſentes *Jacobus* Pontifex, *Petrus* Arhuſius, *Thezo* Otthonienſis, *Eſchillus* Ripenſis, *Thordo* Strengenenſis, *Auguſtinus* Avsloenſis, *Hemmingus* Wexionenſis, *Henricus* Orkadenſis, *Wigboldus* Farenſis, & *Johannes* Chriſtopolitanenſis, Epiſcopi, litteras octo Id. Aug. attribuunt piaculares Eccleſiis *Elfveſted*, & IV. Id. Aug. *Kerndorp.* Actum inter alia de ALBERTI Regis capti liberatione, multorum præſentibus Principum & Urbium Maritimarum Legatis. IV. Kal. Auguſt. *Jacobus* Conſtantianenſis Epiſcopus, *Thezonis* Epiſcopi Otthonienſis in Pontificalibus Vicarius, iis, qvi Eccleſiæ *Hoydorp* bene faciunt donis, indulget veniam delictorum ad dies 40. Et XVII. Kal. Nov. *Brendorpi* conſecrat altaria Mariæ Magdalenæ & aliorum divorum ac brevi poſt circa martinalia tribuit iis indulgentias 40. dierum, qvi Eccleſiam ornarint *Haderslebicam* largitionibus inviſerint ibiqve feſta peregerint. Fit iis litteris mentio corporis Chriſti.

Anno Domini cIↃCCCXCV. XV. Kal. Febr. moritur *Nicolaus*, Epiſcopus Roſchildenſis, ſuccedente *Petro Johannis* filio. In Fionia *Jacobus*, Epiſcopus Conſtantianenſis & Vicarius Epiſcopi Othonienſis, piaculares litteras indulget Eccleſiis *Helderop*, *Solinge*, Kal. Jun. & triduo poſt *Elfveſtad*, ibiqve altaria atqve imprimis magnæ matris virginis conſecrat, confirmans inſuper omnium Pontificum Lundenſium & Epiſcoporum indulgentias. Benedictus XIII. Papa corroborat omnia privilegia & bona, a MARGARITA Regina *Cœnobio Gabeno* ordinis S. Auguſtini conceſſa. VI. Kal. Julii *Jacobus* Epiſcopus-Conſtantianenſis, Vicarius Epiſcopi Otthonienſis, Eccleſiæ *Callenſtrop* indulgentias confert, iis concedendas, qvi liberalitate in Eccleſiam uterentur. Poſt *Comitia Helſingburgi*, dein *Aleholmi*, celebrata, qvibus aderant, *Johannes* Megapolenſis & urbium maritimarum legati. Primis Novemb. diebus ALBERTUS, Rex qvondam Sveonum, cuſtodia emittitur, cum filio *Erico* & Comite Rupenſi, ejurato Regno Sveonico, vadibus factis urbibus *Lubeca*, *Stralſundo*, *Gripsvalda*, *Gedano*, *Turronio*, *Elbinga*, *Revalia.* Regina totum *Sveonum* regnum obtinet.

Anno Domini cIↃCCCXCVI. *Nicolaus Thageſon*, nobilis in Fionia de Godorp dictus *Pegn*, qvædam bona Prædicatoribus Otthoniæ Sodalibus legat Teſtamento. Teſtes facti ſunt cives Otthonienſes *Richoldus Jenſon*, *Jacobus Vitne*, *Magnus Aſperſon*, homines clari. Tum temporis in Scania Prætor erat *Johannes Andreæ*, cujus inſigne fuit *virgo coronata*, *plumis pennisqve* obſita. ERICUS Dux Pomeraniæ Orientalis, auctore MARGARITA Regina ejus Matertera magna, ad *Mora Sten* Rex nominatur Sveoniæ & Gothorum. Hunc *Bogislaum* ante fuiſſe dictum volunt *Annales Sveonici:* coronatur juxta eosdem *annales* XI. Kal. Aug. qvi dies hoc anno eſt dies Sabbathi ſeu feria VII.

Anno Domini cIↃCCCXCVII. *Comitia* publica *Calmarniæ* celebrantur, ſeu *Parlamentum* generale (ut habetur hoc verbum in litteris piacularibus) per Coronationem Regis *ERICI Pomerani* æſtate media. Interfuerunt inter alios Proceres Danorum & Sveonum, *Jacobus* Pontifex Lundenſis, *Petrus* Roſchildenſis, *Thetzo* Otthonienſis,

nienſis, *Eſchillus* Ripenſis, *Boetius Porſus* Arhuſius, *Petrus* Burglanenſis, *Lago* Wibergius, & *Johannes* Orcadenſis, Epiſcopi. Hi litteras piaculares Eccleſiæ *Drexletæ* indulgent Prid. Non. Julii. Crediderim hoc anno in *Comitiis Calmarnicis* coronatum ab *Henrico* Pontifice Upſalenſi ERICUM, qvia in litteris indulgentialibus habetur, hoc anno datis, Epiſcopos conveniſſe ad Parlamentum Calmarniæ generale per coronationem Regis ERICI celebratum: Deinde qvia XI. Kal. Aug. illius inauguratio facta eſt, ut ſcribunt omnes, qvæ dies hoc anno eſt Dominica V. poſt Trinitatis ſeu *Retis ejecti in nomine Chriſti:* ut hoc tempore eundem morem ſervaſſe homines, qvi adhuc ſervatur, opinor, ſi qvid magnum & auſpicatum fieri debeat, ſolenni die ſuſcipiatur id, ut eſt dies Dominica. Autumno trium regnorum unitio fuit. In *Friſia* Cimbriæ Slieuicenſis IV. Non. Mart. turris Eccleſiæ *Lundbergenſis* corruit. In Fionia *Johannes* Epiſcopus Chriſtopolitanenſis, in pontificalibus Vicarius *Thezonis* Epiſcopi Otthonienſis, litteras piaculares Eccleſiis *Synderbroby* V. Id. Decemb. & *Horby* XIII. Kal. Jan. tribuit, vicatim per Fioniam obambulans. Roſchildiæ Id. Novemb. moritur *Olaus Pant* Decanus. Idem *Johannes*, Epiſcopus Chriſtopolitanenſis, *Jerſleuæ* indulget Eccleſiæ Hadersleuæ literas piaculares XIII. Kal. Nov.

Anno Domini cIↃCCCXCVIII. *Johannes*, Epiſcopus Chriſtopolitanenſis, Epiſcopi *Thezonis* in Pontificialibus Vicarius, IV. Id. Febr. Eccleſiæ *Alterpicæ* litteras contribuit piaculares, easdemqve communicat Eccleſiis *Solinge* XV. Kal. April. & *Elveſted.* Fuit qvædam nobilis virgo in monaſterio Dalumenſi, nomine *Berta.* Hæc ſua bona, conſenſu Prioriſſæ *Helenæ*, vendit nobiliſſimæ fœminæ *Idæ*, *Henrici Sturæ* Armigeri Relictæ: pecuniam acceptam in commodum ſuum & monaſterii collocat menſe Martio. Bonifacius IX. Papa *Eccleſiæ Frauticæ* magnas confert indulgentias Non. Aprilis, & paulo poſt ſcribens Pontifici Lundenſi, donationem Gladſaxe ab *Ida*, nobiliſſima fœmina, factam, Viduam Johannis de Snackenberg militis, Dioceſeos Lundenſis, ad virginum monaſterium ratam vult eſſe. *Arensbocum* Cœnobium in Vagria Carthuſianorum condi cœpit.

Anno Domini cIↃCCCXCIV. hujus anni initium & algoris vi & hyeme ſolito aſperiore inſigne fuit, ut per mare glacie concretum iter pateret omnibus pedeſtre ex Henetum oris in Daniam & Sveoniam. Hujus frigoris occaſione uſus *Albertus* Comes Holſatiæ, regionem *Friſiæ Eydorenſis* flamma & ferro vaſtat & ingenti ære hoſtes mulctat. Menſe Januarii *Eſchillus* Ripenſis Epiſcopus Cœnobio *Loci Dei* privilegia corroborat. Tum temporis *Andreas* & *Laurentius*, *Trugilli* filii, *Matthias Haldani*, ſua bona legant Cœnobio *Loci Dei* pro anniverſariis. XII. Kal. Julii moritur Roſchildiæ *Johannes Sweet*, bene meritus de Eccleſia. Florent in Fionia *Magnus Anderſon* Prætor, Landsdommer, *Olaus Stura* Armiger, *Jacobus Stigeſon:* Otthoniæ *Johannes Clementsſon*, qvi poſt fuit Pro-Conſul, *Andreas Jenſſon*, *Johannes* & *Benedictus Echardi* filii, de Franciſcanis bene meriti.

Anno Domini cIↃCCCC. *Jubilæus IV. Romæ* celebratur, juſſu Pontificis Maximi, Bonifacii IX. qvi ante decennium peregerat Jubilæum III. Arſit *Sydus crinitum* menſis Martii principio. MARGARITA Regina & *Petrus* Epiſcopus conſtruunt *Monaſterium S. Agnetis* virginum Prædicatorum ordinis S. Auguſtini, facta translatione e Scania, (ubi *Ida*, vidua uxor *Torchilli Nicolai*, dein *Johannis Snakenborg* militis, ex bonis *Gladſax* condere voluerat) in Selandiam. Id confirmat Bonifacius IX. Papa anno Pontificatus XI. ſcribens *Petro*, Epiſcopo Roſchildenſi, de *Idæ* voluntate ultima *Gladſax* mutandi in monaſterium virginum; ſed Reginam Daciæ, Sveciæ & Norweciæ, MARGARITAM alio transferre conſtituiſſe *Annes*, qvod inde *Gabno*

fuerit

fuerit translatum, bono ſuo conſenſu. Erat autem Regina Teſtamenti Executrix. *Geta* Prior Canutius Otthoniæ moritur. Hic novas veteri ſtructuras addidit ædi.

Anno Domini cIↃCDI. circa XIX. K. Feb. *Comitia* litibus judicandis, MARGARITA & ERICUS *Pomeranus*, Reges Danorum & Sveonum, *Helſingburgi* habent. Præſentes erant *Petrus Laxmannus*, *Johannes Duus*, *Nicolaus Ivari* filius, *Ericus Nilsſon*, milites. V. Kal. Julii obiit D. *Matthias Benedicti*, Canonicus Roſchildenſis.

Anno Domini cIↃCDII. *Johannes Avonis* filius, Epiſcopus Ottonienſis, cum viſitaret Eccleſias ſuæ jurisdictionis, prid. Kal. April. *Roslinge* commorans, Eccleſiæ *Solingæ* liberaliter concedit litteras piaculares. Dies erat, qva dedit indulgentias, feriæ IV. poſt feſtum Paſchatos. Moriuntur Roſchildiæ V. Id. April. *Henricus Jenſon* miles, Canonicus, XIV. Kal. Maji *Wilhelmus*, Canonicus Stenninge, V. Id. Maji *Petrus* Medeldierg, XIV. Kal. Jul. *Margarita Brunichini* vidua bene merita. Otthoniæ florent, & de Franciſcanis & de Prædicatoribus bene meriti, *Bero Oluvſon*, miles, Præfectus Nesboiticus e Familia *Biornonum*, *Johannes Magni* Prior Prædicatorum, *Robertus Richardſon* Pro-Conſul, *Johannes Clementis*, Conſul. *Falſterbodæ* in Scania juſſu MARGARETHÆ Reginæ crematur ille, qvi ſe *Olaum* Reginæ filium mentiebatur.

Anno Domini cIↃCDIII. Monaſterium ab *Ida*, *Torchilli Nicolai* filii Laici Vidua, fundatum, ſed *Gabnoam* translatum & ab ERICO Rege, MARGARITA Regina, & *Petro* Epiſcopo Roſchildenſi dotatum, Bonifacius IX. Papa ratum eſſe jubet, Pontificatus anno XIV. & ſcribens *Petro*, Epiſcopo Roſchildenſi, approbat, qvod ipſe & Regina MARGARITA Monaſterium, ab *Ida* cœptum in *Gladſaxe*, transferre conſtituerint ad *Gabno*, & inſtitui ſecundum Regulam Prædicatorum ordinis S. Auguſtini, in honorem Divæ Agnetis: Litteræ datæ ſunt Pontificales XI. Kal. Maji. *Ditmarſi* ulturi injurias ſibi illatas, in *Friſiam Eydorenſem* irruunt, capiunt oppidum *Tomingum*, ferro & flamma vaſtitatem regioni inferunt. *Albertus*, Comes Holſatiæ, populabundus *Dithmarſiam* invadens, lapſu eqvi extingvitur III. Kal. Octobr. Corpus *Ithzoi* ſepelitur. *Johannes*, Epiſcopus Otthonienſis, *Orchillæ* commorans, litteras piaculares Eccleſiis *Brendrop* V. Kal. Nov. & poſtridie *Ocetæ* largitur. Otthoniæ eminent *Jacobus Gotenz*, dictus *Clevel*, de Prædicatoribus bene meritus, *Petrus Marſvin*, *Nicolaus Clauſon*, Sacerdos Albanianus, *Henricus Petri*, *Johannes Sulte*.

Hoc anno a Regina MARGARITA, ducibus *Algotto Magniſon* & *Abrahamo Broderſon*, oppugnatur *Inſula Gotia*, ſed reſiſtente fortiter urbe *Visbyo*, rejiciuntur fuganturqve *Sveones:* Sed paulo poſt pecunia pax redimitur.

Anno Domini cIↃCDIV. *Gerardus*, Regulus Cimbriæ Slieuicenſis, *Ditmarſis* bellum infert & omni belli clade ſævit; tractus in inſidias in *Suderhama* ab hoſtibus obtruncatur Non. Aug. cum qvingentis armatis. Bonifacius Papa IX. privilegia Cœnobio *Ringſtadienſi* corroborat III. Id. Martii.

Anno Domini cIↃCDV. Kal. Martii moritur *Johannes Palnonis*, Armiger, de Eccleſia Roſchildenſi bene meritus. Moriuntur Roſchildiæ VII. Kal. April. *Tuuo*, Archidiaconus, VI. Apr. *Aqvinus Ailonis* Canonicus. Otthoniæ *Petrus Jenſon Marſvinus* magnis afficit beneficiis ſodales Prædicatores. Executores Teſtamenti conſtituuntur *Robertus Richardi*, Pro-Conſul & Advocatus, & *Johannes Clementis*, Conſul. Fuerunt tum temporis alii Conſules ſeu Decuriones Otthoniæ, *Thorſtanus*, *Johannes*, *Johannis* filii, *Johannes Lyrus*, *Nicolaus Jenſon*. *Sabel Carchendorp*, miles, multa legat bona ædi ſacræ *Neoburgenſi*. Aſſidui & magni *imbres* hujus anni fuerunt in media æſtate usqve ad principium novi anni. Canonici Ripenſes ultimis

Septembris diebus contra *Johannem Scarpenbergium*, militem de Troyborg, excommunicationem exeqvuntur propter injurias, *Svenoni* Abbati & Cœnobio Loci Dei factas.

Anno Domini cIↃCDVI. VI. Id. Januarii *Siggerus Petri*, Presbyter & Canonicus, moritur: III. Non. Febr. *Laurentius Olai* contulit beneficia Ecclesiæ Roschildensi. X. Kal. Julii *Wilhelmus* Presbyter Roschildiæ obiit. XVI. Kal. Julii horrendum *Solis deliqvium* accidit, ut diem mortalibus adimeret. In Fionia *Voborgi* ad Xenodochium extruendum bona contribuunt *Vonsletus* Advocatus Voborgensis, *Johannes Petri* de Lauismos, Prætor Fioniæ, *Eilerus Rantzov*, *Thymo Gumidich* dictus *Vitterop*, *Marqvardus Scutte*, & *Nicolaus Hart*, qvi postremus postea Magister Civium fuit Otthoniæ. VIII. Id. Sept. Roschildiæ moritur *Gumarus* Canonicus. VII. (rectius ut arbitror IX.) Kal. Nov. *Lundis* ERICUS, Reginæ Margaritæ Regni consors, nuptias cum PHILIPPA, Henrici IV. Angliæ Regis filia, celebrat. IIX. Id. Nov. obiit *Laurentius Olai* Roschildiæ Canonicus. Hic contulit *Aræ Lucianæ* omnia sua bona, qvæ emit ab *Andrea Petri* de Svaneholm.

Anno Domini cIↃCDVII. Regina MARGARITA, postqvam regnasset in Dania annos XXXII. *ERICO Pomerano* omnem potestatem per Daniam & Norweciam regnandi concedit. *ERICUS IX. Pomeranus*, Wartislai VII. Ducis Pomeraniæ Orientalis filius, Bugislai V. nepos, Wartislai IV. Pomeraniæ in Wolgast Ducis pronepos, Bugislai IV. abnepos, Barnimi primi adnepos, Rex Danorum CXXI. regnat annos cum MARGARITA 5.

Johannes, Episcopus Ottonienfis, *Orchillæ* promulgatis litteris, in Fionia Ecclesiis indulgentias & peccatorum remissionem, bene meritis concedendam, confert *Horstorpicæ* Non. Junii, *Brendorpicæ* X. Kal. Oct. *Frauticæ* III. Non. Oct. *Altorpicæ*, qvæ dicata erat *Divo Jacobo* prid. Non. Oct. Iis in litteris præfatur: Devotum Domino populum facere cupientes, ipsum ad exercitia pia indulgentiis & peccatorum remissionibus invitamus, qvi opera ergo indulgentiarum perpetraverint. *Lubeca* Senatus ejicitur. Hoc anno *hyems* admodum aspera fuit.

Anno Domini cIↃCDVIII. XIII. Kal. Febr. *Johannes*, Episcopus Otthonienfis, litteras piaculares Ecclesiæ *Svaningicæ* concedit: fit in iis mentio salutationis ad sonitum serotinum Campanæ Mariæ virginis, qvæ pro delictorum venia fieri debeat. *Bertramus Schinkelius* miles moritur, & *Otthoniæ* ad Johannem Baptistam sepelitur. Hujus uxor fuit *Catharina* e *Grumporum* familia. In Selandia XI. Kal. Junii obiit Dominus *Johannes Andersson* de Esendorp miles, qvi aram Sanctæ Catharine Virginis in Sacello *Petri* Episcopi fundavit *Roschildiæ* & dotavit. *Johannes Gerechini* filius Danus, adnitente ERICO Rege, creatur Pontifex Upsalienfis. Aggripinenses, auctoribus *Henrico Smalenburgico*, Decretorum Doctore, Decano S. Mariæ ad gradus, & *Hermanno* Abbate monasterii S. Pantaleonis, reliqvias & osficula Sociorum Gerionis & Ursulæ mense Augusto *Malmogium* Scaniæ transmittunt, & deferuntur a *Martino Plone*, sodale Prædicatorum, qvæ reliqviæ postea *Gabnoam* transferuntur. Eminent in Fionia *Absalon Andersson* de Kerstorp, *Nicolaus Sigvertsson*, *Hemmingus Gebollus*, milites.

Anno Domini cIↃCDIX. *Johannes Michael*, Confessor Marieboenfis, monasterio *Gabno* indulget litteras piaculares. Æstate ERICUS Rex Daniæ, Sveoniæ & Norweciæ *Arhusii* fuit & XV. Kal. Julii omnia privilegia Cœnobii Canutii approbat & confirmat. Diploma hoc Regium *Danice* est scriptum. *Abrahamus Brodersson*, miles inter Sveones vir magnus, jussu ERICI Regis contra voluntatem Reginæ MARGARI-

TÆ

TÆ capite plectitur. XII. Kal. Sept. Roschildiæ obiit *Sigerus Dandeman*, civis bene meritus.

Anno Domini cIↃCDX. IIX. Kal. Febr. obiit *Marina* vidua *Torstani Wunff-man* de Havelse, optime de Ecclesia Roschildensi merita. XIV. Kal. Maji *Lundis* moritur *Jacobus Gerardi* filius Pontifex: in ejus locum surrogatur *Petrus Cruse.* Hic principio pontificatus ingentes thesauros & opes, qvas Antecessor reliqverat, amisit, dum *Slieuicum* deferuntur, captas a piratis & *Chilonii* distractas. XIIX. Kal. Julii Roschildiæ *Petrus* Episcopus Roschildensis, *Suinö* Insulam dat virginibus S. Agnetis *Gabenensibus*, consensu Collegii Roschildensis, aliis bonis ejus Insulæ loco Ecclesiæ restitutis. *Trugillus* Abbas Loci Dei in magna auctoritate viget. Otthoniæ moritur *Laurentius Nilsson*, Prior Sodalium Canutiorum. Hoc anno bellum in Holsatos ab ERICO Rege, ut volunt *Annales Sveonum*, susceptum. Id. Oct. decedit Roschildiæ Dominus *Matthæus* Canonicus.

Anno Domini cIↃCDXI. Bellum Holsaticum juxta *Annales Holsaticos* hoc anno ab ERICO Rege Danorum primum geri cœptum. Johannes XXIII. Pontifex Maximus monasterii Gabnoensi donationes a *Petro* Episcopo Roschildensi factas approbat, Pontificatus anno XI.

Anno Domini cIↃCDXII. V. Id. Febr. obiit *Josephus Johannis*, perpetuus Vicarius Roschildiæ. *Petrus* Episcopus Roschildensis multa donaria & bona dat *Gabnöensibus* virginibus prid. Kal. Junii: subscribunt Canonici Roschildenses, *Laurentius Johannis* Decanus, *Christianus Hemingæ* Præpositus, *Nicolaus Bille* Archidiaconus, *Gerardus Henrici*, *Nicolaus Boëtii*, *Andreas Gerechini*, *Nicolaus Lagonis*, *Magnus*, *Petrus Clementis*, *Laurentius Nicolai*, *Johannes Gerechini*, *Gerardus Petri*, *Johannes Petri de Laxman.* Erant in magna gratia MARGARITÆ & ERICI Regum, *Eilerus* & *Antonius Romovii*, milites, qvi ex Holsatia in Daniam se contulerant. *Johannes* Episcopus Otthoniensis festum Paschatos in III. Non. April. *Dalumi* apud virgines sacras celebrat, & earum monasterio largitur litteras piaculares. Id. Julii *Sedenæ* aram summam magnæ matri virgini & Clementi Papæ dedicat & litteras Ecclesiæ *Sedenensi* piaculares attribuit. V. Kal. Nov. MARGARITA Regina potentissima in portu Flensburgensi peste moritur. Corpus in Daniam relatum, *Soræ* primum sepulturæ datur. *Exundatione* tempestatis accolis violentia Oceani damnum magnum infert X. Kal. Decemb. vocaturqve ea tempestas *Cæciliana.*

Anno Domini cIↃCDXIII. *ERICUS IX. Pomeranus* solus regnat annos XXVI. *Landora* seu *Coronia* in Scania ab ERICO Rege condi cœpit. Oceanus ruptis aggeribus in *Krempermarsia* exundavit. Mensis Martii initio, qvo celebrantur Hilaria, *Frisii Eydorenses* cum sociis *Euerscopiis* & *Utholmiis*, trajecta glacie, *Svaueſtadium* oppugnant, sed capiuntur & profligantur. MARGARITÆ Reginæ cadaver Roschildiæ a *Petro* Episcopo translatum, sepelitur honorifice IV. Non. Julii in templo Lucii. Prid. Non. Julii *Petrus* Pontifex, *Canutus* Lincopensis, *Boëtius* Arhusius, *Johannes* Otthoniensis, *Petrus* Ripensis, *Lago* Wibergius, indulgent monasterio *Gabno* S. Agnetis litteras piaculares. *Frisii Eydorenses* qvinqve captos indicta causa suspendunt, qvos interat *Hebbeco Fokerleson.* Hanc injuriam *Ditmarsi* ulturi IX. Kal. authoribus matre *Hebbeconiæ*, fratre *Rigvardo* ad Bargsunt, irruunt in Frisiam, sed clade afficiuntur, amissis 1500. Biduo post reversi, *Holmerios* trecentis & qvinqvaginta libris argenti, *Euerscopios* ducentis & qvinqvaginta mulctant, vicum *Catharinæ* & reliqvos *Eydorenses* direptos incendio vastant, qvi insuper centum septuaginta qvinqve libras argenti dare coguntur: duravit postea id bellum vastitate & incendiis fœdum

in triennium. In Fionia moritur *Nicolaus Thomisſon* de Bolmer & Sandager miles: hujus uxor *Maria*, parens *Thomas Nicolai* de Bolmer Armiger fuit.

Anno Domini cIↃCDXIV. *Petrus Locke* Armiger fuit. Epiſcopus Ripenſis multis beneficiis afficit Cœnobium *Loci Dei.* Hic cum *Johanne*, Epiſcopo Slicuicenſi, interfuit Concilio Conſtantienſi. *Johannes XXIII.* Papa IX. Kal. Sept. Bononii monaſterio & Eccleſiæ *Dalumenſi* indulgentias concedit, & ibidem XIIX. Kal. Octob. *Johanni Ringcoby* Parochiali, Rectori Eccleſiæ Scagenenſis, Burglanenſis Dioceſeos, tribuit poteſtatem habendi & circumferendi altare portatile.

Anno Domini cIↃCDXV. III. Kal. April. ſcil. prid. ante Paſchatos feſtum, *Johannes*, Epiſcopus Otthonienſis, *Hennechinum Torchilli*, Diaconum Otthonienſis Dioceſis in Parochiali Eccleſia Goſtædtæ, in ſacrum Presbyteratus ordinem, per manuum ſuarum impoſitionem, titulo matrimonii ſui, rite & canonice promovit, divina illis gratia ſuffragante. ERICUS Rex cives *Lubecenſes*, a Cæſare *Sigismundo* proſcriptos, fere 400. pro captura halecum in *Scania* exeuntes captivat, & bona eorum ibidem arreſtat. Mittit Berginam *Johannem Kroppelin*, virum nobilem, ad Magiſtratum civitatum de Hanſa, ut bona & homines retineant Lubecenſium. Magiſtratus Regis mandatum ſecutus IX. Kal. Nov. *Lubecenſes* ibi commorantes capit & in vincula conjicit aut circumſcribit, bona eorum ad 3414. librarum argenti in fiſcum redigit. Dani vaſtant agrum *Halſtadienſem*, *Brechelingenſem* Friſiorum, ut referunt *Annales Friſiæ.* In Scania florent *Magnus Baat* Prætor, *Laurentius Jacobi*, *Trugothus Has*, milites: in Fionia *Johannes Hennechini Ringcoby*, Prior Dalumenſis, cum ſua portatili ara, & *Ingerta Nielsdotter* Abbotiſſa. *Ditmarſi* capto *Oldensvorto*, pago Friſiæ Eydorenſis, ædem ſacram diripiunt & omnibus ornamentis ſpoliant, ſed illi ſacrilegi male perierunt.

Anno Domini cIↃCDXVI. *Severinus*, Epiſcopus Trangillienſis, Vicarius Epiſcopi Otthonienſis *Johannis* in ſacris, qvædam altaria in Eccleſia *Ortica* dedicat IX. Kal. April. & Eccleſiam *Batisleticam* qvibusdam litteris piacularibus ornat IV. Non. Maji & conſecrat. Et Kal. April. altaria in Eccleſia *Horbienſi* ac Id. Maji aram Nicolai in *Brendorp*, IV. Id. Aug. altaria in *Halſtorp*, IX. Kal. Sept. in *Elvaſtrio* altaria Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Nicolai & Laurentii, VII. Id. Sept. in *Alſtorp*, VI. Id. Oct. in *Gadberg* dedicat, & IV. Non. Nov. Eccleſiis *Fendorp* & *Humſtorp* concedit expiationes. VI. Id. Nov. in *Svaninge* & X. Kal. Decemb. in *Sunde Broby* altaria conſecrat, & Eccleſiæ *Heldorp* indulgentias largitur, & alia per Fioniam obambulans pontificalia agit. Menſe Sept. *Ditmarſi* in Friſiam Eydorenſem ad *Coldebutelam* erumpunt, cædibus & incendiis omnia vaſtant: ab *Coldebutelis Oldenworticis*qve atqve aliis 1525. librarum argenti exigunt. Qvibus actis, pacem cum *Friſiis* faciunt. XII. Kal. Nov. moritur Epiſcopus Roſchildenſis, *Petrus Johannis Lodehatt.* XV. Kal. Auguſt. Friſii Eydorenſes, paulo ante Ditmarſorum eruptionem *Freſeburgum* expugnant, occiſo *Reinero Seſtedio*, milite, fuga evadente Domino *Tymone Romouio* cum fratre. Præterea Dani *Gotorpum* obſident, caſtris in *Monte Cabbalino* & *Georgiana* poſitis; ſed audita ſuorum ſtrage in Friſia fugam, arripiunt. XII. Kal. Martii obiit Roſchildiæ Domina *Chriſtina Billmanna* bene merita. VII. Kal. Jan. *exundatio* in Friſia Eydorenſi.

Anno Domini cIↃCDXVII. XVI. Kal. Febr. *Wordenburgi* ERICUS Rex privilegia monaſterio *Gabnoenſi* confirmat. Non. Mart. conveniunt *Neſtvedii* Dominica Reminiſcere, ut id confirment, qvod Gabnoenſibus virginibus Epiſcopus *Petrus* dederat, *Matthæus* Abbas Neſtvedii, *Gallandus*, Prior Prædicatorum, *Petrus Matthæi* Vicarius perpetuus Roſchildenſis, Curator Eccleſiæ Petri & Martini Neſtved.

Eccleſiam

Ecclesiam *Gadbergicam* muneribus afficiunt *Otto Tedynhusen*, dictus *Scinkel*, *Henricus Nicolai* in Kyle, & *Henricus Nicolai* in Sandagger, Armigeri: Testes fuerunt *Rinkeby*, Præpositus Otthonienſis, *Robertus* & *Johannes Clementsſon*, Consules Otthonienſes. Dani occupant *Imbriam* vi. ERICUS Rex capit *Slieuicum* & *Hamburgenſes Gotorpum* mittunt primum 600. sagittarios & paulo post copias militum ad arcis præsidium.

Anno Domini cIↃCDXVIII. moritur *Petrus Cruſe* Pontifex prid. Non. April. qvæ fuit feria secunda post Dominicam in Albis. In ejus locum *Petrus Löcke*, Episcopus Ripenſis, substituitur: videtur fuisse ex illustri *Billorum* familia. Hic condidit Sacellum Georgianorum adhærens Basilicæ Laurentianæ, & recuperavit Pontificatui *caſtrum Elleholm*, oppignoratum *Abſaloni Petri*, militi de Herloff. Mense Februario, dum celebrantur Hilaria, Frisii Eydorenſes *Euerſcopii* & *Utholmiæ*, trajecta glacie, *Svaueſtadium* occupare conantur, sed cæduntur fuganturqve. *Magnus Mumcus* & *Luderus Caballus* milites, instructi octo millibus Danorum, populantur agrum *Breſtadienſem* & *Huſenſem* & vicina loca Frisiorum, & prædam *Flensburgum* deducere parant, sed postero die ↄ: XIII. Kal. Sept. a qvadringentis militibus & septingentis Frisiis, duce Scamburgico Comite *Adolpho*, in campo *Soldorpico* funduntur, fugantur, cadentibus *Magno Mumco* & MCCCC. Danorum, captis trecentis & qvinqvaginta: cæteros cum *Ludero* fuga servavit. IX. Kal. Sept. *Hermannus Rinkeby*, Præpositus Otthoniæ, moritur, sepultus ad Deiparam. *Johannes Rinkeby* Prior & *Ingerta* Prioriſſa Dalumenſium virginum IIX. Id. Decemb. nobilisſimæ fœminæ, Dominæ *Idæ Bromersdotter*, attribuunt qvædam bona ad vitæ tempus. In Scania floret vir magnus *Bundo Jacobſon* de Kragholm, miles.

Anno Domini cIↃCDXIX. *Severinus*, Episcopus Tranqvillienſis, *Johannis* Episcopi Otthonienſis in Pontificalibus Vicarius, Ecclesiæ Kerndorp litteras attribuit piaculares: & prid. Id. Maji, qvæ fuit Dominica Spiritus Sancti arguentis mundum de peccato, de justitia & judicio, renovatam ecclesiam consecrat. VII. Kal. Martii *Greta*, vidua *Johannis Petri*, Prætoris Fioniæ, magnam suorum bonorum partem legat Sodalibus Dominicanis, pro mariti & aliorum cognatorum piis manibus: filii ejus *Laurentius Jensſon*, *Petrus Jensſon*, *Henricus Brocdorp*, parens *Gretæ*, & *Ingerta*, mater *Gretæ*, *Henricus Barsbek*, & *Cæcilia*, fœmina nobilisſima, auctores facti Otthoniæ. Bene merentur hoc anno de iisdem Sodalibus *Tucho Tauſon*, *Borgvardus Lembeck*, *Chetillus Tauſon*, *Tuconis* frater, Armigeri, constitutis anniversariis. VI. Non. Martii Roschildiæ moritur *Laurentius Johannis* Decanus. Hic fecit *librariam* in Sacello S. Sigfridi. Roschildiæ moriuntur X. Kal. Apr. *Johannes Gorſtinge*, XVII. Kal. Aug. *Jacobus Nicleſon* dictus *Skat*, cives bene meriti. IIX. Kal. Nov. *Otthoniæ Concilium* habent *Petrus* Pontifex Lundensis, *Johannes* Otthonienſis, *Johannes* Roschildensis, *Johannes* Slieuicensis, *Boetius* Arhusius, *Chriſtianus* Ripenſis, & *Lago* Wibergius, Episcopi. In hoc die Ecclesiæ *Egenſi* in Fionia litteras communicant piaculares. *Petrus* Pontifex, supplicantibus Sodalibus Canutiis, omnia jura & priviiegia Collegio corroborat. Non. Nov. qvæ fuit Dominica XXI. post Trinitat. *Inſula Imbria*, a Danis capta, fœde vastatur, incolis ad unum omnibus occisis, paucisſimis servatis & in captivitatem abductis, relictis mulieribus & pueris. In eodem *Concilio Otthonienſi* Pontifex *Petrus*, & cæteri nominati Episcopi, & *Naſſino*, Arosiensis in Sveonia Episcopus, Ecclesiæ *Frauticæ* indulgentias 40. dierum concedunt. *Severinus*, Episcopus Tranqvillienſis, *Chriſtiani* Ripensis Episcopi jam factus in Pontificalibus Vicarius, V. Kal. Junii litteras Ecclesiæ *Garsloff* piaculares tribuit. Fuit

in hoc tempore *Rex* in Pomerania, & Regem Sarmatiæ, bellum in Borusſia gerentem, in caſtris convenit, & fœdus cum ipſo facit contra utriusqve partis hoſtes. *Steno Baſſè* de Virginibus Dalumenſibus bene meretur.

Anno Domini cIↃCDXX. moriuntur Roſchildiæ IV. Non. Maji *Bertoldus Mucke*, bene meritus. VII. Kal. Decemb. *Jacobus Johannis*, Canonicus in Fionia. *Johannes Avonis*, Epiſcopus Otthonienſis, ſepultus in Baſilica Canutia. *Jacobus Andreæ Lunge*, miles, accipit mediam partem Inſulæ *Leenig* a Collegio Roſchildenſi. Pulpita Chori Baſilicæ Lucianæ Roſchildiæ condi cœpta impenſis *Johannes* Epiſcopi. Circa ſolſtitium æſtivum *Naſcovia*, oppidum Lalandiæ arſit: *Templum S. Spiritus* aduſtum, paucis caſulis ſervatis.

Anno Domini cIↃCDXXI. III. Non. Jan. *Jacobus Petri*, Proconſul Roſchildenſis, & XIV. Kal. Aug. *Petrus Steg*, Canonicus, moriuntnr Roſchildiæ. Moritur item *Johannes Scocneleue*, Epiſcopus Slieuicenſis, ſuccedente *Henrico II.* hoc nomine. Ad *Tonderum* in prælio oppetit *Antonius Romouius*, miles. *Bondo Ipſon*, Miles de Kragholm, bona, qvæ obtinuit a morte *Johannis* Epiſcopi Otthonienſis, dividit cum conjugis *Ceciliæ* fratre, *Andrea Nilsſon* de Dronningholm, menſe Februario in *Carnevalibus Malmogiæ*, præſentibus *Euerhardo Brællerkano*, Advocato Malmogienſi, *Johanne Dæne* & *Oſtrado Jenſon*, Conſulibus. *Nicolaus Mörk*, Prior Canutius, XIX. Kal. Sept. Conventum Juridicum apud *Aſumos* habet: Aderat *Johannes Rutt.* Erat autem tum temporis Eccleſiæ Otthonienſis Oeconomus *Laurentius*, Sodalis Canutius. Vacante ſede ſub autumnum, *Naffino*, *Johannis* filius, ex Epiſcopo Aroſienſi fit Epiſcopus Otthonienſis, adnitente *Petro* Pontifice, cui ſolvit Cathedratica. Hic menſe Decembri *Aſnes* largitur Eccleſiæ *Engesloff* litteras piaculares.

Anno Domini cIↃCDXXII. Piratæ Holſati capiunt XVI. naves Regis ERICI, onuſtas variis rebus. *Henricus*, Regulus Slieuicenſis, arci *Torningæ*, a Rege obſeſſæ, commeatum infert. Rex ERICUS diſceptationem juris de *Ducatu Slieuicenſi* omnibus proponit dijudicandam: Privilegia *Haffnienſibus* conceſſa olim confirmat & auget. *Arnerus*, Epiſcopus Scalatenſis, cum eſſet *Henſegaulæ*, IV. Kal. Aug. Eccleſiæ *Brendorp* indulgentias largitur. Exitu hujus anni *Henricus*, dictus *Rumpoldus*, Regulus Glogovienſis in Sileſia, mittitur a Cæſare SIGISMUNDO in Daniam, ut pacem inter Danos & Holſatos tentet.

Anno Domini cIↃCDXXIII. *gelu* fuit per brumam ingens & inauditum, ut Eqvites Gedano Lubecam per viam navigantium transirent (inqviunt *Annales Slieuici*) incolumes: Deinde e Megapoli in Daniam per mare hoſpitia habentes in glacie. Kal. Januarii *Henricus Rumpoldus*, Dux Glogovienſis, Cæſaris Sigismundi legatus, edito ſcripto *Flensburgi*, qvam ob cauſam in Daniam venerat, explicat. ERICUS Rex, *Henrico Rumpoldo*, Cæſaris nomine, inter ſe & Comites Holſatiæ judicandi poteſtatem, item Duces Slieuicenſes plane concedunt, & in lite inter ſe & Regem Daniæ Cæſarem Sigismundum judicem conſtituunt, & ejus Legato *Rumpoldo* poteſtatem faciunt judicandi. Sed hic *Rumpoldus Flensburgi* ab Holſatis, urbem occupantibus, ducibus *Henrico* Regulo, *Wilhelmo* Lunæburgenſi, & *Adolpho* Comite Scumburgico, fere circumvenitur. Sed iis pacatis, comitante *Johanne* Epiſcopo Lubecenſi, Regem accedit, rem omnem pacat. *Henricus* Regulus Slieuicenſis in Regis ERICI gratiam venit. Comitia habentur, accipit donaria Rex, præſentibus oratoribus, amicitiam & fœdus init cum *urbibus maritimis*, filiam ducis Pomeraniæ *Rumpoldo* deſponder, ſed is paulo poſt peſte correptus moritur, & *Haderslebiæ*, jubente Rege, ſplendide tumulatur,

latur, multis illius interitum dolentibus. IV. Non. Martii litteras indulgentiales Eccleſiæ *Dalby* in *Hinsholmia Naſſino* Epiſcopus Otthonienſis concedit. XVI. Kal. April. *Petrus Lycke*, Pontifex Lundenſis, *Naſſino* Otthonienſis, *Johannes* Roſchildenſis, & *Olaus* Aroſienſis, Epiſcopi, Eccleſiæ *Aldorp* indulgent litteras piaculares, qvibus ita præfantur: Qvoniam ſenſus hominum ad malum ſemper ſunt proclives, ideo ineffabilis Dei miſericordia vias ejus oſtendit multimodas, per qvas reſurgere valeant a peccatis. Opera, qvibus mereri poſſunt indulgentias, hæc enumerantur: Pœnitentia, Confeſſio, Templorum cauſa devotionis viſitatio, Miſſas & divina officia audire, Cœmiteria pro defunctis orando circuire, ſepulturis mortuorum intereſſe, Corpus Chriſti & ſacrum oleum, dum ad infirmos portatur & reportatur, ſeqvi, ſerotina pulſatione Campanæ flexis genibus Angelicam ſalutationem devote dicere trina vice, ad fabricas templorum & ornamenta boni aliqvid donare, legare vel legari procurare, pro ſtatu Chriſtianitatis & gubernatione Regni Daciæ & incremento Eccleſiarum Danicarum & ſtatu Deum pie exorare. Remiſſio peccatorum eſt in nomine Dei omnipotentis & Petri & Pauli. *Naſſino* præterea Otthonienſis Epiſcopus tribuit VI. Kal. Apr. videlicet Pridie Palmarum, Eccleſiæ *Horſtorp* indulgentias. *Roſchildiæ* ſumptibus ERICI Regis in Baſilica Luciana MARGARITÆ Reginæ de marmore monumentum poſitum. Illic etiam moriuntur XIX. Kal. Febr. *Ericus Jacobi* de Spongagre Armiger. XVII. Kal. Decemb. *Lucia* Relicta *Jacobi Petri* Proconſulis. V. Kal. Decemb. *Ingvarus Andreæ* Proconſul bene meritus de Eccleſia. Kal. Maji in *Cœnobio Scovenſi* commorans privilegia dat virginibus *Gabnoenſibus* ERICUS Rex. Otthoniæ eminet Decurionibus gratioſus *Echardus Saſſlovius.*

Anno Domini cIↃCDXXIV. *Rex* in Sarmatiam proficiſcitur & interfuit Coronationi Reginæ Poloniæ, Regis *Uladislai Jagellonis* uxoris, Prid. Id. Feb. Tentatum eo conventu de *Heduige*, Regis Sarmatiæ filia, *Bogislao* Stolpenſium Pomeranorum Regulo, Cæſaris SIGISMUNDI & Regis Daniæ ERICI Agnato & Neceſſario, collocanda; ſed fruſtra. X. Kal. Januar. *Boetius*, nobili *Poſſorum* ortus familia, Epiſcopus Arhuſius, moritur, & in Baſilica ſepelitur Clementina: Huic *Ulricus* ſuccedit. II. Kal. Martii *Naſſino*, Epiſcopus Ottonienſis, viſitat Eccleſiam *Hadersloff* & ei indulgentias liberaliter tribuit. XVII. Kal. Maji, qvæ fuit dies Sabbathi ante Palmarum Dominicam, ejusmodi litteras indulget Eccleſiæ *Svaming*. *Rex* profecturus in *Suriam* æſtate primum inviſit patriam: inde per Sarmatiam in Pannoniam progreditur, comitante *Barnimo*, Pomeranorum Wolgaſtenſium Duce, & Cæſarem *Sigismundum* Budam convenit. Citat *Henricum* Regulum Slieuicenſem a fratribus *Adolpho* & *Gerardo*. Cæſar, petitioni Regis ſatisfaciens, Budæ conſcenſo tribunali, referente nomine Regis ERICI *Erico Crumedigio* milite & accuſante Holſatos, de *Ducatu Slieuicenſi* ſententiam fert per *Franciſcum* Præpoſitum Strigonienſem, Vice Cancellarium, & Ducatum Regi adjudicat, rejectis Holſatis, IV. Kal. Julii die Mercurii indictione II. Aderant *Guntherus* Magdeburgenſis, *Georgius* Strigonenſis Pontifices, *Ludovicus* Dux Techenſis, Patriarcha Aqvileienſis, *Ferdinandus* Epiſcopus Lucenſis, Papæ Nuncius, & alii Holſati mittunt Epiſcopum Lubecenſem *Johannem*, ut pro illis diſceptaret. Rex obtenta ſententia in Suriam proficiſcitur & ſacra loca inviſit.

Anno Domini cIↃCDXXV. litem inter illos ortam *Naſcovii* componunt *Gerardus Ketelhot*, (hujus inſignia fuere *tres pilei rubri*) Armiger in Lalandia, *Ivarus Vos* Juſtitiarius, *Gerardus Bryſke*. Ea tranſactio facta VII. Kal. Junii, pridie ſcilicet Pentecoſtes. *Comitia* publica *Haffniæ* litibus judicandis & rebus publicis conſtituendis æſtate celebrari cœpta. Aderant patres ex ordine Eccleſiaſtico, *Petrus Lycke* Pontifex,

tifex, *Canutus* Lyncopenſis, *Lago* Vibergius, *Petrus* Burglanenſis, *Aslacus Bolt* Bergenſis, *Johannes* Roſchildenſis, *Thomas* Orchadenſis, *Naffino* Otthonienſis, *Chriſtianus* Ripenſis, *Johannes* Asloënſis, *Ulricus* Arhuſius, *Severinus Tranqvillienſis*, Epiſcopi. Ex iis Danici: Lundenſis, Wibergius, Burglanenſis, Roſchildenſis, Otthonienſis, Ripenſis, Arhuſius, & *Henrici* Slieuicenſis Epiſcopi Oratores, *Hermannus Dene* & *Johannes Selle*, Vicarius perpetuus, *Statuta Synodalia* reformant & ordinis Eccleſiaſtici privilegia corroborant V. Id. Julii: & abſentia Epiſcopi Revalienſis damnatur. VII. Kal. Aug. omnes hi Epiſcopi, exceptis Orchadenſi & Asloënſi, litteras piaculares Eccleſiæ *Aſumorum* qvadraginta dierum: atqve hi omnes, nemine excepto, Eccleſiæ & monaſterio *Dalumenſi* ejusdem generis diploma III. Non. Aug. tribuunt. Iisdem Comitiis *Gerardus Bryſk*, propter cædem *Jacobi Nilſon* Armigeri, in *Longa Inſula*, paciſcitur cum fratribus occiſi, *Sivardo* & *Alberto Nilſon.* Teſtes facti ſunt: D. *Andreas Goiig*, *Jens Grym*, D. *Eylerus Romou*, miles, *Steno Baſſe*, *Petrus Lycke*, *Lago Jenſön Grimle* & *Ericus Erichſön.* ERICO reverſo e Suria & bellum in Holſatos renovante, ac tum in obſidione urbis *Slieuici* & *Gotorpi caſtri* conſtituto, *Urbes maritimæ* cunctæ bellum indicunt, miſis litteris fecialibus. Qvibus acceptis, omnes in obſidione vallum, qvod fecerant, relinqvunt, obſidionemqve ſolvunt. Sparguntur etiam in Regem ERICUM famoſi libelli ob *monetæ diminutionem*, nam *Cupream* cudere cœpit. Ac *Halecum captura* in *Scania* evaneſcebat.

Anno Domini cIↃCDXXVI. *Barloſi* in Fionia Ara Leonardi poſita, dedicante *Nafnone*, Epiſcopo Otthonienſi. III. Kal. Octob. *exundatio* Oceani Friſiis Eydorenſibus damnum dedit. XVI. Kal. *Pinnebergi* moritur *Adolphus* Comes Scavenburgicus, qvi militabat Holſatis contra Danos, ſepultus *Hamburgi.*

Anno Domini cIↃCDXXVII. Holſati inſtructi ope urbium maritimarum oppugnant *Flensburgum.* Roſchildiæ V. Id. April. *Tuco Bagner* cives & prid. Non. April. D. *Michaël Clementis* Canonicus moriuntur. In obſidione Flensburgenſi IX. Kal. Junii *Henricus* Dux Slieuicenſis occiditur, qvod obſidebant omnes maritimæ duce *Gerardo* Poſthumo Holſato. Eodem anno *Hamburgenſes* in vincula conjiciunt *Johannem Kletzeke*, Conſulem, qvod feciſſet primum oppugnationis inſultum & author oppugnationis fuiſſet, cujus occaſione periiſſet Dux *Henricus.* Æſtate adulta *Hamburgenſes* cum maritimarum, urbium claſſe ingrediuntur *Helleſpontum Danicum;* ſed fugata claſſe maritimarum vincuntur *Hamburgenſes*, & IV. Id. Julii capiuntur a Danis victoribus *Henricus Hejſor* Proconſul & *Johannes Vos* Conſul & plures alii: capitur etiam Clasſis ſummus dux, *Gerardus* poſthumus Holſatus, ut habetur in *veteri charta.* Multo plures etiam *Hamburgenſes* deſiderarunt: Circa Kal. Aug. *Comitia* litibus judicandis *Haffniæ* peraguntur: inter alios illuſtres viros, qvi Comitiis interfuerunt, & qvi litibus judicandis operam dabant, nominantur *Andreas Gojus*, *Ericus Crumedig*, milites, *Magnus Gojus*, *Henricus Walkendorp*, Armigeri. *Vismarienſes*, facta ſeceſſione, per ERICUM Regem excitata, capiunt ſuum Proconſulem, *Johannem Rantzcoven* & *Henricum de Haren* Prid. Kal. Decemb. & in foro publice capite plectunt. *Roſtochienſes*, Vismarienſium rebellionem imitantes, pellunt urbe Senatum, & publicatis bonis proſcribunt. *Johannes Simonis* Sodalis, ſacerdos novitius ordinis Prædicatorum, ordinatur Concionator Latinus & Danicus pro virginibus *Gabnoenſibus* conſenſu *Olai* Prioris Arhuſii.

Anno Domini cIↃCDXXVIII. Anni novi initio, *Johannes Cletzeke* Conſul capitis ſupplicio *Hamburgi* afficitur. VI. Kal. Maji Roſchildiæ Dominus *Nicolaus Bille* Archidiaconus moritur. Hujus frater fuit *Benedictus Bille.* Vere *maritimæ urbes*

Claſſem

Classem 260. navium duce *Gerardo* Posthumo, *Adolphi* Reguli Slieuicensis fratre, in Danos educunt e Portu Vismariensi, oppugnant *Hasniam*, imprimis arcem magno conatu & molibus, sed frustra: tandem in portu Hasnienſi naves inutiles, saxis onustas, submergunt. Huic classi maritimarum adjuncti erant Piratæ 800. *Vitaliani*. Hi post Hasniæ oppugnationem, duce *Bertholomæo* qvodam, in Norweciam velificant, & *Berginum* populantur. *Adolphus* Holsatus, Regulus Slieuicensis, comitatus *Gvilhelmo* Brunsvicensi Regulo, Cimbriam inferiorem populantur per mensem integrum, abducta ingenti pecorum vi & avri argentiqve numero. *Comitiis Hasnienſibus* VII. Kal. Junii PHILIPPA Regina causam inter *Magnum Göje* & *Martinum Jenſon* dijudicat. *Neoburgi* Adytum ædis sacræ in honorem magnæ matris virginis & Gertrudis & aliarum virginum cœlitum a *Nasnone* Episcopo Otthoniensi consecratur.

Anno Domini cIↃCDXXIX. V. Id. Januar. *Nasno* Episcopus Otthoniensis in Ecclesia *Frautica* aram principem dedicat, qvæ fuit dies Dominica prima post Epiphaniam. In *Conventu Nycopiensi*, in qvo de pace inter Danos & Holsatos actum est, litteras piaculares III. Id. Junii Ecclesiæ in *Orta* indulgent *Petrus Lycke* Pontifex, *Canutus* Lyncopensis, *Johannes* Roschildensis, *Nasno* Otthoniensis, *Christianus* Ripensis, *Johannes* Asloënsis, *Syggo* Scarensis, *Olaus* Arosiensis, *Christianus* Osiliensis, *Nicolaus* Vexionensis, & *Severinus* Tranqvillensis, Episcopi. *Henrico II.* Episcopo Slievicensi vita functo, ejus locum obtinet *Nicolaus Volsius*, Decretorum Doctor, *Hemechini* e *Greta* filius, patria Rensburgensis. Hic de Ecclesia Slieuicensi, cujus fuit XXXVII. Episcopus, optime meritus est. Roschildiæ IIX. Id. Julii *Andreas Gerichini* Canonicus, V. Id. Julii D. *Jacobus Hosman*, perpetuus vicarius, decedunt. PHILIPPA Regina Classiarios ad 1400. contra *Sundenses* emittit, sed in portu a Sundensium navibus 7. expugnantur 15. naves Danicæ, qvæ ante portum Sundensium naves spoliaverant: & capiuntur Danorum tria millia, cæteris oppressis. *Vitaliani* etiam piratæ intercipiunt regiam navem, tributo Sveonico onustam, ac devictis propugnatoribus qvadringentis, *Rostochium* & *Wismariam* distrahunt, qvæ in navi inventa erant bona. Hi qvoqve duce *Bartholomæo* iterum vastant *Norweciam* & *Berginum* diripiunt. *Gvilhelmus* Brunsvicensis Regulus, Holsatis opem ferens, obsidet *Brunlundam* & una cum oppido *Appenrada* capit.

Anno Domini cIↃCDXXX. Nonis Januarii, moritur Regina PHILIPPA in Sveonia, & sepelitur in monasterio *Vastenensi* Divæ Birgittæ. *Rostochienses* & *Sundenses*, a cæteris qvatuor urbibus maritimis deficientes, pacem cum Danis & ERICO Rege faciunt: qvare cæteri, *Lubecenses*, *Vismarienses*, & alii, bellum deprecantes, in Daniam legatos mittunt iis. *Conventus* iterum *Nycopiæ* constituitur, pacis ineundæ causa, ut de ea certis conditionibus tractaretur. Sub id tempus *Gerardus* Posthumus Holsatus, in Germaniam conjugem secutus, *Embricæ* IX. Kal. Augusti moritur, ut habent *Annales Eydorenses*. In *Conventu Nycopiensi* Kal. August. indulgent Ecclesiæ de *Holdorp* litteras piaculares *Petrus* Pontifex, *Johannes* Roschildensis, *Nasno* Otthoniensis, *Thomas* Strengenensis, *Hermannus* Vibergius, Episcopi. Et hic *Hermannus*, Episcopus Vibergius, Otthoniæ Ecclesiis in *Altorp* VII. Kal. & *Frauticæ* IV. Non. Octob. confert indulgentias iis, qvi in easdem Ecclesias munifici fuerint, concedendas. Florebant tum Otthoniæ *Nicolaus Jenſon*, Proconsul, *Tylo Aschenbergius*, *Hemechinus Tuconis*, *Ludovicus de Mezen*. Hujus anni exitu *Alsia Insula* a Classe Regia oppugnatur neqvicqvam, nam vento disipatur, submersis X. navibus. Dux Classis, *Ivan Bryschius*, pacem inter Regem & maritimas urbes impediebat. In Sveonia, duce *Engelberto Engelberti* filio, rebellio in Danos excitatur.

Anno Domini cIↃCDXXXI. Vigente in *Sveonia* rebellione, *Adolphus* Regulus Slieuicenſis obſidet *Flensburgum* terra, mari piratæ *Vitaliani* oppugnant: capitur IIX. Kal. Aprilis circa meridiem. Ob rem bene geſtam Dux multos, qvi bene ſe geſſerant, ornat *militaribus inſignibus*. Poſtea arx ſummis oppugnatur viribus. VI. Non. Julii *Baſilica Nidroſienſis* in Norwecia arſit. Idibus Julii *Johannes Andreæ* filius Epiſcopus Roſchildenſis. Pridie Kal. Septemb. *Arx Flensburgenſis* defendebatur a 140. militibus deditione, expugnatur ab Holſatis, qvi paulo poſt capiunt *Novam domum* & *Runthoff* delent. Peregrini ex *Anglia* & *Batavia* negotiationes in Dania cum maritimarum urbium detrimento exercent. Fuit tum temporis *arcis Crogicæ* ad Helſingoram Præfectus, & in Fionia Dalumenſis Monaſterii Prioriſſa *Gertrudis* de ſuo ordine optime merita.

Anno Domini cIↃCDXXXII. IV. Non. Febr. Roſchildiæ obiit *Johannes Petri* Sacriſta. *Hamburgenſes* captivi libertati reſtituuntur, e qvorum numero erat Proconſul *Henricus Heiſor*, facta captorum permutatione. Claſſis Regia, ducibus *Sven* & *Erico Crumedigio* militibus, naves Lubecenſium e Livonia ſolventes invadit & diripit; ſed paulo poſt *Lubeca* contra Danos claſſiarios emittit, qvi in mari capiunt *Broderum* cum ducéntis & qvadraginta viris, reliqvis ſubmerſis, qvi in navi erant, evadente cum fuga cum ſuis D. *Erico Crumedigio*. VI. Non. Julii ERICUS Rex concedit *Landorenſibus* Magiſtratum: ſcilicet duos Magiſtros civium & Decuriones Reip. regendæ & oppidum denuo reſtaurat & condit.

Anno Domini cIↃCDXXXIII. II. Id. Martii obiit *Chriſtina* Relicta *Awonis Steg*, de Eccleſia Roſchildenſi bene merita. *Comitiis Svenoburgi* publicis conveniunt Regem Legati Civitatum *Lubecæ*, *Vismariæ*, *Hamburgi* & *Luneburgi*, ſed fruſtra, cum in Regis conſpectum non admitterentur. Iis Comitiis XII. Kal. Junii Eccleſiis, *Dalbicæ* in Hinsholmia, & aliis, & IX. Kal. Junii *Collenſtorpicæ*, *Cherndorpicæ*, in *Allerup*, & in *Hörby*, litteras concedunt piaculares *Naffino* Otthonienſis, *Ulricus* Arhuſius, *Johannes* Roſchildenſis, *Siggo* Scarenſis, *Nicolaus* Vexionenſis, & *Nicolaus* Slieuicenſis, Epiſcopi. *Adolphus*, Dux Slieuicenſis, fratribus defunctis, duxit ſororem *Comitis de Honſtein*.

Anno Domini cIↃCDXXXIV. Rebellio Sveonum recrudeſcit, authoribus *Dalecarolis* & duce *Engelberto*, *Engelberti* filio, contra Danos & ERICUM Regem: capiunt rebelles arces & munitiones. *Comitia* æſtate ineunte publica *Wordingburgi* celebrantur, Principibus præſentibus Bavariæ, Pomeraniæ, Sedinorum, Megapoleorum & Saxoniæ. Aderant Legati maritimarum urbium. Iis Comitiis pax maritimis data: iisdemqve Comitiis IIX. Kal. Julii Eccleſiæ *Svaningicæ* piacula largiuntur, *Petrus Locca* Lundenſis, *Aslacus* Nidroſienſis, Pontifices, *Johannes* Roſchildenſis, *Johannes* Werdenſis, *Pardanius* Razeburgenſis, *Nafno* Otthonienſis, *Siggo* Scarenſis, *Audoënus* Stavangrenſis, *Johannes* Asloënſis, *Thomas* Strengenenſis, *Hermannus* Wibergenſis, *Petrus* Hamerenſis, *Severinus* Farenſis, & *Gerardus* Burglanenſis, Epiſcopi. Hi qvoqve Eccleſiis Canutiæ *Otthoniæ* Prid. Kal. Julii & VI. Non. indulgent litteras piaculares *Dalbicæ*, ac *Petrus* Lundenſis Pontifex VII. Id. Julii ſcribit Clericis Otthonienſibus jubetqve eos, ut diligentius ſacra faciant & interſint, ac prohibet inſuper, ut plures ſcholas habeant qvam unam, ſubſcribente *Nafnone* Epiſcopo. Sodales qvoqve Canutios in ſuam defenſionem & tutelam ſuſcipit litteris V. Id. Julii datis *Vordingburgi*. Moriuntur hoc anno XVI. Kal. Auguſti D. *Lambertus Nicolai*, Decanus Roeſchildenſis, VI. Kal. Decemb. D. *Johannes Petri*, Archidiaconus ejusdem loci, Cancellarius Regis ERICI, de Eccleſia Roſchildenſi optime meriti.

Moritur

Moritur item ſuæ familiæ ultimus *Andreas* Pincerna de Tiustoft. Initio autumni navigat in Sveoniam ERICUS Rex & tempeſtate *Holmiam* appellit. Circa Martinalia revertitur in Daniam. Tum temporis habentur *Arbogæ* in Sveonia *Comitia*. *Arx Malmogiæ* condi cœpta juſſu Regis. Ad *Concilium Baſilienſe* Legati mittuntur ab ERICO Rege, *Johannes Ivari* Arhuſius & *Petrus* Ripenſis Epiſcopi.

Anno Domini cIↃCDXXXV. Pax inter Regem Danorum & *urbes maritimas* publice proclamatur. Otthoniæ IIX. Kal. Julii moritur *Waldemarus Unsſletus*, vir nobilis, ſepultus ad Franciſcanos in habitu Sodalicio. Illic qvoqve florent *Johannes Mulæ*, *Petrus Lille*, Proconſules Otthonienſes, *Johannes Hartenberg*, *Henricus Duncker*, *Sveno Lasſi*, *Strango Judæ*, *Andreas Laurentii*, *Ottho Grotte*, *Matthæus Camuti*, *Ludovicus de Mezen*, *Petrus Lidle Nilſon*, de Franciſcanis & Prædicatoribus bene meriti. XIII. Kal. Julii, qvo die celebratur feſtum Trinitatis, virgines *Marieboenſes* & Sodales Brigittini ſe donatos eſſe concedendis expiationibus publicant, teſte *Petro Peterſon*, qvæſtore Cœnobii. In Sveonia menſe Februario *Comitia Siſtunæ* habentur: aderat Regis nomine Præfectus Holmii, *Johannes Croppelinus*, Marianus miles. Rex circa initia menſis Maji *Halmſtadium Comitia* publica indicit trium regnorum cauſa: ibi renovatur *fœdus trium regnorum antiqvum*. Autumno medio Rex *Holmiam* venit, eo ſe conferunt Sveonum optimates: tum *Chriſtianus Nilſon* e familia *Stormvaſiana*, Dapifer, & *Carolus Camuti* Magiſter Eqvitum creantur, & depoſito *Croppelino*, Præfectus Holmii conſtituitur D. *Ericus Nilſon*. Rex autumno præcipiti in Daniam revertitur e Sveonia. Totus in eo erat, ut regna traderet fratris filio *Bugislao*, Pomeranorum Stolpenſium Regulo, qvi ante triennium duxerat filiam Ducis Maſſoviorum, faciente nuptiarum ſumptus *Uladislao Jagellone* Poloniæ Rege.

Anno Domini cIↃCDXXXVI. moriuntur Otthoniæ *Botilda*, *Joachimi Henrichſon*, de Franciſcanis bene merita, ſepulta ad Franciſcanos. Lundis *Petrus Lycke* Pontifex ſepulturæ in Sacello novo magnæ matris virginis datus. Huic ſuccedit *Johannes Laxmannus*, Decanus Lundenſis. Paulo poſt XIII. Kal. Febr. *Comitia Arbogæ* habita a Sveonibus. Inde *arx Holmii* obſidetur, & rejectis *Engelberto* & *Erico Puke*, præficitur Regni Sveonum gubernationi *Carolus Camuti*, Magiſter Eqvitum in *Conventu Holmenſi*. *Engelbertus* Scaniam populatur, cui occurrit infeſtis armis *Petrus Oxe*. Redeuntem in Sveoniam æſtatis initio occidit *Matthias Benedicti*, & in oppido *Oerebroenſi* ſepulturæ traditur. *Nycopia* expugnatur & *Calmarnia* & *arx Holmienſis* obſidentur. Paucis diebus ante Kal. Auguſti Rex ERICUS *Calmarniam* venit & aream *Benedicto Stenſön*, patri parricidæ *Engelberti*, tradit: inde in *Gothiam Inſulam* navigat, ſed gravem paſſus tempeſtatem, *Carlsoam* appellit. Interea Sveones *Sudercopiæ* Comitia habent. Deditionem Gubernatori *Carolo Camuti* faciunt *Stegeburgum*, *Secheholmum*, *Axeluoldum*, *Elsburgum*, *Aranes*, *Abo*, & *arx Holmii*. Kal. Novemb. *exundatio* Oceani Friſiæ Eydorenſi ingentem dedit cladem; nam *Tetenbuli* CXXC. homines ſubmerſi dicuntur. Gravis adjungebatur exundationi venti africi violentia, qva per aggerem transfertur ante *Detleus* Conſul oppidi Tonningi vectus dolio, factoqve voto commeandi *Vilſenacum* ſervatur. Anni exitu *Carolus Camuti*, Sveoniæ Interrex ſeu Gubernator, ad *Aranes Ericum Puke* profligat.

Anno Domini cIↃCDXXXVII. V. Kal. Martii obiit *Thorbernus Jenſon*, vir nobilis. Hic *Soræ* ſepelitur cum uxore *Catharina*. Æſtate *Martinus Johannis*, Canonicus Roſchildenſis, Monaſterio S. Agnetis *Gabnocnſi* indulget litteras piaculares, ex auctoritate Concilii Baſilienſis, juſſu *Nicolai*, Epiſcopi Vexionenſis. Regulus Slie-

uicenſis *Friſios Eydorenſes*, ad Heveram Orientalem habitantes, qvod aggeres reparare detrectarent, oceani violentia disruptos, gravi afficit pœna, imprimis *Gardingenſes*, *Tetenbulenſes*, *Poppenbulenſes & paganos Catharinæ:* ex his triginta ſex capitibus ſupplicio afficit, & XV. in vincula abducit, ac inſuper MCCL. libris argenti mulctat. In Sveonia bellum civile renovat *Ericus Puke* cum ſociis moniakis contra *Carolum Canuti.* Cæterum factis induciis, auctoritate *Thomæ* Epiſcopi Strengenſis, capitur dolo *Ericus Puke*, & ab agreſtibus *Juſtus Erichſön.* Hic ab iſtis, ille *Holmii* a Dapifero *Chriſtiano Nilſön* capite plectuntur. Comitia inde Sveonum Optimates poſt Stregneſenſia *Calmarniam* indicunt circa IIX. Kal. Julii. Eo evocant ERICUM Regem, ſed non venit: mittunt Legatos ad eum *Olaum* Pontificem Upſalienſem, *Magnum* Epiſcopum Aboenſem, *Chriſtiannm Nilſon*, Dapiferum, & *Johannem Croppelinum*, ut eis eo venire perſvadeant, ſed eos ſpernit & rejicit. *Chriſtiamus Nilſon* Dapifer cum ſororio *Nicolao Stenſon* contra ſuperbiam gubernatoris conſpirant. Hoc anno opinor convenisſe *Johannem Laxmannum* Lundenſem, *Olaum* Upſalenſem, *Aslacum* Nidroſienſem, Pontifices, *Abſolonem Peterſon* Senatus Danici, *Chriſtiannm Nilſon* Dapiferum Sveonici, & *Endratum Erlandsſon* Norwecici Principes, ac fœdus trium regnorum renovaſſe, & conſtitutiones de forma Regem eligendi & de Magiſtratibus ordinandis promulgaſſe.

Anno Domini cIↃCDXXXVIII. circa Natalitia Chriſti, *Chriſtiamus Nilſon* Dapifer a gubernatore *Carolo* dolo intercipitur & *Oerebroum* captus duci jubetur: reſtitutus libertati arces omnes, qvas habebat in ſua præfectura, dedere cogitur, & *Vibergum* in Findlandia recipit earum loco. *Nicolaus Stenſon*, ſororius Dapiferi, arma in gubernatorem ſumens, profligatur & regno expellitur. Is fugit in *Gotiam Inſulam* ad ERICUM Regem, qvi eum Magiſterio Eqvitum Sveoniæ imponit & in Sveoniam remittit. Hic in *Oſtro Gothia* magnos tumultus & motus excitat. *Elsburgum* juſſu Regis ERICI a Norwecis & *Thurone Stenſon* oppugnatur, qvibus occurrit Gubernator & feliciter reſiſtit. Capitur *Nicolaus Stenſon* & in carcere moritur. *Broderus Svenſon* propter nimiam libertatem gladio feritur. *Olaus* Pontifex Upſalenſis, ſtudens partibus ERICI Regis, veneno necatur VII. Kal. Julii in itinere, cum ad ERICUM Regem cum aliis commearet. ERICUS Rex in *Inſulam Gotiam* ſe confert, & *Stecheburgum* accedens, ad ſe evocat, ſed fruſtra. Dani ægre ferentes receſſum ERICI Regis ad *Inſulam Gotiam*, ei ſcribunt, ut qvam primum redeat ad regni adminiſtrationem, ſed tergiverſanti renunciant fidem & obedientiam. Videtur hoc factum ſeqventi anno. XV. Kal. Novemb. in *Conventu Corſerenſi Johannes* Roſchildenſis, *Naſno* Otthonienſis, *Chriſtiamus* Ripenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Gerardus* Burglanenſis & *Thorlakus* Vibergius, Epiſcopi, concedunt ad aram Jodoci in Baſilica Canutia *Otthoniæ* expiationes. Fuit tum temporis Otthoniæ Proconſul *Henricus Tugeſon.*

Anno Domini cIↃCDXXXIX. Cauſa metus fuit ira vetus, cur ceſſat ERICUS. In hoc verſu annus continetur, qvo regno abdicavit ERICUS Rex. *Naſno*, Epiſcopus Otthonienſis, qvædam altaria Eccleſiæ *Horbienſis* dedicat VI. Id. Martii & Divis *Olao* & *Severino* conſecrat, & ibi celebrat Sacra. Poſtridie Eccleſiæ partem Septentrionalem dedicat & Sacris operatur, & expiationes largitur omnibus de eadem Eccleſia bene merentibus. *Chriſtophorus*, Dux Bojoariæ, Comes Palatinus Rheni, ab optimatibus Danicis accitus, *Lubecam* venit primis menſis Aprilis diebus ibiqve commoratur usqve ad Kal. Julias. In *Conventu Lubecenſi* IX. Kal. Jul. publico *Johannes Laxmannus* Pontifex, *Naſno* Otthonienſis, *Chriſtiamus* Ripenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Gerardus* Burglanenſis, Epiſcopi, *Benedictus* Prior Anderſcovenſis, *Ericus Nilſon*,

Henricus

Henricus Canutſon de Stellanis, *Luderus Caboltus*, *Martinus Jonſon* & *Esgo Brock*, milites, *Avo Lunge*, *Petrus Lycke*, *Otthо Nilſon* de Roſariis, *Gerardus Bryſike*, *Johannes Baſſe*, *Paulus Laxmannus*, *Olaus Axelſon*, *Andreas Hack*, & alii &c. Armigeri, ſcribunt *ERICO Pomerano* Regi, & ei fidem renunciant, nec ſe amplius in illius poteſtate fore, & alium in ejus locum electurum Regem profitentur. Æſtate adulta CHRISTOPHORUS cum Proceribus in Daniam proficiſcitur decente apparatu & ad regni caſtra deducitur & Gubernator Regni fit. *Johannes* Pontifex *Lundas* reverſus, approbat judicium *Naſuonis* Epiſcopi de jurisdictione Eccleſiarum *Reslingenſis* & *Retingenſis* Nonis Auguſti. *Petrus Oxe*, Præfectus Crogenſis ad Helſingnoram, deditionem Gubernatori Regni Danici *Chriſtophoro Bojoaro* facit invitus. *Comitiis Haffnienſibus Chriſtophorus* Adminiſtrator regni, *Johannes* Epiſcopus Roſchildenſis, *Benedictus* Prior Anderſcovenſis, *Martinus Jenſon*, *Luderus Caboltus*, milites, *Avo Lunge*, *Paulus Laxmannus*, & *Olaus Axelſon*, Armigeri, nomine Senatus & Populi Danici, diem dicunt *Ivaro Jenſon*, Præfecto Corſoræ & Sociis, ut deditionem faciant, Haffniamqve veniant, addita rebellibus pœna vitæ & confiſcationis bonorum, & fidem datam *ERICO Pomerano* ejurent, VI. Id. Auguſti litteris publicatis. *Johannes Rinckeby* Sacerdos, Canonicus Alburgenſis, Prior Dalumenſis, de monaſterio bene meretur donariis conferendis, nec diu poſtea vixit. Miſſi in Sveoniam ad Gubernatorem, *Calmarniæ* commorantem, *Carolum Canuti*, *Johannes Laxmannus* Pontifex & *Claudius Nilſon* affinis Gubernatoris.

Anno Domini cIↃCDXL. *Comitia Arbogæ* in Sveonia *Carolus Canuti* habet de CHRISTOPHORO in Regem eligendo: iis Comitiis *Findlandia* & *Oelandia* Gubernatori traduntur. IIX. Kal. Martii Roſchildiæ *Jacobus Petri* Canonicus moritur, & moritur *Martinus Johannis*, Senator Regni, ſepultus Roſchildiæ in Adyto. IIX. Kal. Maji, qvæ fuit Dominica IV. poſt Paſcha, *Adolphus* Regulus Slieuicenſis in verba CHRISTOPHORI Regis deſignati jurat, qvi ei prid. Kal. Maji *Coldingæ* Cimbriam Slieuicenſem committit, ut feudum & clientelare beneficium Regni Danici. *Carolus Canuti*, Gubernator Sveoniæ, CHRISTOPHORUM Regem deſignatum *Halmſtadii* convenit.

Anno Domini cIↃCDXLI. moritur *Detlevus Unſletus*, miles, *Woldemari* filius, ſepultus *Otthoniæ* apud Franciſcanos. *Comitia* æſtate media *Haffniæ* peraguntur: iis Comitiis V. Kal. Aug. *Johannes Laxmannus* Pontifex, *Johannes* Roſchildenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Thorlacus* Vibergius, *Hennechinus* Otthonienſis, *Severinus* Farenſis, Epiſcopi, concedunt freqventantibus devote altaria trium Regum & Jodoci, in Baſilica Canutia *Ottoniæ*, indulgentias qvadraginta dierum. XIIX. Kal. Sept. moritur *Gerardus Bryſell*, ſepultus ad Johannem Baptiſtam *Otthoniæ*. Hujus uxor *Elſeba*, *Henrici Caboldi* filia, non diu poſt mariti obitum ſuperſtes fuit. Florent Otthoniæ *Johannes Mulæ* Proconſul, *Johannes Nilſön*, Advocatus, *Henricus Grota*, *Jacobus Clementſön*, Decuriones, *Olaus* Prior Dalumenſis, *Johannes Brun*. Anno hoc, in *Annalibus* reperio, coronatum CHRISTOPHORUM in Regem Sveciæ.

Anno Domini cIↃCDXLII. Plebs & Villani Cimbriæ ſeu Jutiæ cum militaribus in diſcordiam venientes, qvendam potentem militem *Ezeconem Brock*, qvi pluribus annis per Tyrannidem oppreſſerat, in pedias diviſerunt. CHRISTOPHORUS ægre ferens cum iis pugnat occiſis DC. cæteros capit & ad obedientiam compellit IX. Kal. Junii paulo poſt feſtum Pentecoſtes: hæc ſunt verba *Slavicorum Annalium*. CHRISTOPHORUS *Comitiis Calmarnicis* Rex Sveonum ſalutatur initio menſis Septembris, ac Idibus Sept. *Holmii* inauguratur a *Nicolao Raxaldi*, Pontifice Upſalienſi,

omnibus Sveonibus in ejus verba jurantibus. Ibi coram novo Rege *Carolus* Gubernator graviter accuſatur a *Chriſtiano Nilſon* Dapifero, & aliis. XVII. Kal. Julii obiit *Ingemarus Tuuonis*, Canonicus Roſchildenſis. Conveniunt *Ripis* ad *Comitia* publica *Johannes* Pontifex, *Chriſtianus* Ripenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Nicolaus Volſius* Slieuicenſis, *Gerardus* Burglanenſis, *Thorlakus* Vibergenſis, *Hemechinus* Ottonienſis. Hi, peractis nataliciis Chriſti, V. Kal. Januarii Eccleſiæ in *Ortha* litteras piaculares liberaliter tribuunt.

Anno Domini cIↃCDXLIII. Kal. Januariis in publicis *Ripenſibus Comitiis* coronatur & inungitur in Regem Daniæ CHRISTOPHORUS III. ab *Johanne Laxmanno* Pontifice. Et CHRISTOPHORUS III. *Bojoarus* fuit Rex Danorum CXXII. *Johannis* Comitis Palatini filius, *Roperti* Cæſaris nepos. Regnat ante coronationem IV. annos, poſt coronationem V.

His *Comitiis Ripenſibus* Rex & Pontifex ſententiam dicunt VI. Id. Januar. de qvibusdam qvintis, qvæ vocantur vulgo *donaria Epiſcopalia*, qvæ Epiſcopis dabantur. Lis ab una parte erat apud Epiſcopos, qvi ſua defendebant: Erant *Chriſtianus* Ripenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Gerardus* Burglanenſis, *Thorlakus* Vibergius, *Hemechinus* Otthonienſis, Epiſcopi, nomine ſuo & Clericorum. Ab altera parte Senatus plebem defendebat. Erant hi Domini: *Ericus Nilſön* de Thym, *Henricus Canutſon* de Refſtrup, *Andreas Nilſön*, *Olaus Axelſön*, *Nicolaus Erichſon* de Asdall, *Andreas Hack*, *Nicolaus Erichſon* de Langetind, *Eggardus Frille*, *Nicolaus Romou*, milites, & alii militares & nobiles. Epiſcopi dicebant, plebem ruſticam & urbanam de bonis ſuis dare partem *qvintam* & non *decimas*. Qvare Rex & Pontifex ex regio edicto & Senatus Conſulto ſanciunt abrogationem *donorum Epiſcopalium* & *decimas* dare jubent, ac eas in tres dividi partes: ita ut unam accipiat *parochia;* altera *Epiſcopo*, tertia *Parocho* cedat. Paulo poſt, convocatis per CHRISTOPHORUM Regem Vilſenacum, Prignitiæ, *Frederico* Electore Brandenburgico, *Henrico* Megapoleo, *Otthone*, *Gvilhelmo* & *Henrico* Brunſvicenſibus Regulis & aliis Principibus ad fœdus ineundum contra *urbes maritimas*, qvibus Rex infeſtus erat. Initio menſis Feb. in habitu peregrini cum XXC. Eqvitibus *Lubecam* ingreditur Rex, continuatoqve ulterius itinere, ſed *Adolpho* duce Slieuicenſi etiam vocato & venire renuente: fruſtrati fuerunt principes in malo eorum propoſito, teſtibus *Annalibus*, qvorum hæc verba ſunt, *Slavorum.* VI. Id. Aprilis *Bartholomæus de Montecuculo*, Nuncius & Prædicator Sanctæ Sedis Apoſtolicæ S. Spiritus in Saxea, indulgentias largitur monaſterio *Gabnoenſi.* Pridie Id. Maji arſit *Roſchildiæ* Baſilica Luciana cum turribus & campanis ac Canonicorum reſidentiis & media parte civitatis. Fligingæ III. Kal. Junii vita excedit *Johannes Laxmannus* Pontifex ac Lundis in novo Sacello humatur. Hujus tempore in Lundenſi Eccleſia fundatur Antiphona de Beata virgine &c. inviolata. In ejus locum ſubſtituitur VII. Id. Junii *Thuo* Vibergius Cimber, Magiſter Eqvitum, Theologiæ Doctor, Archidiaconus Lundenſis. CHRISTOPHORUS Rex jus municipale & privilegia *Haffnienſibus* & aliis Civitatibus confirmat. XIII. Kal. Decemb. Otthoniæ moritur *Jacobus Magni* Præpoſitus, ad magnæ matris virginis ſepultus.

Anno Domini cIↃCDXLIV. Æſtate *Brenxdorpii* CHRISTOPHORUS Rex erat, & Civi Otthonienſi *Johanni Brun* qvasdam ædes dono dat. Subſcripſit donationi *Johannes Tomæ*, Regni Cancellarius. *Tuuo* Pontifex, cum eſſet *Lundis* XV. Kal. Nov. omnia bona & privilegia a Regibus, Epiſcopis & Pontificibus rite data Cœnobio Canutio & Epiſcopæ Otthonienſi confirmat, & authoritate Eccleſiæ Metropolitanæ & ſua. *Nicolaus Bomehagen* conſtituitur Otthoniæ Præpoſitus: Fuit vir nobilis.

Anno

Anno Domini cIↃCDXLV. *Orchillæ* XIX. Kal. Feb. *Hemechinus* Episcopus Otthonienſis Aræ Laurentii concedit piaculares litteras in *Stendorp.* CHRISTOPHORUS Rex Hilaria *Neoburgi* peragit: Aderant ei, qvibus publice committebat negotia, *Olaus Axelſon* & *Nicolaus Romovius*, milites. *Neſtvedæ* III. Kal. Maji monaſterio *Gabnoenſi Andreas* Episcopus Gardenſis indulgentias & expiationes tribuit. *Otto Splitius*, dum litibus judicandis incumbit in *Friſia Eydorenſi*, ab incolis circumvenitur, vitæ ejus inſidiantibus. Sed ante evadit & ſeditioſi magna mulctantur pecunia, & LXII. ſupplicio afficiuntur. XIII. Kal. Sept. obiit D. *Johannes Volæ* Canonicus Roſchildenſis bene meritus. Exitu æſtatis *Comitia* publica Rex *Haffniam* indicit: eo inter alios optimates Senatorii ordinis conveniunt hi patres: *Tuno* Pontifex, *Johannes* Roſchildenſis, *Chriſtiamus* Ripenſis, *Ulricus* Arhuſius, *Johannes* Asloënſis, *Gerardus* Burglanenſis, *Thorlakus* Vibergius, *Ericus* Strengenenſis, *Hennechinus* Otthonienſis, Epiſcopi. Hi liberaliter conferunt indulgentias Eccleſiis Idibus Septemb. *Bregendorpicæ* & *Cherndorpicæ* & poſtridie *Dregsleticæ*, qvas Dominus *Andreas Erici* miles in Nielstrup impetravit: orate pro eo: item *Horbienſi* & XVII. Kal. Octob. *Hadersleſenſi* in Fionia, ac brevi poſt iisdem Comitiis CHRISTOPHORUS Rex qvatriduo ante Michaelis, qvæ fuit Dominica Exæqvationis Decalogi & Meſſiæ Domini Davidis, videlicet VI. Kal. Octob. cum DOROTHEA Brandenburgica nuptias celebrat *Haffniæ*, præſentibus ſponſæ patre, *Johanne* Marchione, cogn. *Alchymiſta*, *Gvilhelmo* Duce Brunsvicenſe, *Ludovico*, Comite provinciali Haſſiæ, *Friderico* Duce Bojoario, *Balduaſare* D. Sileſiæ, *Erneſto* C. Horſtenio & aliis, ac Legatis Civitatum maritimarum. Poſt has nuptias in *Sveoniam* Rex proficiſcitur.

Anno Domini cIↃCDXLVI. Tuco, Abbas *Loci Dei*, in ſodales ſuos beneficus extitit. X. Kal. Julii in *placito Lalandico* conventum habent, & qvædam capita & *leges* conſtituunt *de rebus agrariis*, *Hennechinus* Episcopus Otthonienſis, *Martinus Jenſön* Ravensburgi, *Olaus* Aleholmi, Præfecti, *Tuco Lunge*, *Andreas Hack*, milites, *Hemingus* Prior Cœnobii Halſtadienſis, *Henricus Stauerſcov*, *Magnus Gojus*, *Magnus Glob*, *Joachimus Henrichſon.* Rex in Sveonia magnum colligit theſaurum, & colloqvium cum ERICO Rege depoſito in *Gottica Inſula* habet, qvo finito, & Daniam e Sveonia repetens, in mari magnum patitur naufragium: amiſſis theſauris & ingenti hominum numero, ipſe vix periculum evadit.

Anno Domini cIↃCDXLVII. Sodalis *Offo Grippus*, Prior Michaelis Otthoniæ, pueris, qvi non excedunt annum ætatis XV. (ſed neminem ex Albanianis in ſuam ſcholam admittit) aperit ludum litterarium, permittentibus *Jacobo Geta*, Priore Canutiorum, & Collegio Sodalium: teſtes facti ſunt Kal. Febr. *Jacobus* Abbas Inſulæ Dei, *Andreas Ivari* Armiger, & *Johannes Mulæ* Proconſul. Idibus Aprilis dedicat partem occidentalem Eccleſiæ *Horſtorpicæ Hennechinus* Episcopus Otthonienſis, & confert Eccleſiæ S. Dionitii in agro *Aſumorum* indulgentias iis tribuendas, qvi erga Eccleſiam benigni fuerint largitionibus, X. Kal. Junii *Chriſtiamus* Episcopus Ripenſis expiationes concedit & indulgentias monaſterio *Gabnoenſi* Prid. Kal. Junii, qvæ fuit feria qvarta a Pentecoſte. X. Kal. Auguſti obiit *Jacobus Johannis*, Canonicus Roſchildenſis, de Eccleſia bene meritus. *Petrus Hiortus* & *Johannes Hajſon*, Decuriones Otthonienſes, de Sodalibus Dominicanis, donariis monaſterio concedendis, bene merentur. Florent in Dania *Helena*, vidua Comitis *Johannis* (credo Mansfeldium fuiſſe), filia *Woldemari Lungæ*, *Aco Lungæ* & *Olaus Grupendal*, viri illuſtres. Exitu anni CHRISTOPHORUS Rex *Comitia Junecopiam* in Sveonia habenda, ad qvæ proficiſci cogitabat, indicit.

Verum Anno Domini clɔCDXLVIII. *Helſingburgi* IIX. Id. Januar. moritur Rex. Corpus in Selandiam delatum *Roſchildiæ* in Baſilica Luciana ſepulturæ datur. A morte *Chriſtophori I.* Regis Danorum usqve ad *Chriſtophori* hujus exceſſum, anni numerantur ſeculares, CXXCIX.

XXI.

Annales Danici Bartholiniani An. 777 - 1200.

Hosce Annales *Bartholinianos* voco, eo qvod *Thomas Bartholinus* junior, magnus ille Antiqvitatum & Hiſtoriæ patriæ noſtræ indagator, eos ex variis antiqvioribus monumentis collegit. Illis autem inter reliqvos antiqvos hic locum concedere volui, non tanqvam veruſti alicujus auctoris labori, ſed eo fine ut ceteris lumen aliqvod & firmamentum adferant; & qvia haud pauca ex vetuſtioribus ac jam dudum deperditis Danorum Annalibus *Bartholinum* excerpſiſſe ſuſpicor. *Arnas Magnæus*, ex cujus apographo meum habeo, & qvi ipſe ſuum ex *Bartholini* autographo exſcripſit, ita de iis judicat: *Sunt ipſius Annotata, ſed non ſatis ubiqve perpenſa.* Hic & illic auctores ſuos citat, inter qvos qvidam antiqvi & integri, ut ſunt *Annales Francorum*, *Ditmarus*, *Adamus*, *Sigebertus*, aliiqve, qvidam etiam recentiores & in rebus antiqvis minoris auctoritatis, utpote *Hamsfortius*, *Baronius*, *Henſchenius*, *Baluzius* &c. Inſignem igitur tam in inveſtigandis & conferendis qvam in probandis factis hiſtoricis utilitatem præſtare poſſe hos Annales, minime dubito. Longe his uberiores *Annales Danicos* ex Auctoribus veruſtis congeſſit idem Nobiliſſimus *Bartholinus*, qvi adhuc in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis ſuperſunt, digni omnino, qvi lucem aliqvando aſpicerent.

An. 777. SIGEFRIDUS Rex Danorum.
788. *Willehadus* fit Epiſcopus Bremenſis.
789. *Ludgerus* Danos convertere voluit.
798. SIGEFRIDUS Rex Danorum.
804. GODEFRIDUS Rex Danorum.
807. *Alfdeni* Dux Normannorum *Carolo Magno* ſe ſubdit.
808. GODEFRIDUS Abotritos vincit: Vallum conſtituit.
809. Colloqvium Danorum & Francorum in *Badenfliet*.
810. GODEFRIDUS Friſiam vaſtat. Reverſus interficitur.
811. Pax inter HEMMINGUM & *Carolum*.
812. SIGIFRIDUS, nepos *Godefridi*, & ANNULO, nepos *Heriholti* Regis, in prælio cadunt. Fratres *Annulonis*, HERIOLDUS & REGINFRIDUS, Reges facti, fratrem *Hemmingum* a *Carolo* remitti petunt.
813. Filiis *Godefridi* ex Svecia reverſis, fratres *Annulonis* pulſi.
814. REGINFRIDUS & major filius *Godefridi* cadunt. *Ludovicus* HERIOLDUM, ad ſe fugientem, in Saxoniam mittit.
815. Franci HERIOLDUM reducunt. Filios *Godefridi* timent.
817. HERIOLDUS cum Francis infeſtat filios *Godefridi*.
818. *Turgeſius* Hiberniam invadit.

819.

819. Duo filii *Godefridi* regno pulsi. Cum reliqvis duobus simul regnare permissus HERIOLDUS, ut tamen HORUC Regem pro domino agnosceret.

823. *Manderus*, filius Regis Daniæ, *Jonam* insulam diripit. HERIHOLTUS contra filios *Godefridi* auxilium *Ludovici* petit.

825. *Ludovicus* pacem cum filiis *Godefridi* facit.

826. HERIHOLTUS Moguntiæ cum uxore baptizatur. Cui Imperator *Rhinfri* Comitatum Frisiæ donat. *Horuc*, frater *Heriholdi*, simul baptizatus, partem Fresiæ accepit. *Adam.* Filii *Haraldi* baptizati. *Sigeb.*

827. HERIHOLDUS ad confinia Danorum venit, qvem filii *Godefridi* de consortio regni & patria ejiciunt. HORICH, unus filiorum *Godefridi*, tunc Monarcha Daniæ.

828. Filii *Godefridi* Francos, HERIHOLDUM reducturos, fugant.

829. *Anscharius* in Sveciam missus. *Gislemarus* cum HERIOLDO manet.

831. *Anscharius* ordinatus Archiepiscopus. Dani cum *Ludovico* fœdus firmant.

837. *Hemmingus*, *Halpdani* filius, in *Walchra* occiditur.

839. HORICUS nepotem cum muneribus ad *Ludovicum* mittit.

841. *Lotharius* HERIHOLTO *Gaula Crusalia* in beneficium dat. *Bier Costæ Ferreæ*, LOTHBROCI Regis filius, cum *Hastingo* Gallias invadit.

845. *Hamburgum* a Danis vastatum, cum prius esset RORIC Rex Normannorum a Saxonibus victus, qvi deinde pacem cum *Ludovico* facit.

846. *Anscharius* Prædicatores mittit in Daniam. *Adami.*

847. Hamburgensis & Bremensis Sedes unitæ. Reges Francorum Legatos ad HORIC Regem Danorum mittunt. *Ragenarius* direptionem Galliarum HORICO Regi referens, moritur. Eum esse REGNERUM LODBROC suspicatur *Henschenius.*

848. *Anscharius* HORICUM Regem ad Christum inflectit.

849. Ecclesiam in *Slesvic*, permissu HORICI, extruit *Anscharius*. *Leo* Papa *Septentrionem* Sedi Hamburgensi subjicit.

850. *Anscharius*, cum Misso HORICI Regis, ad OLAUM Regem Sveciæ venit. HORIC Rex impugnantes se nepotes regni parte placat. *Roruc* Doreſtadum occupat, *Lothario* annuente. Hunc *Roruc* Annales Fuldenses & Metenses *fratrem* faciunt HARALDI Moguntiæ baptizati: Bertiniani *nepotem:* Henschenius *filium*, qvi addit ei fratres *Rodulfum* & *Godefridum*, ab Danis confundi cum HORICO seu ERICO Seniore, patrem ejus HARALDUM ante hunc annum, post 843, mortuum. *Godefridus* a *Carolo Calvo* in societatem regni ascitur.

852. HERIALDUS, *Ludovici* opera dudum baptizatus, occiditur. *Godefridus*, HERIOLDI filius, Frisiam aggreditur.

854. HORIC Rex Danorum & ejus fratris *Regneri* filius *Gudurmus* mutuo prælio cadunt. HORICUS Junior fit Rex.

855. Religio christiana supprimitur. *Hovi* Comes Slesvicensis Ecclesiam ibi claudit. Presbyter fugit. *Roric* & *Godefridus*, Dania tenta, Doreſtadum redeunt.

856. HORICUS Junior, *Hovi* pulso, *Burchardum* propinqvum facit Comitem Slesvicensem, & Presbyterum illùc reaccessit. *Ripis* Ecclesia ab *Anschario* exstruitur.

857. *Roruc* ab HORICO provinciam inter Mare & Egdoram accipit.

858. *Nicolaus* Papa HORICO Regi, licet necdum baptizato, pro munere gratias agit, & conjunctionem Sedium Hamburgensis & Bremensis confirmat.

862. *Rimbertus* Danus, Presbyter Sveciæ. Hincmarus scribit *Rorico* Normanno nuper conversо.

864. *Rodulfo* Herioldi filio locarium datur.

865. *Sigefridus* Dux Normannorum Galliam vastat. *Anschario* defuncto *Rimbertus* succedit.

866. *Ingvar* & *Hubba*, LOTHBROCI filii, *Codrinc* fratres, ab *Bruern Bocardo* propinqvo vocati, Angliam petunt. *Rembertus* Danis prædicat. *Adam. Rorigus* frater *Gauzfridi* cæsus. *Ann. Bert.*

867. *Rorigus* a Frisiis pulsus, Daniam petit. *Ann. Bert.*

870. *Rorigus* cum *Carolo* fœdus facit. Ann. Bert.

872. *Caroli* colloqvium cum *Rorico* & *Rudolfo* Normannis.

873. Fœdus inter *Ludovicum* & *Sigifridum* Danorum Regem ejusqve fratrem *Halbdeni*. *Rudolfus* Normannus Regii generis occisus.

875. *Rollo*, Ducis Daniæ filius, Dania egreditur.

876. Normanni a Frisiis cæsi, orante *Remberto*.

881. *Godefridus* & *Sigefridus* Gallias vastant. *Gvaramundus* Rex Normannorum cæsus. *Chr. Cent.* Malbranq *Gormonem* vocat.

882. *Wrm* Dux Normannorum in Galliis.

883. *Christianus*, nepos HORICI, Legatus a Francis ad Danos.

885. *Godefridus* in Batua trucidatur.

886. *Sigefridus* in Frisia interficitur.

888. *Adalgarius* Episcopos in gentes ordinavit.

891. HELLIGO regnat. Tum OLAF Svecus, ejusqve filii *Ebnob* & *Giurd. Adam.*

896. *Hundeus* Rex Normannorum baptizatur. *Sigeb.*

911. SIGERICH, post filios OLAVI, regnat in Dania. Tum HARDEGON filius *Sveni* pagani. *Adam.*

923. *Ragenoldus* Normannus Franciam vastat.

928. *Sifridus*, CNUTO Daniæ Regis fratri carus, Morinos occupat.

934. Gormoniana persecutio.

935. *Henricus Auceps*, GORM terrefacto, Marchionem Slesvici constituit. *Ditmarus* Regem Danorum CNUTONEM vocat. *Vmi* Danis prædicat. *Adam.*

936. GORMONI HARALDUS BLATAN succedit. *Vmi* in Sveciam penetrat.

938. *Adaldagus Ottonem* ad conversionem Danorum instigat.

941. *Inger* Rex Normannorum *Byzantium* obsidet.

954. HAIGROLDUS Rex Daniæ Normannos juvat.

948. (*) *Haroldus* ad Sliasvic, *Liafdagus* ad Ripam, *Reginbrandus* ad Arhusiam, ab *Adaldago* ordinantur.

950. *Leofdago* Ripensi Fulbertus succedit. *Annal. Eccl. Rip.*

955. *Otto Marconi* Aldenburgensi Episcopo Slesvicum subdit. *Helm.*

958. Fratres, qvi cum *Adaldago* in prædicatione Danorum fuerant, cathedris inthronizantur. *Adam.*

965. *Ottonis M.* præceptum de Episcopatibus Daniæ. *Edvardus* Episcopus Slesvicensis.

966. *Popponis* miraculum.

968.

(*) Arnas Magn. adscripsit: *prius puto.*

968. Dani Normannis auxiliantur, & Saxoniæ graves.

971. *Slesvic*, qvæ, ſub *Marcone* fuerat, ipſa Epiſcopum accipit.

973. Legati Danorum ad *Ottonem I.* cum muneribus.

974. (*) *Ottonis II.* expeditio in Danos. Ad *Sleſvic* venit.

975. *Otto II.* habet conventum in *Wemare.*

980. HARALDUS filium *Hiringum* in Angliam mittit. *Adam.*

982. Urbs contra Danos ab *Ottone II.* condita capitur.

985. Poſt *Haraldum* SVEIN qviete regnat.

986. *Adaldagus* in Daniam ordinat Epiſcopos, *Harig*, *Stercolf*, *Folbract*, *Adalbrict*, *Merha*, *Odincarum* Seniorem, qvi in *Feonia*, *Seland*, *Scane* prædicat. *Odinkarus* Senior nepotem *Odinkarum* Bremis ſcholis tradidit, ab *Adaldago* baptizatum.

988. *Libentius* SVENONEM, chriſtianos perſeqventem, fruſtra muneribus placare nititur. De SVENONIS captivitate & exilio. *Adam.* Jutia in duos Epiſcopatus diviſa, *Poppo* ad *Slesvic* ordinatur. Otto III. Epiſcopatuum Daniæ poſſeſſiones confirmat.

993. SVEN captus a ſubditis redimitur. *Ditmar.*

994. SVEN in Angliam venit.

996. Commemoratio *Sanctæ Summivæ. Johannes* Epiſcopus ex Anglia venit in *Norvegiam. Adam.*

1000. *Lundiæ* hypogæum extructum. *Gotebaldus* fit Scaniæ Epiſcopus. *Adam.*

1003. *Odincarus* Junior in Angliam a CANUTO ducitur.

1004. *S. Godebaldus* Norvegiæ Epiſcopus moritur.

1007. *Ekkehardus* Epiſcopus Slesvicenſis. *Conc. Gen.*

1012. *Odincarus* ordinatur a *Libentio* Epiſcopus Ripenſis. *Eſico* apud *Slesvic Popponi* ſucceſſit. *Adam. Poppo* Bremæ ſepultus. *Folqvardus* in *Svecia* & *Norvegia* prædicat. *Sclavi* in *Nordalbingos* graſſantur.

1013. *Unvanus* Epiſcopos ordinat in *Norvegiam* & *Sveciam.*

1014. GULRING ex Diacono Rex Aqvilonis. *Ditm.*

1015. *Ekkihardus* Epiſcopus Slesvicenſis. *Chron. Hild.*

1019. *Bernardus* Epiſcopus Scaniæ. *Gerbrandus* Selandiæ. *Regnerus* Fioniæ.

1020. *S. Sigfridus* ex Anglia in *Norvegiam* venit. *Gerbrandus* munera *Unvani* perfert ad CANUTUM.

1022. *Sigafrid*, *Grimchil*, *Rodulf*, & *Bernard*, in *Norvegia* prædicant. *Grimchil* fuit Epiſcopus Norvegiæ poſt *Johannem. Sigafridus* poſt *Grimchilum. Ekkihardus* Epiſcopus Slesvicenſis.

1025. *Ekkihardus* Epiſcopus Slesvicenſis. *Marca Slesvicenſis* reſignatur CANUTO.

1026. *Ekkihardo* Slesvicenſi *Rodulfus* ſucceſſit.

1027. *Rodulfus* Slesvicenſis intereſt Concilio Francofurtenſi. *Godeſcalcus* Dux venit ad CANUTUM.

1029. *Avoco* fit Epiſcopus Selandiæ & Scaniæ. *Sigafrid* in Sveciam, *Rodulfus* in Norvegiam, remittuntur. *Aſa* ſoror *Odincari* obit. *Popponi* defuncto *Ezyco* ſuccedit. *Adam. Rimbrandus.* M. Matth.

1030. *Benedictini* in Daniam veniunt.

1033.

(*) Arn. Magn. 976. *Ditmarus.*

1033. *Ezico* Heideby ordinatus, mox obit. *Adam.*

1034. *Rodulfus* fit Epiſcopus Slesvicenſis. *Val* Ripenſis. *Adam.*

1037. Ad tumbam *B. Olavi* fiunt miracula.

1040. SVENO, ubi in Angliam tendit, a *Bezelino* capitur & dimittitur.

1042. *Godeſcalcus* in Slavoniam revertitur. *Haraldus* Princeps Danorum Roma redux obtruncatur. *Adam.*

1043. *S. Halvardi* martyrium. Vinuli a MAGNO Rege cæſi.

1045. *Valdemarus* & *Jareld* de Sede Ripenſi discordes.

1046. *Edbertus* Epiſcopus Fioniæ. *Vilhelmus* Selandiæ. *Adam.* Vel Ann. 1048.

1048. SVENO fit Rex Daniæ: Ab *Edvardo* placatur tributo. Adam.

1049. Norvegi maritima Daniæ vaſtant.

1050. SVEN conſangvineam ductam dimittit. *Adam.* SVENONIS & *Henrici* colloqvium.

1051. GIUTHE, ſeparata SVENONIS, Legatos *Adalberti* fovet, ab *Thora* concubina SVENONIS veneno extincta. *Thoræ* filius *Magnus*, Romam puer transmiſſus, in via obit.

1053. SVENO cum Papa agit de proprio Archiepiſcopo. *Adam.*

1055. *S. Alfuardus* in Norvegia occiditur. *Adam.* Vide ſupra 1043.

1056. *Isleph* fit Epiſcopus Islandiæ. *Turolphus* Orcadum. *Johannes* Inſularum maris. *Gronlandia* fit Chriſtiana.

1058. *Adalvardas*, Epiſcopus Norvegiæ, piratam ibi, ante 70. annos in excommunicatione mortuum, abſolvit.

1060. *Henricus*, prius Orcadenſis, fit Epiſcopus Lundenſis. *Egino* Dalbyenſis. Vel Ann. 1048.

1061. *Alexander* Papa ſcribit HARALDO Norvego. *Godeſcalcus* ducit filiam Regis Danorum. SVENO converſioni Sclavorum expeditionem impendit.

1062. *Rudolfo* Slesvicenſi *Sivardus* Danus ſucceſſit. *Hamsf.* Lundenſis & Dalbyenſis Eccleſiæ junguntur. *Asgotus* Epiſcopus Norvegiæ. Et *Bernardus*. *Adalbertus* propoſitum habuit eundi in Islandiam, Gronlandiam. *Alexander* Papa SVENONI pro cenſu regni ſcribit. *Rodulfus* ordinatur ad Slesvic. *Oddo* ad Ripam. *Chriſtianus* ad Arhuſiam. *Heribertus* ad Wiburgam. *Magnus* ad Wendilam. *Tolf* & *Sivardus* in Norvegiam. *Meinhardus* & *Albertus* in Norvegia & Inſulis prædicant.

1065. Synodus *Slesvici*. *Adalvardus* Epiſcopus Scarenſis. In ejus locum *Tadico* ordinatur.

1066. *Godeſcalci* martyrium. Epiſcopus *Scaniæ* procurat Eccleſias *Gothorum*, & *Lundis* ſedem conſtituit. *Albrictus* fit Epiſcopus Burglanenſis.

1067. *S. Theotgari* reliqviæ elevantur. *Adamus* Bremam venit. SVENONI Regi fit familiaris. *Curlandia* opera SVENONIS converſa. *Alphricus* Epiſcopus Burglanenſis.

1068. *Turgotus* fit capellanus OLAVI Regis Norvegiæ.

1069. *Chriſtianus* Epiſcopus adeſt expeditioni Anglicanæ. *Henrici* & SVENONIS famoſum colloqvium. Vid. ſupra 1050.

1071. *Rudolfus* Epiſcopus adhuc fuit Slesvicenſis.

1072. *Egino* Lundenſis, *Edbertus* Fioniæ Epiſcopi moriuntur.

1073. SVENONIS expeditio irrita in Saxoniam.

1074. *Magnus* SVENONIS ex *Thora* filius moritur. *Gregorius Licmaro* infenſus, Archiepiſcopum Dano promittit.

1075. *Gregorius* filio Dani provinciam in Italia promittit.

1079. Hoc anno KANUTUS erat Rex, ſi *Baronio* fides.

1081. KANUTUS HARALDO ſuccedit, ut alii volunt. Sed prius rectius. Translatio capitis *S. Lucii.* J. fuit Rex Sveciæ. L. & A. Reges Viſigothorum.

1083. Eccleſiæ Lundenſis fundamenta jacta. *M. Matth.*

1085. *Radulfus* fit Epiſcopus Orcadenſis. CANUTUS in Angliam venire diſpoſuit.

1086. CANUTUS Eccleſiam Lundenſem ditat. CANUTUS Otthoniæ martyrizatur. *Henricus* Epiſcopus Burglanenſis.

1087. *S. Nicolaus* Aruſiæ elevatur.

1089. *Richvaldo* Epiſcopo Lundenſi Aſcerus ſucceſſit.

1093. *Svenoni* Epiſcopo Roſkildenſi *Arnoldus* ſucceſſit.

1094. Circa hunc annum Lundenſis Metropolis erecta. *Baluz.*

1095. OLAVO ſuccedit ERICUS.

1098. *Svanus* filius Regis Daniæ a Turcis cæſus.

1100. S. CANUTUS canonizatur. Al. 1101. Canutium Cœnobium conditur *Ottoniæ. Hubaldus* Epiſcopus Ottonienſis.

1102. ERICUS EGOTHE moritur.

1103. *Aſcerus* accipit pallium.

1104. NICOLAUS fit Rex.

1105. (al. 1106.) *S. Magnus* Orcadenſis Comes cæſus.

1107. *Canutus* Dux ad *Lotharium* tranſit.

1108. *Sivardus* Norvegus iter ſacrum incipit.

1110. *Arnoldus* Epiſcopus Roſkildenſis obit in exilio (vel 1125.) *Petrus* ſuccedit. *Thoro* eſt Epiſcopus Ripis. *Gunnarus* Slesvici.

1112. Tres Epiſcopi Danorum in Albia ſubmerſi.

1115. *S. Canutus* factus Dux Jutiæ. Vel 1126. *Eſchillus* Epiſcopus Vibergenſis floret.

1117. *Margareta* Regina obit. NICOLAUS Cœnobio Canutio dat Privilegia.

1119. Epiſcopi Daniæ adſunt Concilio Remenſi.

1120. Danorum Clerus uxores abigit.

1123. Crypta Lundenſis dedicatur ab *Aſcero.*

1125. *Alberus* Epiſcopus Slesvicenſis templa condit.

1126. Altaria cryptæ Lundenſis dedicata.

1128. CANUTUS fit Rex Obotritorum. *Gregorius de Creſcentio* legatus in Daniam.

1130. *Magnus* inſidias *Canuto* molitur.

1131. *S. Canutus* cæſus. Prælium in *Faling.*

1132. Prælia in *Syre* & *Runibiorg.*

1133. Caſtrum *Roſkildis* fractum. ERICUS Slesvici obſidetur. *Innocentius* Papa Daniam *Adalberoni* Hamburgenſi vult ſubjicere. *Aſcerus* præbendas Eccleſiæ Lundenſis inſtituit. Eſkillus Epiſcopus Vibergenſis occiſus.

1134. Prælium Fotevicenſe. *Martinus* Legatus Papæ in Dania.

1135. NICOLAUS cæſus. ERICUS Lundenſibus beneficus. *Albero* Slesvicenſi ſuccedit *Rico.* Monaſterium *Neſtvet* fundatur.

1136. *Haraldus* occiſus.

1138. *Aſcerus* moritur. ERICUS Rex Selandia pulſus ab *Eſkillo*, qvi fit Archiepiſcopus.

1139. ERICO occiſo ERICUS LAMB ſuccedit. *Hermannus* ſede Roſkildenſi pulſus accipit Slesvicenſem. *Eſchillus* de Cœnobiis condendis cogitat.

1140. *Olavus* contra ERICUM ſurgit. *Deodignus* Legatus Papæ Concilium celebrat cum *Ricone* Roſkildenſi, *Svenone* Vibergenſi, *Notaldo* Ripenſi, *Silveſtro* Burglanenſi, *Sigvardo* Bergenſi, *Ormone* Faröenſi, *Hermanno* Slesvicenſi, *Ricolfo* Ottonienſi. *Hamsf.*

1141. *Olavus* in *Eſchilli* locum alium ponit Archiepiſcopum. *Occo* fuit Epiſcopus Slesvicenſis.

1142. *Olavo* 12. fugato, falſus Archiepiſcopus ſuſpenditur. *Helias Aſcero* Ripenſi mortuo ſuccedit. *Hamsf.*

1143. *Richo* Epiſcopus Roſkildenſis & *Olavus* falſus Rex occiſi. *Alvaſtrum* fundatur.

1144. *Herivad* & *Nydal* fundantur. ERICUS duxit ſororem *Hartvici* Bremenſis. *Helias* Ripenſis Epiſcopus Canonicos inſtituit.

1145. Eccleſia Lundenſis dedicatur. Adeſt *Hermannus* Slesvicenſis. *Præmonſtratenſis Ordo* ante hunc annum in Dania.

1147. ERICO defuncto SVEN & CANUTUS ſuccedunt. Prælium *Slangethorp.* Expeditio in Slavos. Cœnobium in *Hwæthæ* fundatur.

1148. *Nicolaus* Legatus in Septentrione.

1149. SVENO *Eſchillum* capit, mox dimittit. SVENO *Wagriam* invadit. Conventus venit in *Wernæm.*

1150. Prælia in *Thorſtenstorp* & *Slangethorp.* CANUTUS fugit. *S. Ketilli* Legenda. Conventus venit in Daniam, poſtea in *Eſrom* conſidens. *Henricus* Archiepiſcopus Nidroſienſis fit Religioſus S. Victoris. Fundatores *Soræ* de conſtructione Monaſterii conſultant.

1151. Bellum *Viburgis.* *Sora* fundatur. *Eſrom* fundatur. *Eſkillus* Bernardum viſitat.

1152. SVEN & CANUTUS apud Imperatorem concordantur. *Heliæ* Ripenſi mortuo *Radulfus* ſuccedit. *Hamsf.*

1153. CANUTUS apud *Gierbec* victus. *Sveno* Epiſcopus Vibergenſis, & frater *Eſchillus*, in Terra Sancta obeunt.

1154. Nicolaus fit Epiſcopus Vibergius. WALDEMARUS deſponſat SOPHIAM & fit Rex. SVENO fugit. *Eſchillus* Claram Vallem viſitat, fit Legatus Apoſtolicus.

1155. SVEN Simerſtat venit, ſed protinus fugit. *Eſchillus Carthuſienſes* in Daniam ſollicitat.

1156. Pax & diviſio Regni. CANUTUS occiſus. *Helias* Ripenſis adhuc vivit. *Helm. Eſchillus* cum alio Epiſcopo Roma rediens capitur.

1157. SVENO occiſo, VALDEMARUS ſolus Rex. Diſcordia inter Papam & Imperatorem ob captum *Eſchillum.*

1158. Viteſcola fundatur. Tunc erant Epiſcopi: *Aſcerus* Roſkildenſis, *Helias* Ripenſis, *Eſchillus* Aruſienſis, *Nicolaus* Vibergenſis, *Tocho* Burglanenſis, *Osbernus* Slesvicenſis.

1159.

1159. *Ascero* defuncto in S. Thomæ Eskilsö *Absalon* succedit. *Eschillus* Hierosolymam peregrinatur.

1160. Conventus venit in *Saba*. S. ERICUS martyrizatur. Turbæ ob amissum thesaurum Gallicum *Eschilli*.

1161. Cistercienses veniunt *Soram*. VALDEMARUS Munitionem *Eschilli* capit.

1162. *Tuta Vallis* fundatur. Lex Ecclesiastica Scaniæ.

1163. VALDEMARUS fuit apud Imperatorem. *Canutus* nascitur. *Ricolfo* Ottonienſi *Limus* succedit. Fœdus inter VALDEMARUM & *Henr. Leonem* renovatur.

1164. *Gutvalia* conditur. VALDEMARUS Pomeraniam usqve ad Stolpe populatur.

1165. Öm sive *Cara Insula* fundatur. *S. Wilhelmus* venit ad *Eskilsö*. Colloqvium ad *Eidoram* inter VALDEMARUM & *Henricum*.

1166. *Christophorus* Dux Jutiæ obit. Vel 1173.

1167. *Burisius*, erutis oculis, submergitur.

1168. *Eschillus* Hierosolyma redux Regi reconciliatur. *Rugiani* conversi. *Helm.*

1169. Sclavi, licentia *Henrici*, super Danos prædantur. *Helm.*

1170. *Paulus*, Episcopus Bergensis, ossa *S. Summivæ* transfert *Bergas*. Translatio *S. Canuti*. *Valdemarus* nascitur. *Christophorus* Circipanam regionem vastat.

1171. Colloqvium VALDEMARI & *Henrici* apud *Egdoram*. Filia Ducis Filio Regis desponsatur & in Daniam mittitur. *Rodolfo* Ripensi *Stephanus* succesit.

1172. Cœnobia *Dargum* & *Insula Dei*.

1173. *Locus Dei* fundatur.

1174. Cœnobium *Colbatz* seu *Meravallis* fundatur.

1176. *Stetin* a Danis obsessum. *S. Margaretæ* Passio. *Carolus* & *Canutus* proscripti. *Eschillus* Regi Franciæ pro pecunia sua scribit.

1177. *Homerus* Episcopus Ripensis. *Eschillus* Claram Vallem discedit. *Canutus* factus Rex Scaniæ & Hallandiæ.

1178. *Absalon* fit Archiepiscopus. *S. Vilhelmus* venit Paraclitum.

1179. Dissensio inter *Absalonem* & Scanienses. Vel Ann. 1180. *Fridericus* Slesvicensis in Mari Balthico submersus. *Onerus* Burglanensis adest Concilio Lateranensi.

1180. Obiit *S. Nicolaus* in Arus, filius Regis CANUTI.

1181. VALDEMARUS Imperatori apud *Trasu* occurrit. *Magnus* & *Canutus* occisi. Scanienses fugati. *Eskillus* obit.

1182. VALDEMARO defuncto CANUTUS succedit. *Valdemarus* Electus Slesvicensis.

1183. *Haraldus Skreng* fugatur.

1184. CANUTUS expeditionem facit ad Walgust. CANUTUS sororem suam mittit ad Imperatorem. *Niclotus* & *Borvinus* Duces Sclavorum capti.

1185. *Bugislaus* Dux Pomeranorum fit homo CANUTI. *Stephano* Ripensi *Homerus* succedit.

1186. *Simoni* Ottonienſi *Johannes* succedit. Conventus venit in *Olivam*.

1188. Imperator CANUTO sororem remittit. Mater CANUTI a Landgravio repudiata. Translatio *S. Ketilli*. Concilium Lundense.

1189. Dani in Terram Sanctam. Expeditio in Sclaviam. Ditmarsi *Valdemaro* Slesvicensi se subdunt.

1190. *Valdemari*, Dux & Slesvicenſis, Holſatiam intrant.

1191. Bremenſes *Valdemarum* eligunt. Expeditio in Lante Wenden. *Petrus* filius *Sunonis* fit Epiſcopus Roſkildenſis. *Petrus Vogenſön* Arhuſienſis fit anno ſeqventi. *Nicolao* Vibergenſi mortuo *Aſcerus* ſuccedit. *Stephanus* Abbas Genovefæ *Canuto* Duci Daniæ ſcribit de morte fratris ejus *Valdemari*.

1192. *Aurea Inſula* fundatur. *Valdemarus* Epiſcopus Slesvicenſis capitur.

1193. *Philippus Ingeburgim* ducit & repudiat.

1194. Conventus venit in *As* ſeu *Aſylum*. CANUTUS contra Eſtones proficiſcitur.

1195. CANUTUS Papæ qveritur de divortio *Ingeburgis*.

1196. CANUTUS proficiſcitur in *Eſtland*. GERTRUD Regina obit.

1197. Monaſterium *S. Trinitatis* ædificatur. *Fidencius* Cardinalis obit in Scania. Nuncii Danici erant apud Cœleſtinum Papam.

1198. SOPHIA Regina obit. *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis capitur. *Thorbernus* cadit.

1200. *Valdemarus* Lubecam ad deditionem cogit.

XXII.

Vita S. Willehadi a B. Anschario conſcripta.

Inter primos Septentrionis noſtri Apoſtolos merito cenſeri debet *Sanctus Willehadus*, primus Bremenſis Epiſcopus a *Carolo M.* circa Annum 788. conſtitutus, utpote qvi, teſtante *Adamo Bremenſi* (a), primus omnium doctorum *maritimas & boreales Saxoniæ partes* ac *Transalbinos populos* ad chriſtianam provocavit fidem. Hujus Vitam *S. Auschavius*, primus Archiepiſcopus Hamburgenſis & poſt ſimul Bremenſis Epiſcopus, ſcripſit; Ipſe enim in principio Capitis XIII. nomen ſuum profitetur. Honorificam Vitæ ejusdem mentionem *Adamus Bremenſis* (b) facit: *Extat*, inqvit, *Vitæ actuumqve ejus inſignis liber, qvem ſucceſſor ejus qvartus fideli ſtilo exaravit Anscharius.* Et infra: *Ipſe* [Anscharius], *qvi transtulit, & Vitam & Miracula ejus ſingulis libris comprehendit.* Duplex igitur cauſa me movit, ut *Vitam S. Willehadi* inter Scripta Rerum Septentrionalium adoptarem, prima ſcilicet, qvod *Willehadus Nordalbingorum* ſive *Holſatorum noſtrorum Apoſtolus* fuerit, ſecunda, qvod ejus *Vita ſit opus S. Anscharii Danorum Svecorumqve Apoſtoli.* Qvibus cauſis tertia addi poteſt, qvod *b. Willehadus* in *Comitatu Oldenburgenſi*, dum Eccleſias Diœceſis ſuæ ibi conſtitutas viſitavit, mortuus ſit. Vitam hanc, una cum Vitis Sanctorum Anscharii & Remberti, ex pervetuſto Eccleſiæ Hamburgenſis Codice (c), primus integram in lucem produxit *Philippus Cæſar*, in Opuſculo, qvod titulo *Triapoſtulatus Septentrionis* inſignivit, edito Coloniæ 1642. Ante hunc Editorem eadem, ſtilo mutato & contracto, uſi ſunt *Krantzius*, *Surius*, ac forte plures, & ſua, qvæ de *S. Willehado* tradunt, inde transcripſerunt. Poſt Phil. Cæſarem autem Editionem Vitæ S. Willehadi iterarunt, *Mabillonius* in Actis Sanctor. Benedict. Sec. III. P. II. p. 401. ex Codice ms. Monaſterii Corbeienſis, & *Jo. Alb. Fabricius* in Memoriis Hamburg. T. II. p. 652. ſq. ex Phil. Cæſare. Duobus hiſce Editionibus, in adornanda mea, uſus ſum; Editio enim Colonienſis & primaria in oris noſtris adeo rara eſt, ut eam videre mihi nunqvam contigerit. Ego in hac mea Editione fere nihil aliud præſtiti, qvam ut annotationes qvasdam addiderim.

Caput I.

(a) *Adam. Brem.* Ed. Lindenbr. p. 3. 9.

(b) Ibidem p. 5. 9.

(c) Vitæ & Miraculorum S. Willehadi Codices, adhuc ſuo tempore, Bremæ haberi, teſtatur *Henr. Wolterus* Chron. Brem. ap. Meibomium T. II. p. 25.

Vita S. Willehadi.

Caput I.

Prologus in vitam Sancti Willehadi.

Cum Sanctorum laudes & actus religiosa fidelium depromit affectio, Christum profecto in eis prædicare, Christum nititur glorificare. Ipsius enim facti sunt virtute victores, cujus gratia probati fuerant in bona conversatione fideles. Gratia namqve Dei, secundum Apostolum, sunt sancti qvod sunt. Et qvia gratia ipsius semper est bona, per hanc qvoqve fiunt homines voluntatis bonæ. Ipsa qvoqve Dei fit gratia, ut ipsa bona voluntas, qvæ jam cœpit esse, augeatur in bono, & ita crescendo multiplicetur, qvo possit justus qvilibet divina implere mandata, qvæ voluerit, plene perfecteqve voluerit. Laudandi itaqve sunt sancti propter bona merita ipsorum, qvin imo magis in eis Christus est laudandus, cujus gratia perceperunt, ut boni ac sancti fierent. Qvæ tamen laudis præconia cum multis in hac vita pie religioseqve viventibus fidelium devotione merito impertiantur, melius tamen ac rationabilibus post bene peractam ac feliciter consummatam hujus seculi periculosissimam vitam sanctis exhibentur hominibus. Qvia tunc potissimum sanctitatem cujusqve convenit extollere ac prædicare, qvando nec, qvi laudatur, elatione tentari, nec laudans adulatione poterit notari. Unde & mos sanctæ Ecclesiæ justissimus inolevit, ut sanctorum, qvi in hac vita miraculis & fidei devotione ac bonorum operum perfectione clari ac laudabiles extiterunt, post eorum discessum conversatio ac religiositas describatur, ut posteri habeant, in qvo exemplum virtutis imitentur, habeant etiam, in qvo gratiam divinæ miserationis contueantur, nec desperent, se posse, qvæ forte impossibilia videbantur, cum hæc in illis cernant impleta, qvæqve, ut ipsi fragili hic carne circumdati, mira atqve eximia divina adjuti gratia perpetrarunt. Cum vero hæc a fidelibus cunctis jure impendenda sint Sanctis illius, videlicet supernæ patriæ beatissimis civibus: diligentius tamen hoc unusqvisqve illis exhibere debebit, qvorum patrociniis specialius se tutari atqve adjuvari, nempe indubitanter atqve fideliter credit. Unde & nos Beati patris nostri *Willehadi*, primi Bremensis Ecclesiæ Episcopi, religiosam, & in omnibus Deo devotam, dignum duximus conscribere vitam, qvo triumphum virtutis ejus enarrantes, & divinam prædicimus in eo gloriam & exemplum sanctitatis ad imitandum aliis proponamus.

Incipit

Vita S. Willehadi Episcopi & Confessoris.

Caput II.

De Patria ejus, & qvid in ea egerit.

Fuit itaqve vir venerabilis de gente *Anglorum*, ex *Nordhumbris*, nomine *Willehadus*, qvi ab infantia sacris eruditus literis ac spiritualibus instructus disciplinis, studiose in Dei cœpit cultura vivere; & jejuniis vigiliis atqve obsecrationibus die noctuqve intentus, in Dei omnipotentis servitio devotus extitit, fueruntqve ejus acta cunctis illic habitantibus, sicut honesta & bona, ita qvoqve amabilia & laudabilia. Qviqve etiam, succedente ætate, cunctorum favore per electionis gratiam ibidem ad honorem est provectus Sacerdotalem. Qvod ille Sanctitatis merito, ac præcipuis bonorum operum exercitiis, magis ac magis semper exornare atqve augmentare studebat.

Deniqve, accepta conſecratione Presbyterii, audivit, qvod *Freſones* atqve *Saxones*, populi hactenus increduli atqve pagani, relicta idolorum cultura, fidei catholicæ qvodammodo jam cœpiſſent ambire miniſteria, ac baptismi Sacramento vetuſtatis cuperent maculis emundari. Hoc itaqve audito, magno vir Dei repletus eſt gaudio, & intimo ſuccenſus amore, inhianter qværere cœpit, qvaliter pro Dei amore illas in partes ſeſe transferret. Et qvia divino inſtinctus Spiritu ſervus Dei, hujuscemodi Zelo de die in diem exardeſcebat, non potuit lucerna accenſa latere ſub modio in tenebris, ſed poſita eſt ſuper candelabrum, ut luceret palam omnibus, qvi vel tunc vel futuri erant in domo domini. Accesſit ergo ad *Regem*, qvi tunc temporis in gente *Anglorum* dominabatur, nomine *Alachrat* (d), & qvo ad Domini eſſet ſervitium Zelo accenſus, illi lacrimabiliter intimavit, petivitqve, ut ejus permiſſu atqve licentia ad prædicandum verbum Domini patrias jam prædictas ſibi adire liceret. Qvi, comperta ejus ſanctisſima voluntate, convocato ad ſe Epiſcoporum aliorumqve Dei ſervorum non minimo conventu, coram omnibus ejus ferventisſimam inſinuavit devotionem, omniumqve pari conſenſu, qvippe qvia & cunctis jam pridem ejusdem Beati viri probabilis ſanctitas fuit, eum ſupernæ commendatum gratiæ ad prædicta loca cauſa prædicandi verbum Domini deſtinavit.

Caput III.

Qvomodo in Freſiam venerit, & qvomodo res ei procedere ibi cœperit.

Qvam ille peregrinationem libentisſimo ſuſcipiens animo, qvantocius mare qvod erat adjacens transmeavit, venitqve in *Freſiam* (e), ad locum, qvi dicitur *Docyncirca* (f), qvod eſt in pago *Hoſtracha* (g), ubi & Dominus *Bonifacius* (h) Epiſcopus jam olim Martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo, qvum per prædicationem memorati martyris multi ante ad fidem inſtructi fuerant, cum magno ab eis eſt honore ſuſceptus, ibiqve docens ea, qvæ Dei ſunt, multo tempore habitavit. Nam & plurimi Nobilium infantes ſuos ipſi ad erudiendum ibidem tradiderunt: qvos ille tam verbo doctrinæ qvam exemplo piæ converſationis ad divinum jugiter incitabat amorem, multosqve errantes olim a fide ad veram & catholicam revocavit ſcientiam: ſeqve maximum lumen ſupernæ claritatis eodem in loco exhibuit. Gentilium qvoqve qvam plurimam catervam, verbo ſanctæ prædicationis inſtructam, ibidem baptizavit.

Ca-

(d) Anglorum ille Rex fuit *Alchred* ſive *Alredus*, qvi in Northumbria ante & poſt Ann. 770. regnavit, de qvo *Jo. Bromton* ap. Twisden p. 796. & *Sim. Dunelm.* ibid. p. 11.

(e) Migrationem b. Willehadi ex Anglia in Friſiam *Car. le Cointe* Ann. Franc. T. VI. p. 16. ad *Annum* 772. refert.

(f) Oppidum Friſiæ, qvod hodie dicitur *Dokkum*. Ex nomine *Docyncirca* colligitur, jam tum Dockumi fundatam fuiſſe Eccleſiam chriſtianam.

(g) Friſiæ Provinciæ Fœderati Belgii pagus orientalis, *Ooſtergo* etiam hodie dictus, Vid. *Büſching*. Geogr. T. IV. p. 154. In *Vita S. Anscharii* dicitur *Oſtargao*, a Gvaldone *Oſtargo*, in Dipl. Ottonis II. *Aſterga*, Vid. *Staphorſt* T. I. p. 128. 190. 309. In Dipl. Caroli M. *Oſtergoe*, a Vet. Schol. Adami *Oſtraga*, Vid. *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 4. 5.

(h) Martyrium S. Bonifacii evenit An. 755. ad amnem Bortnam non procul a pago Doccumenſi in Friſia, Vid. *Gudenii* Diſſ. de Bonifacio p. 95. 96. Ita *Adamus Brem.* p. 3. „Poſt paſſionem *S. Bonifacii*, *Willehadus* „& ipſe Angligena, fervens amore martyrii, properavit in *Freſiam*, ubi conſiſtens ad *ſepulcrum beati Mar-* „*tyris*, paganos facti poenitentes ſuſcepit, & credentium multa millia baptizavit.“

Caput IV.

Qvomodo occidendus & forte divinitus liberatus ſit.

Inde voto procedens, transivit fluvium *Lovecke* (i), venitqve ad locum, qvi dicitur *Humarcha* (k), ibiqve *Barbaris* cœpit nomen Domini prædicare, ac perſvadere, ut, relicta ſuperſtitione Idolorum, unius veri Dei notitiam ſuſciperent; qvo per ſacri Baptismatis abſolutionem peccatorum ſuorum veniam promereri potuiſſent, dicens: inſanum eſſe & vanum, a lapidibus auxilium petere, & a ſimulacris mutis & ſurdis ſubſidii ſperare ſolatium. Qvo audito, gens fera & idololatriis nimium dedita, in ira magna pariter omnes excitati, ſtridebant dentibus in eum, dicentes: non debere prophanum longius vivere, immo reum eſſe mortis, qvi tam ſacrilega contra Deos ſuos invictiſſimos proferre præſumſiſſet eloqvia. Qvidam tamen inter eos ſaniori conſilio ſvadebant cæteris, dicentes: Ignotam ſibi hanc eſſe religionis normam, utrum ex divina ſit voluntate propoſita, virum qvoqve ipſum nulli prorſus obnoxium crimini; qva de re nec oportere eum tam dubia nece perire, verum magis mittendam eſſe *ſortem* (l), qvo demonſtraretur cœlitus, an dignus eſſet interitu: Sin alias, ut dimitterent eum liberum, & ipſi in nullo penitus noxii probarentur. Factum eſt ergo, uti perſvaſerant, ac ſecundum morem gentilium miſſa eſt *ſors* ſuper eo, vivere an mori debuiſſet. Gubernante itaqve divina providentia, *ſors mortis* ſuper eum cadere non potuit, qvapropter nec nocere illi in aliqvo ſunt auſi, ſed, inito conſilio, dimiſerunt eum a ſe abire illæſum.

Caput V.

Qvomodo plagis & gladio cæſus miraculoſe ſervatus ſit.

Qvi inde transiens, venit *Thrianta* (m), ibiqve dum prædicaret verbum Domini, plurima multitudo gentilium credidit, ac Baptismi ſacramentum percepit. Qvo in loco ipſe diutius immorans, & non credentes inſtruere etiam credulos in via veritatis, tam verbis qvam & exemplis, ſedulus corroborare ſtudebat. Cœperuntqve plurimi bonam vitam Magiſtri, & errores gentilium odio habere, & chriſtianam, qvam profitebantur, religionem devota intentione venerari. Unde contigit, ut qvidam Diſcipulorum ejus, divino compuncti ardore, fana in morem gentilium circumqvaqve erecta cœpiſſent evertere, & ad nihilum, prout poterant, redigere. Qvo facto, *Barbari* (n), qvi adhuc forte increduli perſtiterant, furore nimio ſuccenſi, irruerunt ſuper eos repente cum impetu, volentes eos funditus interimere. Ibiqve Dei famulum fuſtibus cæſum multis admodum plagis affecere. Qvorum etiam unus, evaginato gladio, ſuper ſervum Dei irruit, conatus ei caput abſcindere. Verum beatus vir

(i) Iſte fluvius hodie *Lauwers* dicitur, olim *Lovecke*, *Lavica*, & *Labeki* dicta.

(k) Eſt idem locus, qvi in *Alefridi* Vita S. Liudgeri dicitur *Hugmerthi*, & fuit inter qvinqve Friſiæ pagos ab orientali parte fluminis *Labeki*, qvorum doctor Liudgerus An. 787. conſtitutus eſt, Vid. *Cointe* Ann. Franc. T. VI. p. 335.

(l) De *Sortilegiis* veterum, vide infra ad Cap. XXIV. *Vitæ S. Anſcharii.*

(m) Hodie *Drenthe*, provincia Belgii Fœderati. Vetuſta Diplomata Pagum hunc ſive Comitatum vocant *Threm* & *Thrente*, vid. *Falke* Tradit. Corbei. p. 434.

(n) Hæc ita *Adamus* p. 3. perſequitur: „Deinde eundem in circuitu provinciam cum diſcipulis perluſtrans, „*idola confregiſſe*, populosqve ad culturam veri Dei evangelizaſſe dicitur. Tunc & gentilium Zelo fuſti„bus percuſſus, & gladio legitur ad jugulandum proſcriptus. Licet gratia Dei majoribus eum prædeſti„naret titulis, ſua tamen voluntate & ſtudio nihilominus ad martyrium impiger erat.

vir ipſo in tempore capſam cum ſanctis reliqviis in collo ſuſpenſam habebat: cumqve ictus ferientis ſuper collum ejus decideret, corrigiam qvidem capſæ præcidit, ipſum vero in nullo penitus vulnerare potuit. Qvo miraculo pagani exterriti, ipſum ac ſocios ejus illæſos abire paſſi ſunt, nec ulterius in aliqvo eis moleſti eſſe præſumſerunt.

Caput VI.

Qvomodo a Carolo Imperatore in Saxoniam miſſus ſit.

Poſthæc vero glorioſisſimus Francorum Rex CAROLUS, qvi tam multotiens in gente *Saxonum* elaboraverat, qvo ad fidem chriſtianæ religionis converterentur, ſed illi averſi ſemper cordibus, ſuſceptam fidem ſæpius deſerentes, priſtinis magis implicabantur erroribus, audita fama viri Dei, ad ſe eum accerſiri præcepit. Qvem ad ſe venientem honorifice, ac reverenter ſuſcipiens, ejus confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumqve ſanctis moribus ac fidei non fictæ conſtantia miſit (o) in partes *Saxoniæ*, ad pagum, qvi dicitur *Wigmodia* (p), qvo inibi auctoritate Regali & Eccleſias inſtrueret, & populis doctrinam ſanctæ prædicationis impenderet, atqve viam ſalutis æternæ libere cunctis illic habitantibus nunciaret. Qvod ille miniſterium devote ſuſceptum officioſisſime peregit, ac pertranſiens cunctam in circuitu diœceſin, multos ad fidem Chriſti evangelizando convertit; ita ut in ſecundo anno tam *Saxones*, qvam & *Freſones*, in circuitu commorantes, omnes ſe pariter fieri promitterent Chriſtianos. Hoc itaqve factum eſt Anno incarnationis Domini DCCLXXXI. Regni vero memorati Principis CAROLI XIV. Qvi tamen nec dum Imperiali fuerat apice ſublimatus. Qvem poſtea per manus reverendisſimi *Leonis* Apoſtolici Imperatorem Romæ conſecratum (q) anno regni ejus XXXIV. Catholica Europæ conſiſtens Chriſti venerata pariter & gratulabunda ſuſcepit Eccleſia. Siqvidem Imperialis poteſtas, qvæ poſt *Conſtantinum* piisſimum Auguſtum apud Græcos in *Conſtantinopolitana* hactenus regnaverat ſede, cum, deficientibus jam inibi viris Regalis Proſapiæ, fœminea magis directione res amminiſtraretur publica, temporibus ipſius per electionem Romani populi, in maximo Epiſcoporum aliorumqve Dei ſervorum Concilio, ad *Francorum* translata eſt Dominium: qvoniam & ipſe eandem, qvæ caput Imperii fuerat, & multas alias tunc in orbe videbatur tenere Provincias, ob qvod & jure Cæſarea dignus eſſet appellatione. Præfato itaqve regni ejus tempore, ſervus Dei *Willehadus* per *Wigmodiam* Eccleſias cœpit conſtruere, ac Presbyteros ſuper eas ordinare, qvi libere populis ſalutis ac Baptismatis conferrent gratiam (r).

Ca-

(o) Primum b. Willehadi adventum ad Carolum M. & miſſionem in Saxoniam ad An. 780. recte refert *Car. le Cointe* Annal. Franc. T. VI. p. 179.

(p) *Wigmodia* ſ. *Wichmodi* pagus circa Bremam, tempore *Caroli M.* a Saxonibus habitatus, erat regio illa inter Wiſurgim & Albim ſita, poſtea Archiepiſcopatus, hodie Ducatus Bremenſis dicta. Nominatur a *Regione* ad An. 804. In *Chron. Moiſſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 142. pagus ille ſcribitur *Wintmodi*, ibidem nominantur *Vacmodingi*, ſed in utroqve error librarii latere videtur. *Annales Bertin.* & *Fuldenſ.* ad An. 804. habent *Wimbuodi* & *Wigmori*. Tradit. Corbeienſ. *Falkii* p. 13. *Wimoa*. De Pago *Wimodi* ſ. *Wigmodia* vid. *Grupen* Orig. Germ. T. II. p. 225. 227. 233. 235.

(q) *Carolus M.* fit Rex An. 768. d. 24. Septemb. Imperator d. 25. Dec. An. 800. Ergo hic pro *Anno regni ejus XXXIV.* legendum erat *XXXIII.* Sed, ut bene obſervavit *Cointius* T. VI. p. 213. Anſcharius ubiqve annos incompletos inſtar completorum numerat. Qvum igitur Carolus ſit Rex Anno 768. & Imperator acclamatur An. 800. die Natalis Chriſti, qvo die Franci veteres Annum 801. inceperunt, poteſt eo modo Anſcharii computatio defendi.

(r) Hæc, & qvæ ſeqvuntur, ab *Adamo* p. 3. ſic narrantur: „Poſt hæc miſſus a *Carolo* Rege in *Saxoniam*, pri-

„mus

Caput VII.

Qvomodo Widdikindi perſecutionem fugerit & qvid Socii ejus paſi ſint.

Verum ſeqventi anno, inſtigante Diabolo totius boni invido, qvidam extitit perverſioris conſilii *Widdikindus* (s), qvi rebellare contra Regem viſus CAROLUM, multam ſecum *Saxonum* multitudinem aggregavit: qvi etiam unanimiter eos, qvi in fide Chriſti ſtabiles videbantur, perſeqvi ac punire, ſervos qvoqve Dei per loca qvæqve vagantes diſpergere, atqve a finibus ſuis effugare cœperunt. Qva perſecutione commota, ſervum Dei contigit, ſecundum mandatum Domini, præcipientis: *Si vos perſeqvuti fuerint in una civitate, fugite in aliam;* de *Wigmodia* tranſire in *Utriuſtri* (t). Ibiqve conſcendens navim, mare circa *Freſiam* transfretavit, ſicqve, opitulante Chriſti gratia, perſecutionem eorum evaſit. Porro *Saxones* crudelitatem, qvam circa Magiſtrum neqviverant, in Diſcipulos ipſius, exardeſcente ira, ferventius exercuerunt. Siqvidem *Folcardum* presbyterum, cum *Emmingo* Comite, in pago denominato *Leri* (u), *Benjamin* autem in *Cibbriuſtri*, *Atrebanum* (v) vero Clericum in *Thiatmarcsgabo* (x), *Gerwalum* qvoqve cum ſociis ſuis in *Brema*, odio nominis Chriſtiani gladio peremerunt. Et ipſis qvidem ita ad regna cœleſtia effuſione proprii ſangvinis feliciter evocatis, perſecutionis tamen procella diutius poſtmodum rebellantibus deſævit *Saxonibus*.

„mus omnium doctorum *maritimas & borcales Saxoniæ partes* ac *Transalbinos populos* ad chriſtianam provo„cavit fidem. *Septem annos* prædicaſſe dicitur eam regionem, usqve ad annum rebellionis Saxonum XII. „cum *Widuchind* perſecutionem movens in chriſtianos, Francorum terminos usqve ad Rhenum vaſtabat. „In qva perſecutione diſcipuli *Willehadi* ſancti qvidam *Bremæ*, qvidam per *Freſiam*, cæteri *trans Albiam* „paſi leguntur". Qvomodo autem *ſeptem anni*, qvibus *Willehadus* Saxonibus prædicaverit, computandi ſint, haud video, niſi aut duos ultimos vitæ ejus annos, qvibus Epiſcopus Bremenſis vixit, aut illos annos, qvibus Romæ & in Monte Caſino moratus fuit, connumeremus.

(s) De *Witekindi* rebellione & fuga in Daniam Anno 882. legantur *Annales Francorum* omnes, Bertiniani, Metenſes, Fuldenſes &c. ad hunc Annum.

(t) *Riuſtri*, *Utriuſtri*, *Cibbriuſtri*, *Upriuſtri*, qvæ in hoc & ſeqventibus Cap. IX. & XX. occurrunt, fuere partes veteris Comitatus Oldenburgenſis, qvorum nominum veſtigia ſuperſunt in *Ruſtringia*. De Comitatu *Riuſtri* ſive *Hriuſtri*, Regi Danorum HARALDO KLAK, Moguntiæ An. 826. baptizato, ab Imperatore in beneficium dato, vide qvæ infra ad *Vitam S. Anſchurii* Cap. VII. commentatus ſum.

(u) Pagus *Leri* idem eſſe videtur ac *Laras*, de qvo infra Cap. IX. Idem etiam qvi *pagus Leriga* in Dipl. Ottonis III. ap. *Falke* Trad. Corbei. p. 718. 721. 725. & qværendus circa Weſeram in vicinia Comitatus Oldenburgenſis ad fluvium Hunta & circa monaſterium Wildeshuſen. Conf. idem *Falke* p. 83. 85. 202. 253. 296. 691.

(v) Habemus hic primum *Dithmarſorum Martyrem*, Anno 782. peremptum, a *S. Willehado*, ut videtur, Evangeliſtam ibi conſtitutum.

(x) Hic primum omnium apud Scriptores occurrit denominatio *Ditmarſiæ*. In Diplomate Adelberti Hamburgenſis Archiepiſcopi Anni 1059. nominatur *pagus Thietmarſca*. Adamo Bremenſi Edit. Lindenbr. p. 18. *Thiatmarsgoi*. Helmoldo p. 67. *Thetmarchii*. Saxoni p. 225. 232. *Dythmerſi* & *Dytmerſchi*. Conf. *Meibom.* de Pagis Saxoniæ T. III. p. 109. Etymologiam nominis inqvirit Perill. *Suhmius* in Nord. Folks Oprind. p. 263. Si conjecturæ locus detur, S. Willehadus inter Eccleſias, qvas auctoritate *Caroli M.* fundavit, etiam aliqvam in *Ditmarſia* conſtituit, qvæ ſine dubio *Milinthorp*, hodie *Meldorp* dicta, fuit. Illud non ſolum hic Vitæ S. Willehadi locus indicare videtur, ſed adhuc clarius idem elicitur ex teſtimonio *Adami Bremenſis* p. 5. de *Willerico* Succeſſore S. Willehadi ita loqventis: „Legimus in Libro Donatio„num Bremenſis Eccleſiæ, *Willericum* Bremenſem Epiſcopum Transalbianis, etiam ante Ansgarium præ„dicaſſe, & *Eccleſiam Milinthorp* freqventer viſitaſſe.

Caput VIII.

Qvomodo durante perſecutione Romam profectus ſit, & in Freſiam redierit.

Qvo facto vir Dei, cognoſcens nullam ſibi tunc temporis prædicandi oportunitatem ineſſe, arrepto itinere, PIPPINUM, *Longobardorum* Regem adiit; ſicqve proſpero curſu *Romam* (y) pervenit: ubi conſiſtens multis lacrymis & precibus ad ſedem ſacratisſimam Beati Petri Apoſtolorum Principis, ſe cunctamqve fidelium turmam ſedulus ac devotus divinæ commendabat clementiæ; illos præcipue, qvorum cura maxime cordi erat, ne forſan ſuſcepta in partibus *Saxoniæ* Chriſtianitas machinatione diabolica tunc penitus annularetur. Inde autem diſcedens, & conſolatione venerabilis Papæ *Adriani* non modice corroboratus, ſervus Dei gaudens repedabat in *Franciam.* Qvo itinere contigit, divinam in eo etiam operatam fuiſſe virtutem. Namqve miniſter viri Dei, vocabulo *Aldo*, qvi alimenta procurabat Magiſtri, qvandam habebat patinam ligneam, qvæ vulgo *ſcutella* vocatur, qvam jugiter mundam ac nitidam ad menſam ipſius coram eo ponere ſolitus erat. Qvam præfatus miniſter qvodam die caſu fractam repperit. Tempore itaqve refectionis cum eam vir Dei reqvireret, miniſter negligentiam, qvæ contigerat, neqvaqvam ei celare voluit; ſed hanc fractam fuiſſe narravit: qvam ille ad ſe, qvalis erat, ſtatim deferri præcepit. Sed miniſter ad locum, ubi jacebat, rediens, qvam antea fractam reliqverat, ac ſi nihil unqvam detrimenti habuerit, integram repperit. Qvam allatam coram ipſo lætus ac hilaris poſuit, qvi antea tremebundus & pavens, iram juſtæ correptionis pertimuit. Qvod ob gratiam ſancti viri cœlitus factum non dubitatur: qvamvis ipſe elationem fugiens, magis in abſcondito, qvam publice id fieri cupiverit. Igitur ab itinere concepto reverſus, tranſivit ad locum, qvi dicitur *Aſternacha* (z), ibiqve diſcipuli ejus, qvi propter metum perſecutionis paſſim diſperſi fuerant, ad eum ſunt denuo copulati. Qvos ille benigna conſolatione refocillans, ut pro fide Chriſti conſtanter in omnibus ſe agerent, pie ammonere ſtuduit. Qviqve in eodem loco duobus fere annis demoratus elegit ſolitariam inclauſus ducere vitam: ubi etiam non mediocriter vivens, cum lectioni atqve orationi operam daret, tum præcipue ſcriptioni interdum deditus erat. Nam ſcripſit ibi Epiſtolas beati Pauli in uno volumine, aliaqve qvam plurima, qvæ a ſucceſſoribus ipſius ob monimentum ſanctæ recordationis ejus ſervata, hactenus manent inconvulſa. Multi qvoqve in eodem loco exemplis ejus & monitis ad meliorem ſunt vitam correcti & ad ſervitium Domini non ignaviter accenſi. Caput

(y) B. Willehadum Romam acceſſiſſe Anno 782. *Car. le Cointe* T. VI. p. 253. affirmat. Mihi haud improbabile videtur, illud Anno 783. eveniſſe. *Adamus Brem.* p. 3. addit, Willehadum *cum Liudgero Romam veniſſe.* Hoc negat *Cointius* ibid. p. 254. Non autem video, cur Adamo fides negetur; potuit enim Liudgerus diu poſt abitum Willehadi Romæ moram traxiſſe, ac tandem circa finem Anni 784. ad Montem Caſinum ſeceſſiſſe, unde demum An. 787. poſt moram duorum annorum & ſex menſium in Friſiam a Carolo M. remiſſus fuit, conf. *Cointe* ibid. p. 335. En verba Adami, qvæ huc faciunt: „Unde Confeſſor Dei, majus adhuc lucrum expectans de converſione plurimorum, legitur ſecundum evangelicum „præceptum de civitate in civitatem fugiſſe, diſperſisqve ad prædicandum ſociis, *ipſe Romam cum Liud-* „*gero veniſſe.* Ubi ſanctiſſimi Papæ *Adriani* conſolatione relevati, *Liudgerus* in *Montem Caſinum* receſſit „ad confeſſionem *S. Benedicti*, *Willehadus* in Galliam ad *ſepulcrum ſancti* repedavit *Willebrordi.* Itaqve „biennio uterqve recluſi contemplativæ vitæ operam dabant, apprime orantes pro perſecutoribus & gente „Saxonum.“

(z) Alias *Epternacum*, Abbatia olim Diœceſis Trevirenſis, ibi b. Willehadus Roma redux ab Anno 783. usqve ad 785. latuit. *Annal. Mezenſes* ap. Du Chesne T. III. p. 313. nominat *Absternacum Monaſterium Sancti Willibrordi.* Hinc *Adamus Brem.* p. 4. ita ſcribit: *Willehadus in Galliam ad ſepulchrum ſancti repedavit Willebrordi.*

Caput IX.

Ordinatio Sancti Willehadi in Episcopum.

Post hæc autem iterum venerandus Domini Sacerdos Regem adiit CAROLUM, qvi tunc forte in castello consederat Saxoniæ *Eresbur* (a), proponens voluntatis suæ devotissimam in præparatione Evangelii pacis affectionem: atqve ipsius in hoc æqvissimam requirens præceptionem. Qvi pro consolatione laboris ac præsidio subsequentium ejus, dedit ei in beneficium qvandam *Cellam* in *Francia*, qvæ appellatur *Justina:* præcepitqve ei, ut iterum pro nomine Christi cœptam repeteret Parochiam. Qvod ille gratanter ac religiose suscipiens, rursus venit *Wigmodiam* (b), & fidem Domini publice ac strenue gentibus prædicabat. Ecclesias qvoqve destructas restauravit, probatasqve personas, qvi populis monita salutis darent, singulis qvibusqve locis præesse disposuit. Sicqve ipso anno, divino ordinante instinctu, gens *Saxonum* fidem Christianitatis, qvam amiserat, denuo recepit. Sed & totius mali auctor incentorqve perfidiæ *Widikindus* (c), eodem anno regi se subdens CAROLO, Baptismi est gratiam consecutus: Sicqve ad tempus sedata sunt mala, qvæ illius fuerant ingesta pernicie. Posthæc vero cum omnia pacifica viderentur, & subleni jugo Christi *Saxonum* ferocia, licet coacta, jam mitescerent colla; memoratus præcellentissimus Princeps in *Wormatia* (d) positus civitate, servum Dei *Willehadum* consecrari fecit *Episcopum* (e) *tertio Idus Julii* (f), constituitqve eum Pastorem atqve Rectorem super *Wigmodiam* (g) & *Laras* (h) & *Riustri* (i) & *Asterga* (k), nec non *Nordendi* (l) ac *Wanga*, ut inibi auctoritate

(a) Hoc factum est Anno 785. cujus tota hieme *Heresburgi* Carolus M. residebat, Vid. Annal. Bertin. Metens. aliosqve ad hunc Annum.

(b) De *Wigmodia* vide supra p. 346.

(c) De Baptismo *Witekindi*, Anno 785. in palatio Attiniaco peracto, vid. *Chron. Moissiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 139. Conf. *Annal. Bertin.* & *Metens.* ibid. p. 158. 284. *Adam. Brem.* p. 4.

(d) Omnes Francorum Annalistæ in hoc conveniunt, *Carolum M.* An. 787. *Wormatiæ* Synodum celebrasse. *Chronicon* autem *Moissiacense* ap. Du Chesne T. III. p. 139. insigne testimonium de Inauguratione *Willehadi* Episcopi addit. Cujus Chronici verba, qvum nomina misere corrupta sint, ita legenda puto: *Reversus est Rex ad Warmatiam. Et beatus Willehadus ordinatus est Episcopus III. Id. Julii super Wimoda, & super Riustri, & Asterga, & Lara, & Nordendi, & Wangia, & ibi docuit verbum Dei, & baptizavit eos in primis.* Locus iste mire confirmat, qvæ *Anschavius* noster in Vita Willehadi heic retulit. Conf. *Caroli M. Diploma* fundationis Ecclesiæ Bremensis apud *Adamum* p. 4. 5. ubi pro Anno 788. forte legendum puto 787. ut ita Diploma Caroli datum sit proxime seqventi die post Ordinationem Willehadi, pridie scil. Idus Julii sive d. 14. Julii, Imperatore die illo *Nemeti* sive Spiræ existente. Sic qvoqve & clausula de Hildebaldo & Indictio & Annus regni Caroli correctione indigent, si modo genuini sint characteres isti chronologici, Diplomati subjuncti, nec potius a manu qvadam recentiori additi, qvod haud immerito suspicatur *Car. le Cointe* Ann. Franc. T. VI. p. 368. Ille autem Diplomati Carolino Annum 788. assignat.

(e) Hæc eadem confirmant ipsa *Carolini Diplomatis* ap. Adam. p. 4. verba: „Sibiqve in *Wigmodia*, in loco *Bremon* vocato, super flumen *Wirrahem* Ecclesiam & *Episcopalem* statuimus *Cathedram*. Huic parochiæ *decem Pagos* subjecimus, qvos etiam, abjectis eorum antiqvis vocabulis & divisionibus, in duas redegimus „provincias, his appellantes nominibus, *Wigmodiam* & *Largee*. — Adhuc etiam summi Pontificis & universalis Papæ *Adriani* præcepto, nec non & Mogontiacensis Episcopi *Lullonis*, omniumqve, qvi affuere, „Pontificum consilio, eandem *Bremensem Ecclesiam*, cum omnibus suis appendiciis, *Willehado*, probabilis „vitæ viro, coram Deo & Sanctis ejus commisimus. Qvem etiam primum ejusdem Ecclesiæ *III. Idus Julii consecrari fecimus Episcopum* &c.“

(f) *Adamus Brem.* p. 5. Ordinatio ejus *III. Idus Julii* celebratur.

(g) De *Wigmodia* vid. supra p. 346.

(h) *Laras* idem sit ac *Largee* in Dipl. Caroli M. An. 788. ap. Adam. p. 4. pars Episcopatus Bremensis circa Visurgim fluvium sita, vid. *Grupen* Orig. Germ. T. II. p. 234. 235. & sine dubio idem etiam qvi *Pagus Leri*, de qvo supra Cap. VII. cujus incolæ *Laringi* dicti sunt, Vid. *Falke* Tradit. Corb. p. 85. In Diplomate Caroli

ctoritate Episcopali & præesset populis, &, uti cœperat, doctrina salutari operibusqve eximiis speculator desuper intentus prodesse studeret. Sicqve ipse primus in eadem diœcesi sedem obtinuit Pontificalem. Qvod tamen id tamdiu prolongatum fuerat, qvia gens credulitati divinæ resistens, cum presbyteros aliqvotiens secum manere vix compulsa sineret, Episcopali auctoritate minime Regi patiebatur. Hac itaqve de causa 7. annis (m) prius in eadem Presbyter est demoratus Parochia: vocatus tamen Episcopus, & secundum qvod poterat, cuncta potestate Præsidentis ordinans. Percepta vero consecratione Pontificali, cœpit in omnibus etiam devotus se agere, & virtutum studia, qvæ prius exercuerat, multiplicius augmentando cumulare.

Caput X.

Continentia ejus & alia pia opera.

Namqve a primævis temporibus magnæ vir iste fuit continentiæ, ac devote Domino omnipotenti ab ineunte servivit ætate. Vinum & siceram, ac omne, unde inebriari potest, non bibit. Esca autem ejus erat panis & mel, holera & poma. Namqve ab esu carnium, a lacte & piscibus temperabat. Nisi qvod memoratus Apostolicus *Adrianus* ei jam in novissimo propter valetudines, qvas in corpore tolerabat, freqventes, qvo piscem comederet, præcepit: cujus auctoritati ipse obtemperans, paululum indulgentius in hac parte agere cœpit. Præterea nullus fere dies transivit, qvo non sacra missarum solemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atqve meditationi sanctæ doctrinæ. Psalmodiæ qvoqve pariter studiosissime invigilans, ita ut pene qvotidie *Psalterium* (n), aliqvando etiam duo vel tria, decantaret. His itaqve & aliis bonorum operum exercitiis vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini prætendebat: Sicqve doctrina ejus duplici præfulgebat oraculo, dum, qvod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransivit itaqve in circuitu suæ Diœcesis vir iste Beatus, confirmans populum christianum, qvi olim baptizatus, & prædicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens. Ædificavit qvoqve domum Dei (o) miræ pulchritudinis, in loco, qvi dicitur *Brema*, ubi & sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicavit eam *Calendis Novembris*, die Dominico (p), in honorem Domini nostri Jesu Christi sub invocatione *Sancti Petri* Apostoli.

Ca-

Caroli M. videtur Imperator sub nomine *Largoe* comprehendisse totam illam *partem Fresiæ*, septem pagis constantem, qvam Episcopatui Bremensi subjecit. Septem illos Fresonum pagos recenset *vetus Adami Scholiastes* (3).

(i) Vide supra p. 347.

(k) Idem pagus Frisiæ, qvi supra Cap. III. *Hostracha* dicitur.

(l) *Nordendi* & *Wanga*, partes Frisiæ Episcopatui Bremensi subjectæ, Vid. *Comte* Annal. Franc. T. VI. p. 369. *Falke* Trad. Corb. p. 11. *Vet. Adami* Schol. 3. habet *Wanga* & *Nordi*.

(m) De *septem* illis annis, qvos & *Adamus* numerat, vide supra ad Cap. VI.

(n) Codex *Psalterii Davidici*, aureis literis exaratus, qvo olim Seculo octavo S. Willehadus usus est, & qvi per integra octo Secula in Ecclesia Bremensi asservatus fuit, adhuc in Bibliotheca Imp. Vindobonensi supersest. *Carolus M.* illum *Hadriano I.* Pontifici Romano obtulit, hic autem cum consensu *Caroli* eundem *Willehado*, Episcopo Bremensi facto, dono dedit. Vid. *Lambecii* Biblioth. Vindob. T. II. p. 295. sq.

(o) Ædem hanc sacram, qvam b. Willehadus ligneam exstruxit, successor ejus Willericus lapideam fecit, testante *Adamo Bremensi* p. 7. Vix ergo fidem meretur, qvod Nota qvædam in *Memor. Hamburg.* T. II. p. 668. narrat, illam ædem, qvam ædificavit S. Willehadus, in hodiernum usqve diem salvam stare, ac in lupuli domum mutatam esse.

(p) Dedicatio Ecclesiæ b. Petri Bremensis fiebat Anno 789. die 1. Novembris, qvi dies eo anno in Dominicam vicesimam post Trin. incidit.

Caput XI.

Qvomodo in Plexem ægrotaverit, & mortuus ſit, Bremæ autem ſepultus.

Poſthæc vero cum ſtudio piæ intentionis cunctam in circuitu perluſtraret Parochiam, ac docens ea, qvæ Dei ſunt, plurimos in fide corroboraret: pervenit ad locum, qvi dicitur *Pleccateshem* (q), ibiqve conſiſtens, gravi cœpit corporis febre vexari, & de die in diem languor creſcebat fortiſſimus, ita ut cum eo poſiti diſcipuli illius de vita ejus ulteriore jam deſperare cœpiſſent. Qvorum unus, qvi beato viro forte familiarius loqvi ſolebat, nomine *Egiſrik*, accedens ad eum, qvaſi de obitu ejus trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac qveſtuoſe innotuit; intentans etiam plebis commiſſæ deſtitutionem admodum periculoſam, qvæ ſub Paſtoris regimine tunc tandem divino cultui parere videbantur. Noli, inqvit, venerande Sacerdos, qvos nuper Domino acqviſiſti, tam cito deſerere: Noli populum vel Clerum tuo ſtudio aggregatum tam mature relinqvere, ne grex adhuc in fide tenellus luporum pateat morſibus devorandus: Noli nos humiles clientulos tuæ Sanctitatis defraudare præſentia, ne videamur, ſicut oves non habentes paſtorem, errabundi vagari. Cui beatus vir in hæc compunctus verba reſpondit: Noli, ait, fili mi, me a Domini mei diutius avocare conſpectu; noli mihi temporali moleſtiam vitæ qveſtuoſis depromere vocibus: Nec hic longius vivere appeto, nec mori pertimeſco; tantum Deum meum, qvem toto corde ſemper dilexi, cui tota intentione ſervivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qvalem ipſi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oves autem, qvas mihi credidit, ipſi tuendas committo, qvia & ipſe, ſi qvid boni facere potui, illius potius virtute peregi: Non deerit ejus clementia, cujus miſericordia omnis plena eſt terra. Pia ergo devotione vir domini cœlo ſemper intentus, & orationis ſuæ ad Deum jugiter vota præmittens, *VI. Idus Novembris* (r), die Dominico, poſt ſolis ortum, Confeſſor Domini pretioſus in Chriſti reqvievit nomine. Cujus ad exſeqvias plebs undiqve devota accurrens, Patrem ac Doctorem beatiſſimum cum laudibus & hymnis ad ſedem devehunt *Bremenſem* qve eum in *Baſilica nova* (s), qvam ipſe ædificaverat, cum honore & reverc. digna ſepulturæ tradiderunt.

(q) *Pleccateshem*, contracte *Plexem*, hodie *Blexum* ſive *Blexen*, eſt advocatia & paroecia *Comitatus Oldenburgenſis*, in provincia Butjadingerland ſita. *Adamus Brem.* p. 5. ita: Obiit ſenex & plenus dierum in *Fe[illegible]*, in villa *Pleccaeze*, qvæ ſita eſt in *Ruſtris*. Neſcio, an alium locum indigitet Nota hæc in *Memor. Hamburg.* T. II. p. 669. *Nunc dicitur Plexem, qvaſi Pleccenſee, & eſt ibi in Viſurgi, infra Bremam & novum eorum portum Fegeſak, ſecura navium ſtatio.*

(r) Obiit *b. Willebadus* An. 789. die 8. Novembris, qvi erat Dominica viceſima prima poſt Trinitatis, & octavus dies a Dedicatione Eccleſiæ Bremenſis.

(s) *Adamus Brem.* p. 5. ita: Corpus ejus *Bremam* deportatum, in *Baſilica S. Petri*, qvam ipſe ædificavit, ſepultum eſt. Poſtea corpus ejus bis translatum eſt, primo a *Willerico*, dum Templum ex lapide reædificavit, in *auſtrale oratorium*, Adam. Brem. p. 7. ſecundo a *S. Anſchario* d. 8. Nov. An. 861. in *novam S. Petri Baſilicam*, qvam tunc S. Anscharius dedicavit, teſtantibus ipſo *Anſchario* infra Cap. XXI. & *Adamo Bremenſi* p. 9.

Caput XII.

Miracula circa eum poſt mortem ejus tam in ſua, qvam altera, in qvam translatus eſt, Baſilica.

In qvo loco multis & evidentibus perſæpe demonſtratum eſt ſignis, qvod isdem beatus vir vere Domini ſit miles electus. Qvæ tamen incuria & negligentia prætermiſſa, non ſunt alicubi deſcripta: licet non pauci extiterunt, qvi ſe ſciſſe faterentur, divinam in eodem loco ſæpius apparuiſſe virtutem. Sed & in *alteram* poſtea translatus ipſe *Baſilicam* (t), temporibus ſucceſſoris ipſius bonæ memoriæ *Willerici* Epiſcopi, cum inibi qvam plura etiam per divinam dicatur operatus potentiam, non ſunt ab aliqvo recondita memoriæ, qvæ multorum aſſertio veraci probat impleta miraculo (u). Non eſt tamen occultandum ſilentio, qvod ad gloriam beati viri divinitus patefactum hactenus in *Bremenſi* conſervatum manet *eccleſia.* Siqvidem baculus hominis ſancti, qvem Epiſcopali more ipſe geſtare conſveverat, poſt obitum ejus, fidelium devotione in qvadam fuerat arca repoſitus. Contigit autem, domum, in qva hæc eadem arca degebat, ſubitaneo flagrare incendio, & cum domo pariter etiam arca, cum omnibus, qvæ intus recondita fuerant, penitus eſt conſumpta; ſed baculum ipſum in nullo funditus ignis attingere potuit, verum in medio ignis ita eſt repertus incolumis, ut nec ſignum qvidem ardoris in eo ullum apparuerit. Unde Deus omnipotens in Sanctis ſuis vere eſt laudandus, qvi in minimis etiam rebus meritum ipſorum ſuis declarat fidelibus. Aliud qvoqve contigit, qvod æqve beatum virum magni coram Domino fuiſſe meriti prænonſtrat. Calicem qvippe ejus, cum qvo ſacrificium Domino offerre continue ſolebat, in qvodam loco reconditum Diſcipulorum ejus fidiſſima conſervabat affectio: ubi etiam cum ingeſtus ignis cuncta conſumeret, ac ſi qvid forte metalli fuerat opere fabricatum, calore liqvefactum defluereț. ipſe, cum eſſet argenteus, omnino integer eſt repertus. Et vere miranda in eo Domini poteſtas apparuit, ut qvi vero igne divini amoris vivens accenſus fuerat, in ejus reliqvias poſt mortem ipſius terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris ſubjecta imperio, etiam vim naturæ perdit, cum juſſum dominantis attendit. Nec poteſt aliqvid detrimenti qvamvis natura dictante perficere, cum vis uniuscujusqve naturæ in Creatoris pendeat omnipotentiſima voluntate. Manſit autem in Epiſcopatu Beatus *Willehadus* electus Domini Pontifex (x) annis duobus, menſibus tribus, diebus 26. & peracto boni certaminis curſu feliciter migravit ad Dominum: cui eſt honor, & gloria & poteſtas & imperium, per infinita Secula Seculorum Amen. Explicat *Vita S. Willehadi* Epiſcopi. Incipit de *Miraculis* ipſius.

Ca-

(t) *Adamus Brem.* p. 7. ita de *Willerico*: „Eccleſias ubiqve per Epiſcopium congruis erexit in locis, tres vero „*Bremæ*, qvarum primam, ſcil. *Domum S. Petri*, de lignea lapideam fecit, & corpus *S. Willehadi* exinde „translatum in auſtrali, qvod fecit, oratorio recondidit; Qvod etiam Scriptor vitæ ejus prætерire noluit. „Narrantqve poſteri, hoc factum pro timore piratarum, qvi propter virtutem miraculorum Confeſſoris „noſtri corpus auferre maluerunt.

(u) Miracula illa, qvæ in hoc Capite narrantur, facta in baculo Epiſcopali & calice S. Willehadi, haud diu a morte ejus contigerunt. Qvæ vero ſeqvuntur, incipiebant Anno 860.

(x) Hæc *Adamus Brem.* p. 5. repetit & aliqva addit: „Sedit, inqvit, dominus & pater noſter *Willehadus*, poſt „ordinationem ſuam, annos duos, menſes III. dies XXVI. prædicavit tam *Freſis*, qvam *Saxonibus*, poſt „martyrium *S. Bonifacii* omnes *annos triginta qvinqve.*“ Ultima verba *Car. le Cointe* T. VI. p. 413. ita explicat: Superſtes qvidem *S. Bonifacio* vixit *S. Willehadus* annos triginta qvinqve incompletos, & poſt *S. Bonifacii* martyrium tam Friſios qvam Saxones erudivit: At annis haud paucis ab illo martyrio jam elapſis e Nordanhumbria ſerius in Friſiam transfretavit.

Caput XIII.

Præfatio S. Ansgarii in miracula S. Willehadi.

Dono omnipotentis Dei, qvi gratuita pietatis ſuæ præordinatione, qvosqve in Eccleſia ſancta Paſtores conſtituit ac Doctores, *Ansgarius* (y) Bremenſis Eccleſiæ Præſul, univerſis per orbem concordi fraternitate degenti fidelium ſocietati, pacem & beatitudinem in Chriſto orat ſempiternam.

Laudes Dei, qvas Sanctorum ejus acta miranda teſtantur, non debere ſilentio præteriri, multotiens jam exemplis Patrum addiſcimus, qvi plurima eorum, qvæ Domini pietas per ſervos ſuos in hoc exercuit ſeculo, ſtudioſius literis commendavere. Qvæ non ſolum viventium religioſam portenderent ſanctitatem, verum etiam perenni vita cum Chriſto regnantium immortalem præmonſtrarent gloriam. Revera enim, qvi hinc translati, adhuc tamen miraculis, & diverſarum ope virtutum hic populis adeſſe cernuntur, magnam nobis ſuæ gloriſicationis dignitatem oſtendunt, & qvanti apud Deum ſunt meriti, luce clarius fidelium patefaciunt cordibus. Sed & magnum catholicæ in hoc fidei declaratur indicium, dum qvod inviſibiliter divina peragit ſublimitas, ac ſi oculis conſpiciat, indubitanter cœlitus factum chriſtiana non diffidit credulitas. Et Sanctorum acta deputat meritis, qvæ in eis fiunt locis, ubi ſacratiſtimæ eorum conditæ & habentur & venerantur Reliqviæ. Qvia licet ſolus ſit omnipotens Deus Iſrael, qvi dat virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, tamen mirabilis ipſe in Sanctis ſuis prædicatur & colitur; qvorum precibus ſit ac meritis, ut prodigia & ſigna Majeſtas operetur divina. Nec tamen ſolummodo ibi Sancti prodeſſe cernuntur. ubi temporaliter in cineribus ſuis ac reliqviis præſentes fore videntur; Verum ubicunqve fideliter invocati per eum, qvi ubiqve præſens eſt, potentia & majeſtate Creatoris meritum ipſorum remunerantis, in omni loco dominationis ejus fidelibus ſuffragari creduntur. Qvod multis jam & evidentibus ſæpius patefactum conſtat remediis: qvia plurimi ſive inter tempeſtates ac procellas fluctuum ſeu inter alia qvoqve diſcrimina poſiti, ad invocationem cujuslibet Sancti ſubito ſe divinitus ſenſerunt adjutos. Unde, ſi qva Dominus per ſanctos ſuos miranda dignatus fuerit operari, jure ad notitiam plurimorum, ut poſteris in memoria maneat ſpei, qvod priores ob gratiam perceperunt fidei. Qvapropter noſtra qvoqve humilitas ea, qvæ in diebus noſtris per potentiam divinæ operationis ad oſtendenda merita Beati Pontificis & Confeſſoris *Willehadi* patefacta claruerunt, literis indagare cenſuit; ut, qvæ in antiqvis olim venerata jure prædicavimus Sanctis, nunc in temporibus noſtris ab eo, qvi hujus noſtræ, *Bremenſis* videlicet *Eccleſiæ*, primus extitit Pontifex, innovata, toto cordis gaudentes anniſu, ſuſcipiamus pariter ac collaudemus Miracula. Non enim immemor Deus adhuc populi ſui deſeruit, qvos redemit: verum inter innumera paganorum infeſtantium diſcrimina, omni pene ſolatio deſtitutis hanc ſupernæ viſitationis voluit impendere gratiam, ut de divina multo certius præſumerent clementia, qvi tantum tamqve Deo acceptum Patronum, in ſpiritu velut & in corpore ſecum manere cognoviſſent, nec timerent, licet vaſtatam denuo inhabitare patriam, in qva ſibi adeſſe Sanctiſſimi Patris non diffiderent merita, immo læti deſertas repeterent ſedes, qvos licet hoſtilis incurſio fecerit exules, bonis exuberantes divina rurſus reconciliaverit benignitas. Nec deſperent ſibi præſidia Sancti in omnibus affutura, cujus virtutem tam multiplicem in ſanandis varie vexatorum ſenſerunt flagrare corporibus.

Ca-

(y) *Anſcharius*, ſcriptor vitæ S. Willehadi, utpote de Epiſcopo Bremenſi ſcribens, ſe hoc *Præſulem Bremenſem*, non autem Archiepiſcopum Hamburgenſem nominat.

Caput XIV.

Tempus miraculorum S. Willehadi.

Anno itaqve incarnationis Dominicæ DCCCLX. Regni vero Domini noſtri Sereniſſimi Principis HLUDOVICI XXVIII. Indictione VIII. in *Eccleſia Bremenſi*, cœperunt divinitus agi *Miracula*, & de die in diem ſemper multiplicius creſcere, ita ut jam longe lateqve per populos rumor increbeſceret plurimus, vere divinam in eodem loco apparuiſſe gloriam, & merita *Beati Willehadi*, in eadem Baſilica reqviescentis, honorabili virtutum flore pullulare. Qvæ cum per multorum ora volutarentur, & tam in præſentia noſtri, qvam etiam abſentibus nobis, publice multi ibidem ſanitatis adipiſcerentur commoda; decrevimus hæc eadem literis comprehenſa poſterorum tradere memoriæ: qvo una nobiscum Deum, qvi in ſanctis ſuis operatur, omnis fidelium natio gaviſa collaudet. Et ſicut præſentes per ſingula, qvæ tunc forte miranda contigerint, in Domini laudibus tripudiando conclamant; ita etiam poſt futura religioſorum ſocietàs, cœleſtem in beato viro congratulans ammiretur potentiam. Abhinc igitur miraculorum geſta ordiri incipientes, primo tempus qvoqve ipſum, qvo hæc agi cœperunt, inſinuamus, ſcilicet poſt Pentecoſten, Anno Nativitatis Domini ſupra dicto; poſt tranſitum vero beati viri (z) circiter annis evolutis 70. Qvi tamen prius & in multis Deo dignus apparuit: qvanqvam hæc negligentia abolita non fuerint celebri pervulgata ſermone. Deinde & nomina eorum, qvi ſunt curati una cum valetudinis morbo; ſed & loca qvoqve, in qvibus vel progeniti vel converſati fuerant, partim prout res ſe habebat, interſerendo texuimus: qvo & veritas *Miraculorum* multiplicius atteſtata commendetur, & ſinguli ex propinqvis vel vicinis ſuis ejus ſubſidio medicatis, qvantam beati viri præſenſerint gratiam, devotius recognoſcant.

Caput XV.

De qvatuor in aliis poſt mortem ejus factis miraculis.

Igitur fœmina qvædam de *Osleveshuſum* (a), *Tida* nomine, per ſeptem annos cœcata, dum qvodam ſabbatho Dominam ſuam peteret, qvo ad Eccleſiam procederent; illaqve reſponderet, ſibi tunc non licere, ſed in craſtinum mane die Dominico ſe ſimul ituras: illa ſtatim mature diluculo ſurgens, ſuam acceleravit præire Dominam, atqve ad Eccleſiam, qvadam deducente ſe anicula, greſſu properare veloci. Qvo cum perveniſſet, ibiqve orationi dedita ſolo proſtrata incumberet, ſubito divini muneris dono lumen recepit amiſſum. Cumqve poſt eam veniens domina ipſius Baſilicæ penetraret intima; eamqve ex ipſa loqvela præſentem adeſſe cognoſceret, repente ad illam occurrit gaudens & dicens: Mea Domina deſideratiſſima, gratias Deo omnipotenti & laudes refero, qvia Meritis beati *Willehadi* te oculis meis videre promerui. Qvod factum illa ammirata, cunctis ibi aſtantibus, confeſtim enarravit, & qvod vere illuminata fuerit, multorum teſtimonio approbant; patefecit. Sicqve hæc virtus in populo ad clarificationem Dei publice manifeſtata eſt.

2. Rurſus

(z) Obiit *b. Willehadus* An. 789. d. 8. Novembris, ergo a morte ejus ad initium Miraculorum, qvæ incipiebant An. 860. poſt pentecoſten, effluxit dimidius annus ſupra ſeptuaginta.

(a) Putatur eſſe locus *Osleuesſem*, hodie *Oſelſe*, in Præfectura Ruthe Epiſcopatus Hildeshemenſis, *Falke* Tradit. Corbei. p. 76.

2. Rurſus de pago *Emiſga* (b) fœmina qvædam nomine *Wimod* novem annis cœcitatem perpeſſa, cum qvodam die veſpertino tempore ad eccleſiam conveniret prædictam, ibi facta oratione poſt veſperas hoſpitium, ubi erat manſura, repeteret, ſubſequenti nocte ei, qvod ex amiſſo lumine ſalutis ibi eſſet remedium perceptura, in viſu eſt denunciatum. Cui rei ipſa ex voto utcunqve credula Eccleſiam ſtatim adire ſtuduit, ibiqve merita Sancti toto invocans corde, divina adjuta gratia, luminis, qvod amiſerat, recepit officium. Qvod etiam ad gloriam Dei multorum atteſtatione continuo patefactum claruit.

3. Poſt hæc autem, die Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, in conventu populi maximo, ſeptem languidi a diverſis ſunt infirmitatibus liberati. Qvod qvia per ſingula enarrare non neceſſarium duximus: duo tamen eorum, qvæ peracta ſunt, miraculorum ſingulatim perſtrinximus; qvo ex his etiam cetera valeant intellectu perpendi. Nempe una ex ipſis fœmina qvædam fuit ex villa in proximo ſita *Luidwinenshuſun*, nomine *Simod*, qvæ tribus aut eo amplius menſibus oculorum privata lumine, ibidem nutu Dei gratiam priſtinæ viſionis recepit. Altera qvoqve de villa ipſius loci, videlicet *Bremia* extitit, morbo contracta fœmina, qvæ in infantia dum fortuito ignis aduſtione pede cremaretur, nulla ſubveniente medicina, articuli ſurſum verſi pene ex toto pedem ei ſubverterant. Qvæ multis annis eandem perpeſſa moleſtiam, præfato die, cunctis adſtantibus, pedis & articulorum extenſio ſanitatem promeruit.

4. Porro ex *Laris* (c) de villa *Sluttra* (d) vocabulo, qvædam fœmina fuit per multos annos incurvata, qvæ non aliter ambulare niſi manibus reptando poterat, nec omnia ſurſum reſpicere ac poſtremum qvoqve ita morbo perurgente debilitata fuerat, ut non, niſi portaretur, aliqvo devenire potuiſſet. Qvæ etiam habebat filiam, qvam ex ipſa infantia nativo lumine cœcitas obſcuraverat. Hanc itaqve, audita miraculorum virtute, ſimul cum filia propinqvi vel vicini ad januam Bremenſis detulerunt Eccleſiæ. Qvæ inibi poſita, cum fide aliorum ſubvecta adveniſſet, miſeratione divina & de filiæ illuminatione gaudere promeruit & ſemet ipſam geſtans ac ſurſum erecta, propriis greſſibus notas repedavit ad ſedes.

Caput XVI.

Alia qvinqve Sancti Willehadi miracula.

5. Item ex *Laris* de villa *Falathorp* (e), duæ fœminæ, una contracta, & altera orba, cum ad eundem locum deductæ fuiſſent, divini muneris largitate, incolumes ad prōpria ſunt reverſæ.

6. Ex pago qvoqve ſupradicto de villa *Bokkenhuſun* (f), qvidam adoleſcens multo jam tempore paralyticus ad eundem locum deductus, divino nutu incolumitati priſtinæ redditus, ad propria rediit ſanus.

(b) *Emiſga* ſive *Emiſgo*, pagus Friſiæ veteris, ad fluvium Emiſam, in Diplomatis Imperatorum vetuſtis de An. 997. 1062. 1096. nominatur *Emiſche*, *Emiſgoa*, & *Emeſcowa*, vid. *Falke* Trad. Corb. p. 452. *Stapborſt* T. I. p. 421. 451.

(c) De *Laris* vide ſupra p. 347.

(d) *Sluttra*, hodie dicta *Sluer* ſive *Schluter*, non procul a caſtro Delmenhorſt, vid. *Falke* Trad. Corb. p. 85.

(e) De *Falathorp* vid. *Falke* Trad. Corb. 85.

(f) Videtur eſſe *Beckhuſen*, in Comitatu Oldenburgenſi, haud procul a Raſtede.

7. Cæterum de pago *Oſtarburge* (g), ex villa nomine *Baldrikeſwich*, qvædam fœmina, vocabulo *Adſuit*, paralyſi valde graviter & diu vexata, cum qvadam die Dominica eo adducta fuiſſet, & multi in eadem die, ſeptem videlicet & octo ex diverſis curati fuiſſent languoribus, ac poſt Miſſæ celebrationem hoc idem populo denunciaretur, & pro exhibitis miraculis tam Clerus qvam & populus laudes Deo debitas modulatis decantaret vocibus, ſubito ipſa e medio populi ſurgens ad gradus Altaris, ubi alii ægroti ſanati jacebant, cœpit accurrere. Qvæ cum a circumſtantibus, ne in chorum Clericorum canentium forte proſiliret, retineri conaretur, ipſa, qvod ſibi præceptum fuerit, qvo ante altare cum aliis ſeſe collocaret, menti alacri fatebatur. Viſum namqve ei fuerat, qvod Sacerdos, qvi de aliorum ſanitate populo annunciaverat, ei qvoqve, ut ſurgens cum cæteris ad Altare procederet, manu annuerit. Cujus reqviſita infirmitate ac ſanitate patefacta, omnes ad laudandam omnipotentiæ divinæ majeſtatem atqve extollenda Beatiſſimi viri merita tanto inſtantius, qvanto & iterata virtute optabilius corde compuncti, lacrymisqve præ gaudio obortis, denuo alacres perſonuerunt.

8. Deinde ex *Waldſatis* (h) qvædam fuit fœmina, de villa *Willianſtedi*, nomine *Ikkia*, qvæ ſeptem annis viſus fuerat cœcitatem perpeſſa, cui cum de præfato loco ſigna miraculorum jam fama vulgante ubiqve percrebeſcerent, qvædam vicina ſua exhortans dixit: Qvare non & tu Sanctum Dei exqvirere conaris, ut tibi qvoqve lux oculorum patefacta clareſcat? Illa autem ſe libentiſſime ita velle reſpondit, verum hoc tantum ſuo repugnare deſiderio, qvia non haberet ductorem. Cui illa denuo ſubjunxit: Ecce! ſi aliam non habes, ego te, qvomodocunqve potero, illuc deducam. Cujus illa promiſſum, qvia aliud ſibi neſciebat refugium, gratantiſſime accepit. Erant autem ambæ pauperculæ. Arrepto itaqve itinere, ipſæ duæ tantummodo Domini ſecum comitante gratia, ad præfatum tandem pervenerunt Sanctuarium. Ubi cum devote precibus inſiſterent, illa, qvæ cœca fuerat, ſubito illuminatur; Et converſa ad ſociam ſuam ſubridens atqve congratulans dixit: o qvam bene, qvam bene mihi tuum contigit audiſſe conſilium, ut Sanctum Dei perqvirerem, ecce, una tecum lumen cœli video? Hoc itaqve factum ſtatim publice prædicatum, magnam populis divinæ miſerationis ſpem dedit: qvoniam ſecundum Pſalmiſtæ dictum: Illi derelictus eſt pauper. Ideoqve & ipſe refugium & pauperum in tribulatione, pupillo qvoqve & orphano ipſe promptus ſemper erit adjutor. Recepto itaqve luminis viſu, ipſa jam non ſocia ducente, ſed pariter comitante, ad ſuum ſana rediit tugurium, Domini laudes ſemper cantando & comparis ſuæ ſalutaria monita, gratias jugiter referendo extollens.

9. De pago autem eodem qvædam fœmina æqve *Ikkia* vocata fuerat, qvæ per multa annorum curricula a cingulo usqve deorſum paralyſi ita contracta extitit, ut de membris ipſis nihil penitus ſentiret, nec qvoqvam ire niſi cum ſcabello ſeſe trahendo poſſet, qvæ ad ſanctum perveniens locum, Domini miſeratione viribus reparatis, ſuis ſe pedibus, qvo voluit, ipſa ſubvexit.

Ca-

(g) Vocatur pagus *Afterburgi* in Trad. vet. Corb. ſitus in Comitatu Schaumburgico & Epiſcopatu Mindenſi, vid. *Falke* Trad. Corb. p. 10. 11.

(h) De *Waldſatis* & pago Waldſatorum, vide qvæ habet *Grupen* Orig. Germ. T. II. p. 241-243.

Caput XVII.

Alia sex S. Willehadi miracula.

10. Qvidam vero homo indigena, causa paupertatis circumeundo stipendia qværens, ad *Basilicam Sancti* dudum convenerat *Alexandri* (i), qvi habebat filiastram secum circumeuntem cœcam, & ipse qvoqve duplici pœna multo tempore orbitatem sustinens: ubi cum morarentur, contigit meritis Sancti prædictam filiastram ipsius unius oculi visionem percipere. Qvo dono exhilarati, ulteriora progredientes, ad *oratorium* pervenerunt *Bremense:* ubi in oratione positi, *Beati Willehadi* intercessione multiplici sunt fœnore ditati. Nam & ipse amborum visionem percepit oculorum, & filiastra ipsius alterius qvoqve illuminatione est gavisa. Qvod cum fidelium, qvi affuerunt, denunciaretur testimonio, plebs omnis exultando laudem dedit Deo.

11. Præterea ex pago *Nordwidu* qvidam homo ad limina memorati Martyris olim transierat *Alexandri:* qvi mutus simul & surdus diutino labore ab infantia miserabili potiebatur vexatione. Meritis præfati Martyris auditum percepit. Ultra vero tendens & ad *Basilicam Bremensis Ecclesiæ* perveniens, divinæ largitatis clementia loqvi pariter & audire, *Beato Willehado* interpellante, promeruit.

12. Item ex *Laris*, de villa *Otishusun* (k), cujusdam *Friderberni* filia omnibus membris diutino fuerat contracta languore: qvæ ad prædictam deducta Basilicam, per dies septem gravissimam in corpore molestiam pertulit, ita ut jam pene exanimis præ doloris crederetur magnitudine. Sed tandem, divina annuente clementia, levius agi cœpit, & ad pristinum reparata officium, meritis sancti incolumitatem recepit. Qvæ paternam revisens domum, omnibus sana membris, parentibus ac vicinis festivum plane exhibuit gaudium.

13. De *Steornigis* qvoqve, ex villa *Gandrikesard*, qvædam fœmina, *Herimod* nomine, duobus annis surda extiterat: qvæ ad prædictum deveniens locum, intercessione Sancti audiendo redire meruit.

14. Item de *Laris*, de villa *Falathorpe*, duæ illuc advenerant fœminæ, una incurvata nomine *Hathaburg*, & altera orba, nomine *Macswid:* qvæ divinum ibi flagitantes præsidium, ambæ cum sanitatis gaudio proprias sedes lætabundæ repetierunt.

15. Porro de *Wege* villa publica, qvædam puella multo tempore omnibus infirmata membris nihil omnino virium in proprio retinebat corpore: ad confessionem itaqve deducta Sancti, divinæ largitatis munificentia, & virium possibilitatem & totius corporis recepit sanitatem.

Ca-

(i) Ex hoc & seqventi Articulo comprobantur, qvæ *Adamus Bremensis* p. 9. dixit: „Si, inqviens, temporum „seriem diligenter computemus, ipsum est tempus, qvo in *Saxoniam Translatio Sancti contigit Alexandri:* „In qva illud memorabile videtur, *Confessorem nostrum cum advena Martyre certasse*, qvis eorum videre„tur esse major, & in *gratia sanitatum* populis acceptior." Anno circiter 855. corpus *S. Alexandri* Romæ per *Walbertum* Comitem *Wildesbusam* translatum est, Anno autem 872. Collegium Canonicorum, *Ecclesiæ S. Alexandri Wildesbusanæ* ab eodem Comite additum, dotatum est, Vid. *Eccardi* Geneal. Saxon. p. 17-21. *Vogt* Monum. Bremens. T. I. p. 406-409. *Chron. Brunsv.* ap. Leibnit. T. II. p. 14. *Meginhard.* in Bibl. Hist. Goettingensi p. 10.

(k) De villa Otishusun, vid. *Falke* Trad. Corb. p. 85.

Caput XVIII.

Alia ſeptem S. Willehadi miracula.

16. Cæterum de *Sturmi* (l) ex villa *Ekina*, qvædam fœmina vocabulo *Gerswid*, cœcitatem multo tempore paſſa, in eodem loco poſita, lumine eſt privato donata.

17. Similiter qvoqve de *Stenthorpe* pago qvædam fœmina diutius cœca, dum orationi decumberet, auxiliante Beato Viro, luminis eſt curata remedio.

18. Deinde ex *Freſia* de villa *Weſtanko* vir qvidam cœcus *Meinradus*, eo adveniens, ſuperna illuſtratus gratia, luminis recepit officium.

19. De *Laris* ex villa *Habthoreimmod* nomine, novem annis cœcata Sanctiſſimi viri precibus longe optatam ibi recipere viſionis promeruit gratiam.

20. De *Wigmodis* autem, de villa *Midliſtan*, *Fadarvurd*, qvidam homo manu multis admodum contractus annis, ibidem Domino tribuente incolumis eſt redditus.

21. Item de *Wigmodis* ex villa *Weſtriſframbeverigiſæti* (m) fœmina, *Thiadgardis* nomine, diu cœca ibidem eſt illuminata.

22. De *Sturmi* vero, ex villa *Ekynon*, *Akko* qvidam vocabulo, jam qvodam in brachio vulneratus fuerat. Cui cum nulla ſubveniret medicina, armum ad omnia opera multis annis inertem habuit. Qvi illo veniens, & dierum ſuorum ocioſam conſumptionem deplorans, auxiliumqve Beati viri expoſtulans, ſuperna donante gratia, cum diu dolore brachii torqveretur, tandem ſanatus porrectam extendit dexteram. Pro cujus incolumitate cum omnes Deo gratias retuliſſent, ille domum reverſus, fiducia jam ſuæ ſanitatis ammonitus, & de Dei miſericordia certiſſime confiſus, uxorem ſuam, qvæ multo jam tempore in cœcitate permanſerat, ſecum ipſe ad eandem reduxit Eccleſiam. Ubi cum pro conceſſo remedio vir fide corroboratus mulieri beneficium, & mulier qvoqve viri ſui doctrinis ammonita, Dominum ſibi inhianter poſceret adeſſe propitium, cœlitus inſpirato lumine, ſubito mulier clare cœpit cuncta videre. Qvod ſtatim in populo declaratum magna fidei tribuit incitamenta, & cunctorum animos ad credulitatem divinæ confirmavit potentiæ. Cumqve pro eorum ſalute clerus ac populus perſonaret, ipſi ad propria gaudentes reverſi, tanto alacrius atqve ſtudioſius labori inſiſtere cœperunt, qvanto ſe meminerunt otioſe vacantes dies multos antea perdidiſſe.

Caput XIX.

Alia qvinqve S. Willehadi miracula.

23. De *Laris* qvoqve concepta jam dudum divina creverunt miracula. Nam qvidam *Rhoudvig* ex villa *Stenbike*, tribus annis mutus cum inibi poſitus auxilium Beati viri imploraret tacitus, divina miſerante gratia, aperto ore ſubito Domini cœpit enarrare magnalia.

24. Item de villa *Rehtereflet*, qvædam fœmina multis fuerat annis morbo ita contracta, ut nec in lecto ſe in alteram partem absqve adjutorio poſſet movere, nec ullius membri aliqva prorſus commoditate potiretur. Qvam cum amici fide excitati ad confeſſionem deveherent Sancti, ibiqve in medio poſita grabato ac ſi feretro tanqvam

præmortua

(l) Pagus *Sturmi* ſive *Stburmidi* in Epiſcopatu Verdenſi, in *Dipl. Caroli M.* apud Adam. Brem. p. 4. *Sturmegoe* dicitur, Conf. *Falke* Trad. Corb. p. 297. *Meibom.* T. III. p. 109.

(m) Villa forte, qvæ poſtea *Bederickeſa* caſtrum fuit, haud procul ab urbe Brema, vid. *Falke* Trad. Corb. p. 13.

præmortua decubaret, ſubito ſana proſiluit e lecto, & prorumpens in medium, laudes concinebat Domino. Nec jam curans grabati præſidia, in pace dimiſſa, viam, qva advecta fuerat, propriis greſſibus ambulabat intrepida.

25. Porro de villa *Bouchem*, ex pago *Lohingao*, qvædam fœmina, *Siberin* vocata, cum infirmitate cogente omnibus eſſet membris invalida, ita ut nihil ei jurium in proprio eſſet corpore, meritis Beati viri ibidem ſanitatem adepta eſt integerrimam.

26. Rurſus de *Laris*, ex villa *Eggrikenhuſum*, qvædam fœmina ab infantia ita extiterat manca, ut nulli unqvam uſui aptari altera fuerit manus: qvæ cum in ſancto poſita loco auxilium divinæ miſerationis corde poſceret intimo, ſubito ſana manibus plaudens utrisqve jubilationem Deo in voce reddebat exultationis.

27. Sed & de *Liaſtmona* (n) qvædam fuerat ancilla venerandi Comitis *Hirimanni*, qvam ipſe cauſa operis textrini in domo ſua *Hethas* cum aliis ancillis eſſe præceperat: qvæ cum ibidem poſita dominico ineſſet ſervitio, occulto qvidem, ſed recto Dei judicio alias ſana, loqvelæ tantum eſt amiſſione damnata. Qva cum diutius moleſtia premeretur, nec aliqvid prorſus loqvendo reſonare valeret, prædictus Comes miſeratione Domini compunctus, libertatem ei pro animæ ſuæ tribuit remedio; ſicqve inde dimiſſam ad propria redire permiſit liberam. Deducta igitur a comitibus ad *Bremam* pervenit, ſtatimqve Eccleſiam adire devota, ut creditur, intentione curavit. Namqve rerum effectu claruit, qvid ipſa fideli mente tractaverit. Properans qvippe ad fores eccleſiæ, ſtatim miſericordiam Domini ſibi obviam ſenſit. Nam in ipſo introitu Baſilicæ, cum ingrederetur fores atrii, impedimento lingvæ repente reſoluto, altius exclamare ac laudes canere Deo cœpit. Cujus cum cauſam coram poſiti reqvirerent, qvæ geſta fuerant, plane ac dilucide enarravit. Sicqve hæc virtus aliorum etiam teſtimonio in populo declarata Beati viri merita cumulavit eximia. Qvæ inde ad paternam ſe transferens domum, cum ipſa hilaris ac iret læta, ſanitate ſimul ac libertate donata, parentes qvoqve ac propinqvos ex ſuo fecit adventu ac proſperitate gaudere.

Caput XX.

Alia ſeptem S. Willehadi miracula.

28. Item de *Bremis* puella qvædam, nomine *Wige*, diu muta & omnibus qvoqve membris contracta, ita ut non aliqvo niſi ab aliis delata ſeſe transferre poſſet, in eodem loco meritis Beati viri & loqvelæ uſum, & membrorum omnium recepit officium.

29. Poſthæc etiam de *Upriuſtri* qvædam fœmina ex dextra parte a tempore nativitatis manca, nomine *Tethileis*, Domino auxiliante, ibidem eſt ſanata.

30. De *Wigmodis* autem, ex villa *Medemahem*, fœmina qvædam, *Ida* vocabulo, novem annis cœcitatem paſſa, ibidem Domini gratia oculorum donata eſt luciflua claritate.

31. Cæterum de *Riuſtri*, ex villa *Smalonflet* (o) qvædam fœmina, *Dislith* nominata, per undecim menſes uno oculo cœcata, illo adveniens, Beati viri meritis amborum ſe gaviſa eſt potitam lumine.

32. Ex villa qvoqve *Tadinghem* qvædam fœmina, *Egilmare* vocata, qvatuor annis paralytica, eodem a parentibus in carruca adducta, adjuvante ſuperna gratia, propriis greſſibus gaudens remeavit ad propria.

(n) *Adamo Brem.* p. 35. 41. *Liaſtmona* & *Lismona*, idem forte pagus in Epiſcopatu Bremenſi in Comitatu Stadenſi qvi *Leſſem* ſive *Lesmen*, vid. Staphorſt p. 14. 404. 418. 561.

(o) Hodie *Smalenflet*, villa in Advocatia Goltzwarden Comitatus Oldenburgici.

33. Deniqve ex loco *Citirothe* nuncupato, qvædam fœmina anno uno ac dimidio luminibus oculorum orbata, exorante Beato viro, ibidem ſanitatem recepit illuminata.

34. Porro de *Liaſtmona* qvædam fœmina, *Rotgardis* vocata, multis jam annis uno pede clauda, cum duobus baculis præfatam adiens Baſilicam, greſſu amiſſi pedis ſibi reddito, ſenſit Beati viri vere divinitus conceſſam in eodem loco flagrare virtutem.

Caput XXI.

Concluſio miraculorum S. Willehadi.

Fuerunt præterea multi cauſa recuperandæ ſalutis ad eundem locum properantes, meritis Beatiſſimi Pontificis in via ſanati. Qvorum aliorum relatione innotuit ſanitas: qvia neqvaqvam ipſi, ut cœperant, locum ſanctum expetere curaverunt, verum magis ſanitate donati, ex itinere redeuntes ad propria feſtini cum gaudio ſunt reverſi, Dominum & beatum *Willehadum* magnificis laudibus prædicantes.

Verum nos, ne prolixior narratio oneroſa fiat legentibus, hæc & alia multa intermiſimus, qvæ tamen plurimorum ore vulgata in populis habentur. *Corpus* autem ipſius *Sancti*, qvod jam tunc a loco reqvietionis ſuæ in alteram *translatum* fuerat (p) *Baſilicam*, nos cum maxima fidelium turma ac Cleri innumerabilis conventu, exinde ſublatum feretroqve impoſitum magnis populorum vocibus in laudem Dei ac beati viri concrepantibus, *die depoſitionis* illius, in *nova*, qvam tunc dedicavimus, collocavimus *Baſilica*: ubi honorifice compoſitum magnifice poſtmodum atqve innumeris claruit virtutum indiciis; & de die in diem meritis Beati viri multiplicia inibi creſcunt miraculorum ſigna. Agitur autem *dies depoſitionis* ejus ſimul & *translatio* corporis *VI. Idus Novembris* ad laudem & gloriam nominis noſtri Domini Jeſu Chriſti, qvi cum Patre & Spiritu Sancto unus & verus Deus, vivit & dominatur per immortalia ſeculà ſeculorum, Amen.

(p) *Adamus Brem.* p. 9. Translationem S. Willehadi ad Annum 861. refert: „Ipſe (Anscharius) *transtulit corpus S. Willehadi* in matricem *b. Petri Apoſtoli Eccleſiam*, ab illo auſtrali oratorio, qvò deportatum eſt a „*Willerico*: Et tunc facta ſunt illa Miracula, qvæ per merita *S. Willehadi* populo oſtenſa ſunt ab Anno „Domini DCCCLXI.“ Superius Cap. XIV. Anscharius poſuit initia Miraculorum ad An. 860. Hæc erat ſecunda S. Willehadi in Novam Baſilicam Translatio; ante enim a Willerico prima facta erat, de qva ſupra ad Cap. XI. XII.

XXIII.

Legenda de Sancto Willehado.

Poſtqvam *Sancti Willehadi Vitam*, a S. Anschario ſcriptam, inter Scriptores meos adoptaſſem, occurrit mihi in memoriam *Legenda* ejusdem *S. Willehadi*, qvæ in veruſto aqvariori illo Libro, qvi *Paſſionael eſte dat Leuent der Hylligben* inſcribitur, Lubecæ An. 1497. in folio impreſſo, legitur. Ea *Legenda* ſive potius *Vita Sancti Willehadi*, qvæ cum nuper inſerta ejusdem Vita convenit, &, ni fallor, ex eadem deſumpta eſt, licet lingva inferiori

riori Saxonica ſive Holſatica exarata ſit, heic eo magis præcedenti adjungi meretur, qvo majorem eidem auctoritatem, ſi cum ea conferetur, ac lucem conciliare poteſt. Si qvis plura de *S. Willehado* ſcire avet, adeat *Molleri* Cimbriam Literatam T. II. p. 985. ſq. En ipſam Legendam.

Willehadus de was eyn eerwerdich man, geboren in *Engelant*, vth der ſtad *Northumbris;* Van ſinen kyntlyken yaren he ſick ouvede in den leren der hilighen ſchrifft vnde in gheyſtlyken werken, alze in vaſtende, bedende, vnd wakende, dho der ere Ghades, nacht vnde dach was alle ſyn vlyt, ſo dat alle de ynwoners dar ſulueſt doer ſyn doghentſam leuent en eerwerdighen laueden vnde leeff hadden. Na vorloep der tyd, van gunſt weghen des ghantzen volkes, wart he gekoren to deme erwerdighen Preſterlyken ſtate, welken ſtaet myt vordenſte ſiner hillicheyt, vnde myt ouynge veler guden werke, van tyden to tyden he vormerede. Alze he nu hadde entfanghen de confirmacien des Preſterlyken ſtates, horde he, dat dat volk der *Vreſen* vnde der *Saſſen*, de ſo langhe hadden vnlouiſck vnde heyden ghewezen, vorleten dath anbetent der affgode, vnde hadden anghenamen de vorborgenheyt des criſten louen, vnde ſick leten waſſcken van allen ſynden mit dem Sacramente der hilghen Dope. Des wart he ſere ghevrouwet vnde in groter leue entfenghet vnde dachte mit alleme vlyte, wodane wyſze he mochte kamen in de lande, vnde ſe vort beſtedighen in der leue Gades. Doer ſchyckynghe des hylghen gheſtes van daghen to daghen he yo meer wart entfenghet to vullenbrynghen diſſen guden vorſath. Alze nu dat lycht gheſeth in dat duſter vnder den ſchepel kan nycht blyuen verborghen, men gheſath vp den luchter, denne ſchynet dat aueral. In den ghelyk diſſe erbar man in allen dögheden ſchynede, ginck tho den *Konnynghe* vp de tyd regerende in *Engelant*, gheheten ALACHRAT, vnde ſede em mit vthghetynge ſiner tranen, wodane wyſze in gantzer leue he entfenget were, vnde van em orloff bad to preddiken dat wort Gades, vnde mit ſynen wyllen em themede to gaende in dat lant. Do de Konnynk vornam ſinen guden willen, he verſammelde to ſik vele hillighe *Byſſchoppe*, den he vorghaf ſinen andechtigen hillighen wyllen. Alze ſe nu alle wol hadden vorſtaen ſinen guden hillighen wyllen, ſe en alle beuolen der gotliken gnade.

Do van ſtunt he ſik gaf mit vlyte dar hen to wanderende mit ſchepen ouer water, wente dat meer nicht verne was van dar, vnde he quam in *Vreſzlant*, to eyner ſtede, gheheten *Dokinkirka*, welche ſtede was yn dem dorpe *Hoſtracha*, dar de Byſſchop *Bonifacius* in vortyden ghemartert was, vnde dar ſulueſt doer de predicacien des hylghen Martelers vele in vortyden weren tho deme louen bekeret, unde dar na wart he van ene in groter ere entfanghen. Daer leerde he en de werke, welk Gode to kamen, vnd mit en dar wonede langhe tyd, vele eddelynge em ſanden ere kyndere to leren de wyſzheit, den he leerde de wetenheyt der tucht, vnde gude bylde van ſik to geuende, mit vlyte he en ok leerde, dat ſe ſcholden hebben de leue godes, vnde dede dweleden, de brochte he to deme rechten louen, vnde vele mynſchen de he dar hadde bracht myt ſiner preddikye to deme criſten louen, he de dar ok doſſte.

Do wanderde he van dar ouer eyn water, gehehen *Loucke*, vnde to eyner ſtede quam, genomet *Humercha*, dar he anhoeff den vnlouighen to predikende den namen vnſes heren Jheſu Criſti, vnde dat ſe ſcolden verlaten de ydelicheyt der afgode, vnde kennen eynen waren God, doer welken ſe worden gewaſſcken vermyddelſt der dope van allen eren ſunden, vnde entfanghen de gnade der vnſchuld, vnde were vmme nicht, dat me van ſtenen hulpe bede, vnde van den affgoden, welke dede doef vnde blynd weren, nenen troſt vnde gnade konden hebben, worumme dat grymmige verblyndede volk wart entfenghet in groteme torne, vnde ſeden

mit gnyſternen thenen, man ſcholde den vnredeliken mynſchen nicht lengher laten leuen, wente he were ſchuldich des dodes, dede ere vnvorwinlike gode dorſte ſo ganſzliken vernichtighen vnde verachten. Welk doch vnde etlyke mank en meer vornufft hebbende vnde vorſtant der redelicheyt reden den anderen vnde ſeden. Wy weten nicht van deme louen, den he vns hefft ghepreddiket efte he vns ſy vor geuen vth deme wyllen Gades. Wy konen den man myt nenen vndaden vorwynnen, doer welk wy moghen en ſo vorſichtigen bryngen to dode. Wy wyllen darumme legghen dat *loth* (a), doer wat vns gotlyker wyſe werde geapenbaret, efte he ſchuldich ſy des dodes, efte nicht. Do na wonheyt der vnlouighen wart ghelecht dat *loth* van tholatynghe der ſchyckynghe Gades, dat *loth des dodes* konde nicht vallen vp em, worumme in nenen dyngen ſe em dorſten ſchedelyk wezen. Men ſe tho rade ghynghen, vnde lethen ene myt vryen wyllen ghaen van dar vngheſeriget.

Do toech he van dar, vnde qvam to *Hianta* (b), dar he preddikede dat wort Gades, vnd vele ſchaer des volkes dar ſulueſt nemen de gnade der dope. Daer he ock alle wyle mit en bleeff. De vnlouighen he leerde, vnde de louighen mit allen vlyte he beſtedighede in deme weghe der warheyt, mit worden vnde guden bilden. Vele vrame minſchen dar anhouen ein guet leuent, vnde den erdom der vnlouigen ſe helden to hate, den criſten louen, welken ſe hadden anghehauen mit allem vlyte erer kreffte ſe helden van gantzen herten. Darna ſchach dat, dat etlyke van den yungheren *Sunte Willehadi* de tempele der heyden vpgerychtet in velen ſteden vornichtigheden vnde nedder worpen. Do de heyden, noch welke weren in eren vnlouen, worden ghans tornich, vnde quemen mit aller macht vnde menden de criſten alle to vordelghende, vnde dar ſulueſt den denre Gades *Sunte Willehadum* ſloghen mit külen vnde ſeer plagheden. Do eyn van den heyden vthtoch ſyn ſwert, vnde ſloech na *Sunte Willehado*, em meende aff to houwende ſyn houed. Vp de tyd de hilghe man hadde hengende ouer ſinem halſe ein *ſchryn mit hillichdom* (c). Alze nu de houwe des quaden mynſchen quam vp den hals *Sunte Willehadi*, wart entwey ghehowen de reme, dar dat ſchryn des hillighedomes ynne hanghede, vnde de werdighe man bleef vngheſeriget. Do de vnlouighen dat mirakel ſeghen, ſe alle worden vorſchrecket, ene vnde ſine ghefelſchop leten vorder vnvoruolghet.

Darna de alderwerdigheſte KAROLUS eyn Konynk van Frankeryke, welke mannighe tyd hadde arbeyt ghedaen, dath lant tho *Saſſen* tho deme criſtene louen to brynghende, den ſe vaken hadden entfanghen, men in ereme olden erdome bleuen, vnde den criſten louen wedder vorleden. De ſande boden na deme hillighen manne *Sunte Willehado*, dat he vor eme queme. Alze he nu tho eme quam, wart he erwerdighen van eme entfanghen. Alze de Hoechgheboren eddelen Vorſte horde ſine wort, vnde ſine lere, vnde ock vornam, dat *Sunte Willehadus* was eyn erbaer man, van leuende vnde guden bylden, he ſande ene in dat lant to *Saſſen*, in eyne yeghen de dar benomet is *Wigmodia*, dar he van Konynklyker walt buwede Kerken, vnde preddikede dat wort Gades deme volke. Dar wanderde he vmme dat ghantze lant vnde bekeerde vele to den criſten louen mit ſiner hilghen lere, ſo dat he in dem anderen yar na ſiner anheuynghe alle de *Saſſen* vnde *Vreſen* bekeerde to den criſten louen. Dyt ſcach in dat *yaer vnſes heren VII. hundert vnde LXXI.* (d), vnde in dem

(a) De *Sortium* uſu etiam in *Actis Sancti Willibrordi* & *Sancti Vulframni* Epiſcoporum qvædam occurrunt.

(b) Legendum *Trianta*, vide ſupra p. 345. *Jo. a Leidis* in Sweertii Annal. Belg. p. 56. *Poſthæc venit in Trentoniam, id eſt; Drenterlant.*

(c) Talia Reliqviaria ſive Scrinia cum Reliqviis Sanctorum antiqvi dixerunt *Phylacteria.*

(d) Legendum *LXXXI.* Sic habet *S. Willehadi Vita* ab Anschario ſcripta. *Chronicon* autem *Moisſiacenſe* ap. Du Chesne

dem ryke des vorbenomeden Vorſten ſiner regerynghe des XIIII. yars. Vnde de tyd noch nicht was ghekoren tho Keyſer, deme de hellighe vader Pawes *Leo* darna to Rome kronede mit groter werdicheyt to eynen Romeſchen Konynge vnde to Keyſere in deme XXXIII. yaer ſines rykes vnd ſiner regerynghe. In diſſen tyden de hilghe man *Willehadus* in dem lande gheheten *Wigmodia* preddikede vnde kerken leet buwen vnde preſtere wygede, welk mit em den denſt Gades vnde den criſten louen hulpen ſterken vnde vormeren.

Des anderen yares dar na van beſchyckinge des bozen gheſtes, dede ein hater is alles guden, anvörde enen tirannen, geheten *Widekindus*, de ſik vprichtede wedder den Konynck vnde Hochgheboren Vorſten KAROLUM, vnde to ſik toech vele *Saſſen*, dede ouer eyn quemen to vorvolghende alle den, dede ghedofft weren vnde beſtedighet in dem hylghen criſten louen, welk ſe yagheden vth eren eruen, huſeren vnde wonynghen, ſo dath ſe dweleden in deme lande, alze ſchape ſunder heerden. Do de hilghe man aldus mit ſinen ſchapken voruolghet vnde vorſchuchtert wart, dachte na den boden Gades ſik to holdende, das ſus ludet: *Yſet dat ſe yuw veruolghen in der einen ſtat, vleget in de anderen.* Do ſettede ſik de hilge man in ein ſchyp, vnde ſeghelde dar by *Vryſzlant*, vnde ſo entquam vth den henden erer voruolginge. Noch nicht aff en leten de voruolgere der criſten, ſe doetſlogen *Volgardum* den preſter in den vorbenomeden dorpe *Leri*, mit den Greuen *Emmigo*, vnde ock *Bernanium* in *Vpruſtryngen*, *Atrebanum* den Clerik in *Thiatmaresgaue*, *Gerualum* mit ſiner ſelſchop tho *Bremen*, vnde ſodane wyſe to den ryke des hemmels mit vthghetinge eres blodes ſalichliken geſant worden.

Do dyt nu aldus was gheſcheen, vornam de hilghe man *Willehadus*, dar nene wyſe efte mate em dar meer were tho preddikende doer dat grote voruolgent der tirannen. Men he wanderde to dem Konninge PIPINO der *Longebarden*, vnde ſo mit ſuntheyt quam to *Rome*, vnde dar Sunte Petro vnde Paulo ſine ſcape, welke he in dem lande to *Saſſen* to den louen hadde bekeret, mit vthghetinge ſiner tranen vnde ynnigen bede beuoel. Dar wart ok he van den Paweſze *Adriano* getroſtet vnde geſterket. Des he wedder afftoch, vnde quam in *Frankryke*. Do he dar ene wyle hadde gewezen, he wedder wanderde in dat lant to *Saſſen* to der ſtede, welke dar heth *Aſternacha*, dar to em quemen ſine yungheren, welk vorſchuchtert weren vor vruchten der voruolginge, de he guetlyken troſtede vnde lerede, dat ſe doer den louen vnde vmme de leue Criſti ſcolden wezen vaſte vnde ſtede in alle ereme wedderſtalle, vnde dar do mit en bleef twe yar. He hadde dar ein entſame leuent, ſo dat he ſtede mochte lezen, vnde beden, vnde ok ſchryuen. He ſchreff dar de *Epiſtelen Sunte Pawels* mit erer vthleggynge, vnde vele andere gude boke, welke daer noch yn vorwaringhe ſint to eyner ewigen dechtniſſe. Dar ſulueſt dar vele quemen to der bekantniſſe doer de guden bylde, vnde doer de hylligben lere, vnde annamen eyn better leuent, den ſe eer hadden ghehath.

Darna de werdighe Biſſchop *Wylehadus* wanderde tho Konnynck KAROLO, de vp de tyd was in dem lande tho *Saſſen*, to *Merſzborch* (e), vnde dar em vorgaff ſinen hilghen wyllen, welken he hadde tho vormerende den louen, vnde den wyllen Gades, vnde ene dar to troſte ſines arbeydes em gaff eyn leen, welk beleghen was in *Frankryken*, in eyner ſtede dede heth *Juſtina*, vnde ock do em bevoel, dat de

Chesne T. III. p. 138. & reliqvi fere omnes *Francorum Annales* hanc *Saxonum* & *Freſonum* converſionem ad An. 780. referunt.

(e) Legendum *Eresburg*, Saxoniæ oppidum ad Wiſeram fluvium, Carolo M. freqventatum.

hadde anghenamen doer den namen Criſti, dat ſcholde he vullenbringhen, dat de hilghe man danknamichliken mit alleme vlyte annamede to doende. Do quam he wedder to *Wigmodiam*, vnde den criſten louen apenbar den vnlouighen preddikede. De vorſtoreden kerken he wedder buwede, vnde werdighe perſonen dar in ſettede, welke dem volke vorwezen ſcholden mit lerende, vnde mit alle den, dat to der ſalicheyt horede dar vnde in allen ſteden. Do dat *Saſſen lant* van ſchykynghe weghen des alweldighen Gades wedder keret wart to den louen, vnde *Wedekyndus* (f) de Voruolger ſik wedder horſam gaf vnder den Konink KAROLUM, vnde ok entfenk de hilghe dope. Do nu alle dynghe to vreden weren ghekamen, KAROLUS ſath in ſiner ſtad *Wormeſz*, den dener Gades *Willehadum* leet conſecreren to Byſſcoppe, vnde ſettede en eynen vorwezer ouer *Wigmodiam*, *Laras*, *Riuſtri*, *Aſterga*, vnde ok *Nordendi*, vnde *Wanga*, dat he den ſteden vorwere alze eyn biſſchop.

Alze he nu de kronynge hadde entfangen, mer he ſik ouede in hilgher ynnicheit, wente wyn vnde mennigherleye ghedrenke, welk den mynſchen berouen ſiner redelicheyt, na der tyd he nicht was brukende. Syne ſpiſe was broet vnde honnich, koel vnde appele, van vleſck, melke, vnde van vyſcken he ſik ghenſzliken enthelt. Men de vorgedachte Pawes *Adrianus* em doer vele angeuallen krankheyt heet vnde boet viſck to ethende, den he horſam vnde ſinen boden ghenoch deden, ſo dat he in welken tyden viſche brukede tho ſyner ſpyſe. Ock nicht eyn dach vorſcheen, ſunder he hilghen ambachte der miſſen van eme vullenbrocht worden in wenende vnde mit groter ynnicheyt ſines herten. Ock las he in den pſalmen, ſo dath he den heelen Pſalter des daghes tho deme ende brochte, vnde ock in etlyken daghen twe Pſalter endighede mit lezende, in etlyken daghen dre Pſalter las mit vlyte. In diſſer wyſe de hilghe man ſin leuent vorede vnde mit velen anderen guden werken ſyn volk tho der ſalichheyt brachte, nicht allene to lerende, men ok de he preddikede vnde lerede ſuluen mit den werken vullenbrachte, ſo dat in em wart gheſeen de lere mit den werken. Des ghelyken in der ſtad *Bremen* he buwede eyne ſchone wolgheczurede kerke in de ere vnſes leuen heren Jheſu Criſti, vnde der hilgen Apoſtolen *Petri* vnd *Pauli*, in der he wolde weſzende ſtede des ſtoel des Byſſcoppes.

Darna mit wyllen ſines hellighen vorſates he vmmewanderde ſyn gantze ſtychte ſyn volk lerende de wege der ſalicheyt, vnde de werke de Gade behoren mit aller gotlicheyt, vele he brochte vnde bekerde to deme criſten louen, vnde ok beſtedighede. Vnde do quam he to ener ſtede genomet *Pleccateshem*, vnde dar beuil he mit groter ſwarer krankheit der febris, vnde van daghe to daghe de ſuke ſik vormeerde, ſo dat ſine denre, welke myt eme weren, ſines leuendes ſik begheuen, wo doch eyn van ſinen denren, em meer beſunderich wen eyn der anderen, gheheten *Egisryk*, gynk to em vnde ſede: Sü werdighe vader, vns de du in god verſammelt hefft nicht vorlaet, wente wy dyn volk vnde dyne gheſtliken noch nicht ſint ghans vullenkamen, ſo dat wy konen wedderſtaen den thenen der grypenden wuluen, nycht vns verlaet dyne arme denre, vp dath wy nicht werden gheſeen alze ſchape de daer dwelen ſunder herde, nicht vns beroue dyner yeghen wardicheyt. Do antwordede de hyllighe man *Sunte Wylhadus*, vnde ſede: Nicht my lengher afkere myn ſone van der yeghenwardicheit mynes herten. De wedderſtalt diſſes tytlyken leuendes nicht bemoye mit ſulken vndrechliken worden, wente des leuendes ik nicht beghere, ok to ſterueude yk my nicht bevruchte, men mynen heren vnde mynen God, den ik

van

(f) De *Saxonum* & *Widikindi* converſione legitur Epiſtola *Hadriani* Papæ ad *Carolum M.* ap. Du Chesne T. III. p. 809. Incertum autem eſt, an *Widekindus* a *S. Willehado* baptizatus ſit, ut legitur in *Maderi* Antiqv. Brunſv. p. 162.

van ghantzeme vlyte ghedenet, bydde ik, dat he my gheue dat louen na vordenſte na ſineme wyllen vnde behaghe mit ſyner gnade vnde mit ſiner barmehertícheyt. De ſchape, welke he my heft belouet, yk em beuele, wente wat ik gudes ghedaen hebbe, dat hebbe ik ghedaen van ſiner gnade, vnde van ſiner macht, en nicht aff weze ſine mylde gnade, wenthe alle de werld vul is ſiner barmehertícheyt, myt ghantzer ynnicheyt he ſtede de oghen hadde in den hemmel mit vlytigheme bede to Gade. Des *Sondages* na der ſonnen vnderghank des maenthes *Nouembris* vpghaff de ſalighe man ſyne Zele tho Gade deme heren. Tho ſiner bygraft quam dat ynnighe volk van allen enden, eren Biſſcop vnde eren hylghen doctor mit ſange vnde mit laue voerden in de *Doemkerken to Bremen*, de he nyge van grunde vp hadde ghebuwet, vnde en dar begrouen mit groter ere vnde werdicheit, ſo ſik dat behorde vnde wol themedet, dar vele teken vnde wunderwerke ſcheghen. Daer vth is to merken, dat dyſſe hilghe man ein vtherkaren vrunt is ghewezen des alweldighen Gades.

Vnder velen wunderteken, de gheſcheen ſint, is ein van den tho wetende to eren vnde to laue deme werdighen hilghen man. Den *Staff*, welken he plach to dreghende na wyſe vnde na wanheyt eynes Byſſcoppes, na ſineme dode etlike vramen perſonen van ynnicheyt vnde yn guder andacht weeh voerden in einem ſchryne mit anderen hillichdoem, van vnſchychten dat hueſz mit dem ſchryne vorbrande vnde dat ander hillichdoem, dat in dem ſchryne was, vth genamen de vorbenomede Staff bleef vngheſerighet van deme vure, ſo dat neen teken des brandes an em ghevunden wart, vnde doch mydden in dem vuer wart ghevunden ghanſzlyken mit aller ſuntheit. De alweldige God in ſinen Hilghen alle tyd is to lauende, vnde to benedyende, dede in den mynſten dynghen den vordenſt ſiner vterkaren vns apenbaret.

Dem gheliken eyn ander Mirakel. Id is gheſcheen, dat de Kelk, dar he alle daghe miſſe mit dede, in eyner ſtede was beſloten mit ghanczeme vlyte van ſinen yungheren, dar ok vuer tho quam vnd vorbrande allent dar, dat dar was, vnde allent, dat van metalle was ghemaket, vorſmoltede van hytte wegen des vures, vnde dyſſe Kelck wol dat he van ſuluer was, doch heel vnde vndgheſerighet wart ghevunden. Dar ock de walt Gades ynne is to verwunderende, wente alze in em wart entfenghet dat vuer der gotlyken leue in ſineme leuende, ſo enkonde dat tytlike vuer ſine *Reliquien* na ſyneme dode nycht vorteren.

Sunte Willehadus (*) ſath yn ſineme Byſſchopdoem eyn vtherkaren Byſſchop *twe yare, dre maent, vnde XXVI. daghe*, vnde do na velen guden werken ſtarff he in God vnſen benedyeden Heren. Deme ſy ere, loff, vnde werdicheyt to ewyghen tyden. Amen.

(*) Effigies *S. Willehadi* primi Bremenſium Epiſcopi conſpicitur adhuc in Curia Bremenſi, *Relation d'un Voyage en Danemarc* p. 604. Hujus libri auctor ibid. falſo credidit, *S. Willehadum* in Anglia Ducatus Slesvicenſis natum fuiſſe.

XXIV.

De Eccleſia Bremenſi vetus Scriptum.

Vetus hoc Monumentum deprompſit *Lindenbrogius* ex Scheda manu exarata, qvæ fuit apud *Johannem Kleyen*, Seniorem ac Theſaurarium Eccleſiæ cathedralis Hamburgenſis. Qvo autem Seculo & a qvo conſcriptum eſt, nullibi legimus. Qvantum conjectura aſſeqvi poſſum, haud diu poſt Seculum X. ſcriptum eſt, & forte a Canonico qvodam Bremenſi; ſolum enim res Bremenſes Seculi VIII. & IX. tractat, nec ulterius procedit Auctor noſter anonymus, qvod tamen ſine dubio feciſſet, ſi recentiori ævo vixiſſet. Varia ille, qvæ cum narratis *Adami Bremenſis* conveniunt, habet: Num vero hic ex illo, an ille ex hoc ſua mutuatus ſit, non facile conjicio. Haud pauca etiam particularia hic Anonymus profert, qvæ vix alibi occurrunt. An vero omnia vera ſint, probe cauteqve diſpiciendum eſt.

Glorioſa dicta ſunt de ſancta *Bremenſi Eccleſia*, qvæ inclyta, ſolemnis & egregia cæteris aqvilonarium nationum ac totius Alemaniæ inferioris Eccleſiis præfulget ab antiqvo. Sed ut radios ſuæ ſanctitatis & gloriæ ad vicinas Eccleſias transmittere valeat clariores, qvædam de ejus prærogativa, ſanctitate & beatitudine ſub compendioſo ſunt recitanda eloqvio. Ipſa namqve metropolitana Eccleſia eſt ter ſancta qvaterqve beata. Sancta origine, ſancta nomine, ſancta loco, beata miraculis, beata divinis officiis, beata reliqviis (a), & beata indulgentiis.

Ipſa enim primo eſt ſancta origine, ex eo qvod *Beatus Willehadus*, primus Epiſcopus dictæ Eccleſiæ, vir miræ abſtinentiæ, qvi cotidie miſſam cum lacrymis celebravit, ac jejuniis, vigiliis, orationibus, & bonis operibus, devotus ſemper inſiſtebat. Et qvaſi ſtella matutina in medio nebulæ, qvaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & qvaſi ſol refulgens, ſic vir iſte refulſit in populo Dei. Cujus vita inclyta cunctas iſtas illuſtravit regiones. Nam ejus eſca non erat aliud niſi poma & fructus autumnales, & potus fuit aqva (b).

In ipſa Eccleſia *Sedem* inſtituit primam *Cathedralem* (c). Ac *Sanctus CAROLUS MAGNUS* Imperator, comperta ſanctitate ipſius *beati Willehadi*, eandem Eccleſiam Regia munificentia largifluis fundavit bonorum temporalium poſſeſſionibus: ac eidem Eccleſiæ etiam dedit Suæ Regiæ Majeſtatis eximia *inſignia*, qvæ in eadem Eccleſia honorifice conſervantur, videlicet *Crucem argenteam deauratam*, lapidibus pretioſis redimitam, coram qva devote adoravit Crucifixum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in qvo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, ac etiam ipſius *Sancti KAROLI Trabeam* ſeu *Tunicam Imperialem*, in qva Evangelium in eadem Eccleſia, in ſummis feſtis, ob ipſius reverentiam ſolemniter legitur, ac *flaſculam ejus argenteam deauratam*, imaginibus diverſis bene redimitam, ac *chirothecas* & *calceamenta ipſius*, qvibus utebatur in Sua Regia Majeſtate, & etiam *Pſalterium* (d) *Divæ ipſius Conjugis* literis aureis bene & ſubtiliter confricatum.

Sanctitas

(a) Præter Reliqvias *S. Willehadi*, *S. Anscharii*, aliorumqve Sanctorum domeſticorum, *Brema* etiam olim ſervavit *Reliqvias S. Remigii*, qvas *S. Anscharius*, ſibi ab *Ebbone* Archiepiſcopo Rhemenſi donatas, ibi cum ingenti honore collocaverat, vid. *Adam. Brem.* ed. Lindenbr. p. 7.

(b) Lege *Vitam S. Willehadi* ſuperius allatam Cap. X.

(c) *Vit. S. Willehadi* Cap. X.

(d) De *Pſalterio*, a CAROLO M. Adriano Papæ, & ab Adriano b. Willehado donato, vid. ſupra *Vitam Willehadi* p. 350.

Sanctitas etiam originis dictæ Ecclesiæ apparet ex ed, qvia dicto *Beato Willehado* succesſit *Sanctus Ansgarius*, primus iſtius Ecclesiæ Archiepiſcopus, Sedis Romanæ Legatus in ultima terræ, vir magnæ ſanctitatis, cujus anima, rapta in cœlum, vidit manifeſtisſimas & verisſimas notabiles viſiones (e), de ſtatu totius cœleſtis curiæ, & de pœnis purgatorii, & etiam alias utiles viſiones, ex qvibus fuit cœlitus inſpiratus ſpernere hujus vitæ contagia, & anhelare ad regna cœleſtia, qvi *Eccleſiam collegiatam Rameslon* (f), & *Monaſterium in Berſen* (g), & *magnum Hoſpitale in Brema* (h) conſtruxit pro pauperibus recreandis, prout ex *Vita ſua* multum pulchre deducitur.

Cui qvidem *Beato Ansgario* immediate succesſit *Beatus Reimbertus*, ſecundus Archiepiſcopus dictæ Ecclesiæ, qvem *Beatus Ansgarius* commendavit, ſic inqviens: *Dignior eſt Reimbertus dignitate Archiepiſcopali, qvam ego Archidiaconatus officio* (i), qvi *Regem Daciæ* baptizavit, & *Eccleſiam Ripenſem* fundavit, & qvia plures infirmos, qvos ibidem ſacro baptismatis fonte purificavit, etiam ab omni corporis ægritudine ſanavit. Ipſe etiam *Regem Sveciæ* baptizavit, & totum ejus regnum in fide Chriſti ſolidavit, & ipſe inter cætera ſanctitatis miracula (k) legitur tempeſtatem maris ſedaſſe, & hominem a dæmonio liberaſſe, ſcilicet *Karolum*, filium LODEWICI (l) Imperatoris, nec non cœcum illuminaſſe per ſignum Crucis, qvod Epiſcopali more faciebat.

Etiam anno Pontificatus Domini *Reimberti* duodecimo LUDEWICUS PIUS (m) Cæſar obiit. Poſt cujus mortem multiplicata ſunt mala ſuper terram, ita qvod a *Danis* & *Normannis* urbes cum civibus, Epiſcopi cum Cleris, interfecti ſunt. Et Eccleſiæ cunctæ incendio perierunt, *Saxonia*, *Colonia*, *Aqvisgranum*, civitates ab eisdem deſtructæ ſunt. Palatium, qvod KAROLUS Imperator *Aqvisgrani* glorioſe conſtruxerat, ſtabulum eqvis ſuis fecerunt.

(e) De Viſionibus *S. Anſcharii* legatur *Vita ejus* Cap. I. II. III. XXII.

(f) De Eccleſia Rameſloenſi vid. *Adam. Brem.* ap. Lindenbr. p. 8. 9. *Hiſt. Archiep. Brem.* p. 71.

(g) *Adamo Bremenſi* p. 9. nomen illud ſcribitur *Brixinen*, ſed in *Hiſt. Archiep. Brem.* ap. Lindenbr. p. 71. *Barſen.* Idem Monaſterium, qvod in Dipl. *Ottonis I.* & *II.* nominatur *Bireſinum* & *Birrbiſinum*, in aliis Dipl. *Birchiſinum*, *Byrſen*, *Berſen*, vid. *Staphorſt* T. I. p. 284. 312. 323. 563. 687.

(h) De *Hoſpitali Bremenſi* vid. *Vitam S. Anſcharii* Cap. XXXI. Conf. *Adam. Brem.* p. 9.

(i) Vid. *Vitam S. Remberti* Cap. X.

(k) De *Miraculis S. Remberti* ita in Vita ejus Cap. XXI. legitur: „Fertur etiam, antiqvorum more Sanctorum, „qvædam feciſſe *Miracula*, freqventer videlicet dum iret ad *Sueoniam*, tempeſtatem maris orationibus ſuis „ſedaſſe, cæci cujusdam oculos illuminaſſe per confirmationem, qvam Epiſcopali more cum chriſmate ſa„cro in eodem faciebat. Sed & *filium* qvendam *Regis* dicitur a dæmonio liberaſſe: cui affirmationi hoc aſti„pulari videtur, qvod, multis aſtantibus Epiſcopis, clamor ab ore vexati ſæpius ſonabat, *Rimbertum ſo„lum inter eos digne commiſſum egiſſe officium, ipſumqve ſibi eſſe crucianti.*“

(l) LUDOVICUS ille erat Rex Germaniæ, Ludovici Pii filius, qvi, licet Imperator non eſſet, a nonnullis tamen vetuſtis Scriptoribus Imperatoris aut Cæſaris titulo ſalutatur; ex. gr. ab *Adamo Bremenſi* ap. Lindenbr. p. 8. 9. 10. Hujus filius *Karolus*, poſtea Imperator factus & *Craſſus* cognominatus, ille erat, qvem S. *Remberius* a Dæmonio liberavit, Vid. *Remberti Vitam* c. 21. *Adamus Brem.* p. 11. hæc confirmat, ex Hiſtoria Francorum addens, ea in *Franconfurd* acta eſſe anno *Ludovici* Regis XXXIV. o: circa 872. qvo anno menſe Decembri *Ludovicum* ad *Franconofurt* veniſſe perhibent *Annales Fuldenſes* ap. Du Chesne T. II. p. 565.

(m) Hæc eadem *Adamus Brem.* ap. Lindenbr. p. 10. narrat: *Anno*, inqviens, *Domini Rimberti XII. Ludevicus Pius Cæſar magnus obiit.* Per *Ludevicum* autem & Auctor noſter & Adamus LUDOVICUM Germaniæ Regem, Ludovici Pii Imperatoris filium, intelligit; Ille enim, teſte *Annaliſta Fuldenſi* ap. Du Chesne T. II. p. 569. obiit Anno 876, qvi erat annus Archiepiſcopatus Remberti duodecimus.

(n) Qvæ ſeqvuntur usqve ad finem, narrantur etiam ab *Adamo Bremenſi* p. 10. Conf. *Hiſt. Archiep. Brem.* p. 71.

XXV.

Anonymi Neſtvedenſis Chronologia Danica ab An. 821. ad An. 1300.

Anonymum hunc Annaliſtam *Neſtvedenſem* voco, eo qvod fata ejus urbis & Abbates *Monaſterii S. Petri Neſtvedenſis* præcipua qvadam cura inter cetera recenſere videtur, unde eum hujus Monaſterii Monachum fuiſſe ſuſpicor. Vixiſſe illum & hanc Chronologiam ſcripſiſſe exeunte Seculo XIII. & regnante ERICO MENVED, qvo ſcil. tempore eidem finem impoſuit, vix dubitari poteſt. Ego eam exſcripſi ex Apographo, qvod *Arnas Magnæus* fieri fecit ex Tomo I. Collectaneorum Bartholinianorum deperdito, ubi ex Codice veteri manuſcripto, qvod ante incendium Hafnienſe Anni 1728. in Biblioth. Univ. Hafn. fuerat, deſcriptum erat. Hanc Chronologiam Illuſtriſſ. *Weſtphalius* Monum. Cimb. Tom. I. p. 1404. dudum publici juris fecit, ſub tali Titulo: *Anonymi Chronologia ab A. C. 821. ad A. 1330. ex antiqvisſimo Codice in membrana manuſcripto Regiæ Bibliothecæ Hafnienſis ſignato E. 39.* Per Regiam Bibliothecam, ut ſæpius, ita hic, *Bibliotheca Academica* intelligitur, unde vereor, Codicem illum in prædicto urbis incendio deperditum eſſe. Præter defectus varios, etiam haud pauca librariorum menda habet *Editio Weſtphaliana*, qvæ cuiqve, noſtram cum ea conferenti, mox ſub oculos cadunt, ut ſunt: *Thryuſcegs* pro *Tyvuſcegh*. *Heplandiam* pro *Eſtlandiam*. *Helena* pro *Eleonora*. *Mönuffo* pro *Mön. Uffo*. *Herkekbis* pro *Hetheby*. *Neſtwerh* pro *Neſtweth*. *Loherh* pro *Loheth*. *Huno* pro *Anno*. *Otto* pro *Uffo* ſ. *Offo*. Promit hæc Chronologia qvædam ſingularia, plurima etiam cum aliis communia. Ex factis enim Hiſtoricis Auctor ea, qvæ ſua tempora anteverterunt, ex aliorum monumentis compilavit, qvæcunqve autem ſuo ævo acciderunt, ipſe, ut auritus teſtis, annotavit.

DCCCXXI. HARALDUS factus eſt Rex Danorum.

DCCCXXVI. HARALDUS Rex Danorum baptizatus eſt, cum uxore, & multis *Danis*.

DCCCXXVII. Sanctus *Ansgarius* ewangelizavit *genti Danorum*.

DCCCXLVI. HARALDUS Rex Danorum obiit. ERICUS ſucceſſit.

DCCCLVI. ERICUS Rex Danorum obiit. *ERICUS puer* ſucceſſit.

DCCCCI. ERICUS Rex Danorum obiit. FROTHE ſucceſſit.

DCCCCXXV. FROTHE Rex Danorum obiit. *Secundus FROTHE* ſucceſſit.

DCCCCXXVII. FROTHE Rex miſit ad *Agapitum* Papam, ut Epiſcopos mitteret in *Daniam*.

DCCCCXXXI. FROTHE obiit. GORM ſucceſſit.

DCCCCXLIX. GORM Rex Danorum obiit. HARALDUS ſucceſſit.

DCCCCLXII. *Adaldagus* Bremenſis Archiepiſcopus ordinavit tres Epiſcopos in Daniam, *Horedum*, *Liafdagum*, *Rehinbrandum*.

MI. HARALDUS Rex Danorum obiit, qvi dictus eſt BLATAN.

MII. SVENO filius ejus factus eſt Rex, qvi dictus eſt TYVUSCEGH.

MXX. SVENO Rex Danorum obiit, qvi vocabatur TYVUSCEGH.

MXXI. KANUTUS filius ejus ſucceſſit, qvi vocabatur *Senex*.

MXXXVI. KANUTUS Rex Danorum & Anglorum obiit.

MXXXVII. HARTHEKNUT filius ejus ſucceſſit.

MXLIII. HARTHEKNUT Rex Danorum & Anglorum obiit.

MXLIV. SVENO MAGNUS factus eſt Rex Danorum.

MLXXIV. SVENO MAGNUS Rex Danorum obiit.
MLXXV. HARALDUS filius ejus ſucceſſit.
MLXXX. HARALDUS Rex Danorum obiit.
MLXXXI. Sanctus KANUTUS frater ejus ſucceſſit ei.
MXC. Sanctus KANUTUS Rex Danorum occiſus eſt in *Othinshō.*
MXCI. OLAVUS frater ejus ſucceſſit ei.
MXCVIII. OLAVUS Rex Danorum obiit.
MXCIX. ERICUS BONUS frater ejus ſucceſſit ei.
MCIII. ERICUS BONUS Rex Danorum obiit in peregrinatione Iheroſolimitana.
MCIV. NICOLAUS frater ejus ſucceſſit ei.
MCXV. Sanctus *Kanutus* factus eſt *Dux Jutiæ.*
MCXVII. MARGARETA Regina Danorum obiit.
MCXXVII. *Karolus* Dux Flandriæ interfectus eſt a ſuis, filius S. KANUTI Regis & martyris.
MCXXX. Sanctus *Kanutus* Dux Juciæ filius ERICI Regis occiſus eſt.
MCXXXI. Bellum fuit in *Jallungi* inter *Ericum* & *Magnum.*
MCXXXII. *Roſkild* devaſtata eſt.
MCXXXIV. *Magnus* occiſus eſt in *Scania* in prelio, & NICOLAUS Rex occiſus eſt in Jucia.
MCXXXIX. ERICUS EMUNI Rex Danorum occiſus eſt.
MCXLIII. *Olavus* filius *Haraldi* occiſus eſt.
MCXLVII. ERICUS LAMB Rex Danorum obiit.
MCXLVIII. KANUTUS & SVENO electi ſunt.
MCXLIX. Bellum fuit in *Thorſtinstorp.*
MCL. Bellum fuit *Wibiargis.*
MCLV. Dani elegerunt KANUTUM & WALDEMARUM. SVENO fugit.
MCLVII. SVENO rediit. Et KANUTUS dolo occiſus eſt *Roſkildis.*
MCLVIII. SVENO occiſus eſt in *Jucia*, & WALDEMARUS totum regnum obtinuit.
MCLIX. *Aſcerus* Epiſcopus obiit.
MCLXIII. WALDEMARUS Rex ad Imperatorem ivit.
MCLXV. WALDEMARUS Rex *Sclaviam* devicit.
MCLXVII. *Buriſius* captus eſt.
MCLXX. *Translatio S. Kanuti* Ducis & Martiris.
MCLXXII. Magna pars *Lundis* combuſta eſt.
MCLXXVII. *Eſkillus* Archiepiſcopus diſceſſit a Dania.
MCLXXVIII. *Abſalon* factus eſt Archiepiſcopus.
MCLXXIX. Facta eſt diſſenſio inter Archiepiſcopum & *Scanienſes.*
MCLXXX. Bellum fuit *Amundalevæ.*
MCLXXXI. *Magnus* & *Kanutus* occiſi ſunt.
MCLXXXII. Glorioſus Rex WALDEMARUS obiit.
MCXCI. *Petrus* filius *Sunonis* factus eſt Epiſcopus *Roſkildenſis.*
MCXCII. Epiſcopus *Waldemarus* captus eſt in die S. Stephani.
MCXCVI. KANUTUS Rex profectus eſt ad *Heſtlandiam* cum exercitu. Eodem anno GERTRUDIS Regina obiit.
MCXCVII. Cardinalis *Fidencius* obiit in Scania.
MCXCVIII. SOPHIA Regina obiit. Eodem anno *Petrus* Epiſcopus captus eſt.

MCC. *Abſalon* Archiepiſcopus obiit. Succesſit ei *Andreas* filius *Sunonis.*
MCCI. *Holſatia* ſubjugata eſt, & captus eſt Comes *Adolfus.*
MCCII. KANUTUS Rex Danorum obiit.
MCCIII. WALDEMARUS frater ejus, Dux Jutiæ, Rex factus eſt.
MCCVI. Epiſcopus *Waldemarus* ſolutus a vinculis, diſcesſit a Dania.
MCCVIII. Exercitus Danorum cecidit in *Svecia* apud *Lenom.*
MCCXIII. MARGARETA Regina Danorum de Boemia obiit.
MCCXV. *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis filius *Sunonis* obiit.
MCCXVII. *Petrus* filius *Jacobi* factus eſt Epiſcopus *Roſkildenſis.*
MCCXVIII. *Nicolaus* Comes Halandenſis obiit.
MCCXIX. Prima expeditio facta eſt in *Heſtlandiam.*
MCCXX. RICHICE Regina Sveciæ, & BERINGERA Regina Daniæ, obierunt.
MCCXXII. Cardinalis *Gregorius* fuit in Dania.
MCCXXIII. Rex WALDEMARUS cum filio captus eſt a *Hinrico* Comite.
MCCXXIV. *Petrus* Præpoſitus ordinatus eſt Archiepiſcopus *Lundis.*
MCCXXV. *Petrus* Epiſcopus Roſkildenſis in peregrinatione obiit.
MCCXXVI. Rex WALDEMARUS ſolutus a captivitate rediit in *Daniam.* *Nicolaus* factus eſt Epiſcopus *Roſkildis.*
MCCXXVII. Bellum fuit apud *Heydoram.*
MCCXXVIII. *Dani* capti ſunt in *Holſatia* a *Saxonibus.*
MCCXXX. Cardinalis *Otto* fuit in Dania.
MCCXXXI. HELEONORA Regina Danorum & *WALDEMARUS Tertius* Rex obierunt.
MCCXXXII. HERICUS filius WALDEMARI II. unctus eſt in Regem.
MCCXXXIII. WALDEMARUS SECUNDUS Rex profectus eſt in *Sclaviam* cum exercitu.
MCCXXXVII. Dux *Abel* duxit uxorem filiam Comitis *Adolfi.*
MCCXXXVIII. Hoc anno *translatus* eſt *S. Willelmus* abbas de Paraclito.
MCCXXXIX. Rex ERICUS duxit uxorem.
MCCXLI. Obiit venerabilis Rex WALDEMARUS, frater KANUTI Regis. Cui ſucceſſit in regnum filius ſuus ERICUS. Et eodem anno ignis incendio conſumptum eſt *Clauſtrum Ringſtadenſe* III. Kal. Junii, feria qvinta.
MCCXLIII. ERICUS Rex duxit exercitum contra *Abel* apud *Kaldengi.*
MCCXLV. *Nicolaus* Epiſcopus Roſkildenſis expulſus eſt.
MCCXLVI. Obiit piæ memoriæ Dominus *Jacobus Sunonis.*
MCCXLVII. *Ripa* capta eſt a Duce *Abel*, & iterum reddita Regi ERICO. *Sora* combuſta eſt.
MCCXLVIII. *Kanutus* Dux & *Chriſtoforus* fratres capti ſunt a Rege ERICO.
MCCXLIX. *Köpmannehafn* a Teuthonicis devaſtata eſt. Obiit Epiſcopus *Nicolaus.*
MCCL. *Slesvic* capta eſt a Rege ERICO, & iterum reddita Duci *Abel.* Rex ERICUS in nocte Beati Laurentii occiſus eſt ipſa die in mane. Obiit Abbas *Nicolaus.* Obiit Pincerna *Olavus.* Captus eſt *Waldemarus* filius Abel ab Archiepiſcopo Colonienſi. Coronatus eſt Rex ABEL.
MCCLI. Obiit Comes *Nicolaus* (a).

MCCLII.

(a) Scil. Hallandiæ ſeptentrionalis.

MCCLII. Tertio Kalend. Julii occiſus eſt Rex ABEL in *Jutland.* Electus Rex CHRISTOFORUS. *Henricus de Hemmelthorp* occupavit *Mön. Uffo* Archiepiſcopus obiit.

MCCLIII. *Suineborg* & *Skielfiſköer* deſtruuntur.

MCCLIV. *Jacobus* Archiepiſcopus & *Petrus* Epiſcopus efficitur (b).

MCCLVI. Obiit *Petrus* filius *Ebbonis.* Et clava ferit (c).

MCCLVII. reconciliatus eſt Rex CHRISTOFORUS cum Rege Norwegiæ.

MCCLVIII. Rex CHRISTOFORUS occidit ruſticos. ERICUS Rex *translatus* eſt de *Hetheby.*

MCCLIX. Captus fuit Archiepiſcopus *Jacobus* in nocte S. Agathæ. Fugit *Petrus* Epiſcopus. *Jarmarus* occupavit *Sialandiam* qvinta die Paſchæ. Archiepiſcopus *Jacobus* ſolutus eſt. Strages bondonum fuit juxta *Neſtweth* in feſtivitate S. Baſilii in mane. *Marchio* & *Dani* reconciliati ſunt. Concilium fuit in *Roſtok.* ERICUS filius CHRISTOFORI Regis coronatus eſt undecimo ætatis ſuæ anno.

MCCLX. primo, VI. Kal. Maji, tertia nocte Paſchæ, ſeqventi nocte poſt natale Marci Evangeliſtæ, combuſtum fuit *Clauſtrum Neſtvæth.* Eodem anno fuit bellum in loco, qvi dicitur *Loheth.*

MCCLX. ſecundo, factus eſt Dux *Albertus de Brunſwich* Princeps Danorum.

MCCLXIV. ſolutus eſt HERICUS Rex filius CHRISTOFORI a captivitate.

MCCLXV. Obiit Abbas *Nicolaus Pinc.*

MCCLXXI. Combuſtum fuit *Neſtweht.*

MCCLXXII. Mortuus eſt *Ericus* Dux Jutiæ & uxor ejus. *Johannes* Dapifer *Wittingh* duxit exercitum magnum ad *Sleswig.*

MCCLXXIII. ERICUS Rex duxit Reginam AGNETAM.

MCCLXXIV. *Jacobus* Archiepiſcopus obiit in Dominica, qva cantatur *Invocavit. Erlandus* Archidiaconus in Epiſcopum eſt electus in Dominica qva cantatur *Miſericordia Domini.* Et eodem anno *Concilium* generale celebratum *Lundis*, qvando ſtatutum eſt, Decimam ſolvi VI. annis ad terram ſanctam.

MCCLXXV. Bellum fuit in *Svecia* apud *Houa* inter Danos & Svecos, & *Dani* habuerunt victoriam. Et parvo tempore poſt hoc WALDEMARUS Rex Sveciæ per fratres ſuos captus eſt, & regno ſuo privatus. Eodem anno obiit Archiepiſcopus (d) *Erlandus*, & Dominus *Thrugotus Thorſtani* in Archiepiſcopum electus eſt.

MCCLXXVI. in die Beati Johannis Evangeliſtæ prædictus *Thrugotus* Electus conſecratus eſt in curia Romana in Archiepiſcopum a Papa *Johanne.*

MCCLXXVII. Obiit Epiſcopus *Petrus* Roſkildenſis, dictus *Bang*, in vigilia Beati Johannis Baptiſtæ, cui ſucceſſit *Stigotus.*

MCCLXXIX. Archiepiſcopus *Thrugotus Thorſtani* anno ordinationis ſuo tertio fecit viſitationem per regnum Daciæ, & convocavit provinciale Concilium in *Hæmblævæthle*, qvod celebratur prima Dominica qvadrageſimæ, qvæ erat XI. Kal. Martii. Eodem anno obiit *Petrus* Abbas dictus *Ruth* in præcedenti die Valentini martyris. Cui ſuccedit *Petrus Efræthorp.* Ipſo qvoqve anno, in vigilia Beati Jacobi Apoſtoli, præſente Rege, cum pluribus regni nobilibus & multitudine vulgi innumera, *Pugiles*, qvi venerant de *Vmbria*, inierunt *duellum* apud *Neſtweth*, in loco, ubi *Yarmarus* qvondam bondones debellavit, qvorum pars altera obtinuit in campo, qvamvis utriusqve partis *pugiles* vulnerabantur graviter, diutiſſime dimicando.

(b) Vid. *Chron. Erici* An. 1254.

(c) Conf. *Chron. Erici* ad An. 1256.

(d) Ap. *Weſtphal.* T. I. p. 1406. legitur *Archielectus*, qvod forte rectius.

MCCLXXX. Seqventi nocte Dominicæ reſurrectionis, qvæ celebratur XI. Kal. Maji, littera Dominicali exiſtente F. anno biſextili, combuſta eſt *civitas Neſtweth* in majori parte & meliori ex utraqve parte amnis & *major Eccleſia.*

Eodem anno, ſeqventi die Walburgis virginis, qvæ eſt ſexto Non. Maji, obiit Archiepiſcopus *Thrugotus Thorſtani Lundis*, & ſepultus eſt ibidem ſabbato ſubſeqventi, anno ordinationis ſuæ qvarto. Electus eſt *Johannes* in Archiepiſcopum.

MCCLXXXI. Filia *Regis Daciæ* eſt filio *Regis Sveciæ* juncta.

MCCLXXXII. Combuſta eſt *Eccleſia Beati Lucii Roſkildis* ſeqventi die poſt feſtum Beati Lucii. Eodem anno obiit MARGARETA Danorum Regina, & *Nicolaus* Cancellarius.

MCCLXXXIII. Concilium fuit *Helſingeburg.* Concilium fuit *Nykiöping.* Concilium fuit *Orthingæburg* cum Rege & V. Epiſcopis. Et *Jutenſes* cum Domino Rege ſunt reconciliati, & *Ericus* factus eſt Dux Juciæ. Domicellus *Ericus*, *Kanuti* Ducis filius, factus eſt Dapifer. Et cecidit *Eccleſia Beatæ virginis Ripis* in nocte nativitatis Domini poſt primam miſſam, ubi multi viri ac mulieres fuere obruti.

MCCLXXXIV. Parlamentum *Orthungæburgh* celebratum eſt, præſente Domino Rege, cæterisqve Epiſcopis & Optimatibus regni, die aſcenſionis Domini. Ibidemqve *Jutenſes* cum Domino Rege reconciliabantur ex integro, & *Ericus* Ducatus gubernaculum ſuſcepit. Ubi Dominus *Uffo* ſecundario Dapifer eſt effectus.

MCCLXXXV. Dux *Waldemarus* captus eſt cum Dapifero ſuo a Rege ERICO.

MCCLXXXVI. Celebratum eſt *Concilium* in *Nyburgh.* Dux *Waldemarus* liberatus eſt. ERICUS Rex occiſus eſt in *Jutia.* Cui ſucceſſit ERICUS filius in regnum.

MCCLXXXVII. *Jacobus* Comes, & *Stigotus* Marſcalcus, cum multis Nobilibus Daciæ, expulſi ſunt.

MCCLXXXVIII. *Abſalon* filius *Andreæ* obiit.

MCCLXXXIX. ERICUS Rex Norvegiæ duxit expeditionem in *Hafniam.* *Johannes* Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit Præpoſitus *Johannes* Roſkildenſis cognominatus *Grandis.*

MCCXC. *Ingvarus* Epiſcopus obiit. Cui ſucceſſit *Johannes* dictus *Crakæ.* *Alverus* pyrata captus eſt & rota fractus apud *Helſingæburgh.* *Hialm* caſtrum ædificatur. Secunda expeditio *Regis Norvagiæ* in Daciam. MAGNUS Rex Sveciæ obiit.

MCCXCII. *Skialm* dapifer interfectus eſt in præſentia Regis.

MCCXCIII. Tertia expeditio *Regis Norvegiæ* in Daciam. Gerardus Comes Holſatiæ duxit AGNETEN Reginam.

MCCXCIV. *Johannes* Archiepiſcopus captus eſt, & cum eo *Jacobus* Præpoſitus dictus *Lang*, in annunciatione Dominica, & ſeqventi anno clanculo evaſit de turre *Syoburgh.* *Boetius* Abbas obiit, cui ſucceſſit *Sweno* dictus *Capdur.* *Yſernus* Domini Papæ nuncius in *Dacia* fuit.

MCCXCVI. ERICUS Rex duxit INGEBORGH filiam Regis Sveciæ.

MCCXCVII. *Yſernus* Domini Papæ nuntius fuit in *Dacia.* *Dacia* interdicto ſupponitur. *Sweno* Abbas ceſſit. Combuſta eſt *Neſtweth* & molendinum magnum in die Petronillæ virginis.

MCCC. *Johannes* qvondam Abbas Lundenſis electus eſt in Abbatem *Neſtwedienſem.* *Johannes* Archiepiſcopus transfretando de Flandria venit *Lybeck*, & Abbas *Johannes* cum eo.

Recentiori manu additum:

Anno Domini Milleſimo qvingenteſimo qvinto, viſus eſt *ſol totus ſangvineus* ipſo die Franciſci, ſtatimqve 3tia die reformatum eſt *Monaſterium in Neſtveth Minorum.*

XXVI.

Anonymi Roſkildenſis Chronicon Danicum ab An. 826 - 1157.

Adhibita intentisſima hujus Chronici perlectione, videor mihi indubie obſervaſſe, Auctorem ejus anonymum non alium eſſe poſſe qvam *Roſkildenſem* vel Monachum vel potius Canonicum. Res enim *Eccleſiæ Roſkildenſis*, ejusdem initia & incrementa, ejusdem Epiſcoporum characteres & fata, ſingulari qvodam ſtudio attrectare videtur. Qvisqvis autem fuerit, inter optimos medii ævi ſcriptores noſtros locum meretur, utpote qvi particularia qvamplurima ſui temporis reliqvit, qvæ alibi fruſtra qvæſiveris, & qvæ ſine eo ignota penitus fuiſſent. Certorum Regum partibus addictiorem ſe præbet, qvam aliis; qvosdam enim, contra alios Scriptores, magis extollit, qvosdam magis perſtringit. Sic HARALDUM HEIN, ab aliis culpatum, ob juſtitiam & bonas Leges impenſe laudat. Famam OLAVI Regis dum videtur vindicare velle, ERICUM BONUM, qvem omnes Regem optimum agnoſcunt, deprimit & injuſtitiæ in legibus ferendis inſimulat. NICOLAO adhæſiſſe videtur & filio ejus *Magno*, cujus occaſum patherice adeo deplorat. E contra ERICO EMUND minime adulatur. *Horum Regum* & etiam WALDEMARI I. temporibus, adeoqve maximam partem Seculi XII, vixiſſe Auctorem, certum eſt. Et, ſi hoc ejus de *Olavo Haraldi* filio judicium penitius inſpexero: *Olavus unus ſupereſt, bellua multorum capitum*, non aliam exinde conjecturam capio, qvam Anonymum noſtrum partem Chronici ſui tempore Regis ERICI LAM ſcripſiſſe, reliqva ſub WALDEMARO I, cujus encomium breviter dicit. Ultima vero & paucisſima verba de KANUTO VI. & WALDEMARO II. forte ab alio adjecta ſunt, niſi dicere velis, Auctorem ſummam ſenectutem & initia regni WALDEMARI II. attigiſſe. Ex his omnibus patet, eum & *Saxoni* & *Sveyoni Aggonis*, qvorum Hiſtoriæ ex hujus narratis ſuppleri poſſunt, non modo coævum fuiſſe, ſed etiam, tam ætate, qvam ſcribendo, eisdem ſuperiorem. Anonymi hujus Chronicon, ex *Petri Olai* ſupra laudato *Collectaneorum Libro*, qvi jam ducentorum qvadraginta annorum ætatem ſuperat, exſcripſi. Apographum ejusdem, qvod ex Codice vet. Bibliothecæ Acad. Hafn. in 4to dudum deperdito deſumtum erat, olim in Tomo I. Collectaneorum Bartholinianorum, per incendium Anni 1728. etiam amiſſo, fuit. Ex jam dicto Codice illud forte exemplar factum erat, qvod Illuſtriſſ. *Weſtphalius* Monumentorum ſuorum Tomo I. p. 1408. ſub hoc Titulo inſeruit: *Incerti Auctoris Chronologia, ex antiqvisſimo Codice membranaceo* (*) *Bibliothecæ Hafnienſis.* Qvicunqve Editionem illam cum noſtra contulerit, eandem deprehendet & librarii & typographicis adeo ſcatere erroribus, imo qvibusdam lacunis, ut & varia nomina plane deformata ſint, & verus ſenſus aliqvibus in locis vix elici qveat. Qvotqvot autem in Editione Weſtphaliana lectiones bonas & notabiles obſervavi, eas noſtræ in Notis ſubjunxi, ſi modo textus noſter ex iis lucem aliqvam & emendationem fœnerari poſſit; nec enim exemplar *Petri Olai* nævis omnibus abſolvo. Qvod ad *numeros annorum* attinet, aliqvot in apographo *Petri Olai* inveniuntur, plures in *Editione Weſtphaliana*, qvos inde in Notis annotavi. Cum autem aliqvi eorum nimium falſi ſint, eos potius imperito librario qvam ipſi Auctori adſcribo. Ceterum de inſtituto Auctoris noſtri monendum eſt, eum in principio opellæ ſuæ uſum fuiſſe *Adamo Bremenſi* & forte qvibusdam *Scriptoribus Anglicis*, ſed perplexe & juſto negligentius. Reliqva, qvæ ſua tempora proxime præceſſerunt, partim ex aliorum relatu, partim, ut videtur, ex Archivis Roſkildenſibus hauſit, qvæ vero ſuo ævo acciderunt, ipſe aut oculatus aut auritus teſtis addidit.

Anno Dominice incarnacionis DCCCXXVI. HARALDUS Rex Danorum apud *Maguntiam* eſt baptiſatus ab *Othgario* Archiepiſcopo, ſuſceptus ab Imperatore *Ludowico*,

(*) Hunc Codicem membran. vidit *Arnas Magnæus*, vid. *Kevſl. Sag.* p. 194.

wico, anno ſexto regni ſui. Cum qvo frater ejus *Hericus*, & uxor Regis, cum magna Danorum multitudine, illuminati ſunt & Chriſtianæ fidei conjuncti. Qvibus in regnum ſuum tendentibus, cum nemo Doctorum facile potuiſſet inveniri comes, *Sanctus Ansgarius* cum ſocio ſe ultroneum obtulit *Authberto*. Cum qvo IV. annis commorantes, multos ad fidem converterunt. Qvi reverſus, Archiepiſcopus *Hammaburgenſis* effectus, nunc *Danos*, nunc *Transalbianos* viſitans, innumerabilem utriusqve gentis multitudinem ad fidem contraxit. Deinde, mortuo *Lyudrico* Bremenſi Archiepiſcopo, LIUDVICUS Imperator filius *Liudvici*, frater *Lotarii* & *Karoli*, Bremenſem Archiepiſcopatum *Anſgario* concesſit. Hoc regali munere confeſſor Dei valde gaviſus, in *Daniam* perrexit. Ubi Regem Danorum, fratrem Regis HARALDI, predictum ERICUM Chriſtianiſſimum cum ſuo populo reddidit. Nam mortuo HARALDO, iſte in regnum aſſumptus erat. Hic primum Eccleſiam *Slesvic* erexit, data pariter ſentencia, ut, qvisqvis eſſe vellet, in regno ſuo Chriſtianus fieret.

Interea *Normanni Galliam* demoliti, per fluvios *Ligerim*, *Secanam*, *Remm*, dederunt excurſum. Qvo timore compulſus Rex Franciæ KAROLUS, terram eis concesſit ad habitandum, qvam & hodie posſident. Deinde *Daniam* aggreſi, HERICUM Regem interfecerunt. Qvo mortuo, HERICUS PUER in regnum levatus eſt. De iſto HERICO PUERO non minima dubitatio eſt, utrum filius predicti HERICI fuerit, an non. Qvi mox ſuper Chriſticolas efferatus, Sacerdotes expulit, Eccleſias claudi precepit. Ad qvem veniens ſanctus *Anſgarius*, intrepidus, crudelem tyrannum de feroci leone manſvetiſſimum convertit in agnum, adeo ut ipſe Chriſtianitatem ſuſciperet, & ſuis omnibus per edictum Chriſtianos fieri mandaret. Tunc ſacerdotes revocati, Eccleſie ſunt erecte & reſtaurate. Inſuper apud *Ripam* baſilica exſtructa eſt, poſt *Slesvic* ſecunda.

Eo tempore collectis Rex crudeliſſimis Normannorum *Yuar* filius LOTHPARDI (a), qvem ferunt oſſibus caruiſſe (b), cujus fratres *Inguar* & *Ubi* & *Byorn* & *Ulf* aqvilonis gentibus prefuerunt. Reges etiam *Danorum* vocavit in auxilium ad deſtruendum regnum *Francorum* (c). Reges dico, qvia tunc temporis multi fuerunt Reges in *Dania*. Nam, ut referunt, duo aliqvando in *Jutia*, in *Fyunia* tertius, in *Selandia* IV. in *Scania* V. aliqvando duo per totam *Daniam*. Aliqvando etiam unus per totam *Daniam*, aliqvando unus per totam *Angliam* & *Daniam* ſimul, ut poſt docebimus.

Igitur *Juar* Britanniam claſſe petiit & crudele prelium cum *Regibus Anglorum* conſeruit. Ibi Reges Nordumbrorum *Jelle* (d) atqve *Osbertus* ceciderunt, ac *Demmolf* & *Berrmolf* de prelio fugerunt. EDMUNDUS Rex ſanctiſſimus Orientalium Saxonum, qvi ſepe antea victor extiterat, & tunc victus, & in prelio captus, manibus poſt terga ligatis, pro Chriſti confeſſione flagellatus ac deinde ſagittatus, ad ultimum decollatus, glorioſam martirii coronam adeptus eſt. Hec prima Nordumbrorum plaga taliter geſta eſt in *Anglia*.

Inde permotus Rex INGVAR, cum novem aqvilonis Regibus, claſſem diviſit, aliosqve Reges in *Galliam* deſtinavit, alios in *Germaniam*. Qvorum pars, vecta per *Albiam*, *Saxoniam* invaſit, ibiqve Ducem *Brunonem* cum decem Comitibus occidit ſibi occurrentem, cum qvibus duo Epiſcopi trucidati ſunt. Deinde *Trajectum*

oppidum

(a) Sic nomen *Regneri Lodbroki* ſive *Lothbrok* corruptum legitur apud qvosdam exteros Scriptores.

(b) Hinc illi cognomen *Beenlos* impoſitum. In Ol. Trygg. Sag. T. I. p. 81. dicitur *Ivar binn Beinlauſi*.

(c) Edit. Weſtphalii legit *Anglorum*.

(d) Edit. Weſtphalii *Gelle*. Idem eſt, qvi Saxoni & Scriptoribus Anglicis dicitur *Ella*. De illo & *Osberto* a Danis in prælio cæſis, vid. *Sim. Dunelm.* ap. Twisden p. 14. 142. *Jo. Bromton* ib. p. 803.

oppidum invadunt, urbemqve solotenus prosternunt, in qva *Rabodo* tunc claruit Episcopus. Ad ultimum *Remum* transeunt, *Coloniam* & *Treueros* incendunt. *Ajvisgrani* stabulum eqvis suis fecerunt, urbes cum civibus, mulieres cum infantibus in ore gladii trucidaverunt, Ecclesias sanctas cum fidelibus aut incenderunt aut subverterunt. *Maguntia* ob metum eorum instaurari cœpit. Tunc *Fresia* etiam a *Danis* depopulata est.

Hæc dum agerentur, HERICUS Rex defunctus est (e), & in regnum FROTHI levatus est, qvem *Unni* Bremensis Archiepiscopus baptizavit. Extemplo erecte sunt Ecclesie, qve pridem destructe sunt, *Slesvicensis* & *Ripensis*. Tertiam Rex in honorem *sanctæ Trinitatis* apud *Arusam* edificavit. Dicunt qvidam, qvod *Unni* Bremensis Archiepiscopus GORM & HARALDO, qvi in Dania Reges extiterant, predicaret, & Christianis placatos redderet, & Ecclesias diu neglectas revocaret. Iste GORM pater HARALDI extitit, qvi HARALDUS, vivente patre, XV. annos regnum gubernavit. Mortuo patre (f), qvinqvaginta annos regnavit. Hic Christianus extitit cognomine BLATAN sive CLAC HARALD (g). Mortuo HARALDO, SUEN qvidam *Normannorum* transfuga, collecta multitudine, *Angliam* invasit, Regem ALDRADUM expulit, ipse regnum tenuit. Hujus filii GORM & HARTHACNUT, patre (h) non contenti, latrocinio *Daniam* insiliunt, occisoqve Rege Danorum HALDANO cum filiis ejus regnum Danorum partiti sunt, GORM Daniam, HARTHACNUT Angliam. Nam SUEN pater eorum interim, qvo (i) ipsi Daniam invaserunt, mortuus est. HALDANUS autem utrum fuerit filius CLAC HARALDI, annon, in dubio est. GORM crudelissimus Rex sedem regni apud *Selandiam* constituit.

Hujus filius mitissimus HARALD fuit, qvi primus apud *Seland* ecclesiam (k) construxit. Qvi contra patris imperium Christianos amicos habuit, eosqve pro viribus undiqve susceptos in persecutione fovit. Itaqve in malis patre perseverante, HAROLDUS post mortem ejus in Regem assumptus est, Christianusqve effectus est. Qvi mox sacerdotes tam ab *Anglia*, qvam a *Saxonia* venientes, recepit & Christum publice colere cepit. Unde venerabili *Adaldago* Episcopo & OTTONI Augusto amicus & valde familiaris fuit, adeo ut filium ejus baptizatum a sacro fonte (l) & *Suen Otto* vocaverit. Itaqve Rex devotus & in Christo fidelissimus, non solum baptizatus, sed etiam, ut Episcopi per regnum constituerentur, per nuncios deprecatus est. Qva petitione *Adaldagus* Bremensis Archiepiscopus gaudens, consilio Regis & Pape tres ordinavit in Daniam Episcopos, *Hericum* ad *Sleswic*, *Liafdagum* ad *Ripam*, *Rehinbrandum* ad *Arus* (m). Postea etiam plures ordinavit *Adaldagus* Bremensis Archiepiscopus ad nostrates Episcopos, ad *Sleswic* post *Hericum Marconem*,

(e) Edit. Westphalii addit: *A. D.* 901.

(f) Edit. Westphalii addit: *A. D.* 849. sed male.

(g) Auctor HARALDUM KLAK cum HARALDO BLAATAN male confundit, & hunc iterum ab *Haraldo Gormonis* distingvit. Unde *Stephanius* (Vid. Westphal. T. I. p. 1410.) seqventia a *Mortuo Haraldo* usqve ad *annon, in dubio est*, hoc loco expungenda vult, utpote falsa & Chronologiam turbantia, imo male cohærentia.

(h) Edit. Westphalii legit *patria*.

(i) Edit. Westphalii *qvando*.

(k) *Adamus Brem.* Edit. Lindenbr. p. 21. de Rege HARALDO BLAATAN ita: *cujus corpus apud Roskild civitatem, in Ecclesia, qvam ipse primus in honorem S. Trinitatis construxit, est sepultum.*

(l) Deest forte *susceperit*, Vid. *Adam. Brem.* p. 16.

(m) Ed. Westphal. addit: *A. C.* 962. Conf. *Adam. Brem.* p. 16. 20.

poſt *Liaſdagum* ad *Ripam Folbertum*. *Othyncarus Albus*, ad *Suethiam* ordinatus, *Scaniam* & *Seland* procuravit. Poſt qvem fuit *Thurgotus* (*).

Iſte etiam HARALDUS Regem Normannorum *Haconem* de regno expulſum reſtituit (n). Filius *Haconis Trucco* fuit, qvi HAROLDO ſubditus fuit. Filius ejus OLAF CRACABEN fuit. HAROLDUS qvinqvaginta annos in Dania regnavit, qvem filius SVEN in acie vulneravit, vulneratum a regno expulit. Qvi fugiens venit in *Sclaviam*, ibiqve exul obiit (o), & velut alter David magis de perfidia filii, qvam ex ſua miſeria dolens. Corpus ejus a ſuis in patriam reportatum in civitate *Roſkild* tumulatum eſt. Qvod audiens *Olaf Cracaben*, augur peritisſimus (p), filius *Truccori*, filii *Haqvini*, qvem *Haqvinum* HAROLDUS de regno expulſum ſtabilivit, memor illius benefacti, ſtatim *Danos* adiit, Regem SVEN expulit & regnum *Danorum* tenuit. SUEN exulans, potentisſimum Regem *Sveonum*, nomine etiam OLAF, adiit, ſupplex, ut in regnum reſtitueretur, oravit. Nec mora, ſuperveniens cum *Sveonibus*, bellum habuit gravisſimum, in qvo *Norvegiæ* Rex OLAF, augurio deceptus, occidit.

SUEN cognomine TYUUSCEG duo regna tenuit, Chriſtianis valde inimicus, qvos etiam finibus ſuis expelli precepit, ſed cum a *Sclavis* in bello victus, ter caperetur, & bis argento, tertia vice auro ponderaretur, tandem Deum cognovit poſt flagella, qvem cepit qverere eiqve credere. Nam accerſito e Norvegia *Bernardo* (q) Epiſcopo, in *Scania* eccleſiam erexit. *Bernardus* mare transfretans, in *Seland* venit, ibi bone converſationis exemplo vitam finivit. Deinde SVEN *Angliam* invaſit, Regem ADELDRADUM expulit, & Britannie fines potitus, vix tres menſes ſupervixit (r).

Poſt cujus mortem *Edmundus* filius *Adelradi*, qvem SVENO expulit, KANUTUM filium SVENONIS & OLAVUM filium OLAVI Regis Norvegiæ, qvi ibi obſides fuerant, in vincula conjecit. Qvi de vinculis ejus fugientes, navi venerunt *Bremam*, ibiqve a ſancto *Unwano* Bremenſi Archiepiſcopo fidem Chriſti ſuſceperunt & baptizati, reverſi ſunt in *Daniam*. OLAVUS autem Rex *Norvegiæ* conſtitujtur. Qvi dum regnum ſuum primus Chriſtianæ fidei ſubjugaſſet totum, a paucis in bello percuſſus, glorioſam martirii coronam eſt adeptus (s). Cujus corpus a fidelibus *Throndemis* (t) humatum, multis hodie miraculis illuſtratur. Cujus filius in regnum ſucceſsit, nomine MAGNUS, qvi ex concubina genitus, etate puer, magnanimus, forma ſpecioſus. Sed, ne ab incepto opere longe transgredi videar, ad *Reges Danorum* revertar.

Mortuo itaqve EDMUNDO Rege Anglorum, filius ADELDRADUS in regnum ſucceſsit. Qvod audiens KANUTUS, veteris injuriæ non immemor, qvam pater ejus ſibi & OLAVO intulerat, cum mille armatis navibus transfretavit, & immenſis viribus *Angliam* invaſit, triennium cum *Adelrado* certavit. ADELRADUS feſſus & bello & ſenio, cum obſideretur in Londonia civitate, obiit, reliqvens filium *Edwardum*, qvem ſuſcepit ab YMMA Regina, qvæ fuit filia *Rothberti* Comitis.

KANUTUS

(*) *Adam. Brem.* p. 27. 29.

(n) *Adam. Brem.* p. 20.

(o) Edit. Weſtphal. addit. *A. D.* 1001. ſed male. Conf. *Adam. Brem.* p. 21.

(p) *Adam. Brem.* p. 24. 26.

(q) Juxta *Adam. Brem.* p. 25. *Bernardus* a KANUTO M. ex Anglia adductus eſt. Sed cum Anonymo noſtro conſonat *Saxo* p. 189. 190.

(r) Edit. Weſtphalii addit: *mortuus A. C.* 1020. ſed falſo. Conf. *Adam. Brem.* p. 26.

(s) Edit. Weſtphalii addit: *A. C.* 1027.

(t) Conf. *Adam. Brem.* Edit. Lindenbr. p. 28.

KANUTUS victor existens, ipsam YMMAM duxit uxorem, genuitqve ex ea filium HARTHEKNUD. KANUTUS *Ricardo* suam dedit sororem nomine *Estrid*. Qvæ ab illo repudiata Duci *Ulf* (u), sine fratris consensu, est conjuncta. Qvod audiens KANUTUS, inimicari cœpit *Ulf* & sorori sue in tantum, ut etiam eos de regno expelleret. Tandem precibus multorum & auxiliis sub qvadam simulatione reconciliati. Non post multum tempus fecit *Ulf* interfici in *Ecclesia Roskildensi*, euntem ad matutinas, qvem uxor sua *Estrid* honorifice sepelivit, *ecclesiamqve lapideam* in loco *ligneæ* construxit, qvam multis modis ditavit (v). Habuitqve ex eo duos filios *Svenonem* & *Byorn* (x). Qvo peracto, KANUTUS reversus est in *Angliam*, ibiqve vitam finivit (y).

Interea *Libentius* Bremensis Archiepiscopus ad *Seland* ordinavit *Auoconem* (z), qvem antecessor *Unuanus* primus ordinavit. Qvi etiam *Libentius* Archiepiscopus ordinavit ad *Sleswic Popponem* (a), dehinc *Esyconem* (b), ad *Ripam Othyncharum* (c). Qvorum *Poppo* vir sanctissimus fertur SVENONI multum familiaris fuisse. Hic etiam, paganis de fide Christi dubitantibus, in generali Regis & Populi conventu, qvia tunc se credituros spoponderant, ferrum candens in manu gestavit, & illesus apparuit. Unde factum est, ut populus crederet, & sanctus clarusqve in regno fieret. Post mortem vero Kanuti, tres filii ejus regnare ceperunt. SVEN, qvem habuit de *Aluia*, regnavit in *Normannia*, HAROLD in *Anglia*, etiam filius *Aluiæ*, HARTHAKNUD in *Dania*, filius YMMÆ, sub qvo *Willelmus* (d) post *Auoconem* predicavit. Iste HARTHAKNUD contra HAROLDUM fratrem suum, Regem Anglie, a Dania veniens, in *Flandria* (e) classem adunavit. Sed HAROLDUS morte preventus, bellum diremit.

HARTHEKNUD *Daniam* possedit & *Angliam*. Interea SVEN obiit in *Norvegia*, frater HARTHEKNUD. Tunc *Normanni* elegerunt MAGNUM filium sancti OLAVI a Concubina. Tunc HARTHEKNUD & MAGNUS Rex Norvegiæ talem conditionem inter se fecerunt, & super reliqvias cum juramento firmaverunt, ut, qvi diutius viveret, superstes regnum defuncti acciperet, duoqve regna qvasi hereditario jure possideret (f). Sed non post multum temporis HARTHEKNUT obiit (g).

Cujus morte audita, MAGNUS, non immemor pacti, *Daniam* adiit manu magna & valida. Cui occurrens SVEN, Regis HARTHAKNUD ex sorore nepos, filius *Estrid* & *Ulf*, qvem GAMBLEKNUD interfecit, tum navali bello, tum eqvis, cum eo certavit, ad ultimum victus, in *Scaniam* fugit. Qvi cum *Lundis* prepararet iter suum, ut in *Svethiam* fugeret, ecce nuncii de *Seland* venientes, MAGNUM Regem

(u) Conf. *Adam. Brem.* p. 26. *Saxo Gram.* p. 194.
(v) Conf. *Sax. Gram.* p. 195.
(x) *Adam. Brem.* p. 27.
(y) Edit. Westphalii addit: *A. D.* 1036.
(z) *Adam. Brem.* p. 29. 57. *Saxo Gram.* p. 205.
(a) *Adam. Brem.* p. 22. 23. 25. 28. 29.
(b) *Adam. Brem.* p. 20. 25. 26. 28.
(c) *Adam. Brem.* p. 20. 23. & Schol. (23). 25. 26. & Schol. (31). 29.
(d) *Adam. Brem.* p. 54. 55. 56. *Saxo Gram.* p. 208. 209. 210. 212. 215. 216.
(e) *Adam. Brem.* p. 31.
(f) Conf. *Saxo Gram.* p. 202. *Snorl. Sturl.* T. II. p. 9. 51.
(g) Edit. Westphalii addit: *A.* C. 1043.

Regem defunctum nunciant (h). Qvi mox *Seland* reversus, deinde a *Fiunensibus* & a *Jutensibus* ultro (i) in Regem electus, *Daniam* per multos annos strenue gubernavit, & filios filiasqve ex diversis mulieribus procreavit. Cujus filii V. omnes Reges unusqvisqve post alium extiterunt. Qvatuor mors matura prevenit (k).

Sub qvo (l) *Willelmus* Episcopus predicavit, vir strenuus, viribus fortis, & impetuosus, & qvi sola virtute corporis debellaret potentes & animi virtute nulliqve parcens iratus. Cujus temporibus mater Regis SVENONIS *Estrid* Ecclesiæ *Roskildensi* L. mansos, filio consentiente, contulit, qvos prescriptus Episcopus *sigillo* & *privilegio* Ecclesie confirmavit (m). Nec multo post *Willelmus* obiit, cui glorioſus Rex SVENO eqvivocum suum (n) & Capellanum subrogavit, virum qvidem omni morum probitate clarisimum, & omnium antecessorum longe optimum, terror male facientium, remuneratio benevolentium, pater patrie, cleri & salus populi, egregius pietate, & qvi omnia vellet ad perfectum ducere. Ipse *Roskildensem Ecclesiam* fere veluti a fundamento fundavit (o), qvam egregia corona & marmoreis columnis omnibusqve ornamentis decoravit. Ipse *claustrum lapideum* (p) fratribus construxit, & ut *XV. prebende* essent, de mensa sua fratribus & Ecclesie, qvam in honore *sancte Trinitatis* consecravit, addidit. Preterea *Monasterium Ringstathæ* in honore *sancte Marie* construxit, aliud *Slagloſii* (q).

Interea glorioſus Rex Danorum SVENO MAGNUS in *Jutia* obiit, anno Dominice Incarnationis MLXXIV. anno regni sui XXXI. cujus corpus honorifice *Roskildie* est sepultum, ut ipsemet vivens jusserat. Post cujus mortem, filius ejus HAROLDUS in regnum succesit, & regnavit annos VII. unde, secundum *antiqvos*, iste *qvartus HAROLDUS* Rex in Dania extitit. *Primus HAROLDUS*, qvi apud *Maguntiam* baptizatus fuit. *Secundus HAROLD BLATAN. Tertius HAROLD* filius GORM (r). *Qvartus* iste filius SVEN, vir optimus, *rector justisimus* (s). Hic *silvas*, a solis potentibus obsessas, *communes fieri* jusit.

Qvo mortuo (t), frater ejus KANUTUS in regnum levatus est. Hic cum populum qvadam *nova lege* & inaudita ad tributum, qvod nostrates *Nefgiald* (u) vocant, coegit, a *Jutia* in *Fyuniam* fugatus, *Othynshö* in ecclesia sancti *Albani* Martyris, ante altare, magna confesione cordis, martyrizatus est anno Dominicæ incarnatio-

nis

(h) Conf. *Adam. Brem.* p. 35. *Sveno Aggon.* Cap. 5. *Saxo* p. 204.

(i) Edit. Westphalii legit *ultimo.*

(k) Edit. Westphal. addit: *licet satis regno & nomine digni fuerunt.*

(l) Pro *sub qvo* ap. Westphal. *Qvo ævo.*

(m) Hinc apparet, Auctorem Archivum Roskildensis Ecclesiæ inspexisse.

(n) *Svenonem* scil. qvem Dani cognominabant *Norbag. Saxoni* p. 208. *Sveno* Norvagicæ regionis vir, p. 213. *Sveno Noricus.*

(o) Conf. *Ælnoth. Mon.* p. 17. *Saxo* p. 215. 216. 223.

(p) Idem forte cum uno de *Mariæ Sacrariis*, de qvibus *Saxo* p. 223.

(q) Vid. *Saxo Gram.* p. 223.

(r) Hic iterum Auctor *Haraldum Blaatan* & *Haraldum Gormonis* ut duas personas male distingvit, Vid. supra p. 375. Not. (g). Uno autem ex his duobus facto, HARALDUS HEIN fit hoc nomine *Tertius.* Attamen etiam *Qvartus* fieri potest, si *Haraldum*, Kanuti M. fratrem, inter Reges numerare velis.

(s) De *Legibus Haraldi Hein* leg. *Sven. Aggonis* Cap. V. *Saxo Gr.* p. 213. 214. *Ælnoth. Mon.* p. 19. *Kofod Ancher* Hist. Leg. Dan. p. 31. sq.

(t) Edit. Westphalii addit: *A. C.* 1080. qvod verum est.

(u) *Nef* in lingva vet. Dan. est *Nasus.* Hinc *Nefgiald* i: *Tributum* cuilibet *Naso* s. Capiti impositum, hodie Kopskat. Isl. *Nefgildi*, Verelii Lex. p. 180. *Nafgiæld* nominatur in Test. Regis Magni Ladulaas 1285. Act. Lit. Svec. 1731. p. 47. *Hvitfeldius* p. 91. hoc tributum Neffuegield vocat. *Odinus* primus in septentrionem hoc tributi genus introduxit, *Torfæi* H. N. T. I. p. 145. *Dalin* H. Sv. T. I. p. 113. Conf. *Saxo* p. 218.

nis MXC. anno XI. (v) regni ſui. Cujus corpus magnis miraculis illuſtratur, & Chriſtus in martyre glorificatur. Cum qvo etiam occiſus eſt frater ejus nomine *Benedictus*.

Convenientibus igitur regni Primatibus, OLAVUM fratrem ejus in Regem (x) aſſumpſerunt, conſortemqve totius regni Daniæ fecerunt. In cujus temporibus *ingens fames* (y) Daniam per *novem annos* optinuit, ut vix ab illicitis eſcis & interdictis ſe abstinuerit, ſed qvia necesſitate cogente, aliqvando lex frangitur & transgreditur, *eqvi* ad veſcendum occidebantur, *canes* a multis excoriabantur. Non menſas diverſis ferculis ornabant, nec aliqvem apparatum habere cupiebant. Qvam plagam venerabilis *Sveno* Epiſcopus ſtatim poſt interfectionem KANUTI predixit (z) venturam, & ut penitendo eam amoverent, paterna ammonitione multos conſuluit. Sed qvia Deus, qvos vult, indurat, & qvibus vult, miſeretur, cor omnium induravit, & ut predictum eſt, plagis flagellavit. Paſtoris autem miſertus Deus, ab omnibus anguſtiis hujus neqvam ſeculi eum liberavit. In ſecundo enim anno Regni OLAVI, non contentus domeſtica qviete active vite cum Martha, ſed etiam contemplative ſpeculationis particeps fieri voluit cum Maria, licentiam a Rege & populo petiit, Jheroſolimamqve adire penitendo, peregrinationem elegit. Sed veniens ad qvandam inſulam nomine *Rodus* (a), infirmitate detentus, victrix anima Chriſto traditur, corpus a diſcipulis flentibus ibidem ſepelitur. Cujus morte audita, OLAVUS Rex, cum omni clero *Selandenſis* Eccleſie, licet doluit, *Arnoldum* (b) tamen intronizavit. Is vir erat natura ſimplex, & plusqvam paſtoralem curam decuit, negligens. Murum tamen lapideum circa *Monaſterium Roſkildenſe* conſtruxit, *picturam* etiam ejusdem *Monaſterii* renovavit. Anno cujus VII. OLAVUS Rex obiit (c), & ipſe regnavit novem annis, in qvibus nec unus ubertatis fuit.

Qvo mortuo, HERICUS BONUS frater ejus in regnum ſucceſſit, & mox exoſa fames diſceſſit, & vindicta Dei a populo. Utrum autem hec opulentia cauſa HERICI, & hec fames cauſa OLAVI inciderit, cum neuter horum hoc meruit, penes illum eſt, qvi omnia, anteqvam fiant, ſcit, &, qvando vult, & qvomodo vult, diſponit. HERICUS autem octo annis regnavit, & *multas* (d) *iniqvas & injuſtas leges adinvenit*. Hic filios tres ex concubinis habuit, *Haroldum*, *Benedictum*, *Hericum*, ex legitima nobiliſimum genere, nomine *Kanutum*. Hujus qvinto anno, MC. incarnationis Domini anno, Jeruſalem capta eſt a Chriſtianis, Idus Julii. HERICUS tandem, octavo anno regni ſui, anno Domini MCIV. (e) volens Jeroſolimam adire, una cum uxore BOTILDA, & veniens ad *Ciprum*, obiit.

Cujus morte audita, Dani fratrem ejus NICOLAUM in Regem ſtatuerunt, virum manſvetum & ſimplicem, *minime rectorem*. In diebus cujus magna perſecu-

(v) Fallitur Auctor in Annis & Chriſti & regiminis Canuti, occiſus enim eſt, docente *Ælnoth* p. 61. Anno Domini 1086. regni VII.

(x) Edit. Weſtphal. *regnum*.

(y) Conf. *Ælnoth.* p. 69. *Sven. Aggonis* p. 97. *Saxo* p. 222. 223. *Knyt. Saga* p. 140.

(z) *Saxo Gram.* p. 223.

(a) *Saxo Gram.* p. 223.

(b) De *Arnoldo* Epiſc. Roſkild. parum ap. alios memoriæ proditum eſt. *Heimfeld* in Chron. Epiſc. p. 45. dicit, eum in exilio mortuum eſſe. Sed ex iis, qvæ paulo infra narrat Auctor noſter, videtur *Arnoldus* haud diu poſt An. 1120. ſenex in officio obiiſſe, qvod vero ſimile eſt.

(c) Edit. Weſtphalii addit; *A. C.* 1098. qvod non recte.

(d) Alia manu vet. in margine adſcriptum: *mentitur*. Et ſane hic Anonymus eſt unicus, qvi ERICUM EJEGOD propter injuſtas Leges vituperat. E contra propter juſtitiam & legum obſervantiam laudatur a *Saxone* p. 225. & ab Auctore Hiſt. Knytling. p. 142. 146. 162.

(e) Edit. Weſtphalii 1103. habet.

tio Cleri & populi facta eſt. In anno XX. regni ſui, *Petrus* qvidam filius *Botildis* (f), conſilio & inſtinctu Capellani ſui *Notholdi*, qvi poſtea *Ripenſis Epiſcopus* effectus eſt, incepit qveſtionem contra Clericos, qvatinus habentes uxores dimitterent, & non habentes neqvaqvam ducerent (g). Cui qveſtioni Clerici non valentes reſiſtere, qvippe *Arnoldo* Epiſcopo jam ſenio pregravato & egrotante, alii membris truncabantur, alii occidebantur, alii de patria expellebantur, pauci ſua retinuere. *Arnoldus* vero ſeqventi anno poſt illam inceptionem bundonum obiit.

Cui Rex NICOLAUS Capellanum filii ſui *Magni*, nomine *Petrum*, ſubrogavit. Hic fuit vir crudelis (h) & litteratus, & inter omnes Epiſcopos Daniæ tunc temporis eloqventiſſimus & conſtantiſſimus. Qvi mox cauſam Clericorum contra Bondones ſuſcipiens, non ſolum ex illo liberavit, ſed inſuper illud effecit, ut nullus laicus qverimoniam ſuper Clericos in *placitis* faceret, ſed in ſancta *Synodo*, qvod prius neqvaqvam licuit. Valentes Clericos adamavit, eccleſie autem ſue nullum proficuum intulit. *Curias* ſuas lapideis & ligneis domibus ornavit. Et licet prepoſtero ordine utebatur, qverens, qve ſua & qve Ceſaris erant, dicebat tamen, ſe ea, qve Dei erant, velle qverere, ſi aliqva tranqvillitate pacis cum Maria & cum Jacob poſſet permanere. Et ut impleret opere, qvod mente & verbo diſpoſuit, domos ad *eccleſiam ſancti Clementis* (i) & terras addidit, ut *congregatio Monachorum* ibi eſſet. Sed qvia antiqvus hoſtis ſemper ſub velamine latens & ſemper invidens operibus juſtorum, tantam diſcordiam inter Danos ſeminavit, qvod, ex qvo Chriſtianitas in Dania inolevit, major tribulatio Cleri & plebis non eſt facta.

Nam *Magnus*, unicus filius NICOLAI Regis, diabolo inſtigante, *Kanutum* filium HERICI Regis, ſimulata pace interfecit, virum pudicum, ſobrium, ſapientia & eloqventia & omnibus bonis moribus ornatum, anno Domini MCXXX. Unde fratres ejus *Haroldus* & *Hericus* ſeditionem contra NICOLAUM Regem & *Magnum* filium ejus excitabant, & ut NICOLAUS regno & nomine privaretur, & *Magnus* interficeretur, omnibus modis laborabant. Igitur

(f) *Petrum* hunc *Botildis*, qvi ſub NICOLAO & ERICO EMUND Regibus unus ex Optimatibus Daniæ fuit, cum *Epiſcopo Roſkildenſi* contemporaneo, cui etiam nomen *Petrus* erat, male confundunt, *Hvitfeldius*, *Pontoppidanus*, & recentiorum plurimi, imo ipſe *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 246. 251. 264. Anonymus autem hic noſter illos aperte diſtingvit, dum dicit, *Petrum*, qvi fuit *Magni* Regis filii Capellanus, immediate poſt mortem *Arnoldi* circa 1123. vel 1124. factum fuiſſe Epiſcopum Roſkildenſem, eundem partibus NICOLAI faviſſe, & Anno 1134. in prælio Fotvicenſi cum *Magno* occiſum fuiſſe, eiqve immediate *Eſkillum* ſucceſſiſſe. E contra Auctor noſter *Petrum Botildis* ut Clericorum in cauſa matrimonii perſecutorem & qvaſi exſecutorem decreti Concilii Rhemenſis depingit, imo eundem aliqvot annis poſt pugnam Fotvicenſem adhuc viventem ſiſtit, & controverſiam illam *Eſkillum* inter & *Riconem* de Archiepiſcopatu Lundenſi auctoritate ſua feliciter ſedantem. Præterea irrefutabilia Diplomatum teſtimonia de *Petro Botildis* diu poſt prædictum prælium ſuperſtite, & Anno 1135. non ſolum Donationi ERICI EMUND Regis, Monaſterio Ringſtadenſi factæ, ſubſcribente, ſed etiam Monaſterium S. Petri Neſtvedenſe una cum matre & fratribus fundante, habemus, qvam fundationem Rex ERICUS LAM Anno 1140. confirmavit, ipſo *Petro Botildis* præſente. Imo vixiſſe tum adhuc *Petrum Botildis*, ex Diplomate qvodam probatur. Mirum autem eſt, *Stephanium* in Not. ad Saxonem p. 230. qvi ibi ipſe Diploma fundationis Monaſt. Neſtved. d. 29. Nov. An. 1135. datum edidit, etiam *Petrum Botildis* cum *Petro* Epiſcopo Roſkildenſi, qvi in prælio Fotvicenſi occubuit, confudiſſe. De hoc *Petro Botildis* conf. *Saxo* p. 240. 248. 249. 250.

(g) Manu veteri ſupra ſcriptum:

M. C. bisqve Decem Danorum Clerus abegit
Uxores ductas non ſine clade gravi. Hac occaſione *Eſkillum*, poſt Archiepiſcopum, uxorem repudiare coactum fuiſſe credo, niſi mors antea eam ſuſtulerit.

(h) Edit. Weſtphal. pro *crudelis* habet *eruditus*, qvod melius videtur.

(i) *Eccleſia* illa *S. Clementis* congregationi Monachorum deſtinata an *Roſkildiæ* fuerit, aut alibi, mihi incompertum eſt. Forte qvis diceret, *Eccleſiam S. Clementis Hafnienſem*, etiam ante Urbem conditam, exſtructam fuiſſe: At extitiſſe eam tempore *Abſalonis* Epiſc. Roſk. ſeculo duodecimo, certum eſt, Vid. *Ponzopp.* Hafn. Antiqv. p. 152. ſqq.

Igitur HERICUS, collectis omnibus perfidis & sceleratis, in *Jutiam* venit, ibiqve partem populi falsis promissionibus Regium nomen sibi usurpavit (k). Nam hic junior *Haroldo* fuit, & eo multo eloqventior, vir flagitiosus, furore & mendacio repletus. Hoc audiens *Haroldus*, contulit se ad Regem NICOLAUM, juniori fratri servire nolens, tum causa etatis, tum propter turbam filiorum XV (l), qvos habuit, tum deniqve propter infinitam pecuniam, qvam ab omnibus injuste rapuit. Rex autem NICOLAUS perrexit in *Jutiam*, & multa bella cum HERICO habuit. In his omnibus HERICUS victus, fugiendo venit *Slesvic*. Seqventi vero anno, navali bello pugnaverunt ad insulam, qvæ vocatur *Syra* (m), ibi *Magnus* filius Regis NICOLAI, putans patrem esse & prius venisse, circumdatus ab exercitu HERICI, multis captis, plerisqve occisis, vix paucis navibus aufugit. Tertio vero anno (n) Rex NICOLAUS *Selandiam* cum C. (o) navibus venit, & qvia major pars populi, cum *Petro* Episcopo (p), NICOLAO favebat, inito certamine ad *Verebro* (q), HERICUS primo conflictu fugit, NICOLAUS victor existens, *Roskildiam* (r) devastavit.

HERICUS *Scaniam* veniens, auxilium petiit, qvibus expellentibus eum, MAGNUM (s) Regem Norwegiæ filium SIVARDI Regis adiit, & supplex ab eo auxilium petiit. At ille, jam sciens pulchre, qvod voluit, & sub qvadam pacis ac fidei sponsione se ei benefacturum, per omnia promisit. Sed postqvam eum cum paucis suscepit, omnia, qvæ in corde & ore locutus fuerat, manifeste rei eventus ostendit (t). Nam ablata omni pecunia, qvam attulerat, & hominibus ipsius depulsis, precepit suis, ut eum tenerent in compedibus, nec admitti poterat qvislibet extraneus. Qvo facto, HERICUS omnibus destitutus, & tunc maxime vite sue diffisus, vertit se ad callida argumenta. Nam egrotum se simulabat, &, ne *Cummchelde* (u) transferretur, palam non bibit nec manducavit. Præterea nuncium in *Daniam* ad amicos suos misit, rogans, ut si vellent memorie commendare, qvæ & qvanta eis bona contulisset, citius liberarent eum de instanti morte, dato tempore & termino. Unde factum est, ut eadem, qva indictum erat, hora navi venirent, HERICUMqve imponentes, custodibus inebriatis & dormientibus, cum sola *Regina* & pedisseqva in *Scaniam* fugierunt.

At

(k) Pro *usurpavit* Edit. Westphalii legit *tribuere coegit*, qvod rectius. Hoc factum est Anno 1131.

(l) Filii *Haraldi* inferius distincte recensentur.

(m) Edit. Westphalii addit: *A. C.* 1132. De victoria illa per ERICUM ad insulam *Sejerö* reportata, vid. *Saxo* p. 243. *Chronicon Sialandiæ* aliiqve Annales ERICUM ex hoc prælio fugientem falso perhibent, excepto uno, Vid. *Chron. Sial.* p. 77.

(n) Edit. Westphalii addit 1133.

(o) Edit. Westphalii pro C. habet *sex*. Apud *Saxonem* p. 245. *crebra Jutiarum partium classe*, qvam longe pluribus qvam sex navibus constitisse, nullum est dubium.

(p) Verba *Saxonis Gram.* p. 243. de hoc Episcopo ea sunt: *Petrus Roskildensium Pontifex ERICUM corpore, NICOLAUM animo comitabatur, metu alterum, alterum charitate complexus.* Et paulo infra de ERICO ita: *dubiam suspectamqve Petri fidem habebat.*

(q) Prælii hujus apud *Wærebro* meminit *Saxo* p. 245. Ego, contra alios, hoc prælium distingvo ab illo apud *Orbensbyllam*, de qvo *Sveno Aggon.* p. 110. 111. Vid. infra Not. (q) ad Cap. VII. *Sven. Agg.*

(r) Conf. *Saxo* p. 245. *Chron. Sial.* p. 20. *Suhms* Forbedringer p. 202.

(s) Tota hæc periodus, intolerabili librarii incuria, in *Edit. Westphalii* desideratur.

(t) Fugam ERICI in Norvegiam MAGNIqve Regis insidias enodate satis narrat *Saxo* p. 245.

(u) Hodie *Kongelle*, olim urbs & arx munitissima; ideo timuit ERICUS, se, si eo transferretur, vix evasurum. Sensus hujus loci apud Westphalium e contra eo redit, qvasi ERICUS Konungellam deferri optaverit. De hac urbe ejusqve nomine, vid. qvæ infra ad nomen *Sciringesheal* in *Osheri Periplo* commentatus sum.

At *Scanienſes*, qvamvis ei prius auxilium negaverunt, nunc communi conſilio, qvaſi penitentia ducti, omnes unanimiter ſuſceperunt eum, dicentes, ſe velle vivere & mori cum eo, *Aſcero* tunc Archiepiſcopo exiſtente. Iſte primus Archiepiſcopus in *Dania* & in *Svethya* & in *Norvegia* exſtitit. Acer (v) & amarus, & ſapiens, & nullius conſtantiæ. Hic in tanta perturbatione regni ſe murum pro domo Iſraelis non opponebat, ſed qvocunqve aura flabat, ut arundo vento agitata, illuc ſe vertebat.

Eo tempore *Lund* muro & vallo juſſu HERICI (x) eſt circumdata. NICOLAUS interea expeditionem terris ſibi ſubditis indicavit, & ut omnes meliores *pridie Nonas Junii* (y) *Scaniam* venirent, cum omni diligentia precepit. Nam predicto termino ſancta dies *Pentecoſtes* celebratur. Igitur *ſecunda feria* incaute de navibus aſcendentes, nec de rebus ſuis ſapienter diſponentes, occurrit eis HERICUS cum ſuo exercitu, & inenarrabile & irrecuperabile dampnum toti Danie intulit. Heu crudelis annus, dies amara, dies mortis, dies tenebrarum, doloribus plena, ſingultibus onerata. Heu dies, in qva *Magnus* occiditur; flos Daniæ deprimitur, pulcherrimus juvenum, fortis robore, hilaris dator (z), & ſapiens, & conſtantiæ amator, *Magnus* occiditur, & cum eo Duces, & qvinqve Epiſcopi (a), *Petrus* (b) Roſkildenſis, *Thoricus* (c) Ripenſis, *Ketillus* (d) Veſtervicenſis, *Henricus* (e) expulſus de Suethia. *Adelbertus* (f) Slesvi-

(v) Præcipuo *Aſcerum* charactere ſignat Anonymus noſter, cui ut coævo fidendum.

(x) Munitam ab ERICO civitatem *Lundenſem*, vix apud alios reperies.

(y) Accuratiſſimus eſt hic Auctor coævus in definiendo *die prælii Fotvicenſis*, ſcil. ad *d.* 4. *Junii* ſive *pridie Nonas Junii*, qvi An. 1134. in *ſecundam feriam Pentecoſtes* incidebat; *Feria* enim *ſecunda* eſt Dies Lunæ ſ. Mandag, & eo anno primus dies Pentecoſtes d. 3. Junii celebrabatur. Etiam *Liber Daticus Lundenſis* & *Necrologium Lundenſe* hanc memorabilem pugnam ad *II. Non. Jun.* 1134. referunt. *Albericus Mon.* P. II. p. 263. etiam habet *ſecunda feria Pentecoſtes.* Ap. *Annaliſt. Sax.* Eccard. T. I. p. 667. pro in *ſancto die Pentecoſtes* forte legend. *ſecundo die Pent. Knytl. Sag.* p. 194. *á Hvitadogum* o: in diebus Pentecoſtes.

(z) Edit. Weſtphal. *bilaris corde.* Sed melius videtur *bilaris dator*, in qvo elogium *munificentiæ* & *liberalitatis* Magno tribuitur.

(a) In numero Epiſcoporum, cum *Magno* occiſorum, Scriptores veteres inter ſe diſſentientes ſunt, aliqvo tamen modo pleriqve conciliari poſſunt. Rectiſſime omnium ita *Saxo* p. 246. *Petrus Roſkildenſis, & Henricus Svetiarum partium Pontifex, omnesqve Jutiæ, præter unum, Antiſtites hoc prælio oppreſſi.* Unus ille, qvi prælio forte non interfuit aut in favorem fratris ſui *Aſceri* Archiepiſcopi & ERICI Regis intereſſe noluit, fuit *Sveno* Epiſcopus Viburgenſis, qvi paulo ante *Eſkillo* juſſu ERICI occiſo ſucceſſerat, & diu poſt vixiſſe probatur. Itaqve *Saxo* ſex Epiſcopos recenſet, ſcil. *Roſkildenſem*, *Svecicum*, *Arhuſienſem*, *Burglanenſem*, *Ripenſem*, & *Slesvicenſem*, qvi fauciatus paulo poſt ex vulneribus obiit. Cum eo pulchre conſpirat *Knytlinga Saga* p. 194. *Thar voro í lidi med honum VI. Biſkupar*, o: In Magni caſtris *ſex Epiſcopi* militabant. Ita & *Chronicon Sialandiæ* p. 20. *Chron. Epiſcopor. Lund.* p. 4. *Chronicon Erici* ap. Lindenbr. p. 269. *Herm. Cornerus* ap. Eccard. T. II. p. 681. ac alii nonnulli Annales. *Anonymus* ille ap. Ludew, Tom. IX. p. 212. qvi *VII. Epiſcopos* habet, audivit de cæde *Eſkilli* Viburgenſis Epiſcopi, qvem forte connumerat. Qvi 5. *Epiſcopos* occiſos volunt, ut *Annaliſta Saxo*, *Chronographus Saxo*, aliiqve, numerant ſolum in loco occiſos, excluſo faucio Slesvicenſi. *Albertus Stadenſis*, qvi ſolum *qvatuor Epiſcopos* nominat, Svecicum forte neſcivit. *Sveno Aggonis* p. 112. *duos* tantum *Præſules* ad tartara transmittit. *Chronol. vet.* ap. Benzelium p. 81. *tres* ſolum agnoſcit. Nemo autem omnium nomina cæſorum Epiſcoporum nomina accurate adeo, ac *Anonymus* noſter *Roſkildenſis*, recenſuit, unius tamen inter ceteros hoc loco oblitus ſcil. *Ulkilli* Arhuſienſis Epiſcopi, qvem paulo infra nominat.

(b) *Petrum* nominat *Saxo* p. 246. *qvem, ut fati comitem*, ita *tumuli qvoqve conſortem habuit Magnus.* Hujus Epiſcopi etiam meminit *Knytlinga Saga* p. 194. It. *Lib. Dat. Lund.* & *Necrol. Lund.* ad II. Non. Junii. Iſte *Petrus* fuerat Frater Collegii Canonicorum Lundenſis, *Necrol. Lund.* in Bring. Mon. Scan. T. II. p. 265.

(c) In Codice *Petri Olai* ut & *Edit. Weſtphal.* legitur *Thoricus*, ſed rectius nomen *Thorirus* ſ. *Thorerus* ſcribendum. Hunc Epiſcopum occiſum nominat *Knytl. Saga* p. 194. it. *Necrolog. Lund.* ad II. Non. Junii. *Saxoni* p. 242. *Thoro Riparum Antiſtes* vocatur. *Hvitfeldio* & aliis male *Thack* & *Tocko* dicitur.

(d) *Ketillus* erat Epiſcopus *Vendilenſis* ſive *Jorungenſis*, ſic dictus a *Hioringa*, ubi ſedem habuit, *Knytlinga Saga* p. 194. Dicitur autem *Veſtervicenſis*, qvia interdum in *Veſtervico* ſuæ dioeceſis Monaſterio Auguſtinianorum reſidebat. In *Necrol. Lund.* l. c. dicitur *Catelo Wendilenſis*, & in *Lib. Dat. Lund. Katillus Wendalenſis.*

Slesvicenſis inſanabili vulnere ſauciatus, vix annum & dimidium ſupervixit. Sextum autem *Eſkillum* (g) Epiſcopum duobus annis ante iſtud bellum HERICUS fecit interfici in Eccleſia, matutinalibus horis inſervientem, virum pulcherrimum & prudentisſimum & optime literatum.

NICOLAUS vero Rex, videns alios capi, alios membris detruncari, alios interfici, alios aqvis ſubmergi, vix arrepto eqvo, cum *Haroldo* (h), navem optinuit. Deinde ad *Selandiam* veniens, ut potuit, ſuos confortavit. Poſt hæc in *Jutiam* venit, & *Haroldum* participem *dimidii regni* fecit, & *Regio nomine* ſublimavit (i). Inde a *Slesvicenſibus*, fide data & juramento confirmata, peſſima fraude eſt deceptus, & cum Primatibus ſuis reſiduis in civitate infideliter (k) interfectus eſt *VII. Kal. Junii* (l) anno ſupradicto, anno regni ſui XXXI. *Haroldus* vero, qvaſi ſciens fraudes illorum, & multum dehortans Regem, ne crederet eis, finxit ſe alias iturum.

Hoc audiens HERICUS, *Slesvic* adiit, & pro neſario ſcelere *Slesvicenſes* donis ditavit. Illic (m) *Eſkillus*, in loco *Petri*, Roſkildenſis efficitur Epiſcopus, *Notholdus* (n) in loco *Thorici* Ripis intruditur, *Self* (o) Vandalenſium in loco *Ketilli* ſubrogatur, *Illugo* (p) Aruſienſium poſt *Ulkillum* conſtituitur. Interea infidelis *Adel-*

(e) *Saxoni* p. 246. *Henricus partium Svecicarum Pontifex* audit. Nominatur qvoqve in *Chron. Sial.* p. 20. *Knytl. Saga* p. 194. nomen non habet, ſed ſolum: *oc var einn ofan af Svithiodi* ɔ: & erat unus ex ſuperiori parte Sveciæ. *Örnhielmius* H. E. p. 411. *Henricum* ob partium Danicarum ſtudium expulſum Svecia veriſimiliter putat, ſed ex qvanam ſede, neſcius. *Meſſenius* T. IX. p. 61. T. XII. p. 89. *Scarenſem* fingit. Perill. *Dalinus* T. II. p. 71. conjicit, hunc fuiſſe aut *Herbrichtum Lincopenſem*, aut *Henricum Pauli* Danum *Weſteraroſenſem Epiſcopum*, fretus auctoritate *Benzelii* in Monum. Eccl. p. 224. Ita habet *Pet. Niger* Hiſt. Ep. Aroſ. p. 225. Cui concinunt *Spegelius* p. 344. & *Rhyzelius* P. I. p. 245. At diſtinctiſſime omnium *Henricum Sictunenſem* eum nominat ceteris omnibus antiqvior *Codex Necrol. Lund.* vid. *Bringii* Mon. Scan. T. II. p. 231. Num vero *Henricus Sictunenſis* idem fuerit cum illo *Weſteraroſienſi*, Eruditis Svecorum inveſtigandum relinqvo.

(f) *Adelbertus*, qvi paulo infra *infidelis Adelbiörn* vocatur, *Saxoni* p. 250. *Albertus* nominatur.

(g) Ex Ms. vet. Bibl. Hafn. Pontopp. Annal. T. I. p. 334. ſeqventia allegat: *An.* 1133. *d.* 30. *Octob. occiſus eſt Eſkillus Epiſcopus Vibergenſis, vir literatus & prudentiſſimus, Rex ERICUS fecit eum interfici in Eccleſia.* Conf. *Magni Matthiæ* Ser. Archiep. Lund. p. 27. Sed ſi duobus annis ante bellum Fotvicenſe occiſus eſt, factum ſit Anno 1132. neceſſe eſt, niſi pro *duobus annis* apud noſtrum legendum ſit *dimidio anno*. *Arnas Magnæus* ex Breviario Arhuſienſi, qvod mihi nunqvam videre contigit, de eo hæc annotavit: *Eſkillus Epiſcopus in Eccleſia beatæ Margaretæ occiditur.* Eccleſia autem b. Margaretæ pertinebat ad Monaſterium Ordinis Auguſtini jam recens Viburgi fundatum, ſed paulo poſt extra urbem ad *Asmild* translatum. *Eſkillus* ille Epiſcopus fuerat Canonicus Lundenſis, Vid. *Necrol. Lund.* in Bringii Mon. Scan. T. II. p. 265. Hinc iidem Faſti Necrologici p. 252. ita: *XIII. Kal. Nov.* [ɔ: d. 20. Octob.] *Anno Domini MCXXXIII. Eſkillus Vibergenſis Epiſcopus, frater noſter, occiſus eſt.*

(h) *Haroldo* cognomine *Keſia*, fratre ERICI EMUN, ſed caſtra NICOLAI ſeqvente.

(i) Edit. Weſtphalii *ſublevavit.*

(k) Edit. Weſtphalii *crudeliter.*

(l) Edit. Weſtphalii legit: *VIII. Kal. Junii A. C.* 1134. Sed in utroqve qvoad diem error librarii; Nam NICOLAUS occiſus eſt *die VII. Kalend. Julii* ɔ: d. 25. Junii, ut recte docet *Liber Dat. Lundenſis* Vid. *Bring.* Mon. Scan. T. II. p. 119.

(m) Magnam hanc ab ERICO An. 1134. Slesvici peractam Epiſcoporum promotionem nullus alius Scriptor commemorat.

(n) *Notholdus*, qvem *Chron. Eccl. Rip. Nothel* vocat, & qvem ERICUS jam in Epiſcopatum Ripenſem intruſit, fuit ante, ut paulo ſupra annotatum, *Petri Borildis* Capellanus & pravus Conſiliarius. Creditur Plogoni Nigro inſtigator fuiſſe ad eædem ERICI Regis, *Hvitfeldii* Chron. Ep. p. 18. Vixit adhuc 1140. *Hvitfeld* p. 103.

(o) *Self* idem eſt, qvi *Sylveſter Burglumenſis Epiſcopus* ſalutatur in Dipl. Anni 1139. Conf *Hvitfeld* p. 103. Neqve ille nec anteceſſor ejus *Ketillus* in Catal. Epiſc. Hvitfeldii comparent. Vid. *Pontopp.* Annal. Eccl. T. I. p. 337.

(p) Series Epiſcoporum Arhuſienſium hinc belle emendatur. Habemus hic *Ulkillum* An. 1134. in prælio Fotvicenſi occiſum, & eodem anno ſucceſſorem ejus *Illoclum* ſive *Illugonem*, cujus nomen ap. *Holbergium* T. I. p. 211.

biörn (q) Slesvicenſium Epiſcopus de vulnere ſupradicto moritur. Poſt qvem *Riico* (r) Capellanus HERICI conſtituitur.

His omnibus peractis, HERICUS *Scaniam* petiit, ibiqve Natale Domini peregit. *Haraldus* interea in *Jutia* commoratur, & a *Jutenſibus* qvam pluribus confortatur. Hæc audiens HERICUS, ſubito *Selandiam* venit & prepeti curſu magno frigore *Jutiam* navigio petiit, & ſeqventi nocte fratrem, cum liberis & uxore, in villa, qve vocatur *Scipyng* (s), incautum cepit, captumqve a tortoribus occidi fecit, cujus caput parrochiani ejusdem ville in extremo angulo cymiterii ſepelierunt. HERICUS de morte fratris multum gloriabatur, filios autem ejus in *Scaniam* vexit, & usqve ad Auguſtum menſem in compedibus tenuit. Tunc inito pesſimo cum *Scanienſibus* conſilio, miſit eos ad qvandam inſulam, qve vocatur *Suer* (t), ibiqve omnes occiſos in unam foveam projici precepit. Qvorum nomina (u) hæc ſunt, *Sywardus*, *Hericus*, *Sveno*, *Nicolaus*, *Haroldus*, *Benedictus*, *Miſtiuint*, *Knut*. *Olavus* (v) vero,

p. 211. male ſcribitur *Flocus*. Ille adhuc vixit 1140. & forte poſtea, ac ſubſcripſit Diplomati Ricolfi Epiſcopi Ottonienſis, nominans ſe *Iliuch*, *Dugdall* Monaſt. Anglic. T. I. p. 150. Perverſe autem ſcribit *Hvitfeldius* Chr. Ep. p. 99. *Ilockum* in bello cum *Magno* cæſum, cum fuerit *Ulkillus*.

(q) Qvi hic *Adelbiorn* paulo ſupra *Adelbertus* nominatur.

(r) *Rykonem* Anno 1135. adhuc Capellanum Regis fuiſſe, demonſtrat Diploma qvoddam Ringſtadenſe. Sed credibile eſt, eum initio hujus anni Epiſcopum Slesvicenſem factum. Anno 1137, mortuo d. 5. Maji *Aſcero* Archiep. Lundenſi, *Riko* a Cleri Scanienſis parte eligitur Archiepiſcopus. Cui electioni etiam Rex ERICUS, qvod in potiendo regno familiari ejus opera uſus fuerat, ſuffragatur, *Saxo* p. 250. Sed orta inter *Rikonem* & *Eſkillum* de Archiepiſcopatu vehementi & diuturna controverſia, prior mediante *Petro Botildis*, juri ſuo cesſit, Anno 1138. Epiſcopatum Roſkildenſem invitis clericis adeptus. An. 1139. Concilio Lundenſi interfuit, ut docet Diploma Ottonienſe cui cum ceteris Epiſcopis ſubſcripſit. *Hvitfeld.* p. 103. hanc Epiſcoporum congregationem ad An. 1140. haud recte refert. Triſtem *Rikonis* Epiſcopi exitum ordine narrat *Saxo* p. 252. Additamentum *Chronici Sialandiæ* hoc factum ad An. 1143. ponit, qvo anno ipſe Pſeudo-Rex *Olavus* occubuit. *Necrologium* autem *Lundenſe* & annum & diem indubitanter indicat, ſcil. ad d. 18. Octob. 1139. his verbis: *XV. Kal. Nov. Rycco Roſcheldenſis Epiſcopus, frater noſter, cum ſuis occiſus eſt Anno Domini MCXXXIX.* Conf. *Hvitfeld* p. 102.

(s) *Sveno Aggonis* p. 112. *Haraldum* interceptum vult in curia ſua *Jaling*. Sed Auctori noſtro, ut etiam coævo & paulo antiqviori teſti, potius fidendum duco, præcipue cum hic *Saxonem* p. 248. conſentientem habeat, qvi locum *Scypetborp* nominat. Hoc autem nomen idem ſit ac noſtri *Scipyng*. Locum hunc olim credidi fuiſſe *Skierup*, villam territorii Holmansherred, cujus nomen olim *Skyæptborp* & forte *Skipetborp* fuiſſet, & ubi adhuc reliqviæ *Regiæ Domus* ſunt, Vid. *Atlas Dan.* T. V. p. 605. Nunc vero, meliora edoctus, opinor, locum illum, in qvo *Haraldus* tunc reſidebat, fuiſſe villam *Skibet* in territorio Tyrildenſi, tum propter nominis ſimilitudinem, tum etiam propter adjacens prædium nobile, olim *Curiam Regiam*, *Haraldskiær*, qvæ, ſi non a Rege *Haraldo Blaatand*, certe ab *Haraldo Keſia* nomen obtinuit. Situs qvoqve loci hanc opinionem confirmat. Nam & traditio majorum & certa indicia ſunt, amnem præterlabentem olim ex ſinu Vedelenſi navigerum, & portum ad villam *Skibet* fuiſſe, Vid. *Atlas Dan.* T. V. 685. ut & Mappa Geogr. Dioeceſis Ripenſis, Conf. *Joh. Neuchs* de Regia Sede Haraldskier p. 10. 12. Ideo locus iſte ERICO navigio venienti multo aptior ad opprimendum *Haraldum* inopinantem videtur, qvam villa *Skierup*, longius a mari & aqva navigabili diſtans.

(t) Forte inſula ea, qvæ apud veteres alias *Syra* ſcribitur, hodie *Sejerö*.

(u) Nemo Scriptorum, hodie ſuperſtitum, præter noſtrum, nomina filiorum *Haraldi* nobis conſervavit. Dixit ſupra, eos numero *qvindecim* fuiſſe. Cum autem hic ſolum duodecim recenſet, octo ſcil. ſimul occiſos & in unam foveam projectos, unum in prælio Fotvicenſi cæſum, duos in Slia ſubmerſos, & unum elapſum, credere fas eſt, tres infantes obiiſſe. Vid. qvæ de iis ſupra ad *Sven. Aggonis* Cap. VII. dicta ſunt.

(v) Poſt necem Regis ERICI EMUN, *Olavus* a parte Scanienſium Rex eligitur, & diu cum ERICO LAM de Regno certavit, donec tandem in bello cæſus eſt Anno 1143. ut pleriqve aſſerunt. Unde in Faſtis Necrologicis Lundenſibus & aliis qvibusdam Annalibus in numerum Regum Daniæ relatus reperitur. Auctor noſter paulo infra eum parum honorifice *belluam multorum capitum* nominat. Imo a qvibusdam cognomine *Malus* ſ. den Onde dictus eſt, teſtante *Hvitfeldio* p. 102. *Chronol. vet.* in Mon. Benzelii p. 14. appellat eum *Olaum Hung*. An *Hung*, qvod *Strobæus* in Tribus Mon. Lund. p. 23. putat, idem ſit ac *ond*, neſcio, an potius ſit error in vocula. Aliud cognomen *Skaghug* ei tribuitur in Pontopp. Annal. Eccl. T. I. p. 315.

vero, capto patre & fratribus, mendicis & peregrinis se sociavit, & sic eorum vestibus indutus ad *Regem Svethyæ*, nomine SUERKER, pervenit, & supplex ab eo auxilium petiit. Qvi, postqvam totam seriem cognovit, qvaliter & pater ejus interfectus fuit & fratres, sperans aliqvid boni ex eo futurum, in sua eum suscepit, & partem regni sui omnibus diebus HERICI ad necessaria sibi benignissime concessit. *Byorn* (x) & *Hericum* (y) Dyaconum, anno uno ante mortem patris, ad *castellum* (z), qvod est ante *portum Slesvic*, submersit. *Magnus* (a) duodecimus in *Scania* cum *Magno* NICOLAI Regis filio in bello cecidit. Omnes isti filii *Haroldi*, & omnes isti immatura morte consumpti sunt. *Olavus* unus super est, bellua multorum capitum.

Interea *Ascerus* Lundensis Archiepiscopus *tertio Idus Maji* (b) moritur, & in *basilica sancti Laurentii* tumulatur. HERICUS autem per omnia ut *Cæsar* factus, omnia obstacula superans, nullum parem, nullum sibi priorem volens (c), superbus, elatus, & in malitia potens, per omnia terribilis, more fulminis (d) incessit, flentibus, si qvid videbantur habere, abstulit, habentibus & male ridentibus (e) sparsit. Hæc vita HERICI, hæc incessio, talis introitus; sed nunc, qvis sit exitus, videamus. Igitur veniens ad qvoddam *placitum* (f) juxta *Ripam*, surrexit qvidam nomine *Plog*, qvod latine *aratrum* sonat, & Regem incautum mortali vulnere prostravit (g), vir deformis, brevis stature (h), per se nihil faciens, nisi Dominus in aratro, Dominus in lancea, ut Dominus in funda, Dominus in lapide.

Sic eo mortuo & *Ripis* sepulto, Primates terre convenerunt, & *HERICUM Tertium* (i), filium sororis predicti HERICI, in Regem assumpserunt. Vir is erat, plus

p. 315. Vid. de *Olavo*, qvæ narrat *Saxo* p. 251. 252. *Knytl. Saga* p. 207. *Chron. Sial.* p. 21. *Chron. Erici* ap. Lind. p. 259. Ego, donec aliter convictus fuero, puto, eum patrem fuisse *Haraldi* illius, cognomine *Skreng*, qvi post mortem WALDEMARI I. regnum affectavit, *Saxo* p. 374. 375. *Pet. Olai* supra p. 178.

(x) *Biorno* ob eximiæ strenuitatis claritatem *Ferreo* cognominatus est *Latere*, teste *Svenone Aggonis* p. 111. *Saxoni* p. 247. dicitur *Bero*. *Biorno* ille *Jarnsida* uxorem habuit *Catharinam* filiam INGONIS Regis Sveciæ, ex ea genuit filiam CHRISTINAM, postea Reginam Sveciæ, nuptam Regi ERICO SANCTO, *Knytl. Saga* p. 170. Fidem ERICO Regi præstitam submersione luit, *Saxo* p. 248. *Sven. Agg.* p. 113.

(y) *Hericus* l. *Ericus*, & frater ejus *Biorno Jernside* erant natu inter *Haraldi Kesiæ* filios primi, teste *Saxone* p. 247. Uterqve ERICI partibus adhæsit, uterqve pari fato ac simul aqva absumtus, ibid. p. 248. *Svenon. Agg.* p. 113. Ut hic egregius bellator extitit, ita ille sacro ordini consecratus erat, qvod ex titulo *Diaconi* patet. Ceterum ex recensione Auctoris nostri, videtur *Haraldus* duos filios ejusdem *Erici* nominis habuisse, unum scil. cum *Biornone* submersum, alterum una cum septem fratribus occisum. Duorum horum fratrum nomina in *Edit. Westphal.* p. 1417. misere deformata sunt in *Pryuorn* & *Hericum Dicuonem*.

(z) Castellum forte idem fuit, qvod *Canutus* Dux in portu Slesvicensi exstruxit & propugnaculis variis munivit, de qvo *Knytl. Sag.* p. 176. *Saxo* p. 247. *Sven. Agg.* p. 110.

(a) *Magnum*, *Haraldi Kesiæ* filium, in bello Fotvicensi cæsum, frustra alibi qværes.

(b) Lapsu aut memoriæ aut calami Auctor noster sive librarius *tertio Idus Maji* scripsit, pro *tertio Nonas Maji* o: d. 5. Maji; Sic enim docent & *Liber Daticus* & *Codex Necrol. Lundenses*, qvibus in hac parte omnino fidem habeo. Annum isti non apponunt, sed si obitus *Ascheri* ante necem ERICI EMUND contigerit, qvod & Auctor noster, & *Saxo* p. 250. indicant, Anno 1137. *Ascherum* decessisse necesse est.

(c) Edit. Westphalii *videns*.

(d) *Corn. Hamsfortius* in Annalibus suis, supra p. 39. 272. ERICUM dicit nomen *Fulminis Septentrionalis* meritum esse, & hoc, ut addit *Hvitfeldius* p. 110. propter tyrannidem & crudelitatem.

(e) Edit. Westphal. vitiose habet *reddentibus*.

(f) Proximum juxta *Ripas* Placitum erat *Hvidingense*, Hvidingherreds Ting, in qvo potius ERICI cædem perpetratam duco, qvam in *Urnensi Placito*, qvod præfert *Sveno Aggonis* Cap. VII. vide qvæ supra p. 61. annotavi.

(g) Edit. Westphalii addit 1139. qvod tamen falsum; Anno enim 1137. XIV. Kal. Oct. factum est, annotante *Necrologio Lundensi*.

(h) Auctor anonymus *Plogi* personam noviisse videtur.

(i) Qvi tum vivebant, solum ERICOS, memoria hominum regnantes, numerabant, scil. ERICUM EIEGOD *Primum*, ERICUM EMUN *Secundum*, & ERICUM LAM *Tertium*. Hoc in variis Diplomatibus & Annalibus observatum video.

plus qvam regali dignitati decuit, ſimplex & in omnibus viis ſuis inconſtans & duplex adnichilatio Regni & Sacerdotii. Eo tempore non mediocris lis inter *Rukonem* Slesvicenſem Epiſcopum & *Eſkillum* Roſkildenſem Antiſtitem de *Lundenſi* Archiepiſcopatu orta eſt (k). Qvod tamen certamen venerabilis *Petrus* filius *Botildis* ſuo ſapienti conſilio & ſolerti diſcretione ſedavit (l), & eos hoc modo pacificavit, qvatinus *Eſkillus* Archiepiſcopatum obtineret. *Ruko*, qvamvis electus a *Scamienſi* clero & populo, tamen utens conſilio predicti *Petri*, & diſturbationem & guerram devitans, *Roſkildenſem* ſibi Epiſcopatum, Clericis & Laicis reclamantibus, uſurpavit. Rex autem HERICUS, firmisſima pace facta in patria ſua, *decimo anno* regni ſui, regnum reſignavit, Monaſterium adiit, & habitu religionis recepto, mundi miſeriis feliciter valefecit, deinde bono fine qvievit in Domino (m).

Poſt cujus mortem convenerunt *Jutenſes*, & elegerunt KANUTUM filium *Magni*, filii NICOLAI Regis. *Scanenſes* vero elegerunt SVENONEM filium ERICI EMUN, & conſtituerunt eum ſuper ſe Regem. Unde facta eſt longa concertatio inter SVENONEM & KANUTUM annis XII (n). Succedente enim SVENONE in regnum, pax periit, excitatur ſeditio & commotio inteſtina, etiam pacifices ad prelia provocavit.

Tandem decimo anno convenerunt omnes *Dani*, & paci conſulentes, elegerunt duos Reges, KANUTUM, qvi prius fuerat electus a *Jutenſibus*, & WALDEMARUM filium ſancti *Kanuti* Ducis & Martyris. SVENO vero expulſus a Dania, fugit in *Saxoniam* ad ſocerum ſuum Ducem Saxoniæ (o), cum qvo fere tribus (p) annis manſit, a regno remotus. Tertio demum anno ſub ſpecie pacis ad patriam remeavit. Tunc qvidem SVENO, KANUTUS & WALDEMARUS, fidejuſoribus interpoſitis, in unum convenerunt, & prudentum conſilio paci conſulentes, ſeditionem regni ſedare ſatagebant. Tali ergo conditione confederantur cognati, ut regionis diviſe qvislibet illorum tertiam partem libere poſſideret. Et facta ſunt fedus fictum & pax falſa. Convenientibus enim illis *Roſkildis*, KANUTUS & *Conſtantinus* cognatus ejus a SVENONE neqviter necantur *V. Idus Auguſti* (q). WALDEMARUS vero graviter ſauciatus evaſit. Qvi fugiens in *Jutiam* auxilium Jutenſium petiit. Poſt qvem veniens SVENO, & in *Gratheheth* cum eo dimicans, prout Deus voluit, infeliciter occubuit, dignum inſidiarum conſecutus finem. Cujus corpus in *eccleſia villulæ* terræ commendatum eſt.

Poſt hec glorioſus WALDEMARUS, filius ſancti *Kanuti* Ducis & Martyris, filii HERICI Regis *Boni*, a cunctis optimatibus Daniæ in regnum aſſumptus, atqve ab *Eſkillo* Archipreſule in Regem unctus & purpuratus, & diademate glorioſisſime coronatus, atqve in regni ſolio honorifice collocatus eſt Anno Dominicæ incarnationis MCLVII. Qvi regnum Danorum *viginti ſex annis* nobiliter rexit. Nam paganos ad

(k) Lis illa, ut ſupra vidimus, orta erat, regnante ERICO EMUN, ſed demum ſub ERICO LAM, auctoritate *Petri Botildis*, ſopita.

(l) Edit. Weſtphalii *levavit.*

(m) Edit. Weſtphalii addit: *A. D.* 1147.

(n) In numerandis horum Regum annis nimis rotundus eſt Auctor.

(o) Socerum SVENONIS *Saxo* p. 263. *Conradum Saxonum Satrapam* appellat. Hujus etiam meminit *Saxo* p. 269. Erat autem *Conradus* Marchio Misniæ & Luſatiæ, natus Comes Wettinenſis. Hinc *Helmoldo* Ed. Baugerti p. 196. *Marchio de Witbin* ſalutatur. Vid. hujus *Conradi* Hiſt. a *Chr. Schörgen* editam p. 72-77.

(p) *Saxo* p. 271. SVENO continuato apud Socerum exilio *triennium* emenſus. *Helmoldus* p. 196. manſit illic annis *fere duobus.* Pro qvo forte rectius Auctor noſter *fere tribus* habet.

(q) Recte; Nam ita *Necrol. Lundenſe* ap. Bringium T. II. p. 240. *V. Idus Auguſti occiſus eſt KANUTUS Rex filius Magni.*

ad fidem, fideles ad pacem, pacificos ad securitatem provocavit, odium in dilectionem, dolorem in gaudium, bellum in pacem, & egestatem convertit in opulentiam.

Cui successit filius suus KANUTUS, & post eum WALDEMARUS frater ejus in regnum levatus est.

XXVII.

Anonymi veteris Rerum Danicarum & Svecicarum Chronologia ab An. 826. ad An. 1415.

Habetur ea in Systemate Chronologiæ Danicæ a *Stephanio* collecto, qvod ex donatione Delagardiana servatur in Bibliotheca Academiæ Upsaliensis sub No. XXVI. 12 (a); unde ante plures annos ego illam exscribi feci. *Stephanius* vero suum exemplar ex vetusto Codice Bibliothecæ Academiæ Hafniensis olim descripsit, qvi Hafniensi incendio Anni 1728. ni fallor, cum ceteris periit. Edita est ab *Erico Benzelio* inter Monumenta vet. Eccles. Svcogoth. p. 81-97. Auctor qvis aut cujas sit, haud facile conjectu est, nisi velis eum facere Monachum Cisterciensem, eo qvod hujus Ordinis in Septentrione origines sollicite adeo annotavit, & qvid ni ex Cœnobio nostro Sorano? Reverendiss. *Benzelius* eum forsan fuisse *Svecum* putat. Cum vero res *Danorum* æqve serio ac *Svecorum* tractet, aliqvando in *Svecicas*, aliqvando in *Danicas* partes magis inclinans, ego, *Danus* fuerit an *Svecus*, in medio relinqvere cogor. Qvisqvis autem fuerit, necesse est, eum utriusqve gentis Annales vetustiores habuisse, ex qvibus ea, qvæ ante sua tempora gesta sunt, consignavit. Qvæcunqve autem sibi propiora & suo ævo contigerunt, ipse adjecit, inter qvæ pleraqve egregia sunt, & alibi vix obvia. Qvod seculi XV. initio, sub auspiciis Imperii ERICI POMERANI, iisqve temporibus, qvibus Chronicon suum finiit, vixerit, eo minus dubitari potest, cum sub Anno 1411. de filiis & nepotibus *Abrahami Broderson*, suo adhuc ævo viventibus, loqvatur, & paulo infra de liberatione ab advocatis, qvos Svecis MARGARETA præfecerat.

Anno Domini DCCCXXVI. *Dani* cum HARALDO Rege suo ad fidem Jesu Christi Domini nostri sunt conversi, per *Poponem* diaconum, qvi candens ferrum nudis manibus illæsus, cunctis stupentibus, portavit, crediderunqve omnes, qvi aderant, & *Popo* Episcopus factus est.

DCCCXLV. Beatus *Ansgarius* Archiepiscopus Hamburgensis *Svecos* primo ad fidem sua prædicatione convertit.

MXXVIII. Martyrium perpessus est sanctus OLAVUS, inclitus Norvegiæ Rex.

MLXXXVIII. Sanctissimus CANUTUS Rex Danorum a perfidissimis *Jutiis* occiditur *Otthoniæ*.

MXCVIII. Initium cepit *Cisterciensium Fratrum Ordo* sub beato *Roberto*.

MC. Fundata est *Claravallis*, ejusdem Ordinis celeberrimum Monasterium.

MCI. ERICUS BONUS, Rex Daciæ, mortem oppetiit, peregre agens versus Hierosolymam, sepultusqve est in *Cypro*, qvæ est maris mediterranei famosissima insula.

(a) Vid. *Ol. Celsii* Hist. Biblioth. Upf. p. 97.

MCIII. *Aſcerus* primus conſecratus eſt Archiepiſcopus in Dacia.
MCXIX. Factus eſt Dux Slesvicenſis ſanctus *Canutus*, filius ERICI BONI.
MCXXX. Idem ſanctus *Canutus* martyrizatus eſt Ringſtadiæ VII. Idus Jan.
MCXXXIIII. *Roſkildia* vaſtatur a *Slavis*.
MCXXXV. NICOLAUS Rex & Epiſcopi tres occiſi ſunt.
MCXXXVI. HARALDUS Rex interfectus eſt.
MCXLIII. *Riche*, Epiſcopus Roſkildiæ, occiditur.
MCXLIIII. Conventus miſſus eſt in *Alvaſtrum*, & in *Novam Vallem* uno die. Eodem anno venit in *Herivadum*.
MCXLVII. Conventus venit in *Hovetöön*. Eodem anno obiit mortem ERICUS Rex Daciæ, in *Otthonia* Monachus factus.
MCXLIX. *Eſkillus* Archiepiſcopus captus eſt a SVENONE Rege.
MCL. Conventus fratrum venit in *Warnhem*.
MCLIII. S. Bernhardus migravit a ſeculo, LXXIII. ætatis ſuæ anno. Eodem anno Conventus venit in *Esrom*.
MCLVIII. *Vitæ Schola* fundatur. Eodem anno *Abſalon* factus eſt Epiſcopus Roſkildenſis.
MCLX. Conventus venit in *Saba*. Eodem anno ſanctus ERICUS Rex Sveciæ *Upſaliæ* martyrium paſſus eſt, anno regni ſui decimo.
MCLXI. Conventus mittitur in *Soram*, & in *Tutam vallem*.
MCLXII. Fundatum eſt monaſterium *Julitte* (b) a CAROLO Rege, filio SVERCHERI primi.
MCLXIII. Conventus mittitur in *Cuthvaliam* (c). Eodem anno conſecratus eſt *Stephanus* Archiepiſcopus Upſalenſis, qvi fuit monachus in *Alvaſtro*, anno CAROLI Regis qvinto.

MCLXIIII.

(b) Hinc commode emendatur *Rhyzelius* in Monaſteriol. p. 214. qvi errat & in anno fundationis & in Fundatore Monaſterii *Julitæ*. Hoc Monaſterium idem eſt, qvod paulo ſupra ad An. 1160. *Saba* nuncupatur. Utroqve nomine in Diplomatis & Annalibus promiſcue uſitato. Dipl. Anni 1199. *Eccleſiam b. Mariæ Jolath* nominat. Fundus ſive Prædium, in qvo hoc Ciſtercienſium Monaſterium fundatum erat, dicebatur *Sahy*, unde Monachi ſuam *Sabam* finxere, idem ſitum erat in parœcia Sudermanniæ, qvæ adhuc nomen *Julitam* retinet. Hodie locus Monaſterii eſt Prædium Regium, dictum *Julita-Gaard*, Vid. *Dalin.* T. II. p. 145. *Tunelds* Geogr. Svec. Ed. 3. p. 68. 71. 82. Falluntur autem inſigniter, qvi Sanctam aliqvam Martyrem *Julitam* fingunt. *Hvitfeldius* p. 148. *Olivam* prope Dantiſcum cum *Julita* confundit.

(c) Nomen aliis ſcribitur *Gutbualia* & *Gutbnalia*. Fuit olim Abbatia ſ. Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, *Sanctæ Mariæ* conſecratum, Vid. *Lib. Dat. Lund.* ap. Bringium T. II. p. 74. ſitum in *Gotlandia*, duobus a Wisbya miliaribus diſtans, & alio nomine a paroecia, in qva jacet, *Ruma* dictum. *Manriqve* Annal. Ciſt. T. II. p. 406. Abbatiam *Gurnaliæ* vel *Gunvaliæ* An. 1164. VI. Idus Septembris fundatum perhibet. Forte & huc pertinet, qvod idem Auctor p. 247. 250. de fundata Anno 1153. Abbatia de *Gurlande* ſive *Gutlande*. Qvis non errores librariorum cognoſcit. *Hvitfeldius* p. 148. plus ſimplici vice errat, dum *Gutvaliam* in Livonia ponit, dicens, eandem ex Monaſterio *Esromenſi* Sialandiæ An. 1164. Monachos accepiſſe, & paulo ſupra eandem a Monaſterio *Gudvald* diſtingvit, cui Monachos miſit Monaſterium *Nydala* Sveciæ. His ceteros propemodum omnes circumduxit *Hvitfeldius*. *Dalinus* T. II. p. 127. putat, aliud ejusdem nominis, ab illo Gotlandiæ genitum, Monaſterium in Livonia fuiſſe, Conf. *Wallin* Coll. Gotland. p. 12. Rhyzelium in Monaſteriol. p. 158. 185. 274. ſi evolvas, *Rumam* qvidem, imo *Gudwallam*, ſed Auctorem ſimul & in nomine ejus & in ſitu totum confuſum, invenies. Haud multum enodatius *J. G. Arndt* in Chron. Liv. T. II. p. 48. ſe explicat. Recte qvidem ille ex Bullis *Benedicti XI.* obſervavit, *Gudwallam* in Epiſcopatu Lincopenſi, ſed non ubi, ſituatam. Haud exiguum autem olim inter Monaſterium *Gudvaliam* Gotlandiæ & *Livoniam* nexum fuiſſe, obſervandum eſt; *Gudvaliam* enim non modo fundos aliqvos in *Revalia*, ſed etiam plurimas poſſeſſiones in *Eſtonia* & *Livonia*, a Duce *Canuto* aliisqve donatas, habuiſſe, ex Diplomatibus & Annalibus certum eſt. Conf. *Hvitfeld* p. 220. Qvod Scriptores in varios errores abduxit. E contra Fratres Militiæ Chriſti Livonienſes poſſeſſiones in Gutlandia habuere,

qvarum

MCLXIIII. *Tres magi* Coloniam translati sunt. Eodem anno canonizata est sancta *Helena* ab *Alexandro* Papa *Tertio*, per *Stephanum* Archiepiscopum Upsalensem. Eodem anno, primo venit *Pallium* ad regnum *Sveciæ*.

MCLXVII. CAROLUS Rex Sveciæ interfectus est in *Visinxöö* a CANUTO Rege Sveciæ, filio sancti ERICI Regis & martiris.

MCLXVIII. Translatus est beatus *Canutus* Dux *Ringstadiæ*, præsentibus *Eskillo* Lundensi & *Stephano* Upsalensi Archiepiscopis.

MCLXXI. Sanctus *Thomas* Archiepiscopus Cantuariensis martyrizatus est, qvia noluit consentire, ut ecclesiastica bona venirent in prædam & direptionem qvorundam tyrannorum regni Angliæ.

MCLXXIII. Conventus venit in *Locum Dei*.

MCLXXVI. Passa est beata *Margareta Roskildiæ*.

MCLXXVII. *Eskillus* Archiepiscopus, relicta sede Lundensi, factus est monachus in *Claravalle*, cui surrogatur in archiepiscopatu *Absalon* Episcopus Roskildensis.

MCLXXXI. WALDEMARUS Rex Daniæ apud *Travenas* occurrens Imperatori, duas filias suas desponsavit, unam Imperatoris filio, & alteram Comiti *Sigfrido*.

MCLXXXI. Obiit *Stephanus*, primus Archiepiscopus Upsalensis, *XV. Kal. Augusti*, & sepultus in capella monachorum monasterii de *Alvastro*, unde postulatus erat.

MCLXXXII Obiit WALDEMARUS Primus, sancti *Canuti* Ducis filius, *IV. Idus Maji*. Eodem anno vita functus est *Eskillus* Archiepiscopus in Claravalle.

MCLXXXVI. Conventus venit in *Olivam*.

MCLXXXVII. Hierusalem capitur a Soldano. Eodem anno *Johannes* Archiepiscopus Upsalensis interfectus est apud *Almarnstæk* a paganis, & sepultus Upsaliæ. Et *Sichtuna* combusta est a paganis.

MCLXXXVIII. Facta est Translatio *Sancti Cetelli* (d). Et eodem anno ordinatum est *Officium* in *Ecclesia Lundensi*.

MCXC. Monasterium *Reinfældt* fundatur.

MCXCI. Conventus venit in *Rus Regis*.

MCXCIV. Conventus venit in *Asilum*.

MCC. *Holsatia* subjugatur a *Danis*.

MCCI. Obiit *Absalon* Archiepiscopus, & *Andreas* in illius locum eligitur.

MCCII. *Birgerus* Dux primus Sveciæ obiit. Eodem anno migravit ex hoc seculo beatus *Wilhelmus* Abbas Æplæholt.

MCCII. Obiit CANUTUS Rex Daciæ, *pridie Idus Novembris*, & coronatur in Regem WALDEMARUS II.

Ut

qvarum defensionem *Abbati de Gotlandia* committit Papa *Innocentius III.* Epist. T. II. p. 807. *Frater Angelus* Abbas Monasterii de *Runa*, qvi inter ceteros septentrionales nuncios comparet ap. *Martene* T. VII. p. 221. sine dubio hujus Monasterii Gotlandensis Abbas fuit. In Diplomate Wisbyense Anni 1317. occurrit *Frater Conradus Abbas & totus Conventus Claustri Gutbualiæ Ordinis Cistercienſis*, & in alio Anni 1438. *Johannes Abbas in Gutbualia*.

(d) *Sanctus Ketillus*, Viburgensium Patronus, passus est in *Ecclesia S. Margaretæ Asmild* prope Viburgum Jutiæ An. 1151. V. Kal. Octobris. Fuit ille, non, ut *Hvitfeldius*, & qvi eum seqvuntur *Pontoppidanus* aliiqve, *Episcopus* Viburgensis, sed ejusdem Capituli sive Ecclesiæ *Præpositus*. De eo ita *Necrolog. Lund.* ap. Bringium T. II. p. 248. *V. Kal. Oct. ex hoc mundo migravit bonæ memoriæ S. Ketillus, Prælatus S. Mariæ Wibergensis Ecclesiæ.*

Ut intelligas, Lector, Regiam Stirpem, jus habentem ad regnum *Sveciæ*, descendisse a *Danorum* Regum prosapia, subjectam oculis tuis genealogiam diligenter expende. SVENO ESTRIDSON inter multos, qvos habuit filios, duos eximios genuit viros. Unus erat CANUTUS Rex, insignis Christi martyr, cujus sacræ reliqviæ *Otthoniæ* conditæ sunt, ubi etiam passus est. Alter erat ERICUS BONUS, dictus *Eyegodt*, qvi moriens *Hierosolymam* profectus, sepultus est in *Cypro*. Prior, nempe Sanctus CANUTUS martyr, genuit filium, *Carolum* nomine, Flandriæ Comitem, & duas filias, *Ceciliam* & *Ingridem*. Hæc posterior nupsit *Fulchoni* cuidam, viro inter omnes Svecos nobilissimo, qvi ex ea genuit *Benedictum*, patrem *Magni Mannesкioldt*, qvi postea genuit *Birgerum* nobilissimum Ducem, dictum *Jarl*, patrem MAGNI LADELAAS Regis Sveciæ. Alter SVENONIS filius ERICUS EYEGODT genuit *Canutum* Ducem & martyrem de *Ringstadia*, cujus filius WALDEMARUS genuit *Rikissam* Reginam Sveciæ, ex qva nati sunt, ERICUS Rex dictus *Lespe*, qvi absqve liberis mortuus est, & *Ingeborgh* Ducissa, uxor *Birgeri Jarl* eximii Ducis, qvi genuit MAGNUM LADELAAS prædictum Regem Sveciæ.

MCCIII. WALDEMARUS II. coronatur.

MCCIV. Arma movit contra *Norwegiam* WALDEMARUS Rex (e), itaqve hostibus factus superior, *Erlingum* constituit Regem ibi, & *Philippum* qvendam fecit Ducem. *Erlingus* præstitit homagium WALDEMARO, datis in hoc obsidibus ex Normannis. Hæc autem facta sunt apud *Tunsbiergh*.

MCCVIII. Initium habuerunt Ordines *Minorum* & *Prædicatorum*. Eodem anno pugnatum est acriter in *Lena Westgothiæ*, duce SVERCHERO, filio Regis Sveciæ CAROLI, cui multæ erant Danorum copiæ fortissimæ, sub principibus belli *Ebbone Suneson* & *Laurentio* fratre illius, fortissimis pugnatoribus, filiis ducis *Sunonis* Sialandici de *Knarretorp*, factaqve est magna utriusqve exercitus strages, ceciderunt-qve in eo prælio ipsius belli principes. Pugnatum est autem *pridie Kalendas Februarii*, cessitqve victoria SVERCHERO, verum maxima sui exercitus jactura.

MCCX. Bellatum est rursum in *Gyllstenreen* (f). Rex SVERCHERUS dictus *Hack*, CAROLI Regis filius, occubuit, & *Folcho* Dux, alii qvoqve multi viri nobiles de *Folkungis*, cessitqve victoria *Svevis*.

Eodem anno coronatus est ERICUS II. filius CANUTI Regis, in Regem Sveciæ, *XI. Kalend. Decembris*, duxitqve uxorem RIKISSAM filiam WALDEMARI Regis Danorum, filii Sancti *Canuti* Ducis, qvæ genuit postea ERICUM LESPE Regem Sveciæ, qvi absqve liberis defunctus est, & *Ingeburgem* Ducissam, uxorem *Birgeri Jarl* Ducis, qvi postea genuit MAGNUM LADELAAS, patrem BIRGERI Regis, & duorum Ducum, scilicet *Waldemari* & *Erici*.

MCCXV. Celebratæ sunt nuptiæ Regis WALDEMARI cum filia *Regis Portugalliæ*, qvi antea duxerat filiam *Regis Bohemiæ*.

Eodem anno Rex WALDEMARUS constituit filium suum WALDEMARUM Regem in placito Wibergensi.

Eodem anno, cum OTTO Imperator armato milite venisset adversus WALDEMARUM Regem, occupaturus *Holsatiam*, si res successisset illi ex voto. Sentiens autem, occurrere sibi Regem WALDEMARUM cum ingentibus copiis, in fugam est conversus, nec qvievit, donec ultra *Albiam* ventum esset.

MCCXVI.

(e) Conf. *Chron. Erici* ad An. 1204. supra pag. 164.

(f) Scribendum rectius *Gestilreen* sive *Gyæstilren*, Ihre Catal. Vet. Regum p. 108. Locus est in Ostrogothia Sveciæ, vid. *Dalin* T. II. p. 171. *Benzelii* Utkast p. 178. Vitio typographorum hoc nomen apud Auctores male deformatum est, e. gr. Hist. Compend. Reg. Dan. p. 36. *Gulstus Reen*.

MCCXVI. Obiit ERICUS II. Rex Svecorum filius CANUTI. Eodem anno Rex WALDEMARUS terram Comitis *Henrici* ultra *Albiam* paulatim vaſtare ac populari cœpit, exſtruxitqve *duas arces* non procul ab *Hamborgh*, *Ducatum Slesvicenſem* vero *Erico* filio ſuo contulit, *Comitatum* (g) autem, qvem ab *Henrico* vindicarat, *Nicolao* filio ſuo dedit, qvem ex pellice habuit, non autem ex uxore libera ac legittima.

MCCXVIII. WALDEMARUS TERTIUS Rex coronatur apud *Slesvigh*. Eodem anno *Roſkildia* vaſtatur.

MCCXXI. Transiit ex hoc mundo beatus pater *Dominicus*.

MCCXXIII. Captus eſt WALDEMARUS cum filio, dolo, & in *Slaviam* deductus.

MCCXXVI. Obiit ſanctus *Franciſcus*.

MCCXXVII. Liberatus eſt a captivitate WALDEMARUS Rex una cum filio ſuo, interveniente maxima mulcta.

MCCXXXI. Obiit WALDEMARUS III. Rex Daciæ.

MCCXXXI. Coronatus eſt ERICUS in Regem Daciæ, & frater ejus *Abel* Jutiæ Ducatum accepit.

MCCXXXVII. Bellum fuit in *Schanör* inter *Normannos* & *Danos*.

MCCXXXIX. ERICUS Rex Daciæ duxit uxorem JUTTAM, filiam Ducis Saxoniæ.

MCCXLII. Inclitæ recordationis WALDEMARUS II. Rex Daciæ in *Coena Domini* qvievit *V. Kalend. Aprilis*, filiis autem ſuis antea in matrimonio junctis, diſpoſito prius regno in optima pace.

MCCXLIV. Celebratæ ſunt nuptiæ ERICI III. Regis Sveciæ (h).

MCCXLV. *Laurentius*, Legifer qvidam *Oſtrogothorum*, rapuit ſororem *Reginæ Sveciæ* (i).

MCCXLVII. Grave incendium totum *Sorenſe monaſterium* abſumſit.

MCCL. Obiit ERICUS III. Rex Sveciæ, & WALDEMARUS in regno ſucceſſit. Eodem anno ERICUS Rex Danorum a fratre ſuo *Abel* dolo occiditur in *vigilia S. Laurentii*. Eſt autem *Ringſtadii* ſepultus.

MCCLI. Coronatus eſt WALDEMARUS Sveciæ Rex in Eccleſia Lincopenſi. Eodem anno nobiliſſimi viri, *Canutus Magni* & *Philippus Canuti* filius, etiam *Philippus Petri*, cum multis Teutonibus, interfecti ſunt. Erat autem dictus *Canutus* filius Dominæ *Catharinæ* filiæ Regis ERICI SECUNDI.

MCCLII. ABEL Rex Daciæ interfectus eſt a *Friſonibus* juſto Dei judicio, qvod ille prius occiderat dolo innocentiſſimum fratrem ſuum ERICUM. Huic ABEL ſucceſſit alius frater nomine CHRISTOPHORUS, cujus tempore bellatum eſt in *Schanör*.

MCCLIX. Obiit CHRISTOPHORUS Rex Daciæ.

MCCLXXIV. Ortum eſt diſſidium inter WALDEMARUM Regem Sveciæ & illius fratres.

MCCLXXVI. Coronatus eſt in Regem Sveciæ MAGNUS LADELAAS in Eccleſia Upſalenſi. Et eodem anno, circa *feſtum S. Martini*, duxit uxorem Dominam HELVIGH, filiam Comitis Holſatiæ.

MCCLXXVII. WALDEMARUS cum Rege Daciæ ERICO in exercitu magno vaſtavit *Weſtgothiam*. Eodem anno reconciliati ſunt MAGNUS Rex & Dominus

(g) Comitatum Hallandiæ.

(h) Vid. *Dalini* Hiſt. Svec. T. II. p. 203.

(i) Vid. *Stiernmanni* Höfdinga minna p. 262. *Dalin* T. II. p. 203.

nus WALDEMARUS Regis frater, qvi ob ſtuprum, qvod admiſerat cum uxoris ſuæ ſorore, a regno Sveciæ deturbatus eſt, poſtqvam multis annis glorioſe regnaverat. Igitur hac lege reconciliati ſunt, ut WALDEMARUS eſſet *Weſtgothorum* & *Oſtgothorum* Dominus, MAGNUS vero partium ſuperiorum, dicereturqve ſolus Rex & Princeps totius regni Sveciæ.

MCCLXXIX. Reſignavit Dominus WALDEMARUS totum Sveciæ regnum ad manus fratris ſui Domini *Magni Ladelaas*, factusqve eſt exul apud Danos ob ſtuprum prius commemoratum.

MCCLXXXIV. Electus eſt in Regem Sveciæ BIRGERUS filius MAGNI LADELAAS, & *Ericus* illius frater Dux factus eſt, utroqve adhuc impubere. Dominus vero *Benedictus*, frater Domini Regis MAGNI, factus eſt *Dux Finlandiæ*.

MCCLXXXVI. Interfectus eſt ERICUS Rex Daciæ dictus *Klipping*, filius CHRISTOPHORI Regis, & pater alterius CHRISTOPHORI patris WALDEMARI dicti (k) . . *Soræ* ſepulti. In nocte vero *ſanctæ Ciciliæ* ruri agens venationis gratia in dioceſi Wibergenſi, villa *Findetorp* (l), cum graviter ſoporatus dormiret in horreo qvodam, dormientibus etiam omnibus, qvi cum illo erant, ingreſſi ſunt clam ſeptem viri, prævia laternula, de induſtria armati, qvorum unus Regis caput manui innixum gravi pugione crudeliter perfodit, ceteri autem invadentes Regium cadaver jam exanime intulerunt illi LXX. vulnera, in ultionem, ut ferebatur, nefandæ libidinis, qva corruperat & expugnaverat multarum etiam nobilium matronarum pudorem, inter qvas fuerat etiam ſtuprata uxor Domini *Stigoti* Marſchalci regni.

MCCLXXXVII. Juratum eſt in Dacia a XXVII. nobilibus viris, Dominum *Jacobum* Comitem Hallandiæ, Dominum *Stigotum* Marſchalcum, Dominum *Nicolaum Hallandsfar*, Dominum *Petrum Porſe*, aliosqve multos illorum complices, veros eſſe Regis ERICI interfectores, qvi ſtatim ſibi timentes, in *Norvegiam* fugerunt, receptiqve ſunt ſub Regis Norvegiæ protectione.

MCCXC. menſe Decembri, *XV. Kalend. Januarii*, obiit Princeps magnarum virtutum, ſempiterna memoria dignus, Dominus MAGNUS LADELAAS Rex Sveciæ, regnavitqve filius ejus BIRGERUS pro eo, undecimum annum agens, cum regnare cœpiſſet.

MCCXCIII. Mortuus eſt Dominus *Stigotus*, qvondam Marſchalcus Regis Daciæ, in inſula *Hielm*, qvam arce qvadam munierat, unde etiam piraticam exercuit. Corpus poſtea occulte tranſlatum eſt in *eccleſiam Hindzholm* (m).

MCCXCIV. Captus eſt *Rane Jonſon* a *Chriſtophoro* fratre Regis Danorum, & ante *Roſkildiam* rota percuſſus occubuit, in ultionem patris dicti *Chriſtophori*, ſcilicet ERICI Regis, cujus idem *Rane* fuerat cubicularius.

MCCXCVI. Congelatum eſt mare tanto rigore, ut eqvitari poterat de *Opslo* ad *Jutiam*.

MCCXCVIII. Factæ ſunt nuptiæ Regis BIRGERI & Reginæ MARGARITÆ in *Stokholm*.

MCCXCIX. Obiit ERICUS Rex Norvegiæ, filius MAGNI Regis Norvegiæ, ſucceſſitqve illi in regno frater ejus.

MCCC. Natus eſt *Magnus*, BIRGERI Sveciæ Regis filius, qvi, dum adoleviſſet, ob paternum ſcelus, qvod in duos fratres commiſerat, a Conſulibus regni Sveciæ capite

(k) Forſan ſupplendum *Atterdag*, lacuna enim hic eſt.

(l) Hodie *Finderop*, villa ruralis in territorio Nörlyngenſi, haud procul Viburgo diſtans.

(m) Peninſula Fioniæ.

capite truncatus eſt. BIRGERUS autem fratruelis (n) ejus fame, crudelisſimo mortis genere, duos fratres ſuos interemit.

MCCCII. *Ericus* Dux Sveciæ, frater BIRGERI Regis, ab eodem poſtea fame interemptus, duxit in uxorem filiam *Regis Norvegiæ.*

MCCCIII. Incepit diſſidium inter eccleſiaſticos & proceres prophanos regni *Sveciæ*, ſubjeceruntqve univerſum clerum tributis & exactionibus, qvi antea gaviſus erat eccleſiaſtica libertate. Eodem anno conatus eſt Rex BIRGERUS, ad ſuggeſtionem Domini *Trugilli* Marſchalci, captivare reverendum dominum Archiepiſcopum, cum ceteris regni Sveciæ Epiſcopis, circa *feſtum Magdalenæ.*

MCCCIV. Facta eſt magna discordia inter Regem BIRGERUM & illius fratres, ſcilicet *Ericum* & *Waldemarum* Duces, qvi, timentes fratris inſidias, fugerunt in *Norvegiam.*

Eodem anno vaſtarunt iidem Duces incendio *Ludoſiam*, civitatem *Weſtgothiæ*, ædificaruntqve arcem in *Daal* (o).

Eodem anno, conſiliis Marſchalci dolo & fraude occupavit (p) arcem *Nyköpingh*, qvæ ſubjecta erat *Erico* Duci.

Eodem anno ædificaverunt iidem Duces & illorum complices munitionem *Daalzborg*, qvam poſtea ad ſuggeſtionem Domini *Torchilli* Marſchalci BIRGERUS Rex, cum univerſo exercitu ſuo, occupare volens, obſedit.

MCCCV. Concordia facta eſt inter Regem & Duces *die beati Sigfridi.* Simul etiam inter *Regem Daciæ* & *Regem Norvegiæ* ictum eſt fœdus, qvod autem paulo poſt ruptum eſt.

Eodem anno captus eſt & *Holmis* carceri mancipatus, Regis & Ducum juſſu, Dominus *Torchillus* Marſchalcus, qvi fuerat fraterni diſſidii author, & anno ſeqventi, circa *feſtum Dorotheæ* virginis, capite truncatus eſt, atqve in ipſo truncationis loco mox ſepultus, ſed paulo poſt circa *feſtum Erici* Regis in *Capellam Fratrum Minorum* (q) eſt translatus.

Annis proxime ſuperioribus incredibilibus malis afflictum eſt Sveciæ regnum a ſupradicto *Torchillo* Marſchalco illiusqve ſodalibus tyrannis. Tertia die a captivitate Marſchalci factum eſt divortium inter *Waldemarum* Ducem & illius uxorem, qvæ erat filia Domini *Trugilli Knutſon* Marſchalci jam ſæpius commemorati.

MCCCVI. In *feſto divi Michaelis* archangeli captus eſt Rex BIRGERUS ab exercitu fratrum ſuorum, una cum Regina MARGARETA, & duobus filiis unaqve filia. Captus eſt etiam, ſcilicet (r) cum eo, Dominus *Nicolaus* Epiſcopus Aroſienſis, ſex Eqvites aurati, & XVI. Armigeri, ductiqve ſunt omnes in Nycopiam. Ac interim *Magnus* Regis primogenitus delatus eſt in *Daciam* ad avunculum ſuum ERICUM Regem.

MCCCVIII. Rex BIRGERUS cum filiis fugit in *Gotlandiam*, & poſtea in *Daciam.*

MCCCIX.

(n) Error eſt in voce *fratruelis.*

(o) Mox infra *Daalzborg*, Arx Weſtrogothiæ, *Dalino* T. II. p. 347. *Dalelorg*, *Rhyzelio* Sviogoth. Mun. p. 50. *Dalaborg* ſive *Dalabus.*

(p) Scil. BIRGERUS Rex.

(q) Hodie *Templum Riddarholmenſe*, qvod ante Reformationem pertinuit ad Monaſterium Fratrum Minorum Stokholmiæ.

(r) Pro *ſcilicet* legendum eſt *ſimul.*

MCCCIX. *Rex Daciæ* ſuppetias laturus Regi Sveciæ, grandi exercitu venit *Junacopiam* usqve, adverſus Duces, ubi fuerant per VI. ſeptimanas in obſidione cujusdam caſtri, qvod conſtruxerunt hi, qvi Regis partes fovebant. Nihil ergo proficiens *Rex Daciæ*, re infecta, & treugis cum Ducibus factis, & terris utrinqve miſerabiliter vaſtatis, ad proprios fines eſt reverſus.

MCCCX. Interfecta ſunt tria millia *Templariorum* (*), qvi erant ſub religionis titulo falſi chriſtiani authoresqve magnæ hæreſis, cujus cauſa totus tandem Ordo deletus & extinctus eſt.

MCCCXI. Dux ERICUS, ex peregrinatione reverſus, qvo fuerat peregrinatus amore Romani Pontificis, qvi tunc *Avenione* ſuam curiam habebat, deſponſavit ſibi in uxorem filiam HAQVINI Regis Norvegiæ.

MCCCXIII. Rex BIRGERUS rediit in *Sudercopiam*, mulctatisqve prius *Gotlandenſibus*, per qvos transiit, jam facta cum illis pace.

MCCCXVII. Rex BIRGERUS, *ſabbatho poſt feſtum beati Nicolai* epiſcopi, dolo fratres ſuos *Ericum* & *Waldemarum* Duces intercepit, captos enim nocte, cum in lectis qvieſcerent, nudos, poſito omni pudore, mox in vincula conjecit, carceriqve mancipavit, compilato univerſo ipſorum theſauro.

Eodem anno creatus eſt Romanus Pontifex *Johannes XXII.*

Eodem anno *civitas Holmenſis* eſt ligneis mœnibus cincta & munita.

MCCCXVIII. Idem Rex BIRGERUS, contempto Deo, nec habens æqvitatis aut fraternitatis rationem, duos fratres ſuos Duces, iniqviſſime captos, plagis & verberibus graviter affectos ac in carcerem miſſos, fame, crudeliſſimo mortis genere, interfecit. Periit autem *Ericus* tertia die, qvia tantis fuit verberibus, dum caperetur, afflictus, *Waldemarus* autem XI. die occubuit. Interea proceres ac milites Ducum, crudeliſſimam necem ſuorum dominorum moleſte ferentes, congregati ſunt in ultionem tantæ immanitatis, inter qvos erant præcipui, Dominus *Carolus Eleri* (s) *filius dictus Kolpöye*, & Dominus *Burgo rex* (t) Smalandiæ, occupantes caſtra *Nycöping*, *Stækeborg*, *Lagaholm*, & *Wiſinxö*, illa ſubverterunt. Captusqve fuit cum aliis multis Regis Dapifer *Johannes Brunche*, & in monte, qvi nunc ab eodem dicitur *Brunchebierg*, rotatus interiit. Inſuper Rex cum tota familia pulſus e regno Sveciæ, fugit in *Daciam*, ibidem exilium paſſus eſt toto tempore vitæ ſuæ, & in eodem exilio miſerabiliter obiit.

Eodem anno bellatum eſt primo in *Karleby langa* (u) XIV. Kalend. Aprilis, deinde in *Mielcka langa* (v). Eodem anno Ducum proceres magnam partem *Scaniæ* invadentes occuparunt, fugato *Danorum Rege* in *Sielandiam*, qvi ibidem erat in præſidiis. Eodem anno funera fame interfectorum Ducum ad *civitatem Holmenſem* translata ſunt, ibidemqve in templo civitatis ſepulta.

MCCCXIX. Obiit HAQVINUS Rex Norvegiæ, cujus filiam *Ingeburgem* habuerat uxorem Dux *Ericus*, ex qva genuit MAGNUM SMEEK, poſtea Sveciæ, Norvegiæ & Scaniæ Regem.

Eodem

(*) De deletione *Templariorum*, lege *Henr. Pantaleon* de Ord. Johannit. p. 94.

(s) Nonne legendum *Carolus Elinæ filius de Kalmare*, de qvo vid. *Stiernmanni* Höfdingaminne p. 282. *Dalini* Hiſt. Sv. T. II. p. 401. *Hadorphi* Chron. Rhytm. p. 86. 133. T. II. p. 9. *Eric. Olai* Edit. Locc. p. 115.

(t) Aliis *Buggo*, ut annotat ipſe *Benzel.* Mon. Sveog. p. 91. Sed credo, hæc culpa librarii corrupta eſſe, & pro *Burgo rex* aliud aliqvod nomen in autographo ſcriptum fuiſſe, forte *Byrgerus* ſive *Byrger ex Smalandia.*

(u) Magna villa ruralis haud procul Falecopia Weſtrogothiæ, Vid. *Tuneld* Geogr. p. 227.

(v) Locus eſt in Scania, prope ſtagnum Finia in territorio Gyngenſi occidentali. Apud *Ericum Olai* Edit. Locc. p. 119. *Molklang* dicitur. *Hvitfeldius* p. 406. Locum illum *Milkelang* in Færsherred collocat.

Eodem anno, *VII. Idus Julii*, eligitur in *Regem Sveciæ* prædictus MAGNUS SMEEK, *Erici* Ducis filius, apud *Upsaliam.*

MCCCXXI. Obiit Rex BIRGERUS, fratricida crudelissimus. Eodem anno vita functus est etiam *Benedictus* Episcopus Scarensis.

MCCCXXII. Dominus *Petrus* de *Hoseby* eligitur in Episcopum Scarensem.

MCCCXXIII. Obsessum fuit novum castrum *Axeralld.* Seqventi vero anno obsessum fuit *Humehals.*

MCCCXXVII. Dominus *Canutus Porse* duxit uxorem *Ingeburgem*, relictam *Erici* Ducis, matrem MAGNI Regis.

MCCCXXX. Obiit idem *Canutus Porse* in hebdomade Pentecostes, qvo anno etiam combusta fuit *Holmis* civitas.

MCCCXXXIII. Dominus MAGNUS Rex Sveciæ emit totam *Scaniam* a Dominis Holsatiæ, qvi illam in pignus acceperant a CHRISTOPHORO Rege Danorum, patre WALDEMARI dicti . . . (x). Emptionis autem pretium erat LXX. millia marcharum argenti puri. Videntes enim *Holsati*, ob suam tyrannidem defeciisse proceres Scaniæ ad MAGNUM Sveciæ Regem, coacti sunt vendere, qvod alioqvi non fuissent diu habituri.

MCCCXXXVI. Rex MAGNUS regni Sveciæ coronam accepit *Holmis.* Qvo anno mortuus est Dominus *Petrus* Episcopus Scarensis.

MCCCXL. Cum esset in regno Daciæ interregnum, mortuo scilicet Rege CHRISTOPHORO, & nondum ex aula Imperatoris reverso illius filio *Waldemaro*, ingressi sunt *Jutiam* Domini Holsatiæ *Johannes* Dux (y) & *Gerardus* Comes, tanqvam illam mox occupaturi. Cumqve Comes *Gerardus* ad *Randrusiam* Jutiæ civitatem perveniisset, ac ibidem sua firmasset præsidia, a nobili qvodam viro *Nicolao Ebbonis*, patriæ libertatis studiosissimo, nocte interfectus occubuit. Qvi paulo post fertur interfectus in obsidione arcis *Scandeborrigh*, cum illam conaretur vindicare e manibus dictorum Holsatorum.

MCCCXLIV. Mortuus est Dominus *Ulpho Gudmari*, maritus beatæ *Birgittæ.* Eodem autem anno primum factæ sunt *Revelationes* eidem beatæ *Birgittæ.*

MCCCXLVI. Demolitum & subversum est castrum *Falkenbierg.* Qvo anno tantum erat *frigus* tantaqve aeris intemperies in die conversionis b. Pauli, qvod multi periclitantes in sylvis & campis mortui sunt inventi.

MCCCL. Gravis qvædam *pestis ac mors subitanea* tam in hominibus qvam in pecoribus grassabatur.

MCCCLIII. Dominus MAGNUS Rex creavit in *Ducem Finlandiæ* & *Hallandiæ* Dominum *Benedictum Algothi* circa festum *purificationis beatæ virginis.*

MCCCLVI. ERICUS Rex, filius MAGNI, obsedit castrum *Wardbierg*, fugato *Benedicto* Duce.

MCCCLIX. Obiit ERICUS Rex, filius MAGNI Regis.

MCCCLX. WALDEMARUS Rex Daciæ, dolo & fraude, abusus simplicitate MAGNI Regis Sveciæ, iterum vindicavit *Scaniam* e Svecorum possessione, exustis omnibus litteris MAGNI Regis.

MCCCLXI. WALDEMARUS Rex occupavit *Ölandiam* & *Gotlandiam*, privatus est tamen eodem anno *Ölandia*, *Gotlandia* retenta.

(x) Forsan deest *Asserdag.* Est enim hic lacuna, qvæ cognomento Regis suppleri debet.

(y) *Johannes* erat non *Dux*, sed *Comes*, nisi *Dux* hoc loco sit nomen appellativum.

MCCCLXI. Rex MAGNUS captus eſt *Calmarniæ* ab HAQVINO filio ſuo, qvia paſſus eſt ſe decipi in amiſſione *Scaniæ*, tanti emptæ a *Svecis*, Proceribus regni hoc agentibus, qvi filium adverſus patrem excitabant.

MCCCLXII. *Axelwalld* (z) rurſum inſtauratur. Qvo anno HAQVINUS Rex Norvegiæ deſponſavit ſibi in uxorem MARGARITAM filiam WALDEMARI Regis.

MCCCLXIII. ALBERTUS filius Ducis Megapolenſis in Regem Sveciæ eligitur, in odium & deſtructionem Regis MAGNI SMEEK, ſed incredibili *Svecorum* damno & jactura.

MCCCLXV. Bellatum eſt apud Ö*stinbro* (a) inter ALBERTUM & MAGNUM Reges. Ubi Rex captus eſt *III. die Martii*, occiſis ibidem Nobilibus multis, & HAQVINO Rege Norvegiæ fugato, qvi volebat Regi MAGNO patri ſuo eſſe præſidio.

MCCCLXXI. Liberatus eſt a captivitate Rex MAGNUS per HAQVINUM filium circa *feſtum aſſumptionis* b. virginis. Qvo anno *civitas Holmenſis* eſt obſeſſa per eundem HAQVINUM Regem.

Eodem anno, circa Adventum Domini, peperit Regina MARGARITA, uxor HAQVINI Regis, OLAVUM Norvegiæ & Daciæ Regem.

MCCCLXXII. Obiit Dominus MAGNUS SMEEK, Ducis *Erici* filius, ſubmerſus in qvodam ſtagno Norvegiæ.

MCCCLXXIV. Mortua eſt beata *Birgitta* Romæ *X. Kalend. Auguſti.*

MCCCLXXX. Obiit Dominus HAQVINUS Rex Norvegiæ, Domini MAGNI Regis filius.

MCCCLXXXIV. Fundatum eſt Monaſterium Sancti Salvatoris *Waſten*, introductusqve Conventus Fratrum & Sororum per reverendum Epiſcopum Lincopenſem, & ſeqventi die, qvæ erat poſtridie beati Severini, receperunt Fratres habitum regularem, præſentibus reverendiſſimis patribus *Archiepiſcopo Upſalienſi* & *Epiſcopo Strengenenſi.*

MCCCLXXXVII. Obiit OLAVUS Rex Daciæ & Norvegiæ, MARGARITÆ Reginæ filius, *Soræ* ſepultus.

MCCCLXXXIX. Bellatum eſt in *Asle* (b) inter ALBERTUM Regem Sveciæ & MARGARITAM Reginam Daciæ & Norvegiæ, poſtqvam utrinqve facta eſt ſtrages magna. Tandem fortuna ceſſit MARGARITÆ victoriam, captusqve eſt ALBERTUS in prælio, una cum filio ſuo *Erico* Duce, ſimulqve cum illis capti ſunt *Rodolphus* Epiſcopus Scarenſis, *Dux Magnopolenſis* Regis pater, *Comes Holſatiæ* (c), & *Comes de Reppin* (d), aliiqve multi Barones & Proceres.

MCCCXCI. Canonizata fuit beata *Birgitta* per *Bonifacium* Papam Romanum.

MCCCXCV. Liberatus eſt a captivitate, circa *feſtum S. Michaelis*, ALBERTUS Rex, hac lege, ut in termino præfixo aut ſolveret *Reginæ* LX. millia marcharum Holmenſium, aut fieret deditio *civitatis Holmenſis*, aut rediret, perduraturus in captivitate.

MCCCXCVI.

(z) Vid. paulo ſupra ad An. 1323.

(a) Sive *Östenbro*, non *Örebro*, ut Stephanius conjecit. Pons erat prope Eccleſiam *Tillinge*, inter Enecopiam & Weſteraroſiam ſitus, *Hvitfeld* p. 538. *Ericus Olai* p. 136. *Dalin* T. II. p. 542.

(b) Legendum forte *Fale* pro Asle. Locus enim prælii erat in campo *Fala* circa Falecopiam Weſtrogothiæ, *Eric. Olai* p. 142. Conf. *Hvitfeld* p. 584. *Dalin* T. II. p. 580. *Tuneld* Geogr. p. 227. *Hadorfii* Chron. Rhytm. p. 168.

(c) *Gerhardus*, Hvitfeld p. 585. Dalin T. II. p. 579.

(d) *Otto* Comes Ruppinenſis, qvi Regis ALBERTI Socer erat.

MCCCXCVI. ERICUS Dux Pomeraniæ, adhuc puer XIV. annorum, electus eſt in *Regem Sveciæ*, id procurante Domina MARGARITA, qvæ tunc trium regnorum tenebat ſceptra.

MCCCXCVII. (e) Coronatus eſt *Calmarniæ* Rex ERICUS ab Archiepiſcopis *Lundenſi* & *Upſalenſi*, præſentibus Epiſcopis *Lincopenſi*, *Scarenſi*, *Strengenenſi*, *Aroſienſi*, *Wexionenſi*, *Aruſienſi*, *Ripenſi* (f), *Orchadenſi*. Creati ſunt autem ibidem *Equites aurati CXXXIII.*

MCCCXCVIII. *Domini de Prutia* occuparunt civitatem *Wisby*, expulſis inde piratis. Qvo anno, in *feſto S. Michaelis*, MARGARITA Regina per deditionem accepit *caſtrum* & *civitatem Holmenſem*, fuitqve honorifice & magna proceſſionis pompa introducta.

MCCCC. In octava apoſtolorum Petri & Pauli, & poſtridie octavarum, tanta fuit in *Oſtgothia* & circumjacentibus provinciis *pluvia*, ut homines multi in *Sudercopia* peterent montana, metuentes novum qvoddam diluvium, qvod illi civitati videbatur imminere, repleverat enim omnia loca cœmiteriorum & platearum usqve ad genua transeuntium, dejecti ſunt etiam pontes omnes & univerſa molendina illius regionis.

MCCCCI. ERICUS Rex Sveciæ ejus nominis *Qvintus*, regnum Sveciæ pertransiens (g), Regiis ſacramentis ſe populo obſtrinxit, promittens & jurans, ſe obſervaturum *patriæ leges.*

MCCCCIII. Dominus *Abraham Brodersſon* & Dominus *Algothus Magni* cum exercitu magno venerunt in *Gotlandiam* circa *feſtum ſancti Martini*, ibiqve exſtruxerunt *qvinqve munitiones* fortiſſimas, qvæ eſſent illis præſidiorum vice, obſederuntqve civitatem *Wisby.*

MCCCCIV. *Magiſter Pruſſiæ* in magna militum copia & ingenti navium claſſe ſuccurrebat civitati *Wisby*, jam obſeſſæ & graviter afflictæ, ſubvertitqve omnes munitiones, qvas *Dani* & *Sveci* exſtruxerunt, accepta interim magna populi ſui clade, ceciderunt namqve multo plures de *Prutenis*, qvam de *Danis* aut *Svecis.*

MCCCCV. Fuit continua *pluvia* a feſto beati Olavi usqve ad *feſtum nativitatis Domini*, putrefactæqve omnes fruges tàm agrorum qvam pratorum, eratqve hyems levis & inſtabilis.

MCCCCVI. Dominus *Thurius Benedicti*, cum duobus nobilibus viris de Dania, *Angliam* profectus eſt, ducturus ERICO Regi in uxorem filiam Regis Angliæ, nomine *Philippam*, celebratæqve ſunt nuptiæ *Lundis* circa feſtum omnium Sanctorum.

MCCCCVII. paulo poſt feſtum Paſchæ, combuſta eſt *civitas Stockholm* repente ac totaliter.

MCCCCIX.

(e) In *Feſto S. Trinitatis*, qvod An. 1397. in d. 17. Junii incidit, Vid. *Hvitfeld* p. 610. 611. *Dalin* T. II. p. 598.

(f) Præter hos, ex Danorum Epiſcopis aderant, *Roſkildenſis*, *Ottonienſis*, & *Burglanenſis*, vid. *Hvitfeld* p. 610.

(g) Novi Regis per omnes regni provincias tranſitum Sveci olim vocarunt *Eriksgata*. Dipl. ap. *Hadorfium* T. II. p. 95. *i alla Lagbſagur tben tiidh han ſina Erichs gatu redh.* Hunc ERICI POMERANI Tranſitum per Sveciam inceptum *menſe Februario*, nos docent Diplomata, unum his verbis: *Sten Bengtſon, bogborens Forſta, mins Herra Konungz ERICHS dom bafwande, tha han redh ſin Erichsgatu, Dat. Lynkoping* 1401. *Dominica Carniſprivii*, qvæ erat d. 2. Februarii, alterum hac clauſula: *Datum Junacopiæ* 1401. *die S. Matthiæ apoſtoli* [d: 24. Februarii], *præſente Nobiliſſimo Rege ERICO, cum Optimatibus totius regni, in Tranſitu ſuo, qvi dicitur Erixgbata. Dalinus* T. I. p. 225. 563. nomen hujus vetuſti ritus potius ſcribendum vult *Riksgata.*

MCCCCIX. ERICUS Rex, cum MARGARITA Regina, redemit *Gotlandiam* e manibus *Prutenorum* pro decem millibus nobilium Anglicanorum, qvam ipſi tamen *Pruteni* habebant impignoratam pro XX. millibus nobilium.

MCCCCX. ERICUS Rex *Gotlandiam* veniens, ædificavit fortisſimam arcem circa civitatem *Wisby*, cum antea nulla fuerat ibidem arx exſtructa.

MCCCCXI. ERICUS Rex, cum obſideret arcem *Synderborgh*, non ſine gravi ſuarum copiarum jactura, decollari fecit etiam qvendam eqvitem auratum, nomine *Abraham Brodersſon*, qvi cum eſſet pene præcipuus in regno, egit tam crudelem tyrannum contra nobiles, pauperes, epiſcopos, ac clericos, fuerantqve tota vita ſua magnus virginum & puellarum ſtuprator. Habet etiam nunc (h) in *Hallandia* viventes filios & nepotes.

MCCCCXII. Circa *feſtum Simonis & Judæ*, obiit Domina MARGARETA Regina Daciæ, Sveciæ & Norvegiæ, qvæ fuit avarisſima (i), ſubjugaverat namqve ſibi incredibili aſtutia hæc triä regna, qvæ pene in nihilum redegerat, nec poterat aliqvis illius aſtutiæ reſiſtere. Hæc eſt *Svecorum* de MARGARETA ſententia, & qvorundam etiam Procerum regni *Daciæ*, Eccleſiaſticis tantum regni ejusdem habetur religioſisſima pariter ac chriſtianisſima. Ab hujus Reginæ obitu cœpit plene regnare ERICUS Rex, filius Ducis Pomeraniæ, ejusdem MARGARETÆ nepos ex ſorore, liberavitqve *Oſtgothiam* ab impiisſimis tyrannis (k), videlicet, Domino *Esberno Dirighſon* (l) & *Petro Andersſon* ejus advocato, qvi fertur fuiſſe crudelisſimus tyrannus. Nam illorum crudelitas & impietas habet perpetuam qvandam memoriam, eisdem in perpetuam damnationem.

MCCCCXV. Celebratum eſt *Concilium* generale in urbe *Conſtantia*.

(h) Hinc concluditur, ætatem Auctoris incidere ante medium Seculi XV.

(i) Auctor, dum MARGARETAM velle denigrare videtur, argumentando ab unione & appetentia trium regnorum ad ejus avaritiam & aſtutiam, ſummam Reginæ prudentiam & heroicam magnanimitatem extollit.

(k) Hæc monſtrant, Auctorem haud diu ab obitu MARGARETÆ ſcripſiſſe, ſiqvidem ERICUM laudibus effert, cujus imperio & Præfectis Sveci poſtea haud ita contenti erant.

(l) *Stiernman* Höfdingaminne p. 224. nominat *Esbernum Chriſtiernsſon* Capitaneum Oſtgothiæ 1406. eundem forte cum proxime præcedenti *Esberno Diækn*, qvod nomen ſine dubio rectius qvam *Esbernus Dirighſon*.

XXVIII.

Ermoldi Nigelli Narratio de Baptismo Haraldi Danorum Regis An. 826.

Inter alienigenas ac ſimul vetuſtisſimos Scriptores, qvi nobis, aliqvid de rebus Danicis tradendo, rem gratam fecerunt, *Ermoldus Nigellus* infimum non meretur locum. Ille de Rebus Geſtis LUDOVICI PII Imperatoris ab An. 781. usqve ad An. 826. *Carmen Elegiacum*, qvatuor libris abſolutum, conſcripſit, qvod, primum ex vet. Cod. Cæſareæ Vindobon. Bibliothecæ a *Lud. Ant. Muratorio* inter Scriptor. Ital. Tom. II. P. II. cum Notis doctisſimis editum, *Jo. Burch. Menkenius* Scriptor. Rer. Germ. Tom. I. p. 865-956. iterum publici juris fecit, & tandem poſt eos *Buqvetius* Scriptor. Gall. Tomo VI. incorporavit. Ejusdem operis *Librum qvartum*, in qvo Auctor HARALDI *Danorum Regis* ad Imperatorem adventum ejus-

qve

qve *Actum Baptismalem*, Ingelhemii ad Moguntiam Anno 826. solenni ritu celebratum, describit, ne acceptum adeo frustum apud nos diutius desideretur, in usum nostrorum denuo publicare, Corporiqve nostro Scriptorum Rerum Danicarum inserere nullus dubitavi, utpote qvi singulares qvasdam & ante incognitas circumstantias in illa parte veteris Historiæ nostræ illustranda detexit, varia etiam, & haud levia, momenta de primo Danorum Apostolo, *Ebbone* Rhemensi Archiepiscopo, deqve HARALDO Rege per eum converso, prodens; In tribus enim prioribus Libris nihil, qvod res nostras tangit, reperitur. Tanto majori fide *Nigellus* dignus est, qvanto rebus, de qvibus scribit, ætate propior. Est enim Scriptor totus synchronus, imo, ut videtur, testis ocularis (†), & ex seculi Noni Scriptoribus, qvi nomine noti sunt, post *Eginhardum* primus, qvi aliqvam de *rebus Danorum* mentionem facit. Vixit sub ipso LUDOVICO Augusto, & Carmen suum scripsit haud diu post HARALDI Baptismum, forsan Anno 827, si non ipso Anno 826. Id qvidem, ipsum opus attentius legenti, facile patebit. Anno 837. adhuc in vivis fuit (*), postea vero, qvantum novimus, nihil de eo memoriæ proditum est. Qvod *Ermoldus Nigellus* Abbas Anianensis Monasterii fuerit, Clariss. *Muratorius* in erudita sua Præfatione (·.·) vero perqvam simile reddidit. Qvod autem in captivitate sua Strasburgensi, qva ob ignotum aliqvod crimen politicum detentus tunc fuit, Carmen hoc, spe recuperandi clementiam Cæsaris, exul condiderit, ipse circa finem operis expressis verbis profitetur. Si denique de *Nigello*, ut *Poëta* simul & *Historico*, aliqvid monere opus sit, verba solum Illustr. *Muratorii* ex dicta Præfatione mea faciam: *Nibilo secius*, inqvit, *ad institutum meum qvod attinet, egregium Historicum, fidum, synchronum, profero; neqve enim lectores huc volo ad Poëticos flores, sed qvidem ad unam Historiæ veritatem assequendam: Hanc autem luculenter accipias ab ERMOLDO nostro, idoneo suorum temporum teste, & in hoc præsertim a melioribus Poëtis dissimili, qvod nullas usqvam fabulas narrationi suæ intermisceat.*

Incipit Liber Qvartus.

Cura pii passim gliscebat deniqve *Regis* (**),
Francorumqve fides creverat usqve polos.
Undiqve collectim gentes populiqve fluebant,
Cernere Christicolam, *Cæsaris* atqve fidem.
Gens erat interea, antiqvum cui perfidus anguis — Danorum vet. Religio.
Liqverat errorem, sustuleratqve Deum.
Qvæ pagana diu cultus servabat iniqvos,
Pro Factore colens Idola vana suo.
Proqve deo *Neptunus* (a) erat, Christi retinebant
Jupiter (b) *orsa* locum, cui sacra cuncta dabant.

(†) Vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 205.

(*) Vid. *Muratorii* Præfat. ap. Mencken. T. I. p. 874. & *Hamberger* von den vornehmsten Schriftstellern T. III. p. 569.

(·.·) Conf. *Eckart* Rer. Francic. T. II. p. 206.

(**) *Ludovicus Imperator* a Poëta nostro promiscue saluratur, *Rex*, *Cæsar*, *Imperans*, *Imperator*.

(a) Per *Neptunum* Auctor intelligere videtur *Odinum* sive *Wodanum* nostrum, respiciens forte ad situm Daniæ maritimum, cujus Deus, præsidens mari, *Neptunus* fuit. Hinc inter nomina, qvæ in *Edda* Odino tribuuntur, etiam occurrunt *Hlefreir* s: Maris Dominus, Neptunus, & *Hlefrodur* s: maris peritus. Alii vero, ut *Jonas* Auctor Seculi VII. in Vit. Columbani ap. Mabillon. Act. SS. Bened. T. II. p. 26. 35. 232. *Paulus Warnefridi* L. I. c. 9. *Adamus Bremensis* Lindenbrogii p. 61. *Odinum* nostrum a nonnullis aut *Mercurium* aut *Martem* vocari dicunt.

(b) *Jupiter* sine dubio erit *Thorus*, veterum septentrionalium Deus princeps, de cujus imagine *Adamus Brem.* p. 61. ita: *Thor cum sceptro Jovem exprimere videtur.* Testatur qvoqve Prologus Eddæ, qvod *Jupiter* lingva septentrionali *Thor* appelletur. Conf. *Suhms* Gudelaxt p. 141. 144.

Nomen. *Hi populi* porro veteri cognomine DENI (c)
Ante (d) vocabantur, & vocitantur adhuc.
NORT qvoqve *franciſco* (e) dicuntur *nomine* MANNI (f),
Veloces (g), agiles, armigeriqve nimis.

Laudes. Ipſe qvidem populus late pernotus habetur,
Lintre (h) dapes qværit, incolitatqve mare.
Pulcher adeſt facie, vultuqve ſtatuqve decorus,

Franci a Danis oriundi. *Unde genus Francis* (i) adfore, fama refert.
Victus amore Dei, *generis*qve miſertus *aviti*,
Temptat & hos *Cæſar* lucrificare Deo.

Indoluit-

(c) *Danos* Nigellus ubiqve *Denos* appellat. Et ſicut vetuſti Germani, ita etiam hodierni, noſtros, qvos ipſi *Danſke* dicimus, nominant *die Dænen* ſ. *Denen*, & Danorum regnum *Denmark*. Dipl. Henrici Ducis Sax. 1152. habet *Thenemark*. In Periplo Otheri *Dene*, *Denamearc*, *Deneinearcan*. Dipl. vet. Anglo-Sax. in Hemmingi Chartular. p. 404. *Denſcennen*. *Denos* ſive *Danos* & *Daniam* nomen habere a *Dina* fluvio, contendunt viri illuſtres *Leibnitius* Script. Brunſv. T. I. p. 29. & *Eckardus* Rer. Franc. T. I. p. 2. *Dinam* autem volunt fuiſſe nomen antiqvum & verum fluminis *Eidoræ*, freti auctoritate *Geographi Ravennatis*, qvi L. IV. c. 17. *Dinam* fluvium nominat. Qvum vero idem Anonymus Ravennas ib. c. 13. eundem fluvium, ut videtur, *Linam* forte rectius appellet, qvo nomine notiſſimum & magnum Jutiæ fluvium *Limam*, *Limfiord* potius intelligi credo, & vix credibile ſit, integrum Daniæ regnum a parvo illo *Eidoræ* flumine denominari potuiſſe, timetur ſtructuræ totius hujus Etymologiæ ruina. Præter hæc eadem ratione æqve contermina Eidoræ Holſatia ab hoc flumine nomen ducere deberet.

(d) Per hoc *ante*, ɔ: *ab olim*, *ab antiqvo*, & *veteri cognomine*, vetuſtus ille Auctor de *nominis Danorum antiqvitate* illuſtre teſtimonium perhibet.

(e) ɔ: *Francico* vocabulo, a *Francis*.

(f) *Geogr. Ravenn.* L. I. XI. & L. IV. 13. *Nortmannorum patria, qvæ & Dania ab antiqvis dicitur*. *Eginhardus* Vit. Car. M. Cap. 12. 14. per *Nordmannos* aut *Danos ac Sveones* aut ſolos *Danos* intelligit. In Periplo Otheri *Nortmen* ſunt *Norvegi* & *Nordmannaland Norvegia*. Scriptores Francici fere omnes promiſcue ſub *Nordmannorum* nomine comprehendunt omnes gentes ſeptentrionales. *Luithprandus* Seculi X. Scriptor ap. Du Chesne T. III. p. 565. 617. etiam *Ruſſos* aliasqve Conſtantinopoli ad boream ſitas nationes *Nortmannorum* nomine exprimit.

(g) *Velocitatem Danorum* veterum laudat *Geogr. Ravennas* L. IV. 13. 17.

(h) Auctor ſignificare vult, *Danos*, maris accolas, navigiis & piraticam & forte piſcaturam exercuiſſe. Hinc *Ill. Leibnitius* in Præfat. ad Acceſſ. Hiſt. *Saxonum nauticæ artis peritiam*, qvam extollit *Sidonius*, ad *Danos* ſub *Saxonum* nomine etiam pertinuiſſe putat. *Arnold. Lub.* p. 306. *Dani olim formam nautarum in veſtitu habuerunt propter navium conſvetudinem, qvia maritima habitant*. An. 815. filii Godefridi *claſſem ducentarum navium* habuerunt, *Eginhardi* Annal. ap. Du Chesne T. II. p. 259. De filiorum Regneri *claſſe mille ſeptingentarum navium* loqvitur *Saxo* p. 177. An. 886. Dani cum *ſepties centum navibus*, qvas *barcas* nominant, ad Pariſios veniunt, *Abbo Mon.* ap. Du Chesne T. II. p. 502. Propter aſſiduas autem Danorum & Nordmannorum infeſtationes maritimas, Imperatores *Carolus M.* & *Ludovicus Pius* rei nauticæ operam dare claſſesqve adverſus eos moliri coacti ſunt, vid. *Freheri* Corp. Hiſt. Franc. p. 439. 452. Ab iis piraticæ exercitiis, & qvod *ſinus ac littora* exterarum gentium, prædæ inhiantes, *Dani* & *Normanni* noſtri continue luſtrabant, ſermone patrio *Wikinger* dicebantur. *Adamus* p. 56. eos *Wichingos* appellat, aſſerens, eos a Saxonibus *Aſcomannos* dictos, ludibrio forte & reſpectu parvorum navigiorum ac lembunculorum, qvibus appellebant; *Aſk* enim ſive *Æſke* in lingva Danica eſt *pyxis*, &, ni fallor, ſic qvoqve olim in Saxonica, qvæ vox etiam olim forte ad certas navigiorum ſpecies translata fuit. Diu etiam poſt inter titulos, qvos *Fridericus II.* Imp. ſingulis Europæ Regnis attribuit, Dania ſalutatur *Dacia Navalis*, vid. *Raynaldi* Annales T. XIII. p. 505.

(i) Hinc liqvet, Seculo IX. famam fuiſſe de *Francorum a Danis origine*. *Leibnitius* p. 16. ad aſſerendam ſententiam ſuam de eadem Francorum origine, præter auctoritatem *Geographi Ravennatis*, hoc *Nigelli* loco utitur, Vid. *Eccardi* Leg. Salic. p. 254. Hoc etiam reſpectu *Nigellus* gentem Danicam *genus avitum* Imperatoris vocat. *Hrabanus Maurus*, Scriptor ejusdem IX. Seculi, ap. Goldaſtum T. II. p. 69. eandem confirmat ſententiam, diſerte aſſerens, eos, qvi *Theodiſcam lingvam* loqvuntur, a *Nordmannis* originem trahere. Per *Nordmannos* autem, & *Danos* & ceteros ſeptentrionis *lingvæ Danicæ populos* intelligi, docent *Eginhardus* aliiqve vetuſti Scriptores. Alius qvoqve ejusdem Seculi Scriptor, *Freculphus*, *Francos* ex ſeptentrione noſtro deducit: *Affirmant*, inqvit, *eos de Scanzia inſula, qvæ vagina eſt gentium, exordium habuiſſe, de qva*

Gothi

Indoluitqve diu, nullo monitante, periſſe
Tot gentis populos, totqve greges Domini.
Mittitur ad hoc opus *Remenſis Epiſcopus* EBO (k), Ebbo Danorum Apoſtolus.
Qvo faciente, qveant credere nempe Deo.

Nam

Gothi & ceteræ nationes Theutiſcæ exierunt, qvod & idioma linguæ eorum teſtatur. Eodem longe vetuſtior Auctor, *Eumenius* in Panegyr. ad Conſtantinum p. m. videtur reſpicere his verbis: *Qvid loqvar rurſus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, qvi olim Romani invaſerant, ſed a propriis ex origine ſuis ſedibus, atqve ab ultimis Barbariæ litoribus avulſas, ut in deſertis Galliæ regionibus collocatæ, etiam pacem Romani imperii cultu juvarent.*

(k) Hujus nomen apud Scriptores promiſcue ſcribitur *Ebo, Ebbo, Hebo, Hebbo.* Fuit ille unus ex *primariis Daniæ noſtræ Apoſtolis* & ipſe dux primæ ad majores noſtros gentiles Legationis Evangelicæ. Digna ergo, qvatenus Eccleſiam Septentrionalem concernit, memoria viri hujus celebratiſſimi, qvæ heic paucis recolatur. Anno 816. *Ebbo*, volente ſic *Ludovico Pio* Imperatore, cujus collactaneus & conſcholaſticus fuerat, fit Archiepiſcopus Rhemenſis. An. 817. Concilium *Aqvisgrani* celebratum eſt, & An. 821. Conventus apud *Theodonis villam*, Dietenhofen, habitus, cui *Ebbo*, cum pluribus Epiſcopis, interfuit, *Le Cointe* Annal. Franc. T. VII. p. 434. 573. ſed in horum neutro, qvod ſcimus, aliqvid de *Converſione Septentrionalium* aut de *Miſſione Ebbonis* actum, apud coævos Auctores invenimus, qvod tamen viri qvidam eruditi contenderunt, ſeducti forte ab *Alberto Stadenſi*, qvi ſub An. 817. de *Ebbonis* diu poſt ſecuta Legatione mentionem facit. Dubitari tamen vix poteſt, in prædictis aliisqve Imperii Conventibus accidiſſe, qvod *Rembertus* Vit. S. Auschar. C. XII. refert, *Ebbonem*, cum ſæpius in *Palatio*, ubi freqventer morabatur, teſtante *Frodoardo* L. II. c. 19. *Danorum Principes & Legatos exlmicos* vidiſſe, doluiſſe eorum errores, ferventiſimoqve ad ſalutem gentium promovendam arſiſſe deſiderio. At in *Conventu Attiniacenſi*, qvem An. 822. LUDOVICUS Imp. menſe Auguſto habuit, forte etiam in *Concilio Theodonisvillenſi* An. 821. in Octobri habito, *Vit. Lud. Pii* ap. Pithoeum p. 214. 215. cui *Ebbo* interfuit, *Capit. Reg. Franc.* T. I. p. 626, tale qvid publice propoſitum ac deliberatum fuiſſe, docent non modo *Ebbonis* eum in finem brevi poſt inſtitutum iter Romanum datumqve ei a Papa de *Miſſione ad gentes Decreto*, verum etiam clarius hocce *S. Anſchurii* in Epiſtola ad Epiſcopos teſtimonium: „*Ebbo* Remenſis Archiep. divino afflatus ſpiritu, tem„poribus D. LUDOVICI Imp. cum conſenſu ipſius ac pene *totius regni* ejus *Synodi congregatæ* (ſcil. Con„vent. Attiniac. aut forte potius prædicti Theodonisvillani) *Romam* adiit, ibiqve a venerabili Papa *Paſchali* „publicam evangelizandi licentiam in *partibus aqvilonis* accepit", *Le Cointe* Annal. T. VII. p. 637. *Pagi* Breviar. T. II. p. 32. *Staphorſt* T. I. p. 59. Collega hujus Legationis *Ebboni* datus eſt *Halitgarius* Epiſcopus Cameracenſis, conf. *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 6. Eodem anno 822. exeunte, *Annal. Fuldenſ.* ap. Pith. p. 32. aut certe ſub initium Anni 823, ut verbis *Frodoardi* p. m. 263. utar, „*Ebo* Præſul, cum con„ſilio LUDOVICI Imp. & auctoritate *Paſchalis* Romani Pontificis, *prædicandi gratia* ad *terminos usqve Da„norum* acceſſit, ac *multos ex eis*, ad fidem venientes, *baptizavit*", Conf. *Annal. Eginhardi* ap. Du Chesne T. II. p. 267. *Bertin.* ibid. T. III. p. 181. In æſtate ipſius Anni 823. facta eſt hæc complurium *Danorum ad fidem acceſſio*: Per autumnum autem ejusdem anni, cum Legatis, qvos in *Daniam* ad GODEFREDI filios Imperator miſerat, *Ebbo* reverſus eſt in Gallias, ac menſe Novembri *Conventui Compendienſi* interfuit, *Annal. Laureshan.* ap. Le Cointe T. VII. p. 665. 681. *Adelm.* ap. Freherum p. 425. Putatur tum *Halitgarius*, Ebbonis Comes & alter noſter Apoſtolus, in Galliis remanſiſſe, imo Anno ſeqventi 824. apud Imperatorem fuiſſe invenitur, *Cap. Reg. Franc.* T. I. p. 643. circa qvæ tempora, per Epiſtolam *Ebbonis* excitatus, Librum Poenitentialem ſcripſit, vid. *Caniſ.* T. II. P. II. p. 87. An. 828. Legatus Imperatoris Conſtantinopolim miſſus, *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 185. An. 829. rediit, obiitqve Anno 831. *Ebbonem* autem continuo Anno 824. in *Daniam* rediiſſe, ibiqve & in vicinia proxime ſeqventibus annis moratum fuiſſe, ac *converſioni Danorum* operam dediſſe, probabili potius imo ex *Nigello* probata conjectura, qvam diſertis veterum teſtimoniis aſſerere audeo, vid. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. VI. p. 88. Eidem interim Legatione Danica impedito An. 823. ſufficiuntur in Dioeceſi Rhemenſi *Rotardus* Sueſſionenſis & *Ragenarius* Noviomenſis Epiſcopi, *Capit. Reg. Franc.* T. I. p. 640. 743. Ipſe autem *Ebbo* circa ea tempora, rebus Danicis occupatus, forte An. 824. aut 825. ab Imperatore donatus refugii loco ultra Albiam, *Welanao* dicto, ibi Cellam conſtruxit. Ad eum locum, ut *Rembertus* Vit. Ansch. c. XII. XIII. narrat, *multoties venit, & pro lucrandis animabus multa in Aqvilonis partibus dispensavit, ac plurimos religioni christianorum adjunxit, atqve in fide catholica roboravit.* Circa hæc tempora ab *Eugenio* Papa *Ebbo* in *Legatione Dania* confirmatur, docente *Frodoardo* p. 267. Credibile etiam eſt, imo certiſſimum, qvod putant plures recentiorum, *Ebbonem* HARALDO Regi, Moguntiæ An. 826. baptizato, annis præcedentibus chriſtianæ religionis principia inſtillaſſe, eumqve non ſolum chriſtianæ Religioni faventem reddidiſſe

ſed

Nam HLUDOVVICUS enim puerum nutrirat eumdem,
Artibus ingenuis fecerat esse catum.
Hunc ergo alloqvitur *Cæsar*, verbisqve coruscat,
Multa canens famulo dat pia jussa suo:

Ito

sed etiam ad baptismum præparasse ac ei persvasisse, ut ad *Ludovicum* baptismi suscipiendi gratia veniret, imo lætum hunc nuntium Imperatori ipsum attulisse, qvæ qvoqve omnia apud *Nigellum* ex ipsius Regis ore & expressis *Nigelli* Scriptoris coævi verbis probantur. An. 827. *Ebbo* in Episcopatu suo Rhemensi versatus est, & An. 829. Concilio Parisiensi interfuit, *Capit. Reg. Franc.* T. I. p. 651. 653. 660. *Coint* T. VIII. p. 3. 7. 48. 70. An. 831. astitit *consecrationi Anscharii in Archiepiscopum Hamburgensem*, & simul cum Anschario constitutus ipse porro *Legatus ad gentes boreales* evangelicus, vid. *Lambecii* Auctar. ap. Lindenbr. p. 102. sq. Posthæc, ut *Adamus* p. 7. dicit, seu fatigatione itineris, seu corporis debilitate impeditus, sive potius occupatione Seculi delectatus, cum ipse *Ebbo* ad *Sveones* ire subterfugeret, conferebat cum *Anschario*, de ordinando illi alio adjutore, qvi in *Svecia* Episcopi officio fungeretur. Ad hoc opus *Ebbo*, cum consensu Imperatoris, *Gautbertum* propinqvum suum elegit, eumqve, vicarium pro se, *Anschario* comitem dedit, *Legatum*qve *in gentibus Sveonum* constituit. Qvem ipsi ambo consecrantes Episcopum, in *Sveciam* miserunt, ipsiqve postea Imperator, consilio *Ebbonis*, Cellam in *Welauao*, tanqvam locum refrigerii & pro officio, dedit. An. 832. mense Januario *Ebbo* Conventui Episcoporum Parisiensi interfuit, *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 255. In præcepto LUDOVICI, dato An. 832. d. 26. Aug. *Ebbo* Metropolita Durocottorum vocatur, *Cap. Reg. Franc.* T. I. p. 676. Gloriam autem, sacra ad Danos Legatione partam, *Ebbo* circa hæc tempora, turpiter se negotiis politicis & filiorum Imperatoris in patrem conspirationi immiscendo, summaqve in LUDOVICUM ingratitudine, An. 832. & 833. obfuscavit. An. 834. LUDOUICO in Imperium restituto, *Ebbo*, male sibi conscius, e civitate Rhemensi cum qvibusdam *Normannis*, qvibus iter & portus maris ac fluminum noti fuere, paucisqve aliis domesticis, noctu aufugit, plurima secum, qvæ de bonis ecclesiasticis in argento & auro ferre potuit, assumens, & iter ad *Normannos* (s: Danos), qvibus a *Paschali* & *Eugenio* fuerat Prædicator ordinatus, arripuit, teste *Frodoardo* p. 267. *Chronicon Ep. Hild.* ap. Leibnit. T. II. p. 785. dicit, *Ebbonem* Hamburgum ad *S. Anscharium* confugisse, cujus opera postmodum Episcopus Hildesianus constitutus est, in qvo officio boni pastoris munia fideliter adimplevit, conf. *Reutelii* Chron. Hildesh. in Synt. Paullini p. 74. Qva forte occasione, si non ante, factum est, ut *Ebbo* Reliqvias qvorundam Sanctorum Rhemensis Ecclesiæ *Anschario*, qvos ille Hamburgi aliisqve sanctis locis reposuit, donaverit, *Adam. Brem.* p. 7. conf. *Reutelium* l. c. Prodentibus qvibusdam, illico eodem anno 834. captus & Voldæ in Monasterio S. Bonifacii detentus, *Frodoard.* p. 268. *Narratio ver.* ap. Du Chesne T. II. p. 341. *Theganus* ib. p. 283. An. 835. *Ebbo* in Synodo Theodonisvillensi, facta confessione & spontanea renuntiatione, depositus fuit, *Frodoard.* L. II. c. XX. *Hincmarus* c. 36. *Vit. Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 313. *Annales Bertin.* ib. T. III. p. 191. Post depositionem, in Cisalpinis regionibus versatus usqve ad obitum LUDOVICI Imp. An. 840. *Frodoard.* p. 273. An. 840. VIII. Kal. Jul. in Engilenheim a HLOTHARIO Imp. *Ebbo* Sedi Rhemensi restituitur, ubi in Decembri ab omnibus receptus, *Cap. Reg. Franc.* T. II. p. 342. An. 841. Romam ivit, & a *Gregorio* plenarie restitutus est, *Narrat. ver.* ap. Du Chesne T. II. p. 341. sq. Conf. *Pagi* Breviar. T. II. p. 52. An. 841. & 842. per biennium Dioecesin Rhemensem qviete administravit. Interim Clericos aliqvot ordinat, qvos *Hincmarus*, Sedem post adeptus, illegitimos censuit. Qva de re cum illi apud Synodum Svessionensem diu post mortem *Ebbonis* An. 853. præsente KAROLO habitam, expostulassent, Synodus secundum Hincmarum pronunciavit, *Cap. Reg. Franc.* T. II. p. 49. Circa An. 842. *Ebbo* Baldvino Comiti Flandriæ corpus S. Donatiani cum Epistola sua mittit, *Miræi* Op. Dipl. T. I. p. 22. An. 843. facta divisione, & Rhemensi Ecclesia in partem KAROLI veniente, *Ebbo* furorem Fulchonis Abbatis fugiens, ad LOTHARIUM Imp. se recepit, qvi An. 844. apud *Sergium* Papam pro eo frustra se interponit, *Fragm.* ap. Du Chesne T. II. p. 395. donans ei Abbatiam S. Columbani, qvam possedit, donec legationem in Græciam ab Imperatore commissam exeqvi detrectavit. Posthæc ad LUDOVICUM migravit, a qvo vacante *Sede Hildesheimensi* donatus est, *Narrat. ver.* ap. Du Chesne T. II. p. 243. *Frodoard.* p. 276. qvo autem anno, incertum est. An. 844. in Concilio Vernensi Episcopi KAROLUM orant, ut Sedi Rhemensi Episcopum præficiat, *Lupus* Baluzii p. 201. An. 845. in Synodo Bellovacensi, renovata depositione *Ebbonis*, Hincmarus electus & ordinatus est Archiepiscopus Rhemensis, *Frodoard.* L. III. c. I. Si *Epistola Nicolai* Papæ de confirmatione Rameslocæ genuina sit, ex ea constat, *Ebbonem* circa An. 845. aut 846, usum adhuc titulo *Rhemensis Archiepiscopi*, in Conventu qvodam Wormatiensi adfuisse, ibiqve partibus *Anscharii* contra *Waldgarium* fovisse, vid. *Staphorst* T. I. p. 54. An. 846. Episcopi, qvi in Februario Parisiis convenerunt, Ebboni Literis suis Dioecesin Rhemensem interdixere, *Pagi* Breviar. T. II. p. 59. An. 847. mense Septembri *Ebbo* cum *Anschario*, ut Episcopus Hildesheimensis, interfuit illustri Synodo Moguntinæ, *Binii* Concil.

T. III.

Instructio Ebboni data ad Danos.

Ito Sacer, populum blando sermone ferocem
Compellato prius tempore sive modo.
Est Deus in coelo, mundi plasmator & omnis,
Qvicqvid rura tenent, qvæ mare, qvæqve polus
Fecerat hic hominem primum nostrumqve parentem
Præposuit Tempis & Paradise tuis,
Ut sibi serviret lætus per secula cuncta,
Ignarusqve mali, dante Creante, foret.
Sed qvia peccavit, cecidit mox: Inde nepotum
Dæmonis invidia mox genus omne cadit.
Crevitat inde seges, silvas replevit & arva,
Non coluere Deum, sed simulacra manus.
Diluvii hos rapidis sepelivit deniqve flustris
Ni pia qvos paucos Arca redemit aqvis.
Hinc generosa cohors parvo de semine crevit,
Unde Deum qvidam percoluere suum.
Cetera turba qvidem, variis infecta venenis,
Avia curva petit, Idola sæva colens.
Ille iterum miserans Natum transmisit ad arva,
Consortem regni, qvi tenet alta poli.
Hic homines mortale suo sociavit honori,
Delicto primo liberat hic hominem.
Qvi mundum salvare valens cum Patre potenter,
In terris voluit pro pietate mori.
In cruce confixus, morti se tradidit ultro,
Ut sua militibus regna beata daret.
Hic sedet ad Patris sociatis munere dextram,
Invitat famulos: Currite, regna dabo.
Hic jubet electis, omnes revocare bidentes,
Et sacra Baptismi munia rite dare.
Non aliter coeli qvisqvam conscendet in aulam,
Ni, qvæ jussit, agat Filius ille Dei.
Scilicet amissis culturis dæmonis atri,
Mox sacra Baptismi munera percipiat.

T. III. P. I. p. 372. *Schasen.* Annal. Paderb. p. 135. Qvum itaqve *Ebbo*, licet exul omnibus odio esset (ut etiam *Theganus* ap. Du Chesne T. II. p. 282. eum *impudicum* & *crudelissimum* vocet, qvi erat *ex originalium servorum stirpe*, & p. 285. *turpissimum rusticum*), *Anscbario* tamen ad obitum amicissimus fuerit, teste *Adamo Brem.* p. 8, dubitari non potest, eum, qvoties necesse fuit, *Anscharium* in conversione gentilium maturis semper adjuvisse consiliis, omnemqve de gentium borealium salute curam, qvoad vixerit, nunqvam deposuisse. Cujus curæ vestigia apparent in *Ansfrido*, *gente Dano*, qvi ab *Ebbone* ad servitium domini educatus fuerat, & post ejus obitum a *Gautberto* in *Sveoniam* missus, vid. *Remb.* c. XXIX. *Ebbonis* etiam devotio mentis & *fervor continuus circa Legationem Septentrionalem*, qvi a *Remberto* ibidem impense laudatur, etiam ex ultimo ejus cum *Anscbario* colloqvio satis clare elucescit. Post varias tandem ac diuturnas molestias, qvas ipse sibi contraxerat, *Ebbo*, ab Ecclesia Septentrionali non nisi bene meritus, obiit d. XIII. Kal. Aprilis An. 851. *Hincmari* Op. T. II. p. 313. *Necrol. Hildesh.* ap. Leibnit. T. I. p. 764. *Frodoard.* L. III. c. 2. *Annales Corbei.* ap. Leibn. T. II. p. 297. narrant, *Altfredum An.* 849. *factum esse Episcopum in Hildenesheim.* Aut itaqve dicendum est, Annales hos in anno initii *Altfredi* Episcopi errare, aut *Ebbonem*, senio & molestiis debilem, ante obitum resignasse Episcopatum. Qvi plura de *Ebbone* desiderat, adeat *Molleri* Cimbr. Lit. T. II. p. 175. *Stapborst* T. I. p. 20. *Celsii* Hist. Eccl. Svec. p. 171. sq. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 394. sq.

Ad hanc, *Ebo*, fidem gentem revocare ſtudeto;
Noſtra fides hæc eſt, hanc colit Eccleſia.
Linqvere vana decet; ſculptis ſervire metallis
Heu ſcelus eſt homini, qvi ratione viget.
Jupiter aut *Neptunus* eos, vel qvemqve ſeqvuntur,
Qvid juvat, aut manibus ſculpta metalla ſuis?
Vana colunt miſeri, ſurdis mutisqve precantur,
Dæmonibusqve litant debita danda Deo.
Non pecudum placare Deum fas ſangvine noſtrum:
Pluris amat hominis vota benigna pius.
Jam ſatis errori tempus tribuerê profano,
Cultibus inlicitis cedere tempus adeſt.
Ultima labentis hos jam vocat hora diei,
Vinetis domini portio reſtat adhuc.
Otia lenta decet jam nunc qvoqve rumpere, dum lux
Alma, licet homini qværere dumqve Deum.
Ne nox atra cadens miſeros comprehendat inertes,
Tradat & ignicomis (l) illico rite focis.
Tu, Sacer *Ebo*, tamen perlectis accipe Biblis,
Teſtamenta novi dogmatis ac veteris.
Hoc de fonte ſacro fer pocula dulcia primo,
Qvis hauſtis recolant dogmata vera Dei.
Aspera dede locis mox convenientibus, atqve
Noſſe qveant (m) hactenus orſa colunt.

Mandata Imperatoris ad Regem.

His breviter *Regem* noſtris de partibus HERDOLT (n)
Adgredere, & dictis noſtra referto ſibi.
Nos pietate Dei pariter noſtræqve fidei
Dogmate compuncti, hæc ſibi dicta damus.

Conſiliis

(l) Alibi *ignivomis.*

(m) Addendum *falſa, qvæ.*

(n) *Heinſeldius* & Hiſtorici noſtri recentiores HARALDO huic, Regi Jutiæ, cognomentum *Klak* tribuunt, freti auctoritate plerorumqve Annaliſtarum noſtrorum veterum, apud qvos *Haraldus* cognominatur *Clac, Clak, Clag, Klag*, vide ſupra p. 16. 36. 65. & antepoſito cognomine p. 19. *Klak-Harald*, eodem modo qvo ab Auctore Hiſtoriæ Olai Trygg. P. I. p. 1. 72. recentior qvidam *Haraldus*, Comes in Holſatia ſive potius in Jutiæ parte, pater Reginæ *Thyræ Danebod*, & hujus forte *Haraldi* nepos, etiam dicitur *Klak-Haraldur* Licet autem neqve *Adamus*, neqve *Saxo*, nec *Annales Francorum* HARALDUM iſtum ſeniorem, Moguntiæ baptizatum, cognomine *Klak* nuncupaverint, ex eorum tamen ſilentio, conſentientibus ex majorum traditione ceteris, illi hoc cognomen minime denegare audeo. Iſte HARALDUS, qvem alii *Haroldum*, *Harioldum*, *Herioldum* nominant, non totius Daniæ, ſed tantum Jutiæ Rex fuit; Inſularum per iſta tempora imperium, cum Scania & Hallandia, tenentibus *Sigvardo Angvioculo* ejusqve filio *Horda-Cnuto*, vel eorum nomine *Gormone Cnuti* filio, *Torfæi* Ser. p. 401. 403. *Grammii* Meurſ. p. 115. conjicitur fuiſſe *Godefridi* An. 810. mortui nepos ex fratre. Occiſo fratre *Anulone* An. 812. HARALDUS fit Rex & miſſa ad Imperatorem Legatione pacem petit. An. 813. a *filiis Godefridi* regno pellitur. An. 814. bello victus, ad Imperatorem *Ludovicum Pium* confugit, a qvo in Saxoniam mittitur, cujusqve auxilio An. 815. patriam recuperare fruſtra tentat. Sic & Anno 817. & forte ſæpius. An. 819. *Haraldus* duobus *filiis Godefridi* ſociatur, aliis duobus patria pulſis. Et An. 821. a *filiis Godefridi* in ſocietatem regni recipitur. An. 823. in Conventu Compendienſi Imperatorem adit, auxilium petens contra filios Godefridi, qvi eum patria pellere nitebantur. An. 825. in pace facta inter Imperatorem & Godefridi filios *Haraldus* reſtitutus videtur. An. 826. Moguntiæ, cum Uxore, Filio & Nepote, baptizatur. An. 827. a *Godefridi filiis* de conſortio

Conſiliis modo ſi mavult parere benignis,
Suſcipiat noſtra pectore verba pio (*).
Proh dolor, accelerans errorem li aqvat avitum
Poſcimus, & Chriſto det pia vota pio.
Offerat atqve Deo ſemet promtiſſimus ipſum,
Cujus factura eſt, qviqve creavit eum.
Monſtra nefanda procul, ſeu *Juppiter* (o) horridus abſit,
Neptunum (p) linqvat, Eccleſiamqve colat.
Dona ſalutaris capiat de fonte ſacrato,
Atqve crucem Chriſti frontibus, opto, ferat.
Non, ſua regna mihi ut cedant, ut conſulo, *credat* (*),
Sed qvo plasma Dei lucrificare qveam.
Si cupit, ad noſtras concurrat concitus arces,
Percipiat vero fonte lavacra Dei.
Inſuper ablutus, dapibusqve juvatus, & armis,
Mox ſua regna petens vivat amore Dei.
Hæc nos vera fides divini juſſa Tonantis
Dicere qvippe monent, qvæ volo perficere.
Mox jubet EBONEM donari munere magno.
Vade, Deus tecum, *Induperator* ait.

Nuntius interea *Brittonum* (q) a parte rebellum — Expeditio Britannica.
Ecce venit ſolito, nuntia ſæva refert.
Scilicet infectum qvod nuper Cæſar ad illos
Firmarat pignus, inſuper atqve fidem.
Accitis populis, armis qvoqve rite paratis,
Illuc *Cæſar* ovans concitus ire parat.
Francia cuncta ruit, veniunt gentesqve ſubactæ,
Et *Pippine* (r) tua parte venire paras.
Diviſit populum ternis ſub partibus omnem,
Ductoresqve dedit, ordinat & Proceres.
Partem unam Æqvivoco (s) belli committit, & una
Matfridum ſociat, millia multa ſimul.
Pippino Regi huc *Heliſachar*qve, potentes
Junguntur: numero cetera turba caret.

Agmen

ſortio regni ejectus, Danorumqve finibus excedere compulſus eſt. An. 828. negotio pacis durante, Danos aggreditur, videtur tamen, auctoritate Imperatoris, filiis Godefridi concilietus & parti ſuæ regni reſtitutus. Hæc ex *Annal. Bertinianis*, *Metenſibus*, *Laurisbamenſibus*, *Fuldenſibus*, & *Loiſelianis*.

(*) Hinc ap. *Rembertum* in Vit. S. Anſch. Cap. VI. *Ludovicus* dicitur HARALDUM Regem convertiſſe.

(o) Vide ſupra Not. b.

(p) Vide ſupra Not. a.

(*) Nulla hujus venditationis & ſpontaneæ ab Imperatore factæ cautionis habita ratione, accidit poſtea, ut HARALDUS ante diſceſſum ſe regnumqve ſuum manibus Imperatoris tradiderit, ut infra legitur.

(q) Deſcribitur hic Bellum Britannicum, Anno 824. geſtum, de qvo lege *Annales Fuldenſes*, *Eginhardi*, aliosqve ad hunc annum.

(r) *Pippinus* erat *Ludovici Pii* filius, Aqvitaniæ Rex.

(s) Scil. *Ludovico*, Ludovici filio, Boioariæ Regi.

Agmen ovans Cæſar medium ſibi vendicat ipſe
Belliger, & ſapiens ordine bella movet.
Hos *Lantpertus* (t) agit, hos ducit in agmina *Matfrid*,
Et *Hludovvice* puer, bella paterna geris.
Pippin, ſive ſui, & Francorum mixta caterva
Arma ferunt, vaſtant undiqve gentis honos.
Cæſar agens *Francos*, per calles dirigit amplos;
Regmina *Brittonum* ſic peragrata patent.
Huc egomet (u) ſcutum humeris enſemqve revinctum
Geſſi, ſed nemo, me feriente, dolet.
Pippin hoc aſpiciens, riſit, miratur, & inſit:
Cede armis, Frater! literam amato magis.
Tunc peragrant agros, ſilvas, tremulasqve paludes,
Vaſtatur populus, & pecus omne perit.
Ducuntur capti miſeri, moriuntur & armis;
Tandem reliqviæ *Caſaris* arma petunt.
Cæſar namqve Duces cuſtodes ponit opimos;
Si capiant, neqveunt bella movere magis.
Victor at inde pius *Cæſar* remeavit, & omnes
Victores *Franci* mox ſua tecta petunt.

Haraldus fidem amplectitur.

EBO ſacer dudum *Nortmannica Regna* (v) peragrans,
Munia clara dabat nominis apta Dei.
Jam, HEROLDE, tuas *Præſul* pervenerat arces,
Et tua de Chriſti dogmate corda replet.
Ille Dei monitis, *Regis* qvoqve credere verbis
Coeperat, & populum prædicat ipſe ſuum.
Credo, *Sacer*, dictis tantum ſi geſta ſeqvantur:
Perge, ait, ad *Regem:* Hæc ſibi dicta refer.
Cernere namqve placet *Francorum* regna fidemqve
Cæſaris, arma, dapes, chriſticolumqve decus,
Culturamqve Dei, cui ſervit cuncta poteſtas,
Ut canit, atqve fides firmiter alma tenet.
Tum mihi ſi veſter, recinis qvem dogmate, Chriſtus
Cedat opem voti, protinus acta dabo.
Dii qvoqve ſerventur, qvorum ſacravimus aras,
Usqve Dei posſim viſere templa tui.
Si Deus ille tuus noſtris præfertur honore,
Et valet oranti munera plura dare,
Linqvere cauſa monet, Chriſto parere juvabit,
Sculptaqve flammivomis ferre metalla focis.

Munera

(t) *Lantpertus* ſive *Lambertus* Comes nominatur in *Vita Ludovici Pii* ad An. 825. 829. Hunc nonnulli *Andegavenſem*, alii potius *Namnetenſem* fuiſſe Comitem volunt.

(u) Ipſe ſcil. Auctor hujus Poëmatis *Ermoldus Nigellus*, Abbas, ut putatur, Monaſterii Anianenſis, qvi An. 824. milites monaſterii ſui in expeditionem Britannicam ducebat.

(v) Etſi Auctor de *Ebbone* hac phraſi utatur, qvod *Nortmannica Regna peragraverit*, dubitari tamen merito poteſt, eum ulterius in Septentrionem, qvam in *Daniam*, aut forte ſolam *Juriam*, penetraſſe. Sola igitur licentia poëtica *Nigellum* excuſabit.

Munera ferre jubet, donat qvoqve munere Sacrum,
Qvalia *Denorum* rus qvoqve habere valet.

EBO redit gaudens, lucrisqve Propheta futuris — Ebbonis reditus.
Æstuat, & *Regi* vota placenda refert,
Qvaliter HEROLDUS, *Denorum Rector* opimus,
Sacra lavacra Dei suscipienda petat.
Cæsar at deinde pius grates persolvit opimas
Cuncti patri Domino, qvi dedit omne bonum.
Et jubet extemplo Imperii per jura subacti
Omnibus obnixe solvere vota Deo,
Scilicet ut Christus, qvi mundum sangvine totum
Salvavit, redimat hos qvoqve ab hoste malo.

Engilin ipse pius placito tunc tramite *heim* (x) — Ingelheimium.
Advolat *Induperans* conjuge cum sobole.
Est locus ille situs rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus, & dapibus.
Qvo domus alma patet centum perfixa columnis (y),
Qvo reditus varii, tectaqve multimoda.
Mille aditus, reditus, millenaqve claustra domorum,
Acta magistrorum artificumqve manu.
Templa (z) *Dei* summo (a) constant operata metallo,
Ærati postes, aurea ostiola.

(x) *Ingelheimum*, Moguntiæ conterminum, nunc Palatinatus Rhenani oppidum. Ibi *Godefridus Viterb.* CAROLUM M. natum esse, forte ex traditione veteri, asserit, Vid. *Schminckii* Not. ad Eginhard. p. 35. Idem *Eginhardus* ibid. p. 85. de Palatio ibi a CAROLO exstructo testatur: *Inchoavit & Palatia operis egregii, unum haud longe a Moguntiaco juxta villam, cui vocabulum est Ingilenheim* &c. *Poeta Saxo* ap. Du Chesne T. II. p. 180. Palatium illud ejusqve columnas marmoreas laudat. In hoc *Palatio Ingelheimensi* CAROLUS M. sæpissime commoratus est, ibiqve seqventes Imperatores varios Imperii publicos conventus celebrarunt, ut testantur Francorum Annales. Duos uno anno 826. Conventus publicos *Ingelheimii* habuit LUDOVICUS PIUS, unum in mense Junio, alterum in Octobri, ut docent *Eginhardi Annales* ap. Du Chesne T. II. p. 269. 270. & *Annal. Bertin.* ibid. T. III. p. 183. 184. De priori *Nigellus* heic loqvitur. Sic & *Auctor Vitæ Ludovici* ibid. p. 304. ad An. 826. *Imperator*, inqvit, *Kalendis Junii mensis, ad Ingelheim venit, ibidemqve illi Conventus populi sui occurrit, — Nec non Herioldus a Nortmannia partibus cum uxore veniens, Danorumqve non parva manu* &c.

(y) Qvod Columnæ illæ Arcis Ingelheimensis marmoreæ fuerint, & unde advectæ, hisce docet *Poeta Saxo* ap. Du Chesne T. II. p. 180.

Ad qvæ marmoreas præstabat ROMA columnas,
Qvasdam præcipuas pulcra RAVENNA dedit.

(z) *Templum*, qvod hic describitur, & in qvo fine dubio *solennis Haraldi Baptismus* peractus est, videtur ex verbis Auctoris nostri *Ingelheimii* fuisse; Cum tamen *Annales Eginhardi*, *Fuldenses*, *Bertiniani*, & *Auctor Vitæ Lud. Pii* in eo consentiant, qvod HARALDUS *Moguntiæ* & qvidem in *Basilica S. Albani* baptizatus sit. *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 202. 204. Auctores horum Annalium erroris incusat, contendens, fide Ermoldi, HARALDUM non in *æde S. Albani*, sed in *Capella Palatii Ingelheimensis* baptizatum esse. Utrumqve autem recte se habere potest, si consideremus *Ingelheimium*, ut *Suburbium Moguntiæ* & tanqvam partem ipsius civitatis sub ejusdem juribus comprehensam; Qvo nomine illud appellat *Eginhardus* ap. Du Chesne T. II. p. 245. ad An. 787. de CAROLO M. ita scribens: *In suburbano Mogontiacensi, in villa, qvæ vocatur Ingelheim, & Natalem Domini & Pascha celebravit.* Cum jam *Monasterium* & *Templum S. Alboni* Moguntiense inveniatur olim situm fuisse *extra muros urbis*, ideoqve forte in *Suburbio Ingelheim*, facile conciliatur

Nigellus,

Picturæ Templi.

Inclita geſta Dei, ſeries memoranda virorum,
Pictura inſigni qvo relegenda patent.
Ut primo, ponente Deo, pars læva recenſet,
Incolitant homines te *Paradiſe* novi.
Inſcia corda mali ſerpens ut perfidus *Evæ*
Temptat, ut illa virum tangit, ut ipſe cibum.
Ut Domino veniente tegunt ſe tegmine ficus,
Ut pro peccatis jam coluere ſolum.
Frater ob invidiam fratrem pro munere primo
Perculit, haud gladio, ſed manibus miſeris.
Inde per innumeros pergit *pictura* ſeqvaces,
Ordine, ſive modo, dogmata priſca refert.
Utqve *latex* (b) totum merito diffuſus in orbem
Crevit, & ad finem traxit ut omne genus.
Ut miſerante Deo paucos ſubvexerat *Arca*,
Et corvi meritum, ſive columba tuum.
Inde *Habrahæ*, ſobolisqve ſuæ pinguntur & acta,
Joſeph, ſeu fratrum, & *Pharaonis* opus.
Liberat ut populum Ægypto jam munere *Moſes*,
Ut perit *Ægyptus*, *Israel* utqve meat.
Et *Lex* dante Deo geminis deſcripta tabellis,
Flumina de rupe, deqve volucre cibus.
Et promiſſa diu qvo redditur hoſpita tellus,
Ut *Jeſus* populo dux bonus exſtiterat.
Jamqve *Prophetarum*, *Regum* præmagna caterva.
Pingitur, acta ſimul & celebrata nitent.
Et *Davidis* opus, *Salomonis* & acta potentis,
Templaqve divino ædificata opere.
Inde Duces populi qvales qvantiqve fuere,
Atqve Sacerdotum culmina ſeu procerum.
Altera pars retinet *Chriſti* vitalia geſta,
Qvæ terris miſſus a genitore dedit.
Angelus ut primo Mariæ delapſus ad aures,
Utqve Maria ſonat: Ecce puella Dei.
Naſcitur ut Chriſtus, ſacris longe ante Prophetis
Notus, & e pannis volvitur utqve Deus.
Ut pia paſtores capiunt mox juſſa Tonantis,
Cernere moxqve Deum qvo meruere Magi.
Ut furit Herodes, Chriſtum ſuccedere credens,
Perculit ut pueros qvi meruere mori.

Ut

Nigellus, Auctor gravis ſane & coævus, qvi *Templum Ingelheimenſe* innuit, cum ceteris vetuſtis *Annaliſtis*, qvi HARALDUM *Moguntiæ ad Sanctum Albanum* baptizatum referunt. In eadem *Æde S. Albani* An. 794. ſepulta eſt Regina *Faſtrada* uxor Caroli M. *Annal. Metenſ.* ap. Du Chesne T. III. p. 286. Conf. T. II. p. 648. Eadem *S. Albani Eccleſia* An. 858. Kal. Januar. terræ motu ita concuſſa eſt, ut murus de faſtigio cadens, oratorium S. Michaelis terræ coæqvaret. *Annal. Fuld.* ap. Du Chesne T. II. p. 554.

(a) Legendum forte *ſummi.*

(b) ɔ: Diluvium univerſale.

Ut fugit Ægypto Joſeph, puerumqve reportat,
Crevit ut ipſe puer, ſubditus utqve fuit.
Ut baptizari voluit, qvi venerat omnes
Sangvine ſalvare, qvi periere diu.
More hominis ut tanta tulit jejunia Chriſtus,
Ut temptatorem perculit arte ſuum.
Ut pia per mundum docuit mox munia patris,
Reddidit infirmis munia priſca pius.
Mortua qvin etiam ut reparavit corpora vitæ,
Dæmonis arma tulit, expulit atqve procul.
Diſcipulo ut tradente fero ſævoqve popello
More hominis voluit ut Deus ipſe mori.
Ut ſurgens propriis apparuit ipſe miniſtris,
Utqve polos palam ſcandit, & arva regit.
His eſt *Aula Dei picturis* arte referta,
Pleniter artifici rite polita manu.

Regia namqve *Domus* late perſculpta niteſcit, Palatii deſcriptio.
Et canit ingenio maxima geſta virum.
Cyri geſta canit, nec non & tempore *Nini*
Prælia multimoda, duraqve facta nimis.
Hic videas fluvio Regis ſævire furorem,
Vindicat ut cari deniqve funus eqvi.
Dehinc mulieris ovans infelix prenderat arva,
Sangvinis utre caput ponitur inde ſuum.
Impia nec *Falaris* (c) reticentur geſta nefandi,
Utqve truces populos hic necat arte fera.
Ut *Pyrirlus* (d) ei qvidam faber æris & auri
Jungitur, & *Falari* cum impietate miſer
Ære celer taurum nimio fabrivit honore,
Truderet ut hominis qvo pia membra ferus.
Moxqve tyrannus eum tauri concluſit in alvo,
Arsqve dedit mortem ut artificiqve ſuo.
Romulus & *Remus* Romæ ut fundamina ponunt,
Perculit ut fratrem impius ille ſuum.
Hannibal ut bellis ſemper perſvetus iniqvis,
Lumine privatus ut fuit ipſe ſuo.
Ut qvoqve *Alexander* bello ſibi vendicat orbem,
Ut *Romana* manus crevit & usqve polum.
Parte alia recti mirantur geſta paterna,
Atqve piæ fidei proximiora magis.
Cæſareis actis Romanæ ſedis opimæ
Junguntur *Franci*, geſtaqve mira ſimul.
Conſtantinus uti Romam dimittit a more,
Conſtantinopolim conſtruit ipſe ſibi.

Theodoſius

(c) *Phalaris* Siciliæ tyrannus crudelis.
(d) Alias *Perillus* ſcribitur, fuſuræ Artifex Athenienſis.

Theodoſius felix illuc depictus habetur,
Actis præclaris addita geſta ſuis.
Hinc *Carolus* (e) primus *Friſonum* marte magiſter
Pingitur, & ſecum grandia geſta manus.
Hinc *Pippine* micas, *Aqvitanis* jura remittens,
Et regno ſocias, marte favente, tuo.
Et *Carolus* (f) ſapiens vultus prætendit apertos,
Fertqve coronatum ſtemmate rite caput.
Hinc *Saxona* cohors contra ſtat, prælia temptat,
Ille ferit, domitat, ad ſua jura trahit.
His aliisqve actis clare locus ille niteſcit,
Paſcitur & viſu, cernere qvosqve juvat.
Illic ergo pius *Cæſar* dat jura ſubactis,
More ſuo regni rite revolvit opus.

Haraldi Adventus.

Ecce volant *centum* per *Rheni* flumina *puppes* (g),
Velaqve candidolis conſociata modis,
Denorum populis oneratæ munere, nec non
HEROLDUM (h) Regem prima carina vehit,
Te, HLUDOVVICE, petens; Debetur hoc tibi munus,
Qvi facis Eccleſiæ creſcere rite decus.
Jamqve propinqvabant ripæ, portumqve tenebant.
Cæſar ab excelſa hæc proſpicit arce pius,
*Matfridum*qve (i) jubet, juvenum comitante caterva,
Ocius occurrat pro pietate viris.
Mittit eqvos faleris multos oſtroqve paratos,
Qvi revehant homines ad ſua tecta novos.
Franciſco ſubvectus *eqvo* HEROLDUS adibat,
Conjunx (k), atqve Domus cuncta venire parat.
Cæſar eum gaudens celſa ſuſcepit ab aula,
Ordinat expenſas, diſtribuitqve dapes.
HEROLDUS Regem adclinis affatur opimum,
Incipit ore ſua vota referre prior:

Cæſar

(e) *Carolus Martellus*, qvi *Friſios* An. 733. & 734. ditioni ſuæ ſubjecit.

(f) *Carolus Magnus*, bello Saxonico præcipue clarus.

(g) Habes hic *iter HARALDI Regis*, qvod ſcil. cum comitatu pluribus navigiis per *Rhenum* Moguntiam advectus ſit. Revertens in patriam idem iter maritimum per Rhenum ingreditur; nam, ut *Rembertus* Cap. VII. docet, in via *Coloniam* & *Doreſtadum* inviſit. Et *Annaliſta Laureshan* ap. le Cointe T. VII. p. 785. *HARALDUS per Friſiam, qva venerat via, reverſus eſt.*

(h) Tertius minimum hic fuit HARALDI ad Imperatorem adventus, factus Anno 826. de qvo ita *Eginhardus* ap. Du Chesne T. II. p. 269. „Eodem tempore HERIHOLTUS cum *uxore* & magna *Danorum* multitu„dine veniens, *Mogunciaci* apud *Sanctum Albanum* cum iis, qvos ſecum adduxit, baptiſatus eſt, Multis„qve muneribus ab *Imperatore* donatus, per *Friſiam*, qva venerat via, reverſus eſt. In qva provincia „Comitatus, qvi *Rhiuſtri* vocatur, eidem datus eſt, ut in eum ſe cum rebus ſuis, ſi neceſſitas exigeret, „recipere potuiſſet". Paulo ſupra Not. (n) annotatum eſt, HARALDUM An. 814. & 823. apud Cæſarem fuiſſe.

(i) *Matfridus* erat Comes Aurelianenſis, & An. 824. unus ex ducibus belli contra Britannos geſti, de qvo paulo ſupra.

(k) Regina Danorum, uxor HARALDI.

Haraldi ad Cæſarem Oratio.

Cæſar opime, tuas qvæ res me vexit ad arces,
Meqve, Domumqve meam, & Genus omne ſimul.
Incipiam narrare, jubet ſi veſtra poteſtas,
Cæſareis promtus auribus, atqve canam.
Namqve diu patrum ſectatus jura priorum,
More mei generis hactenus usqve tuli,
Et mea ſacra meis ſemper *Dîs* atqve *Deabus.*
Perſolvi ſupplex, & pia vota dedi.
Scilicet ut horum ſuffragia regna paterna
Servarent, populum, prædia, ſive lares,
Auferrentqve famem, ſeu noxia cuncta potenter
Abstraherentqve, darent, proſpera cuncta ſuis.
EBO ſacer veſter dudum *Nortmannica rura*
Ingrediens, aliter prædicat, atqve probat (l).
Namqve canit, coeli terræqve, marisqve Creantem
Eſſe Deum verum, qvem decet omne decus.
Qvi geminos homines luti de ſomate primo
Fecerat, unde genus crevit in orbe virum.
Ille Deus ſummus Natum transmiſit in arva,
De cujus latere ſangvis & unda fluit.
Hæc (m) lavit mundum miſerans mox crimine ab omni,
Atqve renaſcenti cœlica regna dedit.
Filius ille Dei Chriſtus vocitatur Jeſus,
Cujus chrisma beat nunc genus omne pium.
Hunc niſi confeſſus fuerit qvisqve eſſe Tonantem,
Et pia Baptismi munera ſuſcipiat,
Tartarei invitus properabit ad ima profundi,
Qvo male dæmonibus conſociandus erit.
Aſt qvicumqve cupit cœli conſcendere ſedem,
Qvo manet omne bonum, & procul omne malum,
Jam fateatur, eum verum eſſe Deumqve Hominemqve,
Expurget nec non corpora fonte ſacra.
In *Patris* & *Nati* ſeu nomine *Flaminis* almi
Membra ſalutiferis ter qvoqve munder aqvis.
Hic Deus eſt unus, qvamvis ſint nomina trina,
Par honor atqve decus eſt; fuit, eſt, qvoqve erit.
Cetera, qvæ manibus conſtant præfiƈta, metalla
Idola vana vocat Præſul, & eſſe nihil.
Hanc mihi, *Cæſar* amans, *Præſul* ſanƈtiſſimus EBO
Eſſe fidem veſtram cenſuit ore ſuo,
Cujus ego exemplo verbis recreatus honeſtis (n),
Credo Deum verum, reſpuo ſculpta manus.
Idcirco ad veſtrum properavi remige regnum,
Ut mihi veſtra fides conſociata foret.

(l) HARALDUS *Ebbonis conciones ſacras* laudando recitat.

(m) Legendum ſorte *Hac lavit.*

(n) Ex hoc & aliis *Nigelli* locis clarum eſt, *Ebonem* Archiepiſcopum HARALDUM Danorum Regem, reſtante id ipſo Rege, ad fidem chriſtianam convertiſſe.

Haraldus cum Regina & Filio baptizatur.

Cæſar ad hæc: HEROLDE, tibi, qvæ poſcis, amice,
Rite dabo, & grates inde rependo Deo.
Qvo miſerante, diu ſectatus juſſa celydri,
Chriſticolam tandem poſcis adire fidem.
Ecce, parate, jubet, cuncti concurrite, *Cæſar*,
Munera Baptismi rite parate, decet,
Candidolas veſtes, qvales geſtare decebit
Chriſticolis, fontes, chrisma, ſeu latices.
Ordine his geſtis, ſacris qvoqve rite paratis,
Cæſar & HEROLDUS tecta ſacrata petunt.
Cæſar honore Dei HEROLDUM ſuſcepit (o) ab undis,
Veſtibus albidulis (p) ornat & ipſe manu (*).
JUDITH *Reginam HEROLDI* (q), pulcra Induperatrix
Fonte levat ſacro, veſtibus atqve tegit.
HLUTHARIUS Cæſar, *Hludovvici* filius almi,
HEROLDI *Natum* (r) ſuſtulit a latice.
Regis Honoratos Proceres relevantqve, decorant,
Aſt alios plures turba levavit aqvis.

O HLU-

(o) *Theganus* de geſtis Ludovici ap. Pithoeum p. 119. rem ita explicat: *Sequenti anno* (826) *erat in Palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit ERIOLTH de Danis, qvem Dominus Imperator elevavit de fonte baptismatis.* Et ante eum *Rembertus* in Vita S. Anscharii Cap. VII. *Ludovicus HARALDUM, ſacro baptismate perfuſum, ipſe de ſacro fonte ſuſcepit, ſibiqve in filium adoptavit.* Conf. *Chron. Ademari* ap. Labbeum T. II. p. 159.

(p) *Gvaldus* hæc ita in Vita S. Anscharii Cap. XII.

Qvem Cæſar niveis, ut mos eſt, induit Albis,
Et pater in lavacri natalibus extitit illi.

(*) Heic verba Celeb. *Eckarti* Rer. Franc. T. II. p. 202. mea faciam: *Accurate ſingula refert Ermoldus: Sed vellem, accuratius paulo ceremonias baptismatis Regis Danorum recenſuiſſet, atqve addidiſſet, qvis Præſulum Heroldum & ſuos baptizaſſet.* Qvod *Wolfgarius* Epiſcopus Wirceburgenſis hoc peregerit, incertum omnino eſt & mera Eckarti conjectura.

(q) *Theganus* l. c. ita: *Et Uxorem ejus elevavit de fonte Domina JUDITH Auguſta.*

(r) Anecdotum heic Auctor nobis detegit, qvod, præter ipſum, nemo Scriptorum coævorum prodidit, *Filium* ſcil. aliqvem HARALDI cum parentibus Moguntiæ baptizatum. Alii qvidem paulo recentiores Hiſtorici, ſcil. *Herm. Contractus* ap. Caniſ. T. III. p. 246. *Sigebertus Gembl.* ap. Piſtorium T. I. p. 562. *Chron. Turon.* ap. Martene T. V. p. 963. *Theod. Engelhuſ.* p. 161. HERIOLDUM Regem Danorum, cum uxore, & *filiis*, & magna ſuorum multitudine, Mogontiaci baptizatum eſſe, narrant, ſed ſine vetuſtiorum auctoritate *filios* adjunguint. E contra *Nigellus* nihil de Haraldi *fratre* habet, qvem tamen cum eo baptizatum *Adamus Brem.* p. 6. refert. *Auctor Hiſtoriæ Ol. Trygvinii* P. I. p. 68. non *fratrem*, neqve *filium*, ſed *fratris filium*, nomine *Harek* cum Haraldo baptizatum ſcribit. *Harecus* ille, apud Scriptores Francicos *Roruc* ſive *Rorich* dictus, in *Annalibus Fuldenſ.* ap. Du Chesne T. II. p. 550. & *Metenſibus* ib. T. III. p. 303. *Frater* Haraldi nominatur, ſed in *Annal. Bertin.* ib. p. 204. *Nepos* Herioldi. Qvicqvid ſit, *Nigello*, ut contemporaneo Scriptori & forte oculato teſti, cui *Natus* ſive *Filius* Haraldi bis aut ter repetitur, credendum puto. Ex ſilentio autem ejus *Roricum*, ſive frater, ſive nepos ex fratre, Haraldi fuerit, excludendum a prædicto actu baptismali minime volo; Qvum enim ille, una cum Haraldo, beneficium ab Imperatore accepiſſet, qvod *Annales Fuldenſ.* ac *Metenſ.* & *Adamus Brem.* l. c. aperte teſtantur, credi etiam debet, eum cum Haraldo & inter multitudinem Danorum Baptismi participem in conſpectu Imperatoris factum fuiſſe. Ipſe vero *Nigellus* noſter, cum paulo infra, *Neporem* Haraldi Moguntiæ præſentem fuiſſe ac una cum *Filio*, Haraldo abeunte, obſidem in aula Cæſaris relictum, teſtetur, rem omnem enucleat & fere indubiam facit. Hunc autem Haraldi *Neporem* qvis, & qvibus argumentis, neget *Roricum* fuiſſe? Videntur igitur ii ex Annaliſtis Francorum, & Adamus Bremenſis, qviqve eos ſeqvuntur, *a* vero abludere, qvi *Roricum*, pro *Filio Fratris*, *Fratrem* Haraldi profitentur, Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 119. Sed ut ad *Filium* Haraldi, qvi cum ipſo baptismi gratia perfuſus eſt, redeamus, conjicerem, eum fuiſſe *Godefridum* illum, de qvo *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 206. ad An. 852. ita tenent *Godefridus*,

O HLUDOVVICE, Deo qvantas das, magne, catervas!
Qvantus odor Chriſto, te faciente, meat!
Hæc tibi lucra diù, Princeps, ſervata manebunt,
Abstrahis ore lupi, qvæ facis eſſe Dei.
Veſtibus albatis HEROLD, ſeu corde renatus,
Jam patris eximii candida tecta ſubit.
Cæſar ei celſus *prægrandia munera* donat (s),
Qvalia *Francorum* gignere rura valent.
Conſertam *clamydem* gemmis ſeu murice rubro, Ornatus Haraldi.
Aureus in gyro, qvam qvoqve lymbus arat.
Dat lateri inſignem *Cæſar*, qvem geſſerat, *enſem*,
Aurea qvem comunt *cingula* rite data.
Aurea mox geminos conſtringunt *vincla* lacertos,
Femora gemmatus *balteus* ejus obit.
Et caput inſigni donatur rite *coronâ*,
Perſtringuntqve pedes aurea *plectra* (t) ſuos.
Aurea per dorſum reſplendent *tegmina* latum,
Ornanturqve manus *tegmine* candidulo.
Munera præterea *Matronæ* Regia JUDITH Ornatus Reginæ Danorum.
Congrua namqve dedit, gratificumqve decus.
Scilicet ex auro *tunicam* gemmisqve rigentem,
Conficit aſt qvalem arte Minerva ſua.
Aurea *vitta* caput gemmis redimitta coronat,
Atqve *mamile* tegit pectora grande nova.
Flexilis obtorti per collum it *circulus auri*,
*Armillæ*qve tenent brachia fæmineæ
Femora lenta tegunt auro gemmisqve peracta
Cingula, dorſa tegit aurea *cappa* ſua.

Nec minus interea HLUTHARIUS ornat amore Ornatus Filii & comitum Haraldi.
HEROLDI Natum (u) veſtibus aurigeris.

Cetera

Godefridus, Herioldi Dani filius, qvi qvondam ſub Imperatore Ludowico Mogunciaci fuerat baptizatus, a Lothario deficiens, ad ſuos ſe confert. Si vero hic idem *Godefridus* ſit, qvi poſtea Anno 882. baptizatus, Gillam Lotharii filiam uxorem accepit, *Annal. Metenſ.* ibid. 319. non poteſt eſſe ille ex Haraldi filiis, qvi cum eo Moguntiæ baptizatus eſt. Alterum filium *Haraldus* habuit, *Rudolfum* nomine, occiſum An. 873. de qvo vid. *Annal. Bertin.* p. 218. 243. 244. 246. At ſi horum neuter fuerit, habemus Scriptorem Seculi XII. qvi nobis diſertis verbis nominat *Manigoldum* filium HARALDI cum ipſo baptizatum, ſi modo ille in rebus tam antiqvis fidem meretur, & qvidni mereretur, cum ex longe vetuſtioribus fontibus hanc notitiam haurire potuiſſet. Is eſt *Gotfridus Viterbienſis*, qvi ap. Piſtorium T. II. p. 465. tali carmine Baptismum HARALDI deſcripſit:

Tunc *Rex Danorum* Baptisma recepit HEROLDUS,
Filius ipſius, cum *Matre*, Puer *Manigoldus*,
Et reliqvi populi chrisma tulere ſui.

Conf. *Chron. Theod. Engelhuſ.* p. 166. qvi tamen tempora confundit. Sed nonne hic *Haraldus* ſit alius & recentior?

(s) De muneribus HARALDO a Cæſare donatis, lege *Vitam Ludovici Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 304. *Einhardi* Annal. ibid. p. 270. *Thegani* ibid. p. 281. *Annal. Bertin.* ibid. T. III. p. 183.

(t) Per *plectra* ſine dubio heic intelligantur *calcaria*.

(u) *Haraldi filius* hic ſecundo nominatur, qvi poſt Baptisma a *Lothario* Imperatoris filio veſtibus auro diſtinctis ornatur.

Cetera namqve cohors *franciſco more* paratur,
Veſtimenta ſibi *Cæſar* amore dedit (*).

Sacra peragenda.

Interea *Miſſarum* aderant jam *ſacra* parata,
More vocat *ſignum* (v) ad culmina ſacra (x) homines.
Tecta nitent vario Clero repleta coruſco.
Ordine mirifico vernat amoena domus.
Turba ſacerdotum Clementis dogmate conſtat,
Levitæqve micant ordine namqve pii.
Theuto (†) chorum Cleri disponit rite canentum,
Adhallvitus adeſt, fertqve manu ferulam,
Percutit inſtantesqve, viam componit honore
Cæſaris, & Procerum, Conjugis, & Sobolis.

Proceſſio ad Templum.

Atria *Cæſar* ovans per lata petebat in Aulam,
Sedulus officiis adfore ſæpe ſacris.
Reſplendens auro nimium gemmisqve refulgens,
Innixus famulis lætus abibat iter.
Hilduinus (y) habet dextram, *Heliſacharqve* (z) ſiniſtram
Suſtentat: *Gerung* (a) pergit at ipſe prior,
Virgam more gerit, ſervans veſtigia *Regis*,
Aurea cujus habet qvippe *corona* caput.
HLUTHARIUSqve pius, HEROLDUS & ipſe togatus
Pone ſeqvuntur eos, muneribusqve micant.
Ante patrem pulcher *Carolus* (b), puer inclitus, auro
Lætus abit, plantis marmora pulſat ovans.

JUDITH

(*) Hac forte occaſione, & ſæpius, videtur accidiſſe, qvod de *Danorum Baptismo* refert *Mon. Sangall.* ap. Du Chesne T. II. p. 134. *Qvorum* inqvit, *Legatos Imperator aliqvando miſeratus, interrogavit, ſi chriſtianam religionem ſuſcipere vellent. Et reſponſo accepto, qvod ſemper & ubiqve & in omnibus eſſent obedire parati, juſſit eos baptizari. Qvi a Primoribus Palatii qvaſi in adoptionem filiorum ſuſcepti, de Camera qvidem Cæſaris candidatum, a Patrinis vero ſuis habitum Francorum in veſtibus pretioſis & armis ceterisqve ornatis acceperunt. Qvod cum diutius actitaretur, & non propter Chriſtum, ſed propter commoda terrena, ab anno in annum, multo plures jam, non ut Legati, ſed ut devotiſſimi vaſalli, ad obſeqvium Imperatoris, in Sabbato ſanctæ Paſchæ feſtinarent occurrere: contigit, ut qvodam tempore ad Ludovicum veniſſent. Qvos Imperator interrogatos, ſi baptizari votum haberent, & confeſſos, juſſit aqva ſancta ſine mora perfundi. Cumqve tot lineæ veſtes non eſſent in promptu, juſſit incidi camiſilia, & in modum ſepium conſui, vel in modum vitium paſtinari. Qvarum cum una cuidam Seniorum illorum repentino fuiſſet impoſita, & ille eam curioſioribus oculis ex tempore contemplatus fuiſſet: jamqve indignatione non modica mente concepta, dixit ad Imperatorem: Jam vicies hic lotus ſum, & opimis candidiſſimisqve veſtibus indutus. Et ecce talis ſaccus non milites ſed ſubulcos condecet: Et niſi nuditatem erubeſcerem, meis privatus, nec a te datis contectus, amictum tuum cum Chriſto tuo tibi relinqverem.*

(v) ↄ: *Campana* ad ſacra peragenda vocans, qvam *Rembertus* Vit. S. Ansch. Cap. XXVIII. *Cloccam* appellat.

(x) ↄ: *Templum*, ubi res divina perpetraretur, ſine dubio *Sancti Albani*, de qvo ſupra Not. z.

(†) Cantor Cleri Palatini, qvi poſt paucos annos Cancellarius Imperatoris factus eſt.

(y) *Hilduinus* Abbas S. Dionyſii, *Archicapellani* dignitate ſub *Lud. Pio* functus, vid. *Theganus* ap. Du Chesne T. II. p. 281.

(z) *Heliſachar*, variorum Cœnobiorum Abbas & *Cancellarius* Imperatoris.

(a) *Gerungus*, Oſtiariorum Magiſter ſive *Summus ſacri Palatii Oſtiarius*, vid. *Du Chesne* T. II. p. 265. 712.

(b) *Carolus*, filius minimus *Ludovici Pii*, ex *Juditha* progenitus, tum An. 826. puerulus tres annos natus, poſtea *Calvus* cognominatus.

JUDITH interea regali munere fulta
Procedit, renitens munere mirifico.
Qvam Proceres gemini ſummo comitantur honore
Matfridus (c) ſive *Huc* (d) conſociando gradum,
Atqve *coronati* (e) Dominam venerantur honeſtam,
Veſtibus auratis celſus uterqve micat.
HEROLDI ſeqvitur propius qvam deniqve *Conjunx*,
Induperatricis munere læta piæ.
Et *Fridugiſus* (f) abit, ſeqvitur qvem diſcipulorum
Turba ſagax, candens veſtibus, atqve fide.
Ordine compoſito ſeqvitur dehinc cetera pubes (*),
Veſtibus ornata munere Cæſareo.
Cæſar, ut *Eccleſiam* greſſu pervenit honeſto,
Expoſcit votis more ſuo Dominum.
Mox tuba *Theutonis* clare dat rite boatum,
Qvam ſeqvitur Clerus protenus atqve chori.

Miratur HEROLD, *Conjunx* mirantur & omnes, Haraldi admiratio.
Proles (g), & ſocii, culmina tanta Dei,
Mirantur Clerum, mirantur deniqve *Templum*,
Atqve Sacerdotes, officiumqve pium.
Regis præcipue mirantur proemia magni,
Imperiis cujus currere tanta vident.
Dic, HEROLDE, precor jam nunc, qvam pluris amabis,
Celſe, fidem Regis, an tua ſculpta neqvam?
Ferqve fabrita focis auri argentiqve metalla,
Et tibi ſive tuis inde paretur honos.
Si ferrum fuerit, fortasſis ad arva colenda (h)
Sufficit, & cultros inde fabrire jube.
Plus tibi vomer opes telluri infixus habebit,
Qvam Deus ille tibi conferat arte ſua.
Hic Deus eſt verus, *Franci* qvem, *Cæſar* & ipſe,
Rite colunt votis: Hunc cole, linqve *Jovem.*
De *Jove* (i) fac ollas nigras, furvosqve lebetes,
Ignem ſemper ament, auctor ut ipſe ſuus.

(c) *Matfridus*, Comes Aurelianenſis.

(d) *Hugo* Comes, cujus filiam *Lotharius* Ludovici filius An. 821. uxorem duxerat.

(e) Matfridus & Hugo *Comitum Coronis* decorati.

(f) *Fridugiſus*, qvi procedentem Reginam Danorum ſeqvitur, fuit Abbas S. Martini Turonenſis & Cancellarius Imperatoris.

(*) ɔ: Juvenes Danici miniſteriales, qvi cum Rege ſuo advenerant, & chriſtianis ſacris imbuti erant.

(g) Hic tertio nominatur *filius* Regis Haraldi.

(h) Auctor HARALDUM ad *agriculturam* in regno ſuo promovendam hortatur. Nihilominus etiam adhuc circa medium Seculi XI. *Jutia* ab *Adamo Brem.* ed. Lind. p. 56. ut *regio inculta* ſic deſcribitur: „Ager ibi „ſterilis. Præter loca flumini propinqva, omnia fere deſerta videntur: Terra ſalſuginis & vaſtæ ſolitu„dinis. Porro cum omnes tractus Germaniæ profundis horreant ſaltibus, ſola eſt *Jutland* ceteris horri„dior, qvæ in terra fugitur propter inopiam fructuum, &c. Vix invenitur culta in aliqvibus locis, vix „humanæ habitationi oportuna.“

(i) De *Jove* & *Neptuno*, ex mente Auctoris *Haraldi & Danorum idolis*, vid. ſupra p. 399.

Neptuno fabricetur atqve gerulus tibi jure
Urceus, & laticum ſemper habebit honos.

Convivii apparatus.

Interea reverenter opes parabantur heriles,
Atqve cibi varii, multimodumqve merum.
Piſtorum *Petrus* hinc princeps, hinc *Gunto* coqvorum (k)
Accelerant, menſas ordine more parant.
Candida præponunt niveis mantelia (l) villis,
Marmoreo diſco diſpoſuere dapes.
Hic Cererem ſolitus, hic carnea dona miniſtrat.
Aurea per diſcum vaſa ſedere vides.
Nec minus *Otho* (m) puer pincernis imperat ardens,
Præparat & *Bacchi* munera lenta meri.
Cultibus almificis transactis rite verenter,
Venerat unde prius, *Cæſar* abire parat
Aureus, & conjunx, proles, auratus & omnis
Coetus abit, Clerus deniqve candidolus.
Inde pius moderando gradum pervenit in ædes,
Qvo ſibi Cæſareo more parantur opes.
Discubuit lætus lateri JUDITH qvoqve pulcra,
Juſſa, ſed & *Regis baſiat ore genu* (n).
HLUTHARIUS Cæſar, nec non HEROLDUS & hoſpes,
Parte ſua reſident, Rege jubente, thoro.
Miranturqve dapes *Deni*, mirantur & arma
Cæſaris, & famulos, & puerile decus (o).
Ille dies lætus *Francis*, *Denis*qve renatis,
Namqve fuit merito, poſt recolendus erit.

Venatio inſtruitur.

Alter namqve dies primo veniebat Eoo,
Cedunt aſtra polo, ſole caleſcit humus.
Venatum ire parat *Cæſar*, *Franci*qve ſolentes,
Et ſecum HEROLDUM *Cæſar* abire jubet.
Inſula (*) propter adeſt Rheni qvoqve gurgite cinta,
Qvo viret herba recens, eſt nemus umbriferum.
Illuc qvippe feræ multæ variæqve fuerunt,
Et late ſilvis turba jacebat iners.
Hanc qvoqve complerunt venantum hanc inde manipli,
Atqve moloſſorum magna caterva ſimul.

Cæſar

(k) *Piſtorum princeps* & *Coqvorum princeps*, Illuſtres olim in aula Regum Francorum dignitates.

(l) *Mantilia niveis villis*, ſine dubio *Mappæ fimbriis candidis ornatæ.*

(m) Pincerna ſupremus, Archipincerna; qvem olim *Buticularium* vocabant.

(n) En ipſam Imperatricem genu mariti ſui Imperatoris deoſculantem. Mos venerationis ergo olim obſervatus. Sic *Ermoldus* Lib. III. de uxore *Murmanni* Britonum Regis refert: *Oſcula prima genu libabat & oſcula colla.* Idem illo tempore etiam proceres Imperatorem vel Regem adeuntes faciebant. Obſoleto nunc in Europa *genu oſculandi more*, eum in una Polonia adhuc vigere aſſerit *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 202.

(o) i. e. Pueros Cæſaris honorarios, qvos *Pager* vocamus.

(*) Eadem forte Rheni *Inſula*, infra Maguntiam ad proſpectum Ingulenheim Palatii ſita, in qva poſtea Anno 840. *Ludovicus Pius* Imp. defunctus eſt, *Annal. Bert.* ap. Du Chesne T. III. p. 197.

Cæsar veloci resîdens terit arva caballo,
Wito (P) pharetratus cui comes ibat eqvo.
Plurima turba fluit juvenum, nec non puerorum,
Inter HLUDARIUS qvos celer ibat eqvo.

Atqve simul *Deni*, nec non HEROLDUS & hospes, Dani venationi interfunt.
Spectandi studio huc qvoqve lætus adest.
Jam pia scandit eqvum JUDITH, pulcherrima conjunx
Cæsaris, ornata, comtaqve mirifice.
Qvam proceres summi dominam seu turba potentum
Præterit & seqvitur Regis honore pii.
Jam nemus omne sonat crebris latratibus ictus,
Hinc hominum voces, hinc turba crebra furit;
Disiliuntqve feræ, fugiuntqve per aspera dumi.
Nec fuga subsidio, nec nemus estqve, latex,
Inter cornigeros cecidit qvoqve damula cervos.
Dentifer ipse cadit cuspide fixus aper.
Cæsar lætus enim dat corpora multa ferarum
Ipse neci, propria perculit atqve manu.
HLUTHARIUSqve celer florens, fretusqve juventa
Percutit ursorum corpora multa manu.
Cetera turba virum passim per prata trucidat
Diversi generis multimodasqve feras.
Forte canum infestante fugit damella caterva
Per nemus umbriferum, perqve salicta salit.
Ecce locum, qvo turba potens, & Cæsara JUDITH,
Constiterant, *Carolus* cum qvibus ipse puer.
Præterit instanter; pedibus spes constat in ipsis;
Ni fuga subsidium conferat, ecce perit.
Qvam puer aspiciens *Carolus* (q), cupit ecce parentis
More seqvi, precibus postulat acer eqvum.
Arma rogat cupidus, pharetram, celeresqve sagittas,
Et cupit ire seqvax, ut pater ipse solet.
Ingeminatqve preces precibus; Sed pulchra creatrix
Ire vetat, voto nec dat habere viam.
Ni pædagogus eum teneat, materqve volentem,
More puer pueri jam volet ire pedes.
Pergunt ast alii juvenes, capiuntqve fugacem
Bestiolam, inlæsam mox puero revehunt.
Arma ævo tenero tunc convenientia sumit,
Perculit atqve feræ terga tremenda puer.
Hunc puerile decus hinc inde freqventat & ambit,
Hunc patris virtus, nomen & ornat avi.
Qvalis Apollo micat gradiens per culmina Deli,
Latonæ matri gaudia magna ferens.

Jam

(p) Ille *Venationi Præfectus* erat.

(q) Hæc de *Carolo*, puerulo triennî, prolixe adeo narrans Poëta, matri *Judithæ* Augustæ egregie blanditur.

Convivium venatorium.

Jam pater eximius *Cæſar*, ſeu cetera pubes
Venatu gravidi tecta ſubire parant.
Sed tamen in medio nemoris viridantia clauſtra
JUDITH prudenter conſtruit, atqve tegit
Vimina præraſo, nec non & tonſile buxo,
Palleolis cingit, linteolisqve tegit.
Atqve pio Regi viridanti ruris in herba
Ipſa ſedile parat, ordine atqve dapes.
Mox manibus lotis, *Cæſar*, ſeu pulchra jugalis,
Aurato ecce thoro discubuere ſimul.
HLUTHARIUS pulcher, HEROLDUS & hoſpes amatus
Accumbunt menſæ, *Rege* jubente pio.
Cetera gramineo reſidet nam rure juventus,
Per nemus umbriferum corpora laſſa fovet.
Pingvia toſta ferunt juvenes mox exta ferarum;
Cæſareis dapibus mixta ferina coit.
Aufugit acta fames dapibus; dant pocula buccis,
Pellitur atqve ſitis ipſa liqvore pio.
Lætificatqve bonus mox pectora fortia Bacchus.
Lætanter repetunt aulica tecta viri.

Officia veſpertina.

Aulai ut venerê, fovent mox corda Lyæo,
Et veſpertinis pergitur officiis (r).
His qvoqve transactis ſolite digneqve verenter,
Inde Palatinas jam ſubiere domus.
Ecce manus juvenum, venatus munera tollens,
Multa fluit, cupiens Regis adeſſe oculis.
Millia cervorum prægrandia cornua, nec non
Urſorum referunt tergora, ſeu capita.
Plurima ſetigerum revehunt & corpora aprorum,
Capreolos, damas fert puerile decus,
Ille pius prædam famulos partitus in omnes
More ſuo, Clero pars qvoqve magna cadit.

Haraldi Conſilia.

Interea HEROLDUS cum talia cerneret hoſpes,
Multimoda verſat pectore conſilia.
Regia jura videns, ſtupet, imperiumqve fidemqve,
Officiumqve Dei currere jure ſuo.
Sed tandem incertos tergit de pectore motus,
Conſiliumqve capit, qvod Deus ipſe dedit.
Ecce fide plenus, Regi hæc qvoqve verba profatur,
Sponte ſua veniens, procidit ante pedes.
Cæſar opime, Dei cultor, rectorqve tuorum,
Qvos tibi cunctipotens contulit alme Deus.
Cerno, qvod inſignis, patiens, fortisqve, piusqve,
Armiger, & clemens ſis, tribuente Deo.

Dives

(r) ɔ: ad *veſpertinum officium ſacrum*, qvod per Clerum in Templo decantabatur.

Dives opum nimium, nec non largitor egentum,
Blandus ſubjectis, atqve qvietus ades.
Omnia virtutum video tibi credita, *Cæſar*,
Flumina, ſidereo pectora rore madent.
Colla jugo Chriſti en monitans mea veſtra ſubegit
Svaſio, & æternis traxit ab usqve focis.
Deqve errore malo memetqve domumqve ſubactam
Abſtulit, & vero pectora fonte replet.
Inſuper en donis variisqve juvatus, & armis,
Corde Deo plenus, corpus abundat ope.
Talia qvis faceret, ni Chriſtus ignitus amore
Ingratæ plebi munia tanta ferens?
Credo qvidem, in terris vos nunc caput eſſe bonorum,
Chriſticolum imperii rite tenere decus.
Idola cuncta mihi ut cedunt pro nomine Chriſti,
Sicqve poteſtates nomine qvippe tuo.
Cedat jamqve potens antiqvi gloria ſecli,
Dum viget imperium, dante Tonante, tuum.
Forte aliqvis æqvandus erat tibi munere & armis,
Præcellis cunctos ſed qvoqve amore Dei.
Sed qvid agam jamjam? Cur me mea verba retardant?
Et ſermone brevi prodere tanta volo.

Haraldi cum Cæſare fœdus.

Mox *manibus junctis Regi ſe tradidit ultro* (s),
Et *ſecum Regnum*, qvod ſibi jure fuit.
Suſcipe *Cæſar*, ait, me nec non Regna ſubacta,
Sponte tuis memet confero ſervitiis.
Cæſar at ipſe *manus manibus ſuſcepit* honeſtis,
Junguntur *Francis Denica Regna* piis.
Mox qvoqve *Cæſar* ovans, *franciſco more* veterno,
Dat ſibi *eqvum* (t), nec non, ut ſolet, *arma* ſimul.
Feſta dies iterum ſurgit renovata niteſcens,
Francis & *Denis* concelebrata micat.

Munera Haraldo data.

Interea *Cæſar* HEROLDUM jamqve fidelem
Munera donat opum pro pietate ſua,

(s) Solus omnium veterum Scriptorum *Nigellus* nobis narrat, HARALDUM An. 826. ante abitum eum *Ludovico* fœdus iniiſſe eiqve fidelitatem ac ſubjectionem aliqvam pollicitum fuiſſe. Ille igitur eſt primus Rex Danorum profugus, qvi ſe & parvam illam Regni partem, qvam, adhæc ſatis vacillanter, tenuit, Imperatori ſuppoſuiſſe videtur, neceſſitate forte qvádam ac nimia gratitudine compulſus, ſed nullo accedente ſubditorum conſenſu. Talis HARALDUS antea An. 814. prima vice exul fecerat; Sic enim ad hunc annum *Vita Ludovici Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 296. *HERIOLDUS, ad qvem ſumma regni Danorum pertinere videbatur, & qvi pridem a filiis Godefridi regno pulſus fuerat, ad Imperatorem Ludovicum confugium fecit, & juxta morem Francorum manibus illius ſe tradidit: Qvem Rex ſuſceptum in Saxoniam ire juſſit.* Pro qvibus *Eginhardus* ibid. p. 259. ſic habet: *HERIHOLTUS rebus ſuis diffidens ad Imperatorem venit, & ſe in manus illius ſe commendavit.* Interim obſervandum, *Imperatorem*, ſupra p. 405. teſtante *Nigello*, in anteceſſum declaraſſe, ſe tale qvid ab HARALDO minime deſideraturum.

(t) Eodem veterum Francorum more Rex *Pippinus* cum *Remiſtanum* in ſuam ditionem receperit, multa munera *auri* & *argenti*, & *pretioſa veſtimenta*, *eqvos* & *arma* largiendo eum ditavit, teſte *Continuatore Fredegarii* ad An. 764.

Illius aſt propter tribuit ſibi prælia *fines* (u),
Et *loca vinifera* (v), multimodasqve dapes.
Officiiqve Dei cultum qvo rite perornet,
Dat ſibi *Cæſar* adhuc omnia vaſa potens.
Ordinibus vero dat veſtimenta ſacratis,
Datqve Sacerdotes, catholicosqve libros.
Illuc & *Monachos* (x) mittit miſerando volentes,
Qvi revehant populos ad pia regna poli.
Munera qvanta qvidem ſeu qvalia donat habenda,
Ingenium vincunt, exſuperantqve melos.

Haraldi diſceſſus.

Interea nautæ, pelagi qvi pignora norant,
Stipe rates onerant, regificisqve cibis.
Et jam vela vocant aúræ, ventusqve morantes
Arguit, atqve hyemis ſigna tremenda monet.
Navibus æqvatis tandem, velisqve novatis
Cum licitu HEROLDUS intrat honore ratem.
Filius (y) atqve *nepos* (z) ipſius *Regis* in aula
Excubiis (a) vigilant, *Francica jura* çolunt.
HEROLDUS, dapibus variisqve refertus & armis,
Per mare fluctivagum propria Regna petit.
Hæc, HLUDOVVICE, Deo das te qvoqve lucra potenti,
Et ſocias regnis inclita regna tuis.
Arma patrum, nullo qvæ non valuere duello,
Sponte ſua capere te modo Regna petunt.

Qvod

(u) De his ita *Theganus* ap. Du Chesne T. II. p. 281. *Tunc Dominus Imperator magnam partem Friſonum dedit ei, & donis honorificis ornavit eum, & cum Legatis ſuis dimiſit eum ire in pace.* Hæc confirmat *Auctor Vit. Lud. Vii* ibid. p. 304. ſic habens: HERIOLDUS — *ſacri baptismatis unda perfuſus, plurimisqve muneribus ab Imperatore donatus: Verens autem piiſſimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio ſoli naturalis, dedit ei qvendam Comitatum in Friſia, cujus vocabulum eſt Riuſtri, qvo ſe ſuosqve, ſi neceſſitas exigeret, tuto recipere poſſet.* Conf. *Eginhardi* Annal. ibid. p. 270. *Rembertus* vero in Vita S. Ansch. Cap. VII. rem ita exponit: *Et qvia interdum pacifice in regno ſuo HERIOLDUS Rex conſiſtere non poterat, dedit ei memoratus Auguſtus ultra Albiam beneficium, ut, ſi qvando ei neceſſarium eſſet, ibi ſubſiſtere poſſet.* Vid. qvæ infra ad Cap. VII. *Remberti* hac de re ſcripſi.

(v) Prædia ſcil. ad Rhenum aut Moſellam, unde vinum haberet. Forte etiam *tractus Doreſtadenſis* in Friſia intelligitur, de qvo infra *Remberti* Vit. Ansch. Cap. VII. Not. c. & d. *Loca vinifera* eo ævo *Danis* placuiſſe, exemplum eſt in *Godefrido* Principe Dano, qvi An. 882. beneficio Caroli *Friſiam* obtinuerat. Ille An. 885. *Confluentem, Andernacum*, aliosqve locos a Cæſare *propter vini affluentiam* poſtulat, eo qvod terra, qvam ex munificentia Principis poſſidendam perceperat, *minime vini ferax eſſet*, Regino ap. Piſtor. T. I. p. 61. Videmus etiam Danos & Normannos inter tributorum ſpecies *vinum* a Francis exegiſſe, *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 238. *Chron. Northman.* ib. T. II. p. 526. 527.

(x) *Anscharium* ſcil. & *Autbertum*, Monachos Corbeienſes, de qvibus *Rembertus* in Vita S. Anscharii C. VI. VII.

(y) *Filius* HARALDI Regis a Nigello heic qvarta vice nominatur.

(z) Habemus hic, præter *filium*, etiam *neporem* HARALDI, Moguntiæ Anno 826. præſentem, ibiqve cum cetera Danorum multitudine baptizatum. Sine dubio is eſt *Roricus* ille, qvem *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 204. *Neporem Herioldi* vocant, *Ol. Tryg. Saga* autem P. I. p. 68. Harek *filium fratris* Haraldi nominat. *Auctores* Annalium Fuldenſium ac Metenſium, ut & *Adamus* Bremenſis, Roricum *Fratrem* Haraldi faciunt, minus autem recte, ut videtur, Vid. ſupra p. 412. Not. (r).

(a) Principes hi, ut videtur, ab HARALDO Rege abeunte apud *Ludovicum* dimiſſi ut obſides ac in pignus datæ fidei, & ut in Aula Imperatoris educarentur. Hujus memorabilis circumſtantiæ omnes Annaliſtæ, præter *Ermoldum*, obliti ſunt.

Qvod nec *Roma* potens tenuit, nec *Francica jura*,
Tu retines Chriſti nomine cuncta pater.
Organa (b) qvin etiam, qvæ numqvam *Francia* crevit,
Unde Pelasgá tument Regna ſuperba nimis,
Et qvis te ſolis, *Cæſar*, ſuperaſſe putabat
Conſtantinobilis, nunc *Aqvis* aula tenet.
Fors erit indicium, qvod *Francis* colla remittant,
Cum ſibi præcipuum tollitur inde decus.
Francia, plaude, decet: HLUDOVVICO fer pia grates,
Cujus virtute munera tanta capis.
Det Deus omnipotens cœli terræqve repertor,
Secla perampla ſuum nomen in orbe ſonet.

Hæc qvoqve dum canerem, *Strazburc* (c) cuſtode tuebar (d), Auctoris exilium.
Delicti proprii conſciius atqve reus.
Virgo Maria, tibi qvo templa dicata niteſcunt,
Qvo tuus in terris rite veretur honos.
Sæpius has eqvidem dicuntur viſere ſedes
Coelicolæ, & cœtus has colere angelicus.
Plurima mira qvidem referunt, ſed pauca renarrans
Sume Thalia, favet ſi tibi virgo pia.
Eccleſiæ cuſtos *Theutramus* (e) nomine qvondam
Præfatæ fuerat, nomine dignus eo.
Pervigil hic ſolitus noctuqve dieqve ſacratam
Virginis ante aram ſæpe rogare Deum.
Idcirco meruit cœleſti munere fretus
Angelicos cives cernere ſæpe Sacer.
Nocte qvidem qvadam, pſalmis hymnisqve peractis,
Cum cuperet membra feſſa locare thoro,
Templum namqve videt ſubita clareſcere luce
Ut ſol, & accendi ſole ſerena dies.
Surgit ab usqve thoro, cauſam cognoſcere mavult,
Lumine qvo tanto fulgeat alma domus.
Forte aqvilæ ſimilis pennis prætexerat aram;
Non tamen in terris gignitur hæc volucris.
Roſtrum erat ex auro, gemma pretioſior ungvis,
Et color in pennis æthere fuſus adeſt. Aſt

(b) De *Organis* ex Græcia in Franciam Sec. VIII. primum allatis, Vid. *Annal. Franc.* ap. Du Chesne T. II. p. 4. 8. 12. 26. 114. 235. Heic autem *Nigellus* forte reſpicit ad *Organum* illud *pneumaticon*, qvod *Ludovicus* An. 826. Aqvisgrani fabricari fecit per *Georgium* Presbyterum de Venetia, *Eginhardi* Annal. ibid. p. 270.

(c) Auctor, cum hæc ſcriberet, *Argentorati* propter aliqvod crimen in rem politicam qvaſi captivus & exul degebat. Antiqvitatem nominis *Straſburg* hinc collige. *Nithardus* ejusdem Seculi IX. Scriptor ap. Du Chesne T. II. p. 374. hujus etiam loci meminit: *In civitate, qvæ olim ARGENTARIA vocabatur, nunc autem STRAZBURG vulgo dicitur.* Et *Annal. Fuldenſ.* ibid. p. 548. Apud urbem *Argentoratum*, qvæ nunc *Strazburgus* vocatur. Imo diu ante circa An. 709. in *Vita S. Wilfridi* Mabill. Act. SS. Bened. T. V. p. 691. nominatur *civitas Streitburg.*

(d) Nonne legendum *tenebar.*

(e) *Teutramus* ille Sacerdos, cujus viſiones Poëta noſter deſcribit, floruit tempore S. Bonifacii circa medium Seculi VIII.

Aſt oculis lux ipſa micat. Stupet ipſe Sacerdos,
Nec valet obtutus tendere contra ſuos.
Miratur volucrem, pariter miratur & alas,
Lumina præcipue, corpus & omne ſimul.
Tamqve diu reſidet, cum galli garrula terna
Vox reſonat, fratres excitat officio.
Inde levans, miranda fides, ſe ſponte feneſtra
Obvia recludit, laxat & ire foras.
Ipſe abeunte polos, pariter lux ipſa recesſit:
Apparet, civem inde fuiſſe Dei.
Tempore nempe alio crevit didaſculus idem,
Mira ſatis cecinit qvæ mihi turba fratrum.
Pſalleret ut ſolito præfatæ Sedis ad aram,
Expendens tenebras, corde petendo Deum.
Diſcipuli ſecum, qvorum cuſtodia noctis
Servabant ſigni tempora pervigiles.
Ecce repente ſonus, tonitrus, ventusqve perurgens
Concutit inſtanter ardua tecta domus.
Diſcipuli cecidere ſolo, trepidiqve per aulam
Corpora proſternunt, mensqve timore fugit.
Intrepidusqve Sacer palmis ad ſidera panſis
Scire cupit, cauſæ qvid ſonus ille ferat.
Aspicit alma aperire domus mox tecta ſacratæ,
Intrantesqve videt tres qvoqve honore viros,
Lumine perfuſos, veſtitos veſtibus albis,
Candidiora nive corpora, lacte caput.
Tertius in medio Senior namqve ipſe duobus
Fultus abit famulis, ingrediturqve pie.
Ut pedibus tenuere ſolum, mox virginis aram
Religione petunt, & prece vota canunt.
Tramite more hominis nam culmina cetera poſcunt,
Ore ſonant verba, ordine dantqve preces.
Dextera pars ædis Pauli nam munere gaudet,
Fulcitur læva nomine qvippe Petri.
Egregius doctor hinc, claviger inde polorum,
Inter utrosqve micat Mater opima Dei.
Michael mediam ſibi, ſeu Crux vindicat aulam,
Ultima Johannis ungvine læta nitet.
Hos qvoqve cœlicolæ terris petiere precatu,
Qvorum animas cernunt ſæpius ante Deum.
Qvis nam idiota ferat demens, non corpora patrum
Sanctorum merito rure colenda fore,
Cum Deus in famulis merito veneretur amatis,
Qvorum nos precibus ſcandimus alta poli?
Non Deus eſt Petrus, ſed Petri credo precatu
Noxa delicti poſſe carere mei.

Nam

Nam tenus usqve viri properant per templa Mariæ,
Semper tecta ſuper diſcooperta patent.
Expletis votis remeant ad ſidera ſurſum:
Suſcepere ſuum tecta recluſa locum.
Hoc Sacer aſpiciens pergit, ſociosqve reviſit,
Qvi ſtupefacta diu pectora rure tenent.
Surgite, ait, ſocii, nam qvæ fortuna coëgit
Vos dormire modo, dum vigilare decet?
Singultu qvatiente valent vix promere verba,
Ignotosqve rei ſe fore nempe ferunt.
Eja, ait, inſtanter horam tempusqve notate:
Forte feret nobis hæc qvoqve res aliud.
Credo, fuit vates, Præſulqve dicatus honore,
Angelicus revehit qvem qvoqve in æthra chorus.
Mira fides rerum! *Bonefacius* (f) almus in illo
Tempore deceſit, qvem Sacer ille videt,
Ferrea *Friſonum* Chriſti dum dogmate vellet
Frangere corda, viam ad cœlica regna dare.
Morbida heu medicum mox gens extinxit opimum,
Vulnere qvippe ſuo regna paravit ei.
Hic properans cœlos, ſocio comitante gemello
Virgo Maria tua viſere templa volet.
Magna tibi virtus cœlo terraqve poteſtas,
Qvæ Patrem mundi progeneraſſe vales.
Tu mihi confer opem immerito, conferqve medelam
Exilio, cujus limina ſæpe colo.
Et ſi præſentis fugit effera gloria ſecli,
Te duce, virgo pia, cœlica regna petam.

Hoc tibi, *Cæſar*, opus ſtolida crocitante cicuta
Porrigit *Ermoldus* exul, egenus, inops.
Munere qvippe carens, fero carmina pauca potenti,
Divitiis liber offero namqve melos.
Regia corda manu Chriſtus, qvi ſtringit & ornat,
Vertit & in partes qvas ſibi cumqve placet.
Qvi tua præcipue virtutum flore replevit,
Atqve redundare de pietate dedit,
Conferat, ut noſtram propius, Rex inclyte, cauſam
Reſpicias, aurem accommodando pie.
Veridicis poteris forſan agnoſcere verbis
Criminis objecti me minus eſſe reum.
Non tamen excuſo me illius, crede reatus,
Infelix qvo ſum truſus in exilium.
Sed pietas immenſa, reis qvæ debita laxat,
Deprecor, ut noſtri ſit memor exilii.

Gratiam Cæſaris implorat.

(f) *S. Bonifacius* Archiep. Mogunt. Germanorum Apoſtolus & Martyr, cujus mors in *Friſia* An. 755. contigit.

Tu qvoqve digna ſibi Conjux, pulcherrima JUDITH,
Qvæ ſecum Imperii culmina jure tenes,
Confer opem lapſo, alliſum ſolare miſellum,
Erige labentem, carcere ſolve reum.
Ut vos Altitonans per plurima tempora ſecli
Sublimet, ſalvet, ditet, honoret, amet.

XXIX.

Nomina Regum Daniæ ab An. 827. usqve ad An. 1171.

Brevis hæc primorum *Regum Daniæ chriſtianorum Series* habetur in vetuſtiſſimo illo & inſigni Academiæ Regiæ Carolinæ Codice membraneo, qvem *Necrologium Lundenſe* vocamus, a Canonico qvodam, ſive alio Capituli olim Lundenſis membro, incepto circa finem Seculi XI. aut ſeqventis principio, poſt primum vero Auctorem ab alio poſt alium Seculo XII. & ſeqventibus continuato. Ex ipſo Codice autentico, qvem Anno 1753, dum *Lundiæ Scanorum* per aliqvot ſeptimanas in *Itinere* meo *Baltico* agerem, benevolo ſuperiorum permiſſu manu mea verbotenus exſcripſi, hanc, qvam nunc exhibeo, Regum Seriem obtinui. Eam ante me edidit ac eruditis commentariis illuſtravit Celeberr. *Kil. Stobæus*, in Diſſertatione qvam *Tria Antiqva Monumenta Lundenſia* inſcripſit, Londini Scan. 1734. impreſſa. Poſt eum autem Illuſtris noſtri temporis Svecorum Hiſtoricus *Sveno Lagerbring* eandem in Monum. ſuis Scanenſibus Vol. II. p. 206. cum ipſo prædicto Necrologio iterum publicavit. Auctorem hujus Regum Seriei fuiſſe natione *Scanum*, ex eo conjicio, qvod OLAUM, filium *Haraldi Kæſiæ*, a *Scanis* Regem electum, ſed a plerisqve Hiſtoricis prætermiſſum, *Regum Danorum* numero adſcribat. Hanc Seriem ſcripſiſſe videtur circa Annum 1171. qvo eam finit. In qvibusdam annorum numeris, qvos Regibus adſcribit, hallucinatur Auctor, in nonnullis vero exploratior eſt. Errat etiam inſigniter, in ERICO LAM & ante & poſt OLAVUM Pſeudoregem poſito, & CANUTUM V. ante & poſt SVENONEM repetendo.

Anno Domini DCCCXXVII. HARALDUS Rex Dacie primus (a) *Maguntie* (b) baptizatus eſt. r. f. XX. (c).

ERICUS (d) Rex DCCCXLVII. f. r. X.

ERICUS (e) PUER Rex DCCCLVII. f. r. XLVII.

FROTHE

(a) Scilicet *Primus* hujus nominis *chriſtianus Rex;* nam fuere antea in ethnicismo plures *Haraldi*, inter qvos nominatiſſimus ille Rex HARALDUS HYLDETAN, &, forte alius, HARALDUS Rex, qvi Seculo VIII. vixit, & cujus nepos fuit *Amulo*, de qvo Francorum Annales *Eginhardi*, *Fuldenſes*, & *Bertiniani*, ap. Du Chesne T. II. p. 257. 542. T. III. p. 171.

(b) Vide ſupra Not. ad *Nigellum* p. 408.

(c) Legend. forte: *regnavit feliciter XX. annos*, & ſic de ſeqventibus. Annales Francorum Baptismum Regis *Haraldi Klak* ad An. 826. referunt.

(d) Ille, qvi apud Francorum Scriptores *Horicus*, & ſupra in Vita S. Anſcharii Cap. XXI. XXII. XXVIII. *Oricus Senior* nominatur.

(e) Supra in Vita S. Anſcharii Cap. XXVIII. vocatur *Oricus Junior*, in *Annal. Fuldenſ.* ap. Du Chesne T. II. p. 533. *Horicus & unus puer*, Conf. *Annal. Metenſ.* ib. T. III. p. 304. 305. *Adam. Brem.* L. I. c. 18.

Nomina Regum catholicorum.

m dama. quoꝝ mdustria ppagata ē fides catholica. qui religioms amore ꝑ diuersa loca eccl'as ꝯstruxert. ꝙ regali munificentia donauerunt. Quoꝝ apud nos memoria celebris ē. ⁊ manet ꝑ ſæcvla.

f.r.xxxv.
Svenho. Magni S. Rex. oj. xl. m.
f.r.vii. f.
Harold S. filiꝰ. Rex. oj. lxx. m.
frater et f.r.v.
Canvt S. Sēs. qm mām fundav eccl'. oj. lxxvi.
f.r. viii.
Olauus S frater ei. Rex. oj. lxxx. vii.
bonus f.r. viii.
Fricvs frater ei. Rex. oj. xc. v.
f.r. xxx.
Nicola vs frater ei. Rex. oj. c. iiii.
Primus. f.r. vij.
FRICVS Rex. C. xxx. Sed's
Iamb. f.r. vii.
FRICVS REX. C. vii. frat ei
f.r. ii.
Iauus Rex. oj. C. xxx. ix.
f.r. ix
ricus Rex. Quart.
f.r. x.
Anuus Rex.
Ilenio Rex.
Canutus
Waldimar.

FROTHE (f) Rex DCCCCIIII. f. r. L . . (g).
HARALDUS Rex *Secundus* (h) DCCCCLV, f. r. LX.
SVENO Rex MXV. f. r. X. (i).
KANUTUS HARTHE (k) Rex MXXV. f. r. XIX.

Nomina Regum catholicorum in Dania, qvorum induſtria propagata eſt fides catholica, qvi religionis amore per diverſa loca eccleſias conſtruxerunt, & regali munificentia donaverunt. Qvorum apud nos (l) memoria celebris eſt & manet per ſecula.

SVENO MAGNUS (m) Rex MXLIIII. f. r. XXX.
HAROLDUS, filius ejus, Rex MLXXIIII. f. r. VII.
CANUTUS SANCTUS, frater ejus, qvi noſtram fundavit eccleſiam (n), MLXXXI. f. r. VI.
OLAVUS, frater ejus, Rex MLXXXVII. f. r. VIII.
ERICUS BONUS, frater ejus, Rex MXCV. f. r. VIII.
MCIII. vacat regnum ſub cuſtodibus, *Haraldo* (o) filio ejus & domino *Aſcero* (p) Lundenſi Arceepiſcopo.
NICOLAUS, frater ejus, Rex MCIII. f. r. XXX.
ERICUS EMUNE Rex MCXXX. *Secundus*. f. r. VII.
ERICUS LAMB Rex MCXXXVII. *Tercius* (q) f. r. IX. Tercio anno regni ejus inſurgit contra eum *Olavus*.
OLAVUS (r) Rex MCXXXIX. f. r. II.

ERICUS

(f) *Frotho* ille nec in Annalibus Francorum, nec apud *Adamum Bremenſem*, occurrit, niſi forſan ſub nomine *Sigefridi* aut *Godefridi*, qvod tamen omnino incertum eſt. Sed in *Ol. Trygg. Saga* T. I. p. 69. *Frotho* Rex Jutlandiæ nominatur, ab *Unnone* Archiep. Hamb. baptizatus, ac tres in Jutia Epiſcopatus inſtituiſſe perhibetur. A *Svenone Aggonis* ſupra p. 48. *Kanuti* filius traditur. Sic etiam a *Saxone Grammatico* p. 178. qvi eum in Anglia baptizatum ſcribit. Habetur qvoqve *Frotho* in plerisqve vetuſtis Regum noſtrorum Catalogis, vide ſupra p. 14. 16. 19. 29. 33. 37. 66. 115. 158. 268. In horum nonnullis *Frotho* dicitur *Svenonis filius* aut *frater*, in aliis *Victor Angliæ*, & *hin Friſke*, *Vegetus*, cognominatur. *Petrus Olai* ſupra p. 173. duos *Frothones*, Jutiæ Regulos, ſtatuit, &, ut videtur, haud inepte. Lege, qvæ de *Frothone*, poſtremo Regulorum Jutiæ, erudite commentatus eſt magnus noſter *Grammius* Not. ad Meurſ. p. 129. 130. 140.

(g) Poſterior numerus diſcerni non poteſt, ſed ex computatione auctoris noſtri qvalicunqve erit I. hinc *Stobæus* recte ponit LI. Ceterum, GORMONEM patrem Haraldi Blaatand an ſtudio omiſerit auctor, an FROTHONEM loco illius erronee poſuerit, incertum eſt.

(h) Cognomento *Blaatan*, *Secundus* ejus nominis chriſtianus Rex.

(i) In annis regiminis *Haraldi*, *Svenonis* & *Kanuti* computandis, Auctor hujus Seriei toto cœlo errat.

(k) Oſcitanter hic auctor noſter patrem cum filio confundit, *Harthe-Canutum* pro *Canuto Magno* ſive *Divite* ponendo.

(l) In *Eccleſia* ſcil. *Lundenſi*, cujus *hi Reges* erant primi fundatores ac benefactores præcipui.

(m) Cognomentum *Magnus* non ſolum in *Necrologio Lundenſi* SVENONI ESTRITIO attribuitur, ſed etiam ab aliis vetuſtis & probatæ fidei Scriptoribus, *Ælnotho* Monacho, & *Wilhelmo* Abbate. Imo in Dipl. dotationis Eccleſiæ Lundenſis Anni 1085. CANUTUS dicitur MAGNI Regis filius.

(n) *Canuti IV.* ſive *Sancti* Diploma Fundationis & Dotationis Eccleſiæ S. Laurentii Lundenſis, datum Lundæ An. 1085. d. 21. Maji, legitur in *Kil. Stobæi* Tribus Mon. Lund. p. 20. & *Lagerbringii* Monum. Scan.

(o) De *Haraldo* ita *Saxo* p. 227. *Tunc Rex Haraldum filium, quem præſtantior ætas bonori tempeſtivum efficerat, Regis partibus perfunctorie donat.*

(p) *Aſcerum*, ut deſtinatum tunc Archiepiſcopum Lundenſem & qvaſi Primatem regni, *Haraldo* in regimine adminiſtrando adjunctum dediſſe ERICUM Regem, hinc diſcimus.

(q) Ratione ERICI BONI *Primi*, & ERICI EMUN *Secundi* ejus nominis, *Tertium* dici ERICUM LAM, jam ante ad præcedens *Chron. Anon. Roſk.* No. XXIV. p. 385. monui.

(r) *Haraldi Kaſiæ* filius, de qvo ſupra ad jam citatum *Chron. Anon. Roſk.* p. 384.

ERICUS Rex *Qvartus* (s) f. r. IX.

MCXL. XII. Kalend. Aprilis (t) feria IIII. poſt nonam facte ſunt tenebre.

CANUTUS Rex (u).

SVENO Rex.

CANUTUS.

WALDIMARUS.

MCXLVI. VI. Kalend. Decembris feria IIII. facta eſt *eclipſis.*

MCLIX. anno Regis WALDAMARI V. (v) electus eſt ſcismaticus *Victor.*

VII. Regni ejus (x) *E.* Lundenſis Archiepiſcopus *Jeroſolimam* ivit, redit autem XIIII.

MCLXXI. *H.* Dux Saxonie tradidit filiam ſuam (y) Domino *Kanuto*, Regis WALDEMARI filio, uxorem.

(s) ERICUS, qvem noſter hic *Qvartum* nominat, nullus alius eſſe poteſt, qvam mox antea memoratus ERICUS LAMB, *Tertius* dictus, lapſu qvodam memoriæ hic repetitus. Ergo hic ultimus ERICUS recte expungendus. Hactenus Regum nomina ſcripta ſunt una eademqve vetuſtiſſima manu, unde patet, primum Seriei hujus in Necrologio Lundenſi Scriptorem vixiſſe ante & ad tempora Regis ERICI LAM. Proximus continuator non ultra tempora WALDEMARI I. vitam protraxiſſe videtur, cum nullum huic ſuccedentium Regum annotaverit.

(t) Apud *Stobæum*, vitio forte typographi, legitur *XIV. Kal. April.*

(u) *CANUTUS Rex* perperam bis poſitus eſt, lapſu forte calami, & ante & poſt SVENONEM, cum tamen unus idemqve CANUTUS V. ſit, poſtea in lanienâ Roſkildenſi occiſus. Hic igitur CANUTUS e numero Regum eliminandus.

(v) Si *Annus Chriſti* 1159. qvo Victor initio menſis Septembris Papa proclamatus eſt, fuerit regni *WALDEMARI I. qvintus annus*, ſeqvitur, WALDEMARUM Anno 1154. primo electum fuiſſe Regem.

(x) Scilicet *anno. Septimus* autem regni WALDEMARI I. annus, ad computationem præmiſſam, ſit *Annus* 1161. & *annus decimus qvartus* regni WALDEMARI ſit *Annus Chriſti* 1168. Hinc videmus, Auctorem annos *peregrinationis Eſkilli* Archiepiſcopi recte emenſum eſſe, ut ſcil. in æſtate Anni 1161. *Eſkillus* profectus ſit, ac circa exitum Anni 1167. domum redierit. Hujus peregrinationis Hieroſolymitanæ meminit *Saxo* p. 299. 341. Dum in eodem itinere *Eſkillus* apud *Alexandrum III.* Papam *Senonis* in Gallia morabatur, *Stephanum* primum Svecorum Archiepiſcopum Anno 1163. aut 1164. conſecravit, Vid. *Benzelii* Monum. p. 82. 190. 191. An. 1164, ut teſtantur *Annales Eſromenſes* ſupra ſub No. XVIII. inſerti p. 241. *Eſkillus Hieroſolymam ivit.* An. 1167. in gratiam cum Rege rediit, & in *feſto b. Martini cum honore & lætitia omnium in Eccleſiam & Civitatem ſuam receptus eſt*, ut docent circumſtantiæ ex *Epiſtolis Jo. Saresberienſis* p. 238. 344. perpenſæ. Redux ex hac peregrinatione, anno ſeqvente expeditioni in *Wagriam* contra Brammeſios, *Saxo* p. 341. & alteri in *Rugiam* contra Arconenſes interfuit, *Saxo* p. 324. Conf. *Helmoldus* Bangerti p. 234. 237.

(y) *Gertrudem* nomine, *Saxo* p. 350. Cum noſtro amice conſpirat *Albertus Stadenſis*, ad *An.* 1171. ita ſcribens: *Heinricus Dux filiam ſuam Regi Daciæ deſponſavit, qvi hæredem ex ea non habuit.* Conf. *Saxo* p. 317. *Helmoldus* Bangerti p. 338.

XXX.

Vita S. Anscharii Archiepiſcopi Hamburgenſis a S. Remberto conſcripta.

Nongenti jam effluxere anni, ex qvo *S. Rembertus* Archiepiſcopus Hamburgenſis Vitam præceſſoris ſui *S. Anſchárii*, primi Hamburgenſis Archiepiſcopi ac totius Septentrionis Apoſtoli, qvam heic Eruditis patriæ meæ offero, conſcripſit. *Rembertum* auctorem hujus vitæ eſſe, teſtatur non ſolum *Adamus Bremenſis* Lib. I. Cap. 31. eandem alias ſæpius ſcil. Cap. 18. 19. 21. 24. 26. 28. 29. allegans (*), ſed etiam *Vitæ S. Remberti Auctor* Cap. 9. qvi ipſius æqvalis fuit, temporibusqve Imp. *Caroli Craſſi* & *Arnulphi* floruit. Haud ſane levis jactura foret, ſi *Liber Remberti de Vita S. Anſchárii* deperditus fuiſſet, qvod ſuo tempore credidit qveriturqve *Baronius* (a); multa enim ille particularia de *rebus Septentrionis noſtri*, Seculo nono geſta, prodit, qvæ alibi fruſtra qværuntur, & qvæ absqve eo hodie neſciremus. Huic autem irritæ qverimoniæ ac creditæ jacturæ poſtea, cum magno reipublicæ literariæ emolumento, abunde conſultum eſt. Varias enim *Vitæ Anſchárianæ* Editiones jam diu *Germani* habent, ſatis notas, videlicet, *Philippi Cæſaris* ex Codice Hamburgenſi in Triapoſtolatu Septentrionis, *Lambecii* ex Cod. Corbeienſi ſive Pariſienſi in Originibus Hamburgenſibus; iteratam in *Lindenbrogii* Scriptor. Rer. Septentr. Editionis Fabricianæ, & *Nicolai Staphorſti* in Hiſt. Eccl. Hamb. Sic etiam *Batavi* ſuam Editionem in *Bollandi & Henſchenii* Actis Sanctor. ad d. 3. Febr. ex prædicto Cod. Corbeienſi, *Galli* ſuam in *Mabillonii* Actis SS. Benedict. T. VI. p. 75. (b), & *Sveci* ſuam, procurante *Claudio Arrhenio* (c), oſtentare poſſunt. Poſt has omnes, cur ni nos qvoqve *Danos*, qvi ratione *plantatæ per eum apud nos Eccleſiæ Chriſti*, haud minori ceteris jure *Sanctum Anſchárium* nobis vindicare poſſumus, noſtram tandem Editionem producere oporteret (d). In ea vero adornanda, cum nulli illius libri apud nos ſcripti Codices hodie exſtent (e), ingenue fateor, me non multum novi præſtitiſſe, niſi qvod ex ceterarum omnium collatione & variantibus *Textum*, qvantum fieri potuit, emendatum caſtigatumqve tradere, ac varios locos obſervationibus notisqve neceſſariis illuſtrare conatus fuerim. *Lectiones variantes* minoris momenti, & qvæ parum ad rem faciunt, plane omiſi, qvæ omnes in *Editione Staphorſtiana* annotatæ conſuli poſſunt. *Summaria* qvorundam *Capitum*, qvæ coæva videntur, ſuis locis reſtitui, licet non in omnibus exemplaribus compareant, reliqva Summaria Capitum ipſe addidi. *Capitum diſtinctio* eadem

 eſt,

(*) Auctor qvoqve *Hiſt. Arch. Brem.* ap. Lindenbr. p. 71. idem his verbis confirmat: „ *Qvam Vitam* veridico „ ſermone deſcripſit ſuus Succeſſor *S. Reimbertus*, more beati *Johannis Evangeliſtæ*, qvaſi de alio ſcribens, „ innuit ſe fideliſſimum ejus diſcipulorum perhibere veritati teſtimonium, qvam cognovit in verbo Dei. „ *Hunc librum* direxit ad fratres Cœnobii *Corbeiæ*, beatificans eos, qvod talem miſerunt, & nobis con„ gratulans, qvod talem meruimus ſuſcipere paſtorem. “

(a) Verba *Baronii* Annal. T. X. p. 150. hæc ſunt: „ *Res præclare geſtas Anſchárii* ſcriptis mandavit æqve ſan„ ctus ejus ſucceſſor *Rembertus*, qvi de Vita ejus librum conſcripſit, ſed magna jactura deperditum qve„ rimur. Ex eo tantum illa ſunt nobis nota, qvæ idem, qvi ſupra, *Adam* ſuo Chronico intexuit. “

(b) Excerpta etiam *Vitæ Anſchárii* prolixiora leguntur ap. *Du Chesnium* T. III. p. 395. ſq.

(c) Latino Textui *Arrhenius* adjunxit *Verſionem Svecicam veterem*, in Monaſterio Naadendalenſi Finlandiæ repertam, cujus auctor ſine dubio fuit *Nicolaus Hermannides* Epiſcopus Lincopenſis, Anno 1391. mortuus, Vid. *Arrhenii* Præfationem in Vitam Anſchárii, *Dalini* Hiſt. Svec. T. II. p. 557.

(d) *Örnhielmius* Hiſt. Eccl. Svec. p. 97. ſingularem & inanem fingit rationem, cur Scriptores Dani *Vitam S. Anſchárii* nunqvam edere voluerint, qvia ſcil. ea tradit, qvæ palam in ipſorum Hiſtoriis vel negantur vel aliter narrantur, Conf. Index ejusdem libri in voce *Rembertus*. At, qvæſo, cur non eadem ratio *Andream Vellejum Danum* ab edendo *Adamo Bremenſi* abstinuit?

(e) Penes *Stephanium* fuit olim *exemplar Vitæ S. Anſchárii*, ex veteri ms. Codice transſcriptum, Vid. *Stephanii* Not. ad Saxon. p. 193. An vero *Codex* iſte in Dania noſtra fuerit, aut ubi, non indicat. Conf. *Staphorſt* T. I. p. 44.

eſt, qvæ in plerisqve & optimis Editionibus, a qvibus tamen omnibus recesſi in *diſtinctione Capitis XIII.* cui partem Capitis XII. addidi, qvantum ſcil. *Legationem Gautberti in Sveciam* concernit, ut ſic & Caput XIII. ceteris coæqvetur, & omnia, qvæ cohærent, ſimul legantur. Apud *Bollandum* & *Henſchenium* longiora ſunt Capita, qvam in ceteris Editionibus, ideoqve ſunt ibi ſolum numero ſeptendecim, cum heic triginta qvatuor ſint. Prodit itaqve egregii hujus monumenti *octava* minimum & *Danica Editio*, qva factum eſſe ſpero, ut nulli nationi, cujus intereſt *Anſchurium* noviſſe, de jactura vitæ ejus ulterius conqverendi anſa jam ſuperſit. Optandum omnino erat, ejusmodi qverimoniæ cauſam aliqvando removendam fore de jactura *Diarii ipſius B. Anſchurii*, in qvo ipſe *Itinera ſuæ Miſſionis, & qvæ qvotannis ad convertendos Septentrionales noſtros* geſſit, annotavit. Vereor autem, dudum hunc theſaurum deperditum eſſe, niſi forte inter *ſpolia Romana* fortunato caſu aliqvando detegeretur. Exſtitiſſe olim illud *Diarium* poſt qvatuor ab ævo Anſcharii Secula, *Romam*qve *Corbeia* Saxonica a *Tymone* Abbate, qvi Monaſterio illi Anno 1249. præfectus fuit, circa An. 1261. miſſum eſſe, nos docent *Annales Corbeienſes* ap. Leibnit. T. II. p. 310. his verbis: *MCCXV. donavit nobis Balthaſar Rummer S. Ansgarii Manuale, in qvo ſancti ejus labores in Septentrione juxta annos & dies ſtudioſe notati ſunt breviter: Tymo* (f) *poſtea id Romam miſiſſe dicitur.* Dignum lamentatione talis cimilii detrimentum! Facile crederem, hoc Diarium *Adamo Bremenſi*, præter cetera, qvibus uſus eſt, ſubſidia, etiam ob oculos fuiſſe, ſiqvidem particulares qvasdam proferat circumſtantias, qvæ in *Vita S. Anſchurii* adeo explicate non exſtant. An vero *Manuale* illud *B. Anſchurii Remberto* cognitum & ad manus fuerit, incertum valde eſt; Minimum ille ejusdem ne verbulo qvidem meminit. Et ſi eodem uſus fuiſſet, vix dubitarem, qvin in rebus narrandis meliorem ſæpius ordinem chronologicum obſervaſſet, nec aliqvibus in locis obſcurus adeo fuiſſet (g). Qvanti autem pretii *Rembertus* nobis ſit, & qvam alias copioſus accuratusqve in deſcribenda *Vita S. Anſchurii* fuerit, utpote fidelisſimus ejus diſcipulus, pene in omnibus conſcius ac familiarisſimus, videmus tamen, eum haud paucas circumſtantias, aut ob defectum forte ſubſidiorum, omiſiſſe, aut forte tum, cum ſcriberet, non recordatum fuiſſe. Imo ſtudio aliqva *Rembertus* neglexiſſe videtur, tanqvam res aut omnibus tunc notas, aut certis qvibusdam Anſcharii comitibus cognitas, ex. gr. *Witmaro*, ad cujus notitiam *Rembertus* Cap. IX. appellat, his verbis: *In qva Legatione, qvanta qvamqve gravia perpeſſus ſit mala, melius ipſe, qvi interfuit, prædictus pater Witmarus intimare poterit.* Qvæ admonitio iis præcipue data ſit, qvi ex *ſilentio Scriptoris* argumenta captare ſolent. Inter *res* vero eas *S. Anſchurii*, qvarum nullam *Rembertus* mentionem injicit, ſunt, qvæ ſeqvuntur: (1) Qvod poſt excidium Hamburgenſe exulans, *Bremâ* a *Leuderico* Epiſcopo expulſus fuerit, docente *Adamo* ap. Lindenbr. p. 8. & *Hiſt. Arcb. Brem.* ib. p. 70. (2) Qvod in prædio *Rameſloa*, ipſi a venerabili matrona *Ikia* donato, Cœnobium ſive Conventualem Eccleſiam exſtruxerit, qvo diſperſos poſt excidium Fratres Hamburgenſes transtulit, *Adam.* p. 8. 9. *Hiſt. Arcb. Brem.* p. 71. (3) Qvod *Bremæ* Cœnobium ſanctorum virorum condiderit (h), *Adam.* p. 9. (4) Qvod in *Briximon* [ſive *Birſen*, *Berſen*,

(f) *Annal. Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 311. MCCLIX. eligitur *Tymo* Abba noſter. MCCLXI. ardua meditatur *Tymo* noſter, ſed qvo discordia duxit fratres? Et p. 312. MCCLXXII. obit *Tymo* Abba noſter.

(g) Notabilis eſt ille *Adami Bremenſis* Lindenbr. p. 7. locus, de Vita S. Anſcharii loqventis: *Verum qvod diſtinctio temporum ibi obſcura eſt, pleraqve ab aliis ſcriptis, tempori congruentia, mutuavimus.* Et qvæ, qvæſo, eſſent *alia illa Scripta*, qvibus uſus eſt *Adamus*, ſi non inter ea fuiſſet ſupraſcriptum illud *Manuale ſanctorum Anſchurii in Septentrione laborum.*

(h) Qvod *S. Anſchurius* in urbe Brema *Hoſpitale Pauperum* conſtituerit, id *Rembertus* Cap. XXX. narrat, nullam autem *Cœnobii Bremenſis*, neqve ceterorum extra urbem *Hoſpitalium*, mentionem facit. Verum *Adamus Brem.* ap. Lindenbr. p. 9. de ſacris hiſce locis, ab *Anſchario* fundatis, ſatis diſtincte loqvitur ita ſcribens: „ —— domi Congregationum ſuarum curam egit. Qvarum *primam*, qvæ ab Hammaburg olim barbarica „ incurſione depulſa eſt, ipſe transtulit ad *Ramſolas*. *Secundam* in *Bremis* habuit *Sanctorum Virorum*, qvi „ habitu qvidem uſi canonico, Regula vivebant monaſtica, usqve ad noſtri fere temporis ætatem. *Ter-* „ *tiam Sanctarum Virginum* congregationem in *Briximon* adunavit, ubi devota Chriſti matrona *Lurgard* to- „ tum patrimonium ſuum offerens cœleſti ſponſo, magnum chorum caſtitatis ſuo nutrivit ducatu. Ad

„ curam

Berſen, *Barſen* (i)] congregationem ſanctarum virginum & in variis locis extra Bremam *Hoſpitalia* inſtituerit, *Adam.* p. 9. (5) Qvod *Diarium itinerum* ſuorum *ſacrorum* in Septentrionem conſcripſerit, ut paulo ſupra obſervatum eſt. (6) Qvod *Vitam S. Willehadi* ſcripſerit, eumqve in Sanctorum Catalogum retulerit, *Adam.* p. 5. 7. 9. *Hiſt. Arcb. Brem.* p. 69. 71. (7) Qvod *Reliqvias Sanctorum Remenſium* ab *Ebbone* perceperit, easqve variis Eccleſiis diſtribuerit, *Adam.* p. 7. 8. (8) Qvod ei *Sergius* Papa An. 847. prærogativas qvasdam, a *Leone IV.* An. 849. confirmatas, conceſſerit, ſcil. ut *Mitra* utatur, ut *Crucem* ante ſe portari faciat, ut *Pallium* pluribus ſolito feſtis induat, *Staphorſt* T. I. p. 38. 40. Inter plura momenta, qvæ apud *Rembertum* deſideramus, etiam illud eſt, qvod, HARALDI Regis baptismum narrans, nullam aut *Conjugis*, aut *Filii* ac *Nepotis* ejus, mentionem faciat, cum tamen omnes Moguntiæ adfuerint, & una cum HARALDO ceterisqve Danis baptizati ſint, qvod ſupra ex *Nigello* aliisqve monſtratum dedimus. Hæc ſunt, qvæ ad *meam Remberti Editionem* præmonere volui. Qvi uberiorem, aut de reliqvis Editionibus, aut de rebus Anscharii in genere notitiam deſiderat, uniuscujusqve Præfationem adeat, & præſertim doctiſſima illa Prolegomena, qvibus *Bollandus* & *Henſchenius* in Actis Sanctorum ſuam Editionem locupletarunt. Anteqvam tamen ipſum *Remberti Textum* in medium profero, & ut *Acta temporum S. Anſcharii*, qvæ ordine ſæpius inverſo narrata ſunt, ſuis qvodammodo veris annis & temporibus reſtituantur, placuit ad calcem ſubjungere CHRONOLOGIAM VITÆ ANSCHARIANÆ; Ea enim *S. Anſcharii Chronologia*, qvam ad ſuam Editionem contexuit *Arrhenius*, tota in annis rerumqve geſtarum ordine errabunda eſt: E contrario illa, qvam heic trado, non modo *Acta & annos ipſius Anſcharii*, ſed etiam omnia, qvæ de *rebus Septentrionis noſtri* eo vivente geſtis ſuperſtites adhuc illorum temporum Hiſtorici tradiderunt, enarratius perſeqvitur.

Vita Sancti Anscharii.

Præfatio Auctoris.

Sanctiſſimis, & in Chriſti amore præcipua veneratione recolendis, patribus & fratribus, in ſacratiſſimo *Corbejæ* (a) monaſterio Deo militantibus, filii atqve diſcipuli (b) reverendiſſimi *Anſcharii* (c) perennem perpetuæ felicitatis orant in Domino dominantium pacem & ſalutem. Diu per Domini gratiam paſtoris boni munere delectati, prædicationibus & exemplis informati, meritis & intercesſionibus ſuffulti, nunc tandem ejus præſentia deſolati, ſatis perpendimus, qvid pro nobis gemendum, qvidve pro illo gratulandum ſit. Etenim verus Dei cultor abstinens ſe ab omni opere malo, &

in :

„ curam autem pauperum & ſuſceptionem peregrinorum, *multis locis Hoſpitalia* præparavit. Unum au-
„ tem vel præcipuum habuit *Bremæ*, &c. "

(i) Conventum Sanctarum Virginum in *Barſen* a S. Anschario conſtructum, etiam nos docet *Hiſt. Arcb. Brem.* ap. Lindenbr. p. 71. Locus ille in Diplomatibus *Ottonis II.* aliorumqve veterum Imperatorum ſcribitur *Bireſinum*, *Birrbiſinun*, *Birchiſinum*, *Byrſen* & *Berſen*, Staphorſt T. I. p. 284. 312. 323. 563. 687. Situs loci in Comitia Hojenſi qværendus.

(a) *Adamus Bremenſis* L. I. c. 31. Remberti Librum de Vita Anscharii Monachis *Novæ Corbeiæ* dedicatum ſcribit. *Adamum* autem erraſſe, & heic intelligendam eſſe *Veterem* in Gallia *Corbeiam*, liqvide demonſtrat *Lambecius* in Notis ad h. l. Vid. Staphorſt. T. I. p. 201. ſq.

(b) Hinc apparet, *Rembertum* in ſcribenda S. Anscharii Vita adjutorem habuiſſe condiſcipulum qvendam ſuum, qvod etiam Auctor Vitæ ejus Cap. 9. expreſſe teſtatur.

(c) Nomen illud viri proprium antiqvum eſt, & apud Gallos olim uſitatum. Nonnullis ſcribitur *Ansgarius*. *Aniscarius* ſubdiaconus, Capit. Reg. Franc. T. II. p. 130. *Anſcharius* Marchio, Chron. Alberici p. 235. Idem eſt qvod *Anſcherus*, Append. ad Flodoard. p. 167. & *Ancherus*, Martene Theſ. Nov. Anecd. T. III. p. 1188. Imo in *Vita Liutbirgis* Eccard. Orig. Saxon. p. 547. ipſe Archiepiſcopus noſter expreſſe *Ansgerus* nominatur. *Hiſt. Guelf.* ap. Leibnit. T. I. p. 797. *Angſardus* Epiſcopus dicitur. Ab *Anſchario* Archiepiſcopo & Danorum Apoſtolo nomen apud nos propagatum eſt, ut etiam hodie vigeat, multiqve in baptismate nomine *Ancher* ſive *Anker* & *Ankarus* nuncupentur.

in ſimplicitatis modeſtia permanens, certam de ſe fiduciam præbuit, qvod hinc ſublatus ad Deum, qvem ſemper tota devotione dilexit, cuiqve ſemper animo intendebat, ſine cunctatione eo pervenit. Unde pro retributionis ejus præmiis nobis vere gratulandum credimus; Pro noſtra autem deſolatione neceſſario ſupplicandum, ut, qvi humanitus tanto deſtituti ſumus Paſtore, cœlitus divino protegamur auxilio. Inter varias etenim preſſuras poſiti, veraciter id ſentimus, qvod amiſerimus, & qvid pro nobis dolere debeamus, ſatis intelligimus. Vivente enim ipſo, nihil nobis deeſſe videbamus. Ejus namqve ſanctitatem Reges honorificabant, paſtores eccleſiæ venerabantur, clerus imitabatur, populus univerſus admirabatur, & dum illum cuncti ſanctum & juſtum prædicarent, nos qvoqve tanqvam corpus capitis pro ejus bonitate venerandi ac laudabiles videbamur. At nunc tanto munere fruſtrati, de noſtris meritis non præſumimus, cum magis timido corde expaveſcimus, ne, peccatis merentibus, luporum patere incipiamus morſibus. Mundus namqve, in maligno poſitus, magis ea, qvæ juſta & ſancta ſunt, evertere, qvam religioſa qværit erigere, & inimicus humani generis diabolus, qvanto ſanctiorem & religioſiorem qvemqve conſpexerit ducere vitam, tanto majori conamine adverſa qvæqve objicit, ut ea, qvæ ſunt ſancta, deſtruat, & ne ab aliis imitentur, calida ſvaſione & pravis intentionibus auferat. Nos itaqve inter formidoloſa pericula ſuſpirantes, licet multiplicia mala temporaliter timeamus, divinum tamen adjutorium nobis licet indignis non defuturum credimus. Ideoqve *Veſtram* devotiſſimam *Sanctitatem* ſupplici corde rogamus & petimus, ut memores noſtri intercedere pro nobis dignemini ad Dominum, qvod nunc nos ejus miſericordia non derelinqvat, ſed adjutor noſter benigniſſimus noxia cuncta a nobis depellat, ſitqve nobis refugium in tribulatione, qvi non deſerit ſperantes in ſe. De illius itaqve clementia præſumentes, ſpemqve noſtram in illius miſericordia collocantes, & qvæ nobis contingere (d), vel qvaliter in futurum ſubſiſtere debeamus, illius judicio derelinqventes, pietatis ejus gratiam toto cordis ac mentis affectu collaudamus & glorificamus, qvi nobis vel ad tempus tanta conceſſit uti Patrono. *Veſtræ* qvoqve (e) *Paternitati* gratiarum actiones immenſas referimus, qvia veſtro beneficio ac licentia talem promeruimus Patrem habere. Cujus exempla ſi qvis imitari voluerit, cœleſtem qvodammodo in terris habebit converſationem. Siqvis doctrinæ ejus recordatus fuerit, viam mandatorum Dei ſine errore incedere poterit. Siqvis monita exhortationis ejus attenderit, laqveos inimici præcavere ſtudebit. Hujus itaqve ſanctiſſimi Patris memoriam ſtylo exarare decrevimus: & qvaliter apud nos vixerit, qvidqve de eo nobis cognitum extiterit, *Veſtræ Reverentiæ* ſcriptis intimare, qvo divinam clementiam in beato viro Veſtra nobiſcum collaudet affectio, & imitari volentibus exemplum ſalutis fiat ejus ſanctiſſima devotio.

INCIPIT VITA.

Caput I.

S. Anſcharii pueritia, tyrocinium monaſterium, Viſiones.

Beatiſſimi Patris *Anſcharii* religionis ſanctitas, divina largiente gratia, ab ineunte creſcere cœpit ætate (f), & per ſingula ætatum momenta virtutum multiplicavit augmentum.

(d) Al. *qvid nobis continget.*

(e) Alibi additur: *Sanctiſſimæ.*

(f) *Car. le Cointe* Annal. Francor. T. VIII. p. 115. aliiqve *S. Anscharium* Anno 800. natum putant. Alii aliùm

augmentum. Namqve ab infantia ſpiritualibus revelationibus cœlitus inſpiratus, & per Domini gratiam ſuperna viſitatione eſt ſæpius admonitus, qvod mentem ſuam a terrenis disjungens, toto corde cœleſtibus inhiaret (g), qvas qvidem revelationes qvibusdam noſtrum, qvi ei familiarius adhærebant, innotuerat, eo tamen tenore, ne tempore vitæ ſuæ cuiqvam manifeſtarentur. Qvas nos ad laudem Domini, poſt obitum ejus, huic operi inſerere elegimus, ut qviqve legentes agnoſcant, qvanta gratia Dominus ſervum ſuum a primæva ætate correxerit, ac deinceps, ſuccedentibus bonorum operum meritis, clarificare dignatus fuerit. Referebat namqve, qvod in tempore pueritiæ ſuæ, cum *qvinqve eſſet annorum* (h), *mater* ſua in Dei timore admodum religioſa defuncta fuerit, ac non multo poſt tempore ipſum *pater* (i) ſuus cauſa diſcendi literas ad *ſcholam* (k) miſerit. Ubi cum eſſet poſitus, cœpit, ut tali ætati familiare eſt, cum coævis ſociis ſuis pueriliter agere, & diſcurſibus inanibus atqve jocis magis operam dare, qvam diſcendæ diſciplinæ inſtare. Cumqve puerili ætati taliter deditus eſſet, viſum eſt ei qvadam nocte, qvod eſſet in qvodam loco nimis lutoſo & lubrico, ita ut inde non niſi cum magna difficultate exire valeret; ſecus illum vero locum eſſe viam amœniſſimam, in qva videbat procedentem qvandam, qvaſi dominam omni ornatu & honeſtate præclaram; plures vero alias fœminas dealbatas, cum qvibus erat & mater ſua. Cumqve eam recognoviſſet, cœpit ad eam velle accurrere, ſed de loco illo cœnoſo & nimis lubrico non facile exire poterat. Chorus autem ille fœminarum cum ei appropiaſſet, viſum eſt illi, eam, qvæ qvaſi domina aliarum videbatur, qvam ille indubitanter *Sanctam Mariam* eſſe credebat, ei dixiſſe: *Fili, vis ad matrem tuam venire?* Cui cum ille reſpondiſſet inhianter, ſe velle; rurſus illa intulit: Si noſtræ ſocietatis particeps eſſe volueris, omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere (l); valde enim nos deteſtamur omnia, qvæ vana & otioſa ſunt; nec poteſt in noſtro conventu eſſe, qvicunqve fuerit hiſce delectatus. Poſt hanc igitur viſionem ſtatim cœpit ſe gravius agere, & puerilia conſortia devitare, lectioni & meditationi, cæterisqve utilitatibus arctius ſe occupare, ita ut ſocii ejus valde mirarentur, qvod tam ſubito mutatus eſt in aliam converſationem. Cumqve apud Vos tonſuratus,

alium annum malunt. Ego vero, poſtqvam *diem* ejus *natalem*, ut credo, detexi, *Annum* 801. non poſſum non præferre. Qvod etiam cum optimis Annaliſtis & Chronologis, cum Remberti Cap. XXXIII. collatis, pulchre convenit. Ex his enim conſtat, illum An. 865. die 3. Februarii mortuum eſſe, poſtqvam qvatuor ante obitum menſibus, ſcil. circa initium Octobris Anni 864, ægrotare cœperat. *Rembertus*, teſtis omni exceptione major, expreſſe dicit, *Anscharium ætatis ſuæ anno ſexageſimo qvarto, Epiſcopatus trigeſimo qvarto*, gravi coepiſſe corporis morbo laborare. Computatione ergo facta, natus ſit *Anscharius* Anno 801. & qvidem ante menſem Octobrem, Archiepiſcopus autem Hamburgenſis factus Anno 831, ut infra ad Cap. XI. monſtratur. Jam ad *diem natalem* beati viri redeo, qvem fuiſſe *diem* 8. *Septembris*, ſuſpicor, ad illum enim diem ſive *V. Idus Septembris* in *Necrologio* noſtro *Lundenſi* ſic annotatum invenio: ANSGARII EPISCOPI, ſimiliterqve in *Miſſali Hamburgenſi:* ANSGARII CONFESSORIS, qvod vix aliud qvam *diem* ejus *natalem* deſignare poteſt: Nam *dies emortualis* ejus, teſtibus Remberto & plurimis Necrologiis, Miſſalibus & Martyrologiis, in *diem* 3. *Februarii* incidit. His omnibus conſideratis, ponitur, *S. Anscharium natum eſſe Anno* 801. *die* 8. *Septembris, ægrotare cœpiſſe Anno* 864. *initio Octobris, & obiiſſe Anno* 865. *die* 3. *Februarii: ætatis ſuæ anno ſexageſimo qvarto.* Unde etiam patet, qvantum in *Chronologia S. Anscharii* a vero abludit *Arrhenius*, qvi eum Anno 805. natum, 834. Archiepiſcopum factum, & 869. mortuum aſſerit, eoqve juſtius ipſe corrigendus, qvod *Lambecium* injuſte adeo corrigat.

(g) Al. *initiaret.*

(h) An. 806. d. 8. Septembris qvintum ætatis annum implevit *Anſcharius.*

(i) Patre natus videtur illuſtri & in aula *Caroli Magni* ſolito verſari, *Cointe* Annal. Franc. T. VII. p. 665.

(k) In monaſterio ſcil. *veteris Corbeiæ* in Picardia, a *S. Batbilde* Regina Seculo VII. exſtructo, cui *Corbeia omnis* nomen dederat, *Mabill.* Act. SS. Bened. T. II. p. 311. *Sig. Gembl.* Miræi p. 68.

(l) Al. add. *ac semet ipſum gravitate vitæ cuſtodire.*

atqve in monaſticis diſciplinis poſitus (m), adoleſcentior fuiſſet factus, humana ſubrepente fragilitate, aliqvantulum cœpit a propoſiti prioris vigore frigeſcere.

Caput II.

Viſiones continuatæ.

Interim contigit, cum excellentisſimi CAROLI (n) Imperatoris obitum audisſet, qvem ipſe antea in magna potentia glorioſum viderat, atqve cum magna prudentia regna laudabiliter gubernaſſe judicarat. De tanti itaqve Imperatoris exceſſu ipſe nimio terrore perculſus, rurſus ad ſe cœpit redire, & admonitionis ſanctæ Dei genitricis ad memoriam verba reducere. Sicqve, poſtpoſita omni levitate, compunctionis divinæ cœpit amore langveſcere, totumqve ſe in Dei ſervitutem convertens, orationi & vigiliis atqve abſtinentiæ operam dedit. Cumqve his virtutum exercitiis verus Athleta Domini inſiſteret, atqve in hac gravitate permanenti mortuus illi mundus fieret, & ipſe mundo. Adveniente die *Pentecoſtes*, gratia Spiritus Sancti, qvæ in eadem feſtivitate ſuper Apoſtolos effuſa eſt, mentem illius, ut credimus, illuſtravit atqve exhilaravit. Viſum eſt illi eadem nocte, caſu ſubitaneo mori debere, & in ipſo mortis articulo *Sanctum Petrum* (o) Apoſtolum & Beatum *Johannem Baptiſtam* (p) in adjutorium ſibi involaſſe; cumqve anima, ut ipſi videbatur, egrederetur a corpore, ac ſtatim in aliam pulcherrimam ſpeciem corporis omni mortalitate carentis appareret, ſub eodem momento mortis & admirationis apparuerunt præfati viri. Qvorum unus erat ſenior, cano capite, capillo plano & ſpiſſo, facie rubenti, vultu ſubtriſti, veſte candida & colorata, ſtatura brevi, qvem ipſe *S. Petrum* eſſe, nemine narrante, ſtatim cognovit. Alius vero juvenis erat ſtatura procerior, barbam emittens, capite ſubfuſco atqve ſubcriſpo, facie macilenta, vultu jocundo, in veſte ſerica, qvem ille *S. Johannem* omnino credidit. Hi itaqve eum undiqve circumſteterunt. Porro anima ejus egreſſa, ſtatim in immenſa claritate, qva totus mundus implebatur, ſibi videbatur eſſe: per qvam claritatem illum nullatenus in aliqvo laborantem, Sancti ſupradicti miro & ineffabili modo ducentes, cum perveniſſent ad locum qvemdam, qvem ipſe *ignem purgatorium* eſſe, nemine narrante, certisſime ſciebat, ibi eum dimiſerunt. Ubi cum multa paſſus eſſet, præcipue tamen tenebras denſisſimas, preſſurasqve immanisſimas, & ſuffocationes viſus eſt toleraſſe; atqve omni memoria oblata, hæc ſolum excogitare ſufficiebat, qvomodo tam immanis poſſit exiſtere pœna. Cumqve per triduum, ut ipſe putabat, ibi cruciaretur, qvod ſpatium illi mille annis longius, propter immenſam pœnam viſum eſt, rurſus prædicti viri redeuntes, iterumqve illum hinc inde circumſtantes & longe majori qvam prius alacritate lætantes, atqve in omnibus multo ſvavius incedentes, per majorem, ſi dici poſſit, claritatem, greſſum immobili ſine via corporea ambulantes ducebant, &, ut verbis ipſius utamur: „ Videbam (q), inqvit, a longe diverſos ſociorum (r) ordines, qvosdam vicinius, qvos„ dam vero longius ab oriente aſſiſtentes, ad orientem tamen reſpicientes. Ipſum„ qve,

(m) In Monachorum ordinem adſcitus videtur *Anſcharius* Anno 813. tredecimo ætatis anno, qvem d. 8. Septembris inceperat, aut initio Anni 814. De obedientia ab *Anſchario* tum promiſſa, vid. ſub finem Cap. IV.

(n) *Carolus Magnus* obiit An. 814. d. 28. Januarii.

(o) Conf. infra Cap. XXX. de viſo ei *Sancto Petro.*

(p) *Johannes Baptiſta*, unus ex Sanctis, qvos ſibi patronos elegerat *Anſcharius*, conf. Cap. III. XXXIV.

(q) Seqvitur narratio ipſius *S. Anſcharii* de ſecunda ſua viſione ſive ſomnio ſacro.

(r) Edit. Col. *Sanctorum.*

„ qve, qvi in oriente apparebat, collaudantes, qvidam ſubmiſſis capitibus, qvidam „ ſupinis vultibus, tenſisqve manibus adorabant. Cumqve perveniſſemus ad locum „ orientis, ecce viginti qvatuor Seniores, ſecundum qvod in Apocalypſi ſcriptum eſt, „ in ſedibus ſedentes, ſervato introitu amplisſimo, apparuerunt, qvi & ipſi reveren- „ ter ad orientem reſpicientes, ineffabiles Deo laudes promebant. Laudes vero in com- „ mune canentium ſvaviſſimam mihi refectionem ingerebant. Sed poſt reverſionem „ ad corpus retinere nullo modo poteram. In ipſo vero Orientis loco erat ſplendor „ mirabilis, lux inacceſſibilis immenſæ claritatis, cui inerat omnis color pretioſisſimus, „ omnisqve jocunditas. Omnes vero ſociorum (s) ordines, qvi undiqve lætantes cir- „ cumſtabant, ab ipſo gaudium hauriebant. Qvi ſplendor tantæ magnitudinis erat, „ ut nec initium ejus nec finem contemplari valerem, & circumqvaqve cum longe vel „ prope reſpicere poſſem, in ipſa immenſitate luminis, qvid intus haberetur, contem- „ plari non poteram. Sed (t) tamen ſuperficiem cernerem, ipſum tamen *Jeſum* cre- „ debam, de qvo Petrus ait: in qvem deſiderant Angeli proſpicere. Ab ipſo nam- „ qve claritas procedebat, ex qva omnis longitudo & latitudo ſociorum (u) illumina- „ batur. Ipſe qvoqve erat in omnibus, & omnes in eo. Ipſe omnes exterius cir- „ cumdabat, ipſe omnes interius ſatiando regebat, ipſe ſuperius protegebat, ipſe in- „ ferius ſuſtentabat. Sol vero & luna neqvaqvam lucebant ibi, nec cœlum ac terra „ ibidem viſa ſunt. Sed neqve ipſa claritas talis erat, qvæ oculos contemplantium im- „ pediret, ſed qvæ oculos gratisſime ſatiaret. Et (v) cum ſeniores ſedentes dixerim, „ in ipſo qvodammodo ſedebant; nam nihil corporeum erat ibi, ſed erant cuncta in- „ corporea, licet ſpeciem corporum habentia, & ideo ineffabilia. Circa ſedentes vero „ ſplendor ab ipſo procedens ſimilis arcui nubium tenebatur. Cum itaqve a præfatis „ viris coram hac immenſitate luminis, ubi mihi *majeſtas Dei Omnipotentis*, nemine „ monſtrante, eſſe videbatur, præſentatus fuiſſem, vox ſvaviſſima, omni ſonoritate „ clarior, qvia mihi viſum eſt omne ſeculum impleviſſe, ab eadem majeſtate procedens, „ ad me facta eſt, dicens: *vade*, & (x) *ad me revertere.* Ad qvam vocem omnis „ conventus ſociorum (y), Deum tunc laudantium conticuit, atqve, ſubmiſſis vulti- „ bus adoravit. Deniqve, hæc vox a qvo formata eſt, prorſus non vidi. Poſt qvam „ vocem triſtis factus, qvia ad ſeculum redire compellebar, ſed revertendi promiſſione „ ſecurus, cum prædictis ductoribus exinde remeabam. Qvi mecum tam euntes, „ qvam redeuntes, nihil locuti ſunt, ſed tamen pro (z) affectu in me reſpiciebant, „ qvemadmodum mater unicum filium contemplatur. Sicqve ad corpus redii. In „ eundo vero ac redeundo, nec labor erat, nec mora, qvia, qvo tendebamus, ſta- „ tim aderamus. Et licet aliqva viſus ſum de tanta dulcedine dulcedinum enarraſſe; „ fateor tamen, qvia neqvaqvam ſtylus tanta exprimere potuit, qvanta animus ſen- „ tit, ſed nec ipſe animus ſentit, ut fuit: qvia illud eſſe mihi videbatur, qvod oculus „ non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit". Ex hac itaqve viſione, qvam,

(s) Al. *Sanctorum*, qvod malius.

(t) Hic ita legendum putat Lambecius: *Sed cum tantum ſuperficiem cernerem, ipſum tamen inili eſſe credebam, de qvo* &c.

(u) Al. *Sanctorum.*

(v) Qvæ ſeqvuntur usqve ad Cum *itaqve*, in plerisqve Editionibus deſiderantur, ſed ad Textum ea pertinere, docet *Verſio vetus Svecica.*

(x) Ed. Col. addit: *martyrio coronatus.*

(y) Al. *Sanctorum.*

(z) Al. *tam pio.*

qvam, ſicut ipſe dictaverat, verbis illius enarravimus, præfatus ſervus Dei perterritus & conſolatus cœpit ſe ſollicitius in divino timore exercere, bonisqve operibus de die in diem ardentius inhærere, ſpemqve de Dei miſericordia præſumere, qvam qvalibet (a) ipſe diſponeret occaſione, ut ad palmam *martyrii* (b) poſſet pertingere. Qvod tamen, qvia corporaliter gladio imminente non contigit, qvaliter in mortificatione crucis, qvam jugiter in ſuo corpore pro Chriſti nominis honore portavit, Deo miſerante, completum eſt, cum de obitu ejus narrare inceperimus, explicabimus.

Caput III.

Præfectura Scholæ in Veteri Corbeia, Viſiones.

Poſt hæc vero, cum Magiſter fuiſſet (c) *Scholæ ad Sanctum Petrum* (d), eundo vel redeundo ad clauſtrum, conſvetudinem ſibi faciebat, in oratorio *S. Johannis Baptiſtæ* (e), precibus ſecretius inſiſtere. Itaqve *poſt duos annos ſuperioris viſionis* (f), qvadam nocte viſum eſt ei, qvod ad idem *oratorium* orandi cauſa divertiſſet, cumqve ab oratione ſurrexiſſet, ecce vir per oſtium veniebat, ſtatura procera, Judaico more veſtitus, vultu decorus, ex cujus oculis ſplendor divinitatis velut flamma ignis radiabat: qvem intuitus, omni cunctatione poſtpoſita, *Chriſtum* Dominum eſſe credebat, atqve procurrens, ad pedes ejus corruit. Cumqve proſtratus in facie jaceret, ut ſurgeret, imperavit; Cumqve ſurgeret, & coram illo reverenter aſtaret, atqve præ nimio ſplendore ex oculis ejus emicante, in faciem ejus intendere non valeret, blanda voce locutus eſt ad eum, dicens: *Dic*, ait, *iniqvitates tuas, ut juſtificeris.* Cui Dei ſervus reſpondit: *Domine, qvid neceſſè eſt tibi dicere, tu omnia noſti, & nihil te latet.* Ille autem ſubſeqvutus: *Scio*, inqvit: *omnia, ſed ideo volo, ut confiteantur mihi homines peccata ſua, ut remiſſionem accipiant:* Cui cum omnia, qvæ ab infantia geſſerat, indicaſſet, &, illo poſt hæc in oratione proſtrato, ipſe erectus aſtans, dixit: *Noli timere, ego ſum, qvi deleo iniqvitates tuas.* Poſt hanc vocem, qvi apparuerat, receſſit. Et vir Dei excitatus a ſomno, de fiducia remiſſionis peccatorum ſuorum confortatus, immenſo tripudiabat gaudio.

Ca-

(a) Pro *qvam qvalibet* Edit. Col. habet *qvod qvadam.*

(b) De *Martyrio*, qvam ipſe ſibi *Anſcharius* imaginatus eſt, Conf. infra Cap. XXII. XXXIII. XXXIV.

(c) Forte legendum *factus fuiſſet.*

(d) Monaſterium *Corbeiæ* in honorem Sanctorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum & *S. Stephani* protomartyris ædificatum erat, hinc Schola hujus Monaſterii *Schola ad S. Petrum* vocatur.

(e) *Johannes Baptiſta*, unus ex Sanctis & ſelectis Patronis S. Ancharii, Conf. Cap. II. XXXIV. *Oratorium S. Johannis* prope a Baſilica S. Petri Corbeienſi erat, vid. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. VI. p. 81.

(f) Si ſecundam Viſionem ſuam *Anſcharius* habuerit eodem anno qvo *Carolus M.* obiit, Anno ſcil. 814. qvod ex *Remberti* narratione Cap. II. apparet, ſeqvitur ex hac ejusdem computatione, *Anſcharium* hanc tertiam Viſionem Anno 816. habuiſſe, cum vix *qvindecim annos* natus eſſet. Vix autem credibile eſſe poteſt, *Anſcharium* jam tum, in prima ſua adoleſcentia, factum fuiſſe Rectorem ſive Magiſtrum Scholæ S. Petri, niſi dicere velis, eum propter crebras Viſiones, ſtatim ex puero virum juvenem factum eſſe. Alias crederem, errorem aliqvem calculo Remberti ineſſe, ac *Anſcharium*, ut pleriqve recentiorum probabiliter putant, non ante Annum 820. aut 821. Scholæ præfectum fuiſſe; vix enim ante vigeſimum ætatis annum gravi adeo muneri maturus habitus ſit. *Rembertum* vero ſæpius obſcurum eſſe & contra ordinem chronologicum peccare, in prologo monui, idemqve ſuo tempore *Adamus Bremenſis* obſervavit. Ut igitur *Remberto* qvodammodo fides conſtet, ſtatuere oportet, Viſionem illam, cuius Rembertus Cap. II. meminit, non eodem anno, qvo *Carolus M.* obiit, obtigiſſe Anschario, ſed circa An. 818. aut 819. ac demum poſt duos annos tertiam, cujus hic fit mentio, Viſionem eveniſſe.

Caput IV.

Fulberti cædes. Withmarus Conrector.

Qvo etiam tempore contigit (g), qvod Veſtræ Reverentiæ notiſſimum eſt, ut qvidam puerulus in ſchola, *Fulbertus* nomine, a ſocio ſuo tabula percuſſus, usqve ad mortem perductus ſit. Pro qva re prædictus ſervus Dei nimium triſtis effectus eſt, qvod ſub cura *Magiſterii* ſui tanta negligentia ſibi acciderit. Verum, appropinqvante hora exitus ipſius pueri, vir Dei forte ſopori deditus loculo incumbebat, cum ecce vidit in corpore & in ſomnis (h), animam ipſius a corpore ſublatam angelico miniſterio ad cœlum deferri; ſe qvoqve miro & ineffabili miniſterio, Deo diſponente, pariter comitari. Cumqve cœlorum ſecreta penetraſſent, pueri præfati animam in qvandam purpuream manſionem conſpexit introduci, & ibi inter agmina *Martyrum* collocari; ibiqve datum eſt ei agnoviſſe, qvod, qvia puer ille vulnus ſibi illatum ſatis patienter tulit, & animam fratris usqve ad mortem diligens, pro percuſſore ſuo nimium benigne intercesſit, patientiam & benignitatem ejus, divina remunerante pietate, inter *Martyrum* choros deputatus eſt. Hoc autem tam celerius in hora mortis ejus ei demonſtratum eſt, ita ut, dum in his adhuc moraretur, venerandus Pater *Withmarus* (i), qvi cum eo *Scholam* puerorum regebat, & hujus rei *teſtis præſens adeſt* (k), cum pro hoc ipſo ipſum excitans, obitum diſcipuli nunciaret, ille ſe hoc ante ſcire reſponderit, qvod profecto Domini gratia conſolationis cauſa ei videre concesſit, ut, qvia pro hac re nimium triſtabatur, ex pueri ſalute mœſtitiam ſui relevaret animi. His ergo & aliis qvam plurimis revelationibus & viſionibus vir Dei cœlitus inſpiratus, qvanta inter Vos poſtmodum ſanctitatis gratia ac bonitatis excreverit, virorum, qvi tunc affuere, teſtimonio melius comprobabitur. Nobis autem, qvæ apud nos geſta ſunt, narrare cupientibus, primo indagandum videtur, propter eos, qvi hujus rei forte minus conſcii ſunt, qva occaſione a loco ſtabilitatis ſuæ (l) huc ſeceſſerit, & cum apud Vos Deo oblatus ſit, ibiqve obedientiam (m) promiſerit, qvo inſtinctu ad has partes emigraverit, atqve ad *Epiſcopatus* officium apud nos ſublimatus ſit. Hoc autem ſcribere neceſſarium duximus, ne forte levitati qvis aſſignet, qvod vir Dei divinæ compunctionis inſtinctu & peregrinationis amore pro animarum ſalute ſuſcepit.

Caput V.

Tranſitus in Corbeiam Novam.

Cœptum (n) itaqve eſt olim in his partibus, videlicet *Saxoniæ*, *Monaſterium* fieri, qvod, authoritate & magiſterio Veſtro, & primo fundatum, & ſuccedenti tem-

 pore,

(g) Circa Annum 822. ut videtur.

(h) Hæc qvarta erat S. Anſcharii Viſio.

(i) Edit. Col. *Witmarus*, aliis *Wichmarus* & *Wimarus*. Ille poſtea Anno 829. in Sveciam cum *Anſchario* ad convertendos gentiles miſſus eſt, vide infra Cap. IX.

(k) *Withmarus* adhuc poſt mortem *S. Anſcharii* vixit, qvando hujus Vitam *Remberrus* ſcripſit.

(l) i: ex Corbeia veteri Galliæ Monaſterio in Saxoniam.

(m) De *Anſchario* in Corbeia veteri tonſurato & in diſciplinis monaſticis poſito, vid. Cap. I. Not. (m)

(n) An. 822. in Auguſto fundamenta Monaſterii *Novæ Corbejæ* jacta ſunt, & An. 823. S. Adelardus Abbas *Anſcharium* pluresqve fratres ex Veteri Corbeja huc convocat, Vid. *Tract. de conſtruct. Corbeiæ Novæ* ap. Du Chesne T. II. p. 347. Conf. *Adam. Brem.* ap. Lindenbr. p. 6. Diplomata fundationis hujus Monaſterii a *Ludovico Pio* An. 823. data, Vid. *Coinse* Annal. Franc. T. VII. p. 669. ſq. *Schaten* Annal. Paderborn. p. 90. ſq.

pore, Deo donante, consummatum est, nomenqve mutuatum a loco habitationis Vestræ accepit, ut vocaretur *Nova Corbeja.* Ad hoc *Cœnobium* Dei famulus, una cum aliis fratribus (o) Vestris, primo directus est, ut inibi officio fungeretur docendi. In qva re ipse tam probabilis & acceptus est inventus, ut omnium electione publice in Ecclesia verbum Dei populis prædicaret. Sicqve factum est, ut ejusdem loci ipse primus & *Magister Scholæ* & *Doctor* fieret populi.

Caput VI.

Apostolatus Daniæ.

Post hæc vero contigit, ut HERIOLDUS (p) qvidam Rex, qvi *partem tenebat* (q) *Danorum*, ab aliis ipsius Provinciæ *Regibus*, odio & inimicitia conventus, regno suo expulsus sit. Qvi serenissimum adiit Imperatorem LODOVICUM, postulans, ut ejus auxilio uti mereretur, qvo regnum suum denuo evindicare valeret. Qvi eum secum detentum, tam per se qvam per alios (r) ad suscipiendam Christianitatem cohortatus, qvo scilicet inter eos ita major familiaritas (s) esse posset, populusqve Christianus ipsi ac suis promptiori voluntate in adjutorium sic veniret, si uterqve unum Deum coleret. Tandem, divina gratia tribuente, ad fidem convertit (t), & sacro *baptismate* perfusum (u), ipse de sacro fonte suscepit, sibiqve in filium adoptavit. Qvem cum iterum ad sua remittere vellet, ut ejus auxilio munitus regni sui fines repeteret, cœpit diligentius qværere, si qvem inveniret sanctæ devotionis virum, qvi cum eo ire posset, eiqve continuo adhæreret, fieretqve illi & suis ad corroborandam suscipiendamqve fidem Domini magister doctrinæ Salvatoris (v). De hoc itaqve prædictus *Augustus* in publico *Conventu* (x) *Optimatum* suorum, cum Sacerdotibus, cæterisqve fidelibus suis tractare cœpit, ut sibi aliqvem ad tale opus & voluntarium & condignum invenirent, sollicitius omnes rogare. Qvod cum universi abnuerent, nullatenus se qvenqvam scire dicentes tantæ devotionis virum, qvi peregrinationem tam periculosam pro Christi nomine suscipere vellet.

Extitit

(o) Conf. *Adam. Brem.* p. 6.

(p) De *Haraldo* Rege, vide qvæ supra annotavi ad *Ermol. Nigellum* p. 404.

(q) Alii addunt *Regni.* Sic ap. *Du Chesne* Script. Franc. T. III. p. 395. sqq. Scilicet *Juriam australem.*

(r) Inter hos *Imperator* usus est opera *Ebbonis* Archiep. Remensis ad HARALDUM convertendum, ut ex *Ermoldo Nigello* patet.

(s) Hæc etiam *Saxo Grammat.* p. 175. docet: „At *Ludovicus* summo amplificandæ religionis ardore confertus, „conditionem *Barbaro* intulit, opem spondendo, si Christi cultum exeqvi consensisset. Nullam enim „posse ajebat animorum intervenire concordiam, dissona sacra complexis. Qvamobrem petitorem opis „primum religionis contubernio opus habere, neqve magnorum operum consortes existere posse, qvos su„pernæ venerationis formula disparasset. Qva sententia & salutem hospiti & sibi pietatis præconium pe„perit; HARALDUM enim, solenni lavacro usum, conseqventer Saxonicis roboravit auxiliis".

(t) Summam *Ludovici* Imp. curam circa conversionem HARALDI Regis Gentisqve Danorum *Ermoldus Nigellus* Carmine suo supra inserto laudat. Imo ipse LUDOVICUS, in Diplomate erectionis Archiepiscopatus Hamburgensis An. 834. dato, Deo persolvit gratias pro conversione Danorum & Sveonum, suis temporibus & studiis factam.

(u) An. 826. circa Kal. Junii *Ludovicus* Imp. solennem conventum in Palatio *Ingelheim* celebrat. Ibi venit HARALDUS, cum uxore, & multitudine Danorum, & cum iis in Basilica S. Albani Moguntiæ baptizatur. Imperator *Regem*, Juditha Augusta *Reginam* de sacro fonte levavit. Rex ab Imperatore plurimis muneribus ac Comitatu *Riustri* in Frisia donatus est. Hæc ex *Annal. Laurisham.* *Astronomo*, & *Thegano* narrat *Cointe* T. VII. p. 784. sq. Conf. *Eginhardi Annal.* ap. Du Chesne T. II. p. 270. *Vit. Lud. Pii* ibid. p. 304. *Annal. Bertin.* ib. T. III. p. 183. *Annal. Fuld.* ap. Freherum p. 15. Item *Ermoldi Nigelli* Poema supra p. 412.

(v) Al. *Salutaris.*

(x) In eodem *Conventu Ingelheimensi*, etiam post Baptismum Haraldi continuato.

Extitit tunc temporis venerabilis *Abbas* Monaſterii Veſtri *Walo* (y), qvi Imperatori dixit, unum ſe ſcire *Monachum* in Monaſterio ſuo, qvi multo ardore circa divinam religionem ferveret, ac pro Dei nomine multa pati deſideraret. Cujus qvoqve pariter inſtitutionem ac mores laudavit, & qvod ad hoc opus eſſet ſatis idoneus, indicavit; ſed tamen ſe neſcire, teſtatus eſt, utrum ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius eſſet. Qvid plura? jubente Rege, evocatur ad Palatium. Cui *Abbas* cuncta, qvæ acta dictaqve erant, ſimul retulit, & ad qvid vocaretur, aperuit. Qvi ſe ad Dei ſervitium in omnibus, qvæ ei cauſa obedientiæ injungerentur, paratum eſſe reſpondit. Deductus itaqve ad præſentiam Auguſti, cum ab ipſo interrogaretur, ſi pro Dei nomine cauſa *prædicandi in gentibus Danorum* comes fieri vellet HERIOLDI? omnino ſe velle, conſtanter reſpondit. Cui cum Abbas etiam intuliſſet, nullatenus ſe tantum onus jubendo illi imponere; ſi ipſe tamen hoc ſua ſponte eligeret, ſibi gratum eſſe, ac ſuæ authoritatis ei licentiam dare. Qvod ille nihilominus ſe eligere, & modis omnibus ſe perficere velle, reſpondit. Deniqve cum hæc publice proteſtaretur, eſſetqve omnibus cognitum, qvi in domo converſabantur Abbatis, cœperunt multi tantam ejus admirari mutationem; qvod, relicta ſcilicet patria, & propinqvis ſuis, fratrumqve, cum qvibus educatus fuerat, dulciſſima affectione, alienas vellet expetere nationes, & cum ignotis & barbaris converſari. Multi ſuper eum hoc deteſtari & improperiis laceſſere, qvidam a propoſito revocare conabantur: ſed vir Dei in cœpta voluntate immobilis permanebat. Deniqve cum Abbas per ſingulos dies ad Palatium iret, ipſe domi reſidens, conſortia omnium fugiebat, & in qvadam *vinea* juxta poſita ſolitarium ſibi locum eligens, orationi & lectioni vacabat. Erat etiam tunc qvidam ibi cum Abbate frater Monaſterii Veſtri, nomine *Autbertus*, qvi, cum eum nimis ſollicitum ac triſtem, & qvotidie ſecretum ibi conſiſtere, & nullius conſortio vel colloqvio uti videret, cœpit ei compati, & qvadam die pergens ad locum, ubi in ſupradicta vinea ſolus ſedebat, cœpit ab eo inqvirere, utrum veraciter peregrinationem illam vellet ſuſcipere? Qvi ſperans, eum non compaſſione hoc, ſed propter aſtutiam magis inqvirere, reſpondit: Qvid vobis curæ eſt ſuper hoc? nolite mentem meam tali inqviſitione conturbare. Ille vero nihil omnino ſe deceptionis in hac re prætendere taſtabatur, ſed magis veraciter ſcire velle, utrum ille in propoſita voluntate diſponeret perſeverare? Tunc ipſe congratulans ejus benevolentiæ, reſpondit: Interrogatus ſum, ſi pro Dei nomine vellem inter *gentes* ire *paganas*, ad prædicandum Evangelium Chriſti? cui propoſitioni ego neqvaqvam reniti auſus ſum, imo totis viribus exopto, ut mihi ad hoc copia detur eundi, nullusqve ab hac intentione mentem meam poterit immutare. Tunc præfatus frater ei reſpondit: Et ego te nunqvam patiar ſolum ire, ſed pro Dei amore tecum proficiſci cupio, tantum ut Domini Abbatis mihi licentiam impetres. Firmata itaqve inter eos conventione hac religioſa, redeunti Abbati ipſe obvius aſtitit, & qvod ſibi ſocium inventum haberet, qvi hujus profectionis comes eſſe voluntarius vellet, indicavit. Cujus perſonam cum Abbas inqvireret, & ille fratrem *Autbertum* nominaret, multo miraculo obſtupuit, neqvaqvam putans, eum, qvi & nobilis proſapiæ in ſeculo, & apud eum tunc familiaris, ac poſt ipſum Domus ejus Procurator habebatur, talia velle. Advocatum tamen eum ſuper hoc interrogavit. Qvi reſpondit, neqvaqvam ſe pati poſſe, ut ille ſolus iret; ſed pro Chriſti nomine ſe velle ei ſolatio & adjutorio fieri, ſi ſuam & fratrum haberet licentiam. Cui

Dominus

(y) *Walo* erat patruelis *Caroli M.* & Comes. An. 811. paci cum *Hemmingo* Rege Danorum compoſitæ præfuit. Poſtea ſub Ludovico Pio factus Abbas Corbeienſis in Gallia.

Dominus Abbas, ſe daturum licentiam, ſi ille ſpontanee hanc profectionem eligeret, reſpondit. Nullum tamen eis ex familia ſua comitem ad obſeqvium ſervitii deputaturum, niſi forte ipſi aliqvem ad hoc provocare poſſent, ut ſua ſponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis Abbas non de inaffectione faciebat, ſed qvia abominabile eo tempore & injuſtum videbatur, ut qvis invitus inter *paganos* converſari cogeretur.

Caput VII.

Iter in Daniam.

Poſthæc itaqve ambo deducuntur ad Regem (a), qvorum voluntate & deſiderio ipſe condelectatus, dedit eis miniſteria eccleſiaſtica, & ſcrinia, atqve tentoria, cæteraqve ſubſidia, qvæ tanto itineri videbantur neceſſaria, & cum præfato HERIOLDO ire præcepit: denuncians, ut ejus fidei maximam impenderent ſollicitudinem, eumqve & ſuos, qvi ſimul baptizati fuerant, pia exhortatione, ne ad priſtinos reducerentur, diabolo inſtigante, errores, continue roborarent; ſimulqve etiam alios ad ſuſcipiendam Chriſtianam religionem verbo prædicationis ſtrenue commonerent. Dimiſſi itaqve ab Imperatore, nullum habuerunt ſocium, qvi eis aliqvid ſervitii impenderet, qvoniam nemo ex familia Abbatis cum eis ſua ſponte ire, nec ille qvemqvam ad hoc invitum volebat cogere. HERIOLDUS qvoqve, cui commiſſi fuerant, adhuc rudis & neophytus, ignorabat, qvaliter ſervi Dei tractari debuiſſent. Sui qvoqve tunc nuper converſi, & longe aliter educati, non multa ſuper eos cura intendebant. Cum gravi itaqve difficultate hanc ſuſcipientes peregrinationem, pervenerunt *Coloniam.* Ubi tunc temporis venerandus Antiſtes *Hadeboldus* (b), compatiens eorum neceſſitati, dedit eis navem optimam, ubi ſua reponerent, in qva erant duæ manſiunculæ, ſatis optime præparatæ. Hanc itaqve prædictus HERIOLDUS conſpiciens, elegit ipſe in eadem navi cum illis manere, ut ipſe una, & altera illi potirentur manſiuncula. Sicqve inter eos familiaritas cœpit & benevolentia creſcere; ſui qvoqve exhinc ſervitium eis diligentius impendebant. Inde egreſſi per *Dorſtatum* (c), & vicina *Freſonum* tranſeuntes,

(a) s: Imperatorem *Ludovicum.*

(b) An. 819. mortuo *Hildeboldo* Archiepiſcopo Colonienſi ſuccedit *Hadeboldus*, qvi vixit & Archiepiſcopatui usqve ad An. 842. præfuit, vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 153. 364. 917. 918.

(c) *Dorſtatum* ſ. *Doreſtadum* erat olim Batavorum celeberrimum Emporium, in Comitatu veteris Auſtraſiæ *Teiſterbant* ſitum, cuius reliqviæ adhuc ſuperſunt in *Wyck te Duerſtede*, oppido ditionis Ultrajectinæ ad Rheni veterem alveum, prope ab hodierna urbe *Trajecto* vulgo *Utrecht*, nec procul a *Noviomago*, ut docent *Annal. Bertin.* ad An. 837. Qvantæ hoc oppidum antiqvitatis ſit, inde liqvet, qvod illud, ut verosimile eſt ac Cellario Geogr. Ant. p. m. 348. approbatum, *Batavodurum* vicus Taciti Hiſt. L. V. c. 20. fuerit. Ap. *Geogr. Ravenn.* L. I. XI. & L. IV. 24. *Deroſtates* & *Doroſtate* dicitur Friſonum patria. Circa An. 714. S. Bonifacius Londonia profectus proſpero ventorum flatu pervenit ad *Dorſtat*, ibiqve aliqvandiu commoratus, *Willibaldi* Vit. S. Bonif. ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. IV. p. 10. Tractus ille opera Sanctorum Willebrordi & Bonifacii ſociorumqve eorum fidem chriſtianam ante medium Seculi VIII. amplexus eſt. Unde in *Vita S. Gregorii* Abb. ib. p. 326. de hoc S. Bonifacii diſcipulo legitur, „qvod doctrina ſua *Trajectum*, antiqvam civitatem, & *vicum famoſum Dorſtad* cum illa inradiaverit parte *Freſoniæ*, qvæ tunc chriſtianitatis nomine cenſebatur, idem usqve in ripam occidentalem fluminis, qvod dicitur *Laghcki* [hodie *Láca*, *Lecke*], ubi confinium erat *chriſtianorum Freſonum* & *paganorum*, cunctis „diebus Pippini Regis". In Diplomate KAROLI MAGNI, Anno regni ejus nono dato, nominatur Baſilica S. Martini, qvæ erat conſtructa in *Trajecto veteri ſubtus Doreſtado*, Vid. *Falke* Tradit. Corbei. p. 420. Poſtea Seculo IX, ut ex hac b. *Anscharii Vita* diſcimus, *Doreſtadum*, Eccleſiis & Sacerdotibus abundans, chriſtianis undiqve confluentibus, præcipue *neophytis ſeptentrionis noſtri*, commune receptaculum patuit, Vid. infra Cap. XVII. XXI. XXIV. Num vero ejus tum magnitudinis fuerit, ut vere de

eo

transeuntes, ad *confinia* pervenerunt *Danorum* (*). Et qvia interdum pacifice in regno ſuo HERIOLDUS Rex conſiſtere non poterat, dedit ei memoratus *Auguſtus* ultra *Albiam* (d) beneficium, ut, ſi qvando ei neceſſarium eſſet, ibi ſubſiſtere poſſet.

eo Joh. de Beka p. 28. & *Trithemius* Chron. Hirſaug. ad An. 856. ſcribere poſſint: „*Nortmanni* cum „*Danis* Hollandiæ cum ingenti multitudine claſſium applicantes, *Durſtadon* vicum nominatiſſimum, in „qvo *Parochiales Eccleſiæ* fuiſſe dicuntur *quinquaginta* quinqve, omnibus habitatoribus ejus crudeliter in„terfectis, usqve ad ſolum penitus deſtruxerunt", hoc ut valde dubium aliis inqvirendum relinqvimus. Conf. Acta Sanctor. Februarii T. I. p. 398. *Annales Fuldenſes*, *Metenſes* & *Bertiniani* everſionem *Doreſtadi* ad An. 847. referunt. Etiam aliqvoties antea *Nordmanni Doreſtadum* & *Freſiam* depopulati fuerant, Vid. *Annal. Fuld.* ad An. 835. 836. 837. Videtur autem *Doreſtadum* ab unaqvaqve vaſtatione ſua ſe brevi recollegiſſe. Utrum vero *Doreſtadum* pars beneficii, a *LUDOVICO Pio* Regi HARALDO ſtatim a baptismo collati, fuerit, an poſtea ab ipſo Imperatore HARALDO aut fratri ſive nepoti ejus *Rorico* conceſſum, maturiori eget indagatione. Vide interim, qvæ proxime ſeqventi Not. (d) dicta erunt, & qvæ ibi ex *Annalibus Fuldenſ.* & *Metenſ.* citantur inſignia loca. De *legibus Doreſtadenſibus*, Sede Trajectenſi Anno 890. conceſſis, vid. *Wilh. Heda* p. 64. De *Nummis* ſub Carolo M. Ludovico, & Lothario *Doreſtadi* cuſis, vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 91. 92. 330. 445. Demum præterire neqveo, *Dalinum* Hiſt. Svec. T. I. p. 475. *Riuſtri*, de qvo in ſeqventi Nota (d), cum *Doreſtado* confundere, & ante p. 253. dubium eſſe, an *Doreſtadum* ſit *Batemburgum* Geldriæ, an *Wiek* ditionis Ultrajectenſis. *Pontopp.* T. I. p. 26. *Doreſtadum* fuiſſe *Dordrectum* perperam putat. Alb. Krantzius *Doreſtadum* cum *Stadio ad Albim* confundit, vid. Alb. Handl. von Brem. und Verd. T. V. p. 279.

(*) Sunt, qvi dubitant, HARALDUM Regem, cum *Anſchario* & comitibus, poſt baptisma & iter Moguntiacum in Daniam rediiſſe. Ego autem per *Confinia Danorum*, ad qvæ, teſte Remberto, pervenerunt, intelligendam credo *extremam regni Danorum partem*, Saxoniæ conterminam, *Jutiam* ſcil. *auſtralem* & qvidem *Sleſvicum*. Eo ſenſu in *Annal. Bertin.* ad An. 804. dicitur *Godefridus* veniſſe ad locum *Slieſtorp* in *Confinio Regni ſui* & Saxoniæ. Qvod etiam *Nigellus*, Scriptor coævus, ſupra p. 420. hoc verſu indigitat: „HEROLDUS, dapibus variisqve refertus & armis, per mare fluctivagum *propria Regna petit*". Minimum in Dania HARALDUS qviete vixit usqve ad *Annum* 827. qvo cum, teſtantibus Annaliſta Bertiniano, Adelmo, aliisqve Francorum Scriptoribus, Godefridi Filii de conſortio regni ejecerunt & finibus Nordmannorum excedere compulerunt. Si *Alb. Krantzio* fides ſit, & qvis neget, eum Annales veruſtos, qvi jam deſiderantur, habuiſſe, non modo *HARALDUS in Jutiam pervenit*, ſed & *Anſcharius cum conſorte ad intima Regni penetravit*, verbum Dei annuntians, vid. Metrop. L. I. c. 19.

(d) Si locum hunc cum tribus aliis locis apud Rembertum, ſcil. Cap. XI. XII. & XIX. ubi hac phraſi, *ultra Albiam*, utatur, conferamus, nullum alium ſenſum inde elicere poſſumus, qvam qvod idem ſit, ac *trans Albiam* in Dipl. Ludov. Pii & Gregorii IV. ap. Hvitfeld. p. 23. 25. Staphorſt T. I. p. 27. 32. ſive in *regione illa ad ſeptentrionale latus Albis* fluminis, dicta hodie *Holſatia*, olim *Nordalbingia* & nonnullis *Saxonia antiqva*. Si jam *Beneficium ultra Albiam*, de qvo hic Rembertus, conſideremus, illud non poſſumus non alibi qværere, qvam in *Holſatia* aut aliqva ejusdem provinciæ parte. Ita ut conjectura *Hvitfeldii* p. 22. de hoc HARALDO ab Imperatore collato Beneficio, maaſſee Holſten, *forte Holſatia*, non omnino a vero abludat. *Hvitfeldius* conjecturam hanc ex hiſce *Adami Brem.* L. I. c. 15. verbis ſumſit: *Imperator dedit ei* (Haraldo) *trans Albiam Beneficium.* Adamus vero eadem verba a Remberto mutuatus eſt, & ſic unam eandemqve ſignificationem phraſibus, *ultra Albiam* ac *trans Albiam*, tribuit. *Sperlingius* in Notis ad Adamum ap. Weſtphal. T. II. p. 663. ſq. rem tanqvam extra omne dubium ponit, ſic ſcribens: „Pertinebant „iſtæ regiones, *Ditmarſia*, *Holſatia*, *Stormaria*, qvæ uno nomine *Nordalbingia* vocantur, ad Imperium „& Imperatorem usqve ad *Eydoram* limitem inter *Saxones* & *Danos*; Illud igitur *Beneficium* aut *Holſatia* „fuit, aut *Ditmarſia*, *trans Albim*". Et paulo poſt: „*Nordalbingia* verum erat illud *trans Albiam Bene„ficium*, qvod Imperator tradiderat, & qvo cum HARALDO *Anſcharius* ivit in *Daniam*". Imo diu ante Annum 826. Imperator HARALDO videtur *conceſſiſſe aſylum* ſive refugii locum in aliqva *Holſatiæ* parte, & forte, ut ſuſpicor, in munitiſſimo recens exſtructo Caſtello *Eſſelsfeld*; Ita interpretor ſeqventia *Aſtronomi* Auctoris Vitæ Lud. Pii verba: „An. 814. HERIOLDUS, ad qvem ſumma regni *Danorum* per„tinere videbatur, & qvi pridem a *Filiis Godefridi* regno pulſus fuerat, ad Imperatorem LUDOWICUM „confugium fecit, & *juxta morem Francorum manibus illius ſe tradidit: Qvem Rex ſuſceptum* in *Saxoniam* „ire juſſit, & tempus, qvo ei auxilium ferre poſſet, ad recuperationem ſui Principatus, *ibidem operiri*„. Eadem haud aliter ad h. a. narrant *Annales Bertiniani*, qvi etiam ad ſeqventem Annum 815. ſic tenent: „Imperator, anteqvam de motibus Romanis diſponit, res HARALDI ordinat, eumqve in *Saxoniam* di„mittit". Qvid, qvæſo, per *Saxoniam* his locis aliud debet intelligi, qvam *Saxoniæ Transalbinæ* ſive *Holſatiæ*, & ubi in Saxonia tutior ac commodior HARALDO locus, qvam in *Holſatia*? Hæc autem poſitio,

Imperatorem

Præfati itaqve Servi Dei, cum eo positi, aliqvando inter *Christianos*, aliqvando inter *Paganos* constituti, cœperunt verbo Dei insistere, & qvoslibet poterant, ad viam veritatis

Imperatorem didisse Haraldo Beneficium ultra Albiam sive *in Holsatia*, minime alterum excludit, scil. *Imperatorem plura Beneficia, & qvidem in Frisia, Haraldo & Fratri sive potius Nepoti ejus Rorico concessisse.* Id clare testantur *Scriptores Francorum* coævi, licet non omnes æqve distincte nec omnes circumstantiarum omnium satis scientes; Qvidam enim *Comitatum in Frisia nomine Riustri*, alii *magnam partem Frisonum*, alii *Vicum Doreſtadum* nominant: Nemo autem *Beneficii ultra Albiam*, præter *Rembertum* & qvi eum seqvuntur, meminit. *Adamus Bremensis* L. I. c. 15. de *duobus* distincte loqvitur *Beneficiis* ab Imperatore collatis, altero *ultra Albiam* HARALDO Regi, altero *in Frisia* fratri ejus *Horico*, qvem Annales Francorum *Roricum* & nepotem Haraldi appellant. Audiamus ipsa horum Annalistarum coætaneorum testimonia. *Auctor Vitæ Lud. Pii*, qvem *Astronomum* dicunt, ap. Du Chesne T. II. p. 304. rem ita narrat: „Verens piissimus *Imperator*, ne ob tale factum negaretur ei (Haraldo) habitatio soli naturalis, dedit ei „qvendam *Comitatum in Frisia*, cujus vocabulum est *Riustri*, qvo se suosqve, si necessitas exigeret, tuto „recipere posset". Eadem iisdem pene verbis repetit *Adelmus* ap. Freher. T. II. p. 428. *Annales Fuldenses* nihil de hac donatione, *Bertiniani* autem ap. Du Chesne T. III. p. 183. ita de *Haraldo* habent: "Multis „muneribus ab *Imperatore* donatus, per *Frisiam*, qva venerat via, reversus est: In qva provincia unus „*Comitatus*, qvi *Riustri* vocatur, eidem datus est, ut in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, „recipere potuisset". Sic etiam tenent *Annales*, dicti *Eginhardi* & *Laurisbamenses*. Paulo aliter, & sine mentione loci, *Theganus* ap. Du Chesne T. II. p. 281. Beneficium illud describit: "Tunc Dominus Im„perator *magnam partem Frisonum* dedit ei, & donis honorificis ornavit eum, & *cum Legatis suis* dimisit „eum ire in pace". Ad hanc *magnam Frisonum partem*, præter *Riustri*, credo pertinuisse *tractum Doreſtadensem*, qvem *Annales Fuldenses* ap. Du Chesne T. II. p. 550. & *Metenses* ibid. T. III. p. 303. HARALDO fratriqve ejus *Rorico* a *LUDOVICO Pio* concessum plane & diserte perhibent: „An. 850. *Rorue* na„tione *Nordmannus*, qvi *temporibus HLUDOWICI Imperatoris* cum fratre HARIOLDO *vicum Doreſtadum* „*jure beneficii tenuit*, post obitum *Imperatoris* defuncto fratre, apud HLOTHARIUM, qvi patri successit „in regno, proditionis crimine falso insimulatus, tentus, & in custodiam missus est. Unde fuga lapsus, „in fidem HLUDOWICI Regis Orientalium Francorum veniens, cum *per annos aliqvot* ibi moraretur, & „*inter Saxones, qvi confines Nordmannis sunt, mansitaret*, collecta *Danigenarum* non modica manu, cœpit „piraticam exercere, & loca regni LOTHARII, septentrionalis oceani littoribus contigua, vastare: Venit„qve per ostia Rheni fluminis *Doreſtadum*, & occupavit eam atqve possedit: Et cum a Lothario Principe „sine periculo suorum non posset expelli, cum consilio Senatus, Legatis mediantibus, *in fidem receptus* „*est*, ea conditione, ut tributis ceterisqve negotiis ad Regis Ærarium pertinentibus fideliter inserviret, „& piraticis *Danorum* incursionibus obviando resisteret". In his verbis, præter *Beneficium Doreſtadense*, videtur etiam mentio fieri alterius Beneficii sive Asyli alicujus inter *Saxones Danis confines* sive *Holsatos*, ubi *Roricus*, mortuo Rege HARALDO, per aliqvot annos morabatur. Hinc apparet, *Adamum Bremensem* a *Lambecio* & *Mabillonio* injuste notari, eo qvod, præter fidem Reinberti ceterorumqve Annalistarum Francorum, *fratrem Haraldi* etiam beneficium accepisse dicat. Verba *Adami* L. I. c. 15. hæc sunt: „Qvem (scil. HARALDUM) Imperator a sacro fonte suscipiens, cum decrevisset in regnum suum resti„tuere, *dedit ei trans Albiam Beneficium*, & *Fratri ejus Horico*, ut tum piratis obsisteret, *partem Freſiæ* „*concesſit*, qvæ adhuc *Dani* qvasi legitima sui juris reposcunt". Utrumqve Beneficium, & Holsaticum & Frisicum, sine dubio respicit *Ermoldus Nigellus* supra p. 420. hoc versu: „Illius ast propter tribuit sibi „prælia *fines*, & *loca vinifera*". Per *fines* intelligi *regionem Danico regno conterminam*, conjicit Muratorius, ap. *Mencken.* T. I. p. 951. Sicut per *Loca vinifera* terras ad *Rhenum* aut *Mosam*. Si modo ita sit, qvod vix dubitari potest, HARALDUM ab Imperatore & in *Holsatia* & in *Frisia* Beneficia accepisse, statuere utiqve licet, jus aliqvod ad eadem derivatum esse posse ad seqventes Danorum Reges, ut haud adeo absurde *Adamus Brem.* l. c. de ambobus illis Beneficiis dixerit: *Qvæ adhuc Dani qvasi legitima sui juris reposcunt.* Ideoqve minime ineptum judicari debet, qvod de *Legibus Haraldinis* idem *Adamus* L. II. c. 19. refert, ita scribens: „Certissimum vero est, eum (HARALDUM BLAATAN) tam *nostro populo* (s: Bre„mensibus), qvam *Transalbinis*, & *Freſonum Genti*, *Leges & Jura constituisse*, qvæ adhuc pro tanta au„ctoritate viri servare contendunt". Absurdum autem est, hæc de *Adaldago* scripta esse, ut nonnulli Novatores, a *Conringio* seducti, contendunt. Conf. Ill. *Kofod Ancher* Hist. Leg. Dan. p. 255. sqq. Per *Transalbinos* nullum est dubium intelligi *Holsatos* sive *Ditmarsos:* sed conjectura est, per *nostrum populum* significari *Rustros* sive *Rustringos*, qvorum Regio Dioecesis Bremensis pars erat, & per *Freſonum gentem* forte *Doreſtadenses;* qvi omnes ad *Beneficia Haraldo a Cæsare collata* pertinebant. De *Doreſtado* certum est, eum vicum, cum pluribus Comitatibus, non solum a LOTHARIO *Rorico* clientelari jure concessum esse, ut testantur *Annales Bertiniani*, *Metenses*, & *Fuldenses* invicem collati ad Annos 850. 855. & 857.

Sed

veritatis movere. Multi etiam exemplo & doctrina eorum ad fidem convertebantur, & crescebant qvotidie, qvi salvi fierent in Domino. Ipsi qvoqve divino inspirati amore, ad promulgandam devotionis suæ religionem, cœperunt curiose *pueros* qværere, qvos emerent (e), & ad Dei servitium educarent. Præfatus qvoqve HERIOLDUS ex suis aliqvos sub eorum cura erudiendos posuit. Sicqve factum est, ut *Scholam* inibi parvo tempore statuerint *duodecim*, aut eo amplius, *puerorum*. Alios qvoqve hinc inde sibi asciverunt servitores, & adjutores. Cœpitqve eorum fama & religio in Dei nomine fructuosius crescere. Cum itaqve in hoc sancto proposito *biennio aut eo amplius* morarentur (f), contigit, jam dictum fratrem *Autbertum* infirmitatis gravari molestia. Qva de causa inde ad *Novam Corbejam* deductus, languore diutino ingravescente, felici, ut credimus, transitu, in tempore *Paschæ* (g), sicut & ipsi ante a Domino revelatum fuerat, diem inibi clausit extremum.

Ca-

Sed etiam HARALDO simul & *Rorico* a *LUDOVICO Pio* datum, occasione forte Baptismi eorum. Conf. *Grammii* Meursius p. 120. Tandem de Comitatu Frisico *Riustri*, parte Beneficii Ludoviciani, aliqvid dicendum: Miror sane *Lambecium*, qvi, in Notis ad hunc locum Remberti, *Comitatum Ruirstri* sive *Riustri*, qvem vetus *Poeta Saxo* ap. Leibnit. T. I. p. 122. *Fresonum pagum Hriustri* appellat, ignorans, illum in regione & nomine *Sturiorum* sive *Stauriæ Frisiæ occidentalis* qværit. Propius ii & qvidem verisime rem tangunt, qvi, cum *Meibomio* Opusc. p. 107. *Pontano* p. 96. *Winkelman.* Westphal. p. 274. aliisqve per *Riustri* significari volunt *Rustringiam* partem Jeverensis ditionis hodierni *Comitatus Oldenburgici*, qvi & ipse fuit *veteris Frisiæ* pars. *Helmoldus* ap. Leibnit. T. II. p. 605. *Fresones* nominat, qvi dicuntur *Rustri*. Qvoad loci situm *Annales Eginhardi* ad An. 793. & *Aimoinus* L. IV. c. 84. pagum *Hriustri* expresse ad *Wisuram fluvium* ponunt, ubi copiæ Caroli M. cæsi sunt. In *Rustringia* adhuc notissima est Advocatia & Parœcia *Blexen*, locus olim S. Willehadi emortualis, qvem *Anschar.* in Vit. S. Willeh. supra p. 351. *Pleccatesbem* nuncupat, & de qvo *Adamus Brem.* ap. Lindenbr. p. 5. ita: „Obiit in *Fresia*, in villa *Pleccazze*, qvæ „sita est in *Rustris*". Conf. *Hist. Archiep. Brem.* ibid. p. 69. Vetus *Adami Scholiastes* ib. p. 4. *Rustringam* inter *septem* ad Episcopatum Bremensem pertinentes *Pagos Fresicos* numerat, qvorum situm inter Weseræ ostia & paludem emisgoe determinat. Diu ante *b. Anschar.* supra p. 349. inter pagos, super qvos CAROLUS M. An. 787. *Willehadum* Episcopum consecrari fecit, etiam *Riustri* recenset. Adhæc idem *Anschar.* de Mirac. S. Willehadi supra p. 359. inter sanatos ope hujus Sancti recenset seminam de *Upriustri*, & aliam de *Riustri* ex villa *Smalonstet*. Per *Riustri* autem heic intelligenda venit pars illa Comitatus Oldenburgensis, *Rustringia* dicta; Eam enim villam, parum mutato nomine, *Schmalenstet* in *Rustringiæ* Advocatia Goltzwarden adhuc supereste, recentissima Comitatus Oldenburgensis Mappa demonstrat. Ex omnibus hisce allatis non possum aliud colligere, qvam HARALDUM Danorum Regem & fratrem aut nepotem ejus *Roricum*, tacente licet aut nesciente *Remberto*, *tria* ad minimum *Beneficia* a LUDOVICO PIO accepisse, *unum* scilicet *Nordalbingicum*, de qvo *Rembertus* noster, & *duo* aut *plura Frisica*, inter qvæ *Riustri* & *Dorestadum*, de qvibus superius allegati *Scriptores Francici*. Postea, mortuo LUDOVICO, Rex HARALDUS a LOTHARIO An. 841. etiam obtinuit *Walacriam* insulam, qvam in *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 198. corrupte nominari *Gaula Crusalia*, putat *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 350. 408. 417. Conf. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 115.

(e) De emtione puerorum, conf. infra C. XIV. XXX. Sic S. Wenceslaus *Pueros* gentilium servituti genitos *emens*, fide Christi præditos dabat libertati, *Jordan* Orig. Slav. P. IV. p. 298. De *pueris Anglorum* olim Romæ venalibus, vid. *Vit. Greg. M.* & *Vit. Augustini* ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. I. p. 391. 405. 426. 504.

(f) Adam. Brem. p. 6. ita: *Biennio in regno Danorum commorati, multos ex gentibus ad christianam fidem converterunt.*

(g) An. 829. paschali tempore *Autbertus*, Anscharii Comes & alter Danorum per biennium Apostolus, probabiliter obiit. Si enim An. 826. sub exitum anni in Daniam venerint, ibiqve aliqvod tempus supra biennium in conversione Danorum consumserint, seqvitur, sub initium Anni prædicti 829. *Autbertum* morbo ingravescente Daniam reliqvisse.

Caput VIII.

Apoſtolatus Sveciæ.

Interim vero contigit, Legatos *Sveomum* (h) ad memoratum Principem veniſſe LUDOVICUM (i), qvi inter alia Legationis ſuæ mandata clementiſimo Cæſari innotuerunt (k), *eſſe multos in gente ſua, qvi Chriſtianæ Religionis cultum ſuſcipere deſiderarent*, Regis (l) *qvoqve ſui animum ad hoc ſatis benivolum* (m), *ut ibi ſacerdotes Dei eſſe permitteret, tantum ejus munificentia mererentur, ut eis prædicatores deſtinaret idoneos.* Qvod religioſismus audiens Imperator, plurimum exhilaratus, denuo qværere cœpit, qvos in illas partes dirigeret, qvi probarent, utrum populus ille ad credendum paratus eſſet, ſicuti *Miſſi* illi intimaverant, & cultum Religionis Chriſtianæ illis tradere inciperent. Unde factum eſt, ut iterum cum memorato *Abbate* (n) *Veſtro* Serenisſimus *Imperator* tractare cœperit, ſi qvem forte de ſuis *Monachis* invenire poſſet, qvi pro Chriſti nomine in illas partes ire vellet, aut certe, qvi cum HERIOLDO moraretur, & is, qvi cum eo erat, ſervus Dei *Anſcharius*, illam ſuſciperet Legationem. Qva de re contigit, ut regio juſſu abhinc ad Palatium vocaretur, eiqve denunciatum eſt, ne ſe tardaret (o), anteqvam ad præſentiam Imperatoris veniret. Vir autem Dei, ad qvid vocaretur, prænoſcens, cœpit toto cordis fervore in amore Dei exardeſcere, & omne gaudium exiſtimare, ſi lucrandis ſibi animabus liceret inſiſtere. Siqvid qvoqve in hujusmodi profectione contrarietatis ſive adverſitatis ei potuiſſet accidere, propoſuit animo patienter tolerare pro Chriſto, nihilqve dubietatis in corde pro tali gerebat opere; qvoniam viſionis divinæ, qvam ante præviderat, conſolabatur munere. Siqvidem tempore ſupradicto, cum apud Vos (p) moraretur, & jam duabus viſionibus cœlitus inſpiratus haberetur, qvadam nocte viſum eſt ei, qvod deveniſſet in qvandam domum, ubi plures ex ordine prædicatorum, ad prædicandi officium præparati, adſtabant, coram qvibus ſubito in exceſſu mentis raptus,

(h) *Sveones* ſunt, qvi Tacito *Sviones* dicuntur, Jornandi *Svethans* & *Svethidi*, Eginhardo & in Annalibus ac Diplomatis Francorum *Sveones*, ita & Adamo aliisqve, in Otheri Periplo *Sveon*, In Annal. Bertin. *Sveſſiones*, In Dipl. Canuti M. *Svavi*, aliis *Svevi*, Huntindonio *Suathedi*, Ælnotho Mon. *Suethi*, alias hodieqve *Sveci* & *Svedi*.

(i) An. 829. vernali tempore videntur *Legati Regis Svecorum* ad Imperatorem veniſſe. Fuit hæc *Legatio Svecica*, ut putat *Car. le Cointe* Annal. Franc. T. VIII. p. 79. in Franciam miſſa, omnium, qvarum veſtigium in Hiſtoriis ſupereſt, *antiqviſſima*. Qværant igitur *Arrhenius*, *Dalinus*, aliiqve, alia argumenta ac teſtimonia, qvam qvæ producunt, de initiis Religionis chriſtianæ in *Svecia* ante *Ludovicum Pium*, & de negotiationibus inter *Carolum M. Svecorum*qve *Reges*.

(k) *Innoteſcere* ubiqve ab Auctore active uſurpatur pro *notum facere, notificare*.

(l) Cap. ſeqv. Rex ille Sveonum nominatur *Bern.*

(m) Mirum omnino eſt, qvosdam Svecorum Scriptores dubitare ac fere negare, Legatos Svecicos in mandatis habuiſſe expetere ab Imperatore chriſtianæ fidei doctores; cum tamen hoc negotium mihi videatur qvaſi præcipuus ac primarius legationis eorum articulus, Remberto diſerte narrante, illos *inter alia Legationis ſuæ mandata* Cæſari notum feciſſe, *multos in gente ſua eſſe, chriſtianam religionem ſuſcipere deſiderantes, Regis qvoqve ſui animum ad permittendum ibi Sacerdotes benivolum; ex Cæſaris ergo munificentia poſtulare, ut eis Prædicatores idoneos mitteret.* Vix enim credi poteſt, Legatos *Regis ſui nomine* abuti auſos fuiſſe, ſi tanti momenti negotiationem ipſe eis in mandatis non dediſſet. Cetera vero eorum mandata ſine dubio negotia politica, ac forte diſſenſiones inter Reges Sveonum *Biornonem* & *Anundum* exortas, aut eas inter Jutorum Reges *Haraldum* & *Godefredi filios*, attigerunt. Conf. *Celſii* Hiſt. Eccl. p. 110.

(n) Erat *Walo*, Abbas Veteris Corbeiæ, tunc adhuc in Palatio Imperatori gratus, qvem ille anno ſeqventi 830. juſſit ad monaſterium redire, ut legitur in *Vita Ludovici Pii.*

(o) Sic Ego omnino legendum puto. Nonnulli legunt *traderet*, alii *raderet*, qvod mihi non placet; Hæ enim lectiones abbreviationi male a librariis lectæ debentur, vanasqve explicationes pariunt.

(p) *Monachos Corbeiæ veteris* heic, ut ſæpius, Rembertus adfatur.

raptus, videbat immenſi luminis claritatem ſuper ſolis radium, de cœlo emiſſam, ſe circumfulſiſſe; cumqve miraretur, qvid hoc eſſet, vox qvoqve pene ſimilis illi, qvam in prima viſione ſe audiſſe narraverat, facta eſt ad eum, dicens: Dimiſſum eſt peccatum tuum. Cui ille, divino, ut credimus, ſpiritu afflatus, reſpondit, dicens: *Domine, qvid vis, ut faciam?* & iterum vox ſonuit, dicens: *Vade, & annuncia Gentibus verbum Dei.* Hanc itaqve viſionem ſervus Dei pertractans animo, lætus gaudebat in Domino, videns jam ex parte completum, qvod ſibi imperatum fuerat, & ad majorem laboris ſui cumulum etiam *Sveonibus* verbum Dei annunciare cupiens.

Caput IX.

Iter in Sveciam.

Cum itaqve ante præſentiam Cæſaris adductus, interrogatus ab eo fuiſſet, utrum *Legationem* illam ſuſcipere vellet? libera voce reſpondit: ſe paratum ad omnia, qvæ illi pro Chriſti nomine ſua auctoritate decreviſſet injungere. Tunc, Dei ordinante providentia, ſocium illi ex Veſtra fraternitate venerabilis *Abbas* invenit, nomine *Withmarum* (q), tanto operi ſatis condignum & voluntarium. Porro cum HERIOLDO eſſe diſpoſuit Patrem devotiſſimum *Giſlemarum*, fide & operibus bonis probatum, atqve in Zelo Dei ferventiſſimum. Suſcepit itaqve Legationem ſibi a Cæſare injunctam, ut in partes iret *Sveonum* (r), & probaret, utrum populus ille ad cre-

(q) Nomen hujus Svecorum Apoſtoli varie ſcribitur, *Wimarus*, *Wimarius*, *Witmarus*, *Wichmarus*, & Adamo Bremenſi *Withmarus*. Fuerat ille una cum *Anschario* Rector Scholæ S. Petri in Monaſterio veteris Corbeiæ, vide ſupra Cap. IV. p. 435.

(r) Neſcio, qvid Svecorum qvosdam eruditos ad diſputandum permoverit, Anscharium, iturum in Sveciam, *per Daniam* non profectum fuiſſe. *Rembertus* enim, licet illud non expreſſe dicat, certe neqve rem negat, nec ad aliud credendum anſam dat. Cumqve *Anscharius* & ſocii, a piratis victi, ac qvaſi naufragium paſſi, ad littus qvoddam Sveciæ appulerint, (alias enim pedibus Bircam venire non poſſent,) ſeqvitur, iter illud in *Mari Baltico* fuiſſe. Hinc qværitur, unde eo veniſſent, niſi aut *Slesvico* aut ex alio qvodam *Danorum portu?* Præterea *Adamus*, qvi ſine omni dubio *Diarium ipſius Anscharii* inſpexerat, iter ejus Svecicum diſertis his verbis p. 6. Edit. Lindenbr. deſcribit: *Intrepidus athleta Chriſti Ansgarius, aſſumtis ſecum fratribus Gislemaro & Withmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam, ubi relinqvens Gislemarum HARALDO, ipſe cum Withmaro in Sveoniam transfretavit.* Nec video, cur *Anscharius* Daniam hac vice vitaret, longiusqve iter pro breviori eligeret, cum tamen & ipſe ſecunda vice *Sveciam* adiens, in *Daniam* primo profectus, a *littore Danorum* (Slesvicenſi) *transfretaverit in Sveoniam*, ut verbis *Adami* p. 8. utar, collatis cum *Remberti* Cap. XXIII. Incertus etiam ſum, an alius & commodior tunc temporis ex *Germania* in *Sveciam* per *mare Balticum* profecturis tranſitus fuerit, qvam ex *portu Danorum Slesvicenſi*. Hoc etiam *Adamus* p. 56. indicare videtur: *Ex qvo*, inqvit, *Portu* (Slesvicenſi) *naves emitti ſolent in Slavaniam, vel in Sveoniam, vel ad Semland, & usqve in Græciam.* Ex hoc portu *Ragembertus* Presbyter ab Ansgario in *Sveciam* circa An. 860. deſtinatus, eo trajeciſſet, ſi iter non abruptum fuiſſet, *Remberti* Cap. XXIX. Et niſi me omnia fallant, eadem via *per Daniam* An. 935. in *Sveciam*, perrexit *Unni* Archiepiſcopus, vid. *Adam. Brem.* p. 14. ubi expreſſis verbis de eo ſcribit: *Omnes Danorum inſulas* penetravit, deinde *veſtigia ſeqvutus* magni prædicatoris *Ansgarii, mare Balticum navigans*, gravi labore venit ad *Bircam*. Si ergo non hac, dic mihi, qvæſo, qva via *Anscharius* prima vice *Sveciam* peteret? an ex Rheno aut Weſera per mare Britannicum, Normannicum & fretum Balticum? qvod vix adducar ut credam; niſi per terras Slavorum malis, qvod tunc temporis nimis periculoſum foret. Nihilominus *Adamus* p. 19. nobis refert, ſuo ævo, præter portus *Slesvicenſem* & *Aldenburgenſem*, Mare Balticum navigantibus etiam *Julino* ſive potius ex *portu Jumnenſi* ſolvi potuiſſe; Verba Ejus ex Codice Seveliano adducam: *Ibi* (de Jumne loqvitur) *ad Semland provinciam, qvam poſſident Pruzzi, navigatur: Iter ejusmodi eſt, ut ab Hammaburg vel Albia flumine VII. die per terram ad Jumne pervenias civitatem, nam ſi per mare navim ingrederis, ab Sliaswig vel Aldinburg, ut pervenias Jumnem, ab ipſa urbe vela tendens XIV. die aſcendes ad Oſtragard Ruſziæ.* Satis audacter & ſine ulla veterum ſuffragio *Anscharii iter Sveticum* ſic deſcribit *Carolus le Cointe* Annal. Franc.

dendum paratus esset, sicut *Missi* supradicti innotuerant. In qva Legatione qvanta qvamqve gravia perpessus sit mala, melius ipse, qvi interfuit, prædictus *Withmarus* intimare poterit (s). Nobis hoc tantum narrasse sufficiat, qvod, dum in medio fere essent itinere, in piratas offenderunt. Et cum *negotiatores* (t), qvi cum eis ibant, se viriliter defenderint, & primo qvidem victoriam ceperint, in secundo tamen ab eisdem piratis devicti ac superati sunt, ita ut naves & omnia, qvæ habebant, eis tulerint (u), & ipsi vix pedibus, ad terram fugientes, evaserint. Ibi itaqve & munera Regia, qvæ illuc deferre debuerant, & omnia, qvæ habuerant, perdiderunt; excepto parvo, qvod forte profilientes e navi secum auferre & asportare poterant. Inter qvæ & pene *qvadraginta libros* (v), qvos ad servitium Dei sibi aggregaverant, illis diripientibus, amiserunt.

Caput X.

Annunciatio Evangelii in Svecia.

Hoc itaqve facto, cum qvidam reverti, qvidam in antea ire disponerent, Servus Dei a cœpto itinere nulla ratione flecti potuit, qvin potius in Dei ponens arbitrio, qvid illi contingeret, neqvaqvam redire disposuit, anteqvam nutu Dei dignosceret, utrum in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. Cum gravi itaqve difficultate pedibus hic per longissimam viam (x) incedentes, &, ubi ingruebat, interjacentia maria (y) navigio transeuntes, tandem ad *portum regni* ipsorum, qvi *Byrca* (z) dicitur, pervenerunt,

T. VIII. p. 80. "*Legati Sveonum*, cum Corbeienses Monachos in *Sveciam* secum ducerent, *Mosæ* fluvio „se commiserunt, ut secundo flumine deferrentur in oceanum, sed anteqvam oceanum ingrederentur, in „piratas inciderunt. Ideoqve, mutato consilio, non per *oceanum* & *Mare Balticum*, ut antea statuerunt, „sed per *Germaniam* & *Daniam* in Sveciam terrestri perrexerunt itinere, navigioqve transierunt interjacen„tia tantum maria seu freta, qvorum unum *Juriam* & *Fioniam*, alterum *Fioniam* & *Selandiam*, tertiam „*Selandiam* & *Scaniam* interjacet. Ad urbem Regiam, cui nomen *Byrca*, post multos labores tandem per„venerunt". Hoc autem iter terrestre nimis longum fuisset, eoqve tempore nimiis difficultatibus obnoxium. Conf. infra Cap. XXIII. Not. (y).

(s) Hinc liqvet, *Withmarum* adhuc vixisse, cum *Rembertus* Vitam *S. Anscharii* conscriberet.

(t) Ut tutiores a piratarum impetu itinera sua tam navalia qvam terrestria absolverent, *negotiatores* olim catervatim proficiscebantur, qvorum societati primi christianæ fidei doctores, ituri in terras ethnicorum, plerumqve accedebant. Nihilosecius in Mari Baltico, navigando e Dania in Sveciam, hac vice in manus piratarum inciderunt. De christianismi propagatione per *mercatores* promota, Vid. infra Cap. XXVII. XXIX.

(u) Pro *abstulerint*.

(v) Deploranda illa prima in Septentrione *Bibliotheculæ jactura*. Majus autem postea An. 845. damnum passus est Anscharius, *incendio Bibliothecæ Hamburgensis*, de qvo infra Cap. XIV.

(x) Crederem, illos ad littora Scaniæ aut Blekingiæ aut Ölandiæ adpulsos fuisse. Cumqve eo ævo Smalandia & Ostrogothia sine dubio inviæ meantibus fuerint, ingressi sunt illud per Westrogothiam iter pedestre, de qvo ita *Adam. Brem.* p. 62. *Si per terram eas a Scania per Gothorum populos, & civitatem Scaranem* (transfretando locum Wether & plures aqvas), *Telgas & Birkam, completo mense pervenies Sictonam.*

(y) Per *interjacentia maria* intelligenda sunt *Stagna*, *fluvii*, aliæqve *aqvæ*, viatores morantia, qvibus *Svecia* eo ævo abundabat, qvorum haud pauca successu temporum & hodie exsiccata sunt & in continentem mutata. Ea de causa ipse *Rembertus* Cap. XXII. *omnem Sveciam in insulis constitutam asserit.* Ex hisce argumentum iis nascitur, qvi *decrementum aqvarum* cum Ill. *Dalino* tuentur.

(z) Ex veteribus *Rembertus*, & post eum *Adamus Bremensis*, primi sunt & soli, qvi *Byrcam* sive *Bircam*, antiqvissimum Sveciæ Emporium, hoc nomine celebrem fecerunt. Ex his *Helmoldus*, *Albertus Stadensis*, *Ericus Olai*, *Krantzius*, *Zieglerus*, *Annalistæ* haud pauci; ceteriqve omnes, tam vetustiores qvam recentiores, domestici æqve ac exteri, sua, qvæ de *Birca* tradunt, nonnullis tamen aut mutatis, depromserunt. Dubium autem mihi est, unde *Saxoni Grammatico*, qvi nec *Rembertum* nec *Adamum* legisse videtur, anne ex solo

pervenerunt, ubi benigne a *Rege*, qvi BERN (a) vocabatur, suscepti sunt (b), *Missis* ejus referentibus, qva de causa advenerint. Cognita itaqve legatione eorum, & cum

solo rumore, loci nomen innotuerit; Ille p. 190. *Bircam, oppidum veteri fama inclytum*, nominat. De situ hujus loci, & an *Birca* certi alicujus oppidi nomen proprium fuerit, diu inter eruditos Svecorum disputatum est, vixqve hodie plane convenit. Eo minus mirandum est, *Andream Wellejum* nostratem, exterum & subsidiis nostri temporis destitutum [Not. ad Adam. L. I. c. 50.] in *situ Bircæ* determinando hæsitasse, qvod ei, ut crassam ignorantiam, ad ductum *Messenii*, exprobrant *Molmer* Disp. de Birca, *Arenius* de Fierdhund. p. 35. aliiqve, errantes ipsi & in nomine & in officio *Wellejî*. Ego ad eorum sententiam lubentissime inclino, qvi *Bircam* aut cum *Sigtuna veteri*, Forn-Sigtuna, eandem urbem autumant, aut minimum ejusdem qvasi propugnaculum, suburbium, emporium, portum mercatorum celebrem, Forborg, Forstad, Koping, Havn og Handels-Plads, fuisse, ac cum eadem in propinqvieri qvadam nexu stetisse. Ut sic *Birca* fuerit non tam nomen loci proprium, qvam potius appellativum, idem significans ac Dan. Borg, Germ. Burg, Angl. Sax. *Tun*, Byrig, Buth, Goth. *Baurgs*, Gr. πύργος, Lat. *Purgus, Burgus*, locus munitus & ad mercaturas secure agendas aptatus, unde Borger, Borgmester, Birk Birke-Ret &c. Non enim facile adducor ut credam, qvin locus ille, mercatui publico consecratus, a negotiatoribus habitatus, & a mercatoribus exteris freqventatus, munitione aliqva, ad tuendum tam commercia, qvam ipsam juxta situatam Civitatem, a primis piratarum incursibus cinctus vallatusqve fuerit. Lege interim, qvæ de voce *Birke* egregie commentatur Illustr. *Ihre* Glossar. p. 190. qvam vocem *Birk* sive *Biark* Hadorfius aliiqve sine omni veterum auctoritate *mercaturam*, Handel, denotare volunt. Cumqve ita *Sigtunæ suburbium*, forte simul cum ipsa civitate, olim in qvotidiana locutione, nomine *Bircæ*, ratione præcellentiæ, qvasi Staden, Borgen, Byrken, ab indigenis dicta sit, ab exteris facile creditum est, illud fuisse nomen loci proprium. Mirum alias mihi videtur, antiqvissimam Historiam, qvam nobis Islandi veteres reliqverunt, aut ante aut post conditam *Upsaliam*, nullam omnino *Bircæ*, sed ubiqve *Sigtunæ*; ut unici Svecorum ad Melerum lacum emporii, mentionem facere. Qvomodo enim accidere potuit, si *Birca* aliud & plane diversum a *Sigtuna* fuisset oppidum, notissimum simul & ditissimum, ut in eam, æqve ac Sigtunam, non offendissent piratæ principesqve advenæ & ceteri Meleram navigiis lustrantes. Et qvid causæ foret, veteres Scriptores nostros *Bircæ* non æqve ac *Sigtunæ* notitiam habituros, si non utraqve pro una eademqve, aliqvo modo combinata, civitate considerata fuisset. Audiamus descriptionem loci, qvalem nobis dederunt *Remberto*; cujus tempore Birca floruit, & *Adamus*, cujus ævo jam interierat: *Byrca* fuit (1) *Portus regni Sveonum*, Remb. c. X. Ad. L. II. c. 51. (2) *Vicus*, ubi multi habitabant *negotiatores divites*, Remb. c. XVI. XXV. (3) *Statio nutissima* in maritimis Sveoniæ regionibus, ad qvam commerciorum causa Danorum, Nordmannorum, Slavorum, Semborum, aliorumqve Scythiæ populorum naves conveniebant, Adam. L. II. c. 50. (4) *Piratarum excursionibus exposita*, Adam. L. II. c. 50. (5) *Oppidum Gotborum*, Ad. L. II. c. 50. 51. (6) *In medio Sveonum posita*, Ad. L. II. c. 50. & *contra civitatem Slavorum opposita respicit Jumnem*, de Situ Dan. p. 59. (7) *Ad Sinum freti Baltici* in boream vergentem [v: Melerum], Ad. L. II. c. 50. (8) A Scania tenso limite *Gothi habitant usqve ad Bircam*, postea regnant *Sveones*, item *Ostrogothia protenditur juxta mare Balticum usqve ad Birkam*, Ad. de Sit. Dan. p. 58. 60. Item Sveonia ab austro longitudinem habet Baltici maris, ibi est *civitas magna Sictona* pag. 61. (9) *A Scania navigantibus ad Bircam qvinqve dierum*, & *a Birca in Russiam iter qvinqve dierum*, Vet. Schol. 80. Sic Ad. de Sit. Dan. p. 62. a Scania per mare velificans, *qvinto die pervenies usqve Sictoniam* vel *Bircam*: Si per terram, *completo mense eo pervenies*. (10) *Estland non longe sita a Birca Svonum* Ad. de Sit. D. p. 59. (11) *Sictona & Birca juxta* sunt, Ad. de S. D. p. 62. (12) *Birca non longe distat a templo Upsala*, Ad. L. II. c. 50. Item *Sictona distat ab Upsala itinere unius diei*, Ad. de Sit. Dan. p. 62. Item *Upsala non longe posita a Sictona vel Birca* ib. p. 61. (13) *Bircæ residebant* Reges, *Biorn* An. 829. *Anundus* 850. & *Olaf* 858. Remb. c. X. XVI. XXIII. Ad. L. I. c. 26. (14) *In vico Byrca Placitum generale populi habitum* circa 858. mox *aliud Placitum* in *altera parte regni* celebratum, Remb. c. XXIV. Ad. L. I. c. 26. (15) *Birca Præfectum habuit Herigarium* Consiliarium Regis, Remb. c. X. XVI. (16) *Bircenses* circa 850. *obsessi* a Danis, Anundi auxiliaribus, confugiunt ad *Civitatem, qvæ juxta erat, non multo firmam*, ubi *multi Dii*, ubi *Ecclesia* constructa, Remb. c. XVI. ea forte, qvam *Gauzbertus* consensu Regis & populi 832. fabricaverat c. XIII. (17) *Birca floruit Anno* 936. qvo *Unni* ibi docuit ac obiit, Ad. L. I. c. 51. (18) *Birca Civitas* post med. Seculi XI. ab *Adelberto* Archiep. destinata in Metropolim earum gentium, Ad. de S. Dan. p. 59. (19) *Birca desolata erat, ut vestigia civitatis vix apparerent*, cum Adamus circa An. 1072. scripserit, Ad. de situ Dan. p. 62. Hactenus ex *Remberto* & *Adamo*. Prodeant jam pauca illa vestigia, qvæ de *Sigtuna* apud Scriptores septentrionales inveni: *Edda Proœm.* c. 2. Odinus Sveciam ingressus, ibi civitatem munitam [*Iorgarstad*, in qva voce forte *Bircæ* nomen latet] sibi elegit, qvæ jam *Sigtuna* vocatur. Sn. Sturl. T. I. p. 6. Odinus sedem sibi cepit ad *Logum* [v: Melerum], loco, qvi jam

vetus

cum ſuis de hujusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atqve conſenſu dedit eis licentiam ibi manendi, & Evangelium Chriſti ibi prædicandi; conceſſa libertate,

vetus Sigtuna [Forno Sigtuner] ibiqve *magno ſplendidoqve fano* exſtructo, ac *multa ſacrificia* inſtituit. Sn. Sturl. T. I. p. 40. 41. (circa Ann. 531.) *Sölvo* Regulus Jutiæ, poſtqvam in *Lofaund* (Løfoen, inſula Meleri) *Eyſteinum* Sveciæ Regem inopinantem concremaverat, *Sigtunam* pergit, regium nomen ſibi dari contendens; ibi, poſt undecim dierum conflictum, victoriam nactus, in Regem Svecorum aſſumitur. *Hiſt. Sorlii Robuſti* ap. Biörner p. 30. (Eodem Seculo VI. accidit) Thorerus, cæſo in Oreſunda a Sorlio Halfdano Rege Sveciæ, in Sveciam navigat, & *portum* intrat *prope arcem, ad qvam tunc regni metropolis erat*, nærri *borginni*, ſem tha var *hofudſtadur* i Sviaveldi. Poſtea Sorlius in eodem *portu* juxta *arcem capitalem* (hofutborginni) applicuit p. 34. Thorerus *arcis portas* & *civitatis muros* defendit, Sorliumqve oppugnantem recedere cogit p. 47. Hognius cum claſſe in *portum* revertitur *prope civitatem*, *arcemqve* (Borgen) intrat p. 50. In campo extra civitatem Sorlii exercitum Hognius vincit, cæſosqve *tumulis inferri* facit p. 58. Hæc, ſi modo non fabula narratur, vix de alia civitate alioqve burgo qvam *Birca* & *Sigtuna veteri* intelligi debent; Et forte *multi illi tumuli*, qvi hodieqve in inſula Biörkö viſuntur, *Arenius* de Fierdhund. p. 37. iidem ſunt, qvibus prædicti cæſi illati ſunt. *Orvar-Oddi Saga* p. 26. 27. 50. & *Hervarar-Saga* p. 72. (Seculo forte VII.) Hialmarus, in inſula Samſoa cæſus, in cantu ſuo cygneo *virginum Sigtunenſium* meminit, *Sigtunam* etiam, ut ſplendidiſſimum Sveciæ oppidum, funus eius cura Oddi deductum eſt. *Saxo Grammat.* p. 145. (Seculo VIII.) *Sigmundus ex Sigtun oppido* in prælio Bravallenſi Regi Sigurdo Ring militavit. *Fragm. Hiſt. Præl. Braval.* p. 24. duos *Sigtunenſium belli duces* recenſet, Sigmundum *Kaupungs Kapa* (i: oppidi athletam) & Tolafoſtrum. *Ol. Trygg. Sag.* T. II. p. 323. Poſt cæſum An. 1000. *Olaum Tryggonis*, *Sigurdus* Epiſcopus ejus cum *Olao* Rege Sveciæ in Sveciam ivit, & brevi poſt, ut ipſe teſtatur, *Sigtunæ* Regem multosqve homines baptizavit; poſt tres annos (circa 1003.) *Sigtunam* rediit, ubi tum multi divites convenerant, qvi veram fidem & baptismum deſiderabant. *Sn. Sturl.* T. I. p. 378. *Olafs Saga* in Verel. Not. ad Herv. S. p. 84. (circa An. 1007.) *Olaus* Princeps Norvegiæ juvenis, poſtea Rex & Sanctus, *Melerum* hoſtiliter ingreſſus, *utrumqve littus prædando devaſtavit*, *Sigtunam* appulit, & *ſtationem navium* habuit ad *veterem Sigtunam* (Forn-Sigtuna). *Sn. Sturl.* T. II. p. 2. (An. 1035.) *Magnus* S. Olavi filius, Norvegiam repetiturus, *Sigtunam* venit, ubi tum *aula Regis Anundi* erat. *Sn. Sturl.* T. II. p. 74. (An. 1045.) *Haraldus* S. Olavi frater, in patriam reverſurus, ex Oriente & Ruſſia rediens, *Sigtunam* navibus petiit, ubi in aula Regis Sveciæ *Svenonem* Regem Daniæ invenit. Si jam exterorum *Remberti* & *Adami* teſtimonia de *Birca* cum his noſtrorum de *Sigtuna* ſtricte conferantur, parum aut nihil inveniemus de una dictum, qvod non in alteram qvodammodo qvadrare poteſt, nihilqve contrariari ſententiæ de *Birca* & *Sigtuna* olim qvaſi *una eademqve civitate* cum ſuo ſuburbio & portu. Ex hisce omnibus adhuc conſideranda veniunt: (1) *Civitatem Remberti, juxta Bircam* poſitam, in qvam *Bircenſes* metu Danorum confugerunt, non aliam fuiſſe qvam *Sigtunam veterem*, niſi dicere velis, *Sigtunam novam* jam tum fundatam fuiſſe ac inhabitari cœptam, qvod vix credibile. Teſtatur qvidem *Hiſt. S. Olai* in Verel. Not. ad Herv. S. p. 59. qvod circa primordia chriſtianismi in Svecia *Reges deſierint Upſaliæ reſidere*; qvibus *Verelius* conjectura probabili addit: *ſedemque regiam Birkam & Sigtunam transtulere*, qvo etiam cives de rebus gravioribus deliberaturos convenire par erat. Sed hoc ſine dubio de *Sigtuna veteri* intelligi debet, & verum eſſe ex Remberto & Adamo concluditur. Progreſſu temporis tum Reges cum mercatores, in *veteri Sigtuna* & *Birca* habitantes, cum viderent ſe in inſulis Meleri prædonibus maritimis nimis obnoxios, paullatim cum rebus ſuis in alterum lacus Meleri littus ſeceſſiſſe videntur, unde demum *nova civitas* emergere cœpit, qvæ initio Seculi XI, *Olavo Sancto* Melerum infeſtante, jam una cum *veteri* extitiſſe perhibetur. Qværitur vero, an eadem invaſione vaſtata ſit *Birca* & *Sigtuna vetus?* qvod qvidem, cum nulla aptior huic occaſio in Hiſtoria occurrat, probabile eſt, licet idoneis argumentis ac veterum teſtimoniis non ſatis probatum; neqve enim *Hiſtoria S. Olai*, nec *Snor. Sturlæus*, imo nec longe recentior *Ericus Olai* illud expreſſe dicunt. Ex propoſito etiam *Adelberti* Archiep. Brem. inter An. 1060. & 1070. erigendi *Birkam* in Metropolim ſive Sedem Archiepiſcopalem, *Adam.* de Sit. Dan. p. 59. dubium formari poteſt; videtur enim eo tempore *Birca* aut adhuc extitiſſe aut aliqvomodo reſurrexiſſe, & paulo poſt, anteqvam *Adamus* ſcriberet, caſu aliqvo nobis jam ignoto interiiſſe. Credi etiam poteſt, *Bircam* & *Sigtunam veterem*, ſi non unico caſu infortunato, pedetentim & prout veteres coloni alio migrarunt, defeciſſe & tandem in nihilum redactam eſſe. (2) *Melerum lacum iis ſeculis limites conſtituiſſe inter Gothiam & Sveciam* propie ſic dictam, *inſulasqve Meleri*, in qvibus *Birca* & *Sigtuna vetus* una cum Sudermannia pertinuiſſe ad *Oſtrogothiam*; qvam limitationem obſervavit *Adalbertus* Brem. Archiep. qvando *Adalwardum* & *Tadicum*, unum poſt alterum, *Svecorum Epiſcopos* ordinavit, qvorum Sedes *Sigtuna nova* eſſet, ſed poſtea *Upſaliam* translata: *Hiltinum* autem ſive *Johannem* circa eadem tempora *Epiſcopum* ſ. Metropolitanum *Bircenſem* conſtituit, qvi ſedem in civitate *Birca* ſive *Sigtuna veteri* haberet & proprie *Oſtrogothorum Epiſcopus* eſſet, unde poſtea Sedes Epiſcopalis *Lincopiam* translata, conf. *Adam.* p. 55. 59. cum *Subſcriptionibus Epiſcoporum* ad Rem-

berti

tate, ut qvicunqve vellent, eorum doctrinam expeterent. Itaqve alacri corde Servi Dei videntes, prospere sibi ea, qvæ optaverant, succesisse, populis ibi constitutis

berti Vitam, Staphorst T. I. p. 273. (3) per *Sigtunam*, qvoties nomen illud & apud *Adamum*, & apud *Sturlæum* post invasionem S. Olai, occurrit, significari *Sigtunam novam*, qvæ eo seculo florere cœperat, sed ante Seculum XI. & forte Seculo IX. primordia sua sumserat, postqvam scil. Reges in *Sigtuna veteri* & *Birca* sedem fixerant, ibiqve non tuti satis residebant. Ubi demum verus *Sigtunæ veteris* aut *Birca* situs qværendus sit, in *insula Biorkö*, qvæ adhuc magnæ alicujus dirutæ civitatis signa & vestigia monstrat? an propius ad *hodiernam Sigtunam?* aliis disceptandum relinqvo; huic enim rei dijudicandæ accuratissima distantiæ, situs & mensuræ locorum notitia ocularisqve inspectio necessaria erat. Inqvirendum etiam, ubi inter insulas Meleri *commodissimus* olim ac *tutissimus portus* esse potuerit. Cujus locus si ad insulam *Biorkö* inveniatur, siqve ipsa insula, ad capiendam simul civitatem *Sigtunam veterem* cum castello aut suburbio suo *Birca*, spatiosa satis censeatur, facile credam, ibi sitam fuisse & *Bircam* & forte *Sigtunam veterem*, donec alium ac indubitatum *Sigtunæ veteris* situm aliqvis demonstraverit. De insula *Biorkö* adhuc notandum, eam potius, ut puto, nomen obtinuisse a *Birca* sive *Burgo* in illa olim sito, qvam a *silva Betulina*, sic & ab eadem *Birca* sinus insulam circumfluentes *aqvilonalem* & *australem* Biærkfiærden denominatos. Delineationem *Insulæ Biorkö ruderumqve*, qvæ ibi cernuntur, publicarunt Comes *Dahlbergius* in Svecia Antiqva, & *Gripenhielmius* ad Legem Bircensem *Haderpleii*, in cujus præfatione eorundem accurata descriptio legitur. Conferantur, qvæ de *Birca* commentati sunt, *Arenius* de Fierdhundria p. 36. *Salvius* Descript. Upland. p. 210. *Wilde* Annot. ad Puffend. T. II. p. 425. sqq. *Bring* de Orig. Urb. Ant. p. 16. *Dalin* T. I. p. 255. 618. 622. *Celsius* Hist. Eccl. p. 101. sqq. *Wallin* Sigtuna Stans & Cad. p. 214. sqq.

(a) Idem nomen est ac *Biorn*, apud Septentrionales & olim & hodie usitatissimum, qvod a nonnullis latine *Bero* redditur. Plures Seculo IX. & X. hujus nominis in Svecia Reges Regumqve filios fuisse, certum est. Qvisnam autem eorum hic, qvem Rembertus nominat, *Biorno* fuerit, varie eruditi disceptarunt. Illustr. *Dalinus*, qvi in Chronologia Regum Seculi IX. nimium hallucinatus videtur, T. I. p. 469. hunc *Bern* sive *Biornonem* artificiose fabricavit ex *Eistcino Beli*, Haraldi Hyldetani filio, qvem Conregem Sigurdi Ringii facit, qvemqve ante Seculum IX. vixisse necesse est. *Örnhielmius* Hist. Eccl. p. 9. eum *Beronem Tertium* nominat & p. 94. regnasse Annos 60. putat. Alii *Biornonem Jernside* Regneri Lodbrokii filium malunt, qvi vero diu an Anscharii adventum mortuus sit. Alii alium fingunt. Mihi autem verosimillima videtur *Jac. Wildii* sententia, qvam etiam Rev. *Celsius* Hist. Eccl. p. 108. amplexus est, Regem scil. illum, qvem Anscharius, primo veniens in Sveciam, An. 829. regnantem invenit, fuisse *Biornonem Haugensem*, cujus ex fratre *Erico Upsalensi* nepos & Conrex *Anundus* sive *Emund* paulo post eadem tempora e regno expulsus fuit, sed Danorum ope postea restitutus. Hujus *Biornonis* filium puto fuisse *Olaum* illum Sveciæ Regem, qvi Bircæ resedit, qvando Anscharius secunda vice circa 858. in Sveciam redierit. Ut autem *Genealogia Regum Sveciæ*, qvi Seculis IX. & X. a Regnero Lodbrok ad Olaum Skotkoning regnarunt, evidentior fiat, seqvens Schema, qvalem ego genealogiam ex vetusta Serie *Langfedgatal*, ex Cap. XX. *Herv. Sagæ*, ex *Snorr. Sturlæo*, & ex *Wildio* recentiorum accuratissimo, concipio, adponere libet:

1. *Ragnarus Lodbrok*, mortuus circa 794.

2. *Biorno Jernside*, ob. ante 815.

	3. *Ericus I.* brevi regnavit, imperium fratris filio relinqvens	*Refil*, Rex maritimus, mortuus forte ante fratrem
NB. nonne hic Biörno fuit minor filius Refilli? & frater Erici.	*Biorno*, puer admodum moriente patre, ipse aut in exteris, aut juvenis & ad imperium non admissus mortuus videtur.	4. *Ericus II.* circa 817. improlis videtur obiisse circa 826. imperium patruelis filiis relinqvens, ex qvibus duæ lineæ Regales non tam alternatim qvam conjunctim regno præfuerunt.

5. ERICUS III. Upsalensis, pater Regum Upsaliæ residentium, & forte ille, qvem in numerum Deorum retulere Remb. Cap. XXIII. haud diu vixisse videtur.	6. BIORNO Haugensis, pater Regum Bircæ sive in Sigtuna veteri residentium, vixit 829. ad primum Anscharii adventum Remb. Cap. X.
7. ANUNDUS, f. EMUND, vix. 840. regno pulsus, Danorum auxilio 850. restitutus, Conrex patrui.	8. OLAVUS 858. ad secundum Anscharii adventum, videtur ideo Biörnonis filius fuisse, qvod Bircæ sedem habuit, Remb. Cap. XXIII. XXVI. Hujus forte filius aut potius nepos fuit
9. *Ericus IV.* circa 860. etiam *Upsalensis* dictus.	*Ring*, qvi Bircæ floruit, adveniente Unmone circa 935. Ad. Brem. L. I. c. 51. NB. Inter hunc & Olavum forte interponendi *Amund* & *Biorn*, de qvibus Adamus ibid.
Biorno, vixit 880. regnavit annos 50.	*Ericus* & *Emund*, Reges Bircenses post 936. Adam. Brem. L. I. c. 51.
Olavus An. 932-964. *Styrbiorn.*	*Ericus Segersæl*, infans Rex factus, ob. circa 994. *Olavus Skotkoning.*

verbum ſalutis annunciare cœperunt. Plures qvoqve erant, qvi eorum Legationi favebant, & doctrinam Domini libenter audiebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur chriſtiani, qvi gaudebant, jam tandem ſe myſteriis divinis poſſe participare. Probatumqve eſt, ita omnia veraciter conſtare, ſicuti *Miſſi* ipſorum Serenisſimo *Cæſari* innotuerant, & *baptismi* gratiam nonnulli devote expetebant. Inter qvos etiam Præfectus vici ipſius & Conſiliarius Regis, admodum illi amabilis, *Herigarius* (c) nomine, ſacri *baptismatis* donum ſuſcepit, atqve in fide catholica firmisſimus extitit. Ipſe namqve in hæreditate ſua non multo poſt *Eccleſiam* ( ) fabricavit, & in Dei ſervitio ſemet ipſum religioſisſime exercuit. Hujus viri diverſa extant præclara inſignia, & ejus invictæ fidei multa probantur indicia, qvæ in ſeqventibus evidentius exponemus.

Caput XI.

Archiepiſcopatus Hamburgenſis.

Peracto itaqve apud eos *altero dimidio anno* (e), præfati Servi Dei, cum certo ſuæ Legationis experimento, & cum *literis regia manu more ipſorum deformatis* (f), ad

(b) Ex hac benigna Legatorum ſacrorum ſuſceptione & conſecuta actutum prædicandi licentia, aliud colligi non poteſt, qvam ad Regis *Biornonis* deſiderium & ex ejus mandato eos in Sveciam ad Religionis chriſtianæ propagationem accerſitos fuiſſe.

(c) Ex hoc nomine *Arrhenius* in marg. *Ericum* facit. *Peringſkiöldius* Mon. Uller. p. 66. eum *Heriker* appellat, *Dalinus* autem T. I. p. 485. *Hergeir*, qvod ſine dubio verum viri nomen domeſticum fuit, utpote apud Septentrionales olim uſitatum. Illuſtris hujus viri etiam mentio fit infra Cap. XVI. XVIII.

(d) Hanc omnium *primam in Svecia ædificatam Eccleſiam* eam eſſe putant, qvæ adhuc in inſula Meleri *Munsö* ſupereſt; ſtructura enim ejus præ ceteris Sveciæ templis præcipuam præ ſe fert antiqvitatem, formam, qvalem Romanorum amphitheatra, ſervans rotundam; *Peringſk.* Mon. Upl. p. 66. *Arenius* de Fierdhundria p. 21. Sed hæc mera eſt conjectura. Incertum vero eſt, anne hæc eadem Eccleſia fuerit, qvam *Rembertus* paulo infra Cap. XIII. a *Gautberto* fabricatam narrat. Credibile tamen eſt, duas ac diverſas fuiſſe. *Herigarii* etiam *Eccleſia* Cap. XVI. nominatur.

(e) Male *Rembertum* intellexit accuratisſimus alias *Carolus le Cointe* Annal. T. VIII. p. 114. dum *Anscherium* cum ſocio, poſtqvam *Sveones* primis chriſtianæ fidei rudimentis per *ſex poſteriores menſes* Anni 829. inſtruxiſſent, ad LUDOVICUM Aqvisgrani commorantem ineunte Anno 830. rediiſſe, ac in eodem Conventu ordinatum eſſe primum Hamburgenſem Archiepiſcopum tradit. Conf. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 250. Aliqvanto melius *Adamus Brem.* p. 6. *annum integrum* huic legationi Sveciæ tribuit. Verba autem Remberti (*altero dimidio anno*) nec de *dimidio anno* nec de *toto anno*, ſed de *uno integro anno cum dimidio*, neceſſario intelligenda ſunt, ita ut *Anscharius*, qvi in æſtate Anni 829. in *Sveciam* venerit, ibiqve toto Anno 830. permanſerit, demum ineunte Anno 831. ad *Imperatorem* reverſus ſit. Ille tum, ut tenent *Annales Bertiniani*, *Aqvisgrani* initio Februarii *generale Placitum* habuit, in qvo deliberatum & decretum eſſe credo de *erigendo Hamburgenſi Epiſcopatu.* Conſecrationem etiam *Anscharii* non alio anno, qvam hoc 831. factam eſſe poſſe, rectisſime & ſolidisſimis argumentis probavit *Lambecius* Auctar. Rer. Hamb. ap. Lindenbr. p. 102. In loco autem & tempore hujus conſecrationis ſine dubio fallitur doctisſimus ille vir, dum eam ſub principium autumni in *Theodonis villa* in Conventu Imperii factam eſſe contendit. Cum vero non *initio autumni*, ſed *menſe Novembri*, ut docent Ludovici Diplomata, habitus ſit *Conventus Theodonisvillenſis*, ideoqve reliqvum anni ad *Gautberti* electionem, conſecrationem & miſſionem in Sveciam, uti & ad iter *Anscharii* Romanum perficiendum, non ſuffeciſſe videatur, mallem *conſecrationem Anscharii* ad *generalem illum Conventum* retrahere, qvem Imperator, *menſe Majo* & forte *initio Junii* ejusdem anni 831. *Ingelheimii* celebravit, de qvo ex coævis mentionem facit *le Cointe* Annal. T. VIII. p. 180. 181. Qvo modo de inauguratione & *Anscharii* & *Gautberti*, deqve utriusqve longinqvo itinere hoc anno 831. abſoluto, omnia recte conſtabunt. Per hæc autem duo *Placita*, *Aqvisgranenſe* ſcil. & *Ingelheimenſe*, intelligendos puto, paulo infra hoc eodem Capite nominatos, *Synodi Conventum* & *Conventum Imperii.*

(f) Habemus hic, in *literis manu Regis Biornonis more Sveonum deformatis*, optimum & indubitatum de *Scriptura* & ſine omni dubio *Literarum Runicarum* in ſeptentrione ante chriſtianismum uſu teſtimonium. Qvod contra incredulos qvosdam recte obſervarunt viri eruditi, *Er. Benzel.* Utkaſt til Sv. Hiſt. p. 55. *Dalinus* Hiſt.

ad Serenisſimum reverſi ſunt *Auguſtum.* Qvi honorifice & cum maxima pietatis benevolentia ab eo ſuſcepti, narraverunt ei, qvanta Dominus ſecum egerit, & qvod oſtium fidei in illis partibus ad vocationem gentium patefactum fuerit. Hoc itaqve devotisſimus audiens *Imperator*, immenſo lætificabatur gaudio, pariterqve recolens, qvæ *jam olim apud Danos* circa Dei cultum concepta fuerant, & laudes ac gratias omnipotenti Deo referens, ardore fidei ſuccenſus, qværere cœpit, qvomodo in *partibus Aqvilonis*, in fine videlicet Imperii ſui, *Sedem* conſtituere poſſet *Epiſcopalem*, unde congruum eſſet *Epiſcopo* ibi conſiſtenti, cauſa prædicationis illas freqventius adire partes, & unde etiam omnes illæ *barbaræ nationes* facilius uberiusqve capere valerent divini myſterii ſacramenta. Cum itaqve pro hujusmodi ſollicitudine cura vigilanti inſtaret, qvibusdam fidelibus ſuis referentibus, ei innotuit, qvod, qvando glorioſæ memoriæ Pater ſuus *CAROLUS Auguſtus* omnem *Saxoniam* ferro perdomitam, & jugo Chriſti ſubditam, per *Epiſcopatus* (g) diviſit, *ultimam partem* ipſius *Provinciæ* (h), qvæ erat *in Aqvilone ultra Albiam*, nemini Epiſcoporum tuendam commiſit, ſed ad hoc reſervare decrevit, ut ibi *Archiepiſcopalem* conſtitueret *ſedem*, ex qva, Domini gratia tribuente, etiam ſucceſſio fidei Chriſtianæ in *exteras* proficeret *nationes*. Qva de re *primitivam* etiam *ibi Eccleſiam* (i) per qvendam Epiſcopum Galliæ, *Amalharium* nomine, conſecrari fecit. Poſtea qvoqve ipſam *Parrochiam* (k) cuidam Presbytero, *Heridac* nomine, ſpecialiter gubernandam commiſit, nec omnino voluit, ut vicini Epiſcopi aliqvid poteſtatis ſuper eum locum haberent. Qvem etiam Presbyterum

Hiſt. Sv. T. I. p. 232. 486. *Lagerbringius* Hiſt. Sv. T. I. p. 449. *Broeman* ad Ingv. Sag. p. 76. Conf. *Celſii* Hiſt. Eccl. Sv. p. 119. Magnum hisce *Remberti* verbis robur addit *Alphabetum* illud vetus & vere *Runicum*, qvod *Hrabanus Maurus* ejusdem Seculi IX. Scriptor nobis conſervavit, vid. *Goldaſti* Scriptor. Alemann. T. II. p. 69. Verba *Hrabani* digna ſunt, qvæ heic repetantur: *Litteras, qvas utuntur Marcomanni, qvos nos NORDMANNOS vocamus, infraſcriptas habemus, a qvibus originem, qvi Theodiſcam loqvuntur lingvam, trahunt: Cum qvibus carmina ſua incantationesqve ac divinationes ſignificare procurant, qvi adhuc paganis ritibus involvuntur.* Eadem verba & maximam partem ipſius Alphabeti ex antiqviſſima membrana, tamen ſine mentione *Hrabani*, excerpſit *Wolfg. Lazius* de Migr. Gent. p. m. 514. qverens, ceteras literas in eodem antiqvo Codice deſiderari & ob nimiam vetuſtatem legi non poſſe. Facile erat *Hrabano*, aut ab ipſo *Anſchario*, aut ab aliis, qvi eo ſeculo ex Septentrione noſtro venientes freqventer aulam Imperatoris adibant, tale Alphabetum adipiſci. Per *Marcomannos*, qvo nomine Helmoldus aliiqve Scriptores alios ac diverſos populos deſignant, Hrabanus *Nordmannos* intelligit. Per *Nordmannos* autem *Eginhardus* & optimi ejus ævi Auctores nullos alios ſignificari volunt, qvam *Danos & Septentrionis noſtri populos*, qvibus originem debent *Franci iiqve qvi lingvam Theodiſcam loqvuntur*, ut docent heic *Hrabanus*, & ante eum *Erm. Nigellus* ſupra inſertus p. 400.

(g) Qvod CAROLUS M. *Saxoniam* in Epiſcopatus diviſerit, ex hoc *Remberti* teſtimonio indubie monſtratur. Qvando autem & qvo modo hoc factum eſt; nondum convenit inter Hiſtoricos. Ad tale qvid forte reſpicit *Auctor Chronici Moiſſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 138. ad An. 780. ita ſcribens: *Et diviſit ipſam patriam* (Saxoniam) *inter Epiſcopos, Presbyteros & Abbates, ut in ea habitarent, & prædicarent.* Conf. *Fragm. Annal.* ibid. T. II. p. 22. *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 4. *Eckart* Rer. Franc. T. I. p. 622. 781. T. II. p. 23-29. *Car. le Cointe* T. VI. p. 176. 548.

(h) Ultima pars *Saxoniæ* ad aqvilonem & ultra *Albiam* plerisqve vetuſtis auctoribus dicebatur *Nordalbingia* ſeu *Saxonia Transalbina*; Eginhardo *Transalbiana Saxonum Regio*, Alberto Stadenſi *Transalbia*, tres regiones *Holſatiam*, *Stormariam* & *Ditmarſiam* complectens. Hinc *Adam. Brem.* Edit. Lind. p. 18. „*Transalbianorum Saxonum* tres ſunt populi: Primi ad oceanum *Thiasmarsgoi*: Secundi *Holtzati* dicti a ſylvis qvas accolunt: Tertii, qvi & nobiliores, *Sturmarii* dicuntur.

(i) An. 811. *Carolus M.* primum *Hamburgi* in honorem Chriſti & matris ejus Mariæ exſtructum Templum per *Amalarium* Archiepiſcopum Trevirenſem conſecrari fecit, Vid. *Lambecii* Orig. Hamb. ap. Lindenbr. P. I. p. 3. & ſubjunctam Chronolog. p. 99. *Staphorſt* T. I. p. 14. Conf. *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 5. & *Præceptum Lud. Pii* ap. Staphorſt T. I. p. 27.

(k) Scil. *Hamburgenſem.*

rum conſecrari diſpoſuerat *Epiſcopum* (l), ſed velocior ejus de hac luce tranſitus, hoc ne fieret, impedivit. Poſt obitum itaqve tantæ memoriæ *Auguſti*, filio ejus ſupradicto, videlicet Imperatore LUDOVICO, in ſede regni ejus collocato, ſuggerentibus qvibusdam, *partem illam Provinciæ, qvæ ultra Albiam erat*, in duo diviſit, & *duobus vicinis Epiſcopis* (m) interim commendavit. Non enim ſatis attendit Patris ſui ſuper hoc conſtitutionem, aut certe omnimodis ignoravit (n). Iſta vero facta occaſione, qva jam fides Chriſti in partibus *Danorum* atqve *Sveonum* per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito Patris ſui voto, ne qvid ejus ſtudii imperfectum remaneret, una cum conſenſu Epiſcoporum ac plurimo *Synodi conventu* (o), in præfata ultima *Saxoniæ* regione *trans Albiam*, in civitate *Hammaburg*, *Sedem* conſtituit *Archiepiſcopalem*, cui ſubjaceret univerſa *Nordalbingorum Eccleſia*, & ad qvam pertineret *omnium Regionum Aqvilonalium* poteſtas, ad conſtituendos Epiſcopos ſive Presbyteros, in illas partes pro Chriſti nomine deſtinandos. Ad hanc ergo Sedem Dominum & Patrem noſtrum ſanctiſſimum *Anſcharium* prædictus *Imperator* ſolemniter conſecrari fecit *Archiepiſcopum* per manus *Drogonis* Metenſis Præſulis & ſummæ ſanctæqve Palatinæ dignitatis tunc Archicapellani, aſtantibus Archiepiſcopis, *Ebbone* Remenſi, *Hetti* Treverenſi, & *Otgario* Maguntiacenſi, una cum pluribus aliis in *Conventu* (p) *Imperii* Præſulibus congregatis, aſſiſtentibus qvoqve & conſentientibus ac pariter conſecrantibus *Hilingaudo* (q) & *Wilderico* (r) Epiſcopis, a qvibus jam dictas Parrochiæ illius partes commendatas receperat (s). Et qvia *Diœceſis* illa in periculoſis fuerat locis conſtituta, ne propter *Barbarorum* imminentem ſævitiam aliqvo modo deperiret, & qvia omnimodis parva erat, qvandam cellam in Gallia, *Turholt* (t) vocatam, ad eandem Sedem perpetuo ſervituram, ejus Legationi tradidit (*).

Ca-

(l) *Heridagus* ergo non, ut veteris Chronici Holſ. Auctor aliiqve perhibent, fuit *Epiſcopus*, ſed tantum *Presbyter novæ Eccleſiæ Hamburgenſis*, deſtinatus tamen in Epiſcopum, niſi mors ordinationem ejus prævertiſſet, *Ludov. Pii* præceptum de Anno 834. Conf. *Cointe* Annal. Eccl. Franc. T. VII. p. 210. 325.

(m) Scil. *Bremenſi* & *Ferdenſi*, priori forte *Ditmarſiam*, poſteriori *Holſatiam & Stormariam* commendavit. Vid. *Staphorſt* T. I. p. 18.

(n) *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 6. ita: *Lotharius voluntatem patris oblitus provinciam Transalbinam Bremenſi & Ferdenſi Epiſcopis commendavit.* Imo ipſe LUDOVICUS Imp. in Præcepto ſuo An. 834. dato, *ſe patris ſui ſtudium minus caute attendiſſe*, profitetur.

(o) Per hunc *Synodi Conventum* intelligendum puto *Aqvisgranenſem Conventum*, qvem An. 831. initio Februarii *Imperator* habuit, de qvo paulo ſupra lege Not. (e). Fallitur *Gvaldus* Cap. XXVIII. & male in verba *Remberti* intendit, dum *Synodum* eam *Hamburgi* convocatam ſcribit.

(p) Per hunc *Conventum Imperii*, in qvo Anscharius conſecratus eſt, intelligo *Ingelheimenſem* illum, qvem An. 831. circa initium Junii Ludovicus Imp. celebravit, de qvo lege paulo ſupra Not. (e).

(q) *Helingaudus* erat Verdenſis Epiſcopus ab An. 829. Vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 244. An. 838. adfuit in Comitiis Noviomagenſibus, ibid. p. 309.

(r) *Willerici* Bremenſis Epiſcopi elogium vid. ap. *Adamum Brem.* edit. Lind. p. 7. Ille An. 837. in Conventu Aqvisgranenſi præſens erat, *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 299.

(s) Qvæ toto hoc Capite tradita ſunt, partim ad verbum deſumta ſunt ex ipſius *Ludovici* Diplomate Fundationis, An. 834. dato, qvod legitur apud *Staphorſt.* T. I. p. 26. & multis aliis locis.

(t) Si qvando perſecutione Barbarorum impeditus eſt *Anscharius* a ſtudio prædicandi, apud *Turholt* cum diſcipulis ſuis ſe retinuit, teſte *Adamo* p. 6. & infra p. 7. Sæpe etiam monaſterium Galliæ, qvod dono Cæſaris poſſedit, *Turholt*, viſitans, fratribus ibidem Deo militantibus ſalutaris regulæ tramitem verbo exemploqve monſtravit: In qvorum nobili contubernio jam tum a puero ſanctus effulſit *Rembertus*. De ſitu hujus Cellæ ſive Monaſterioli *Turholt*, Archiepiſcopo Hamburgenſi loco refugii ab Imperatore conceſſi, inter Scriptores non plane convenit. Videntur tamen haud difficulter conciliari poſſe. In *Vitis Anscharii* Cap. XI. & *Remberti* Cap. III. dicitur Cella *Turholt* in *Gallia* ſita. In Dipl. *Nicolai* Papæ An. 858. in *occidentali Francia*. *Adamus* p. 6. 7. eam promiſcue *Cellam* & *Monaſterium Galliæ* vocat, vetus autem ejus *Scholiaſtes* 5. & 6. *Thurholtz Monaſterium Flandriæ* appellat. *Henſchenius* Turholtum in Flandriæ pago ſive Comitatu Turholtano

Caput XII.

Legatio ad gentes Septentrionales.

Et ut hæc omnia perpetuum ſuæ ſtabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad Sedem direxit Apoſtolicam, & per Miſſos ſuos venerabiles, *Bernoldum* & *Ratoldum* (u) Epiſcopos, ac *Geroldum* (v) Illuſtriſſimum Comitem, omnem hanc rationem ſanctiſſimo Papæ *Gregorio* intimari fecit confirmandam. Qvod etiam ipſe tam *Decreti* (x) ſui auctoritate, qvam etiam *Pallii* (y) datione, more prædeceſſorum ſuorum roboravit, atqve ipſum, in præſentia conſtitutum, *Legatum* in omnibus circumqvaqve gentibus *Sveonum*, ſive *Danorum* (z), nec non etiam *Slavorum* (a), alia-

rumqve

Turholtano collocat, in qvo & aliud Monaſterium Rokashemum ſ. Roxem haud longe ab hoc diſitum erat. *Mabillonio* Act. SS. Bened. T. VI. p. 473. *Turholtum in Flandria prope Brugas, Remberti natalis ſedes*, & p. 88. *nunc oppidum Turholtani Comitatus caput, Flandriæ contiguum. Turholtum* ad *Tornacenſem* dioeceſim olim pertinebat, hodie ad *Burgenſem*, inqvit *Carolus le Cointe* Annal. Franc. T. VIII. p. 115. Plura de *Turholto* legi poſſunt in *Ott. Sperlingii* Not. ad Adamum ap. Weſtphal. T. II. p. 667. *Celſii* Hiſt. Eccl. Svec. p. 130. Singularis & nulla auctoritate niſa de *Turholti* nominis origine opinio, a *Torildo* ſcilicet, Judice qvodam Jutiæ vetuſto, legitur in *Wolfii* Encom. Regni Dan. p. 10. In hac Cella *Turholt* S. Anſcharius pueros qvosdam, partim ex gente *Danorum* & *Slavorum* emtos, partim ex captivitate redemtos, ad ſervitium Dei enutriendos poſuit, vid. infra Cap. XIV. XXX. Poſt annum autem 840. mortuo *Ludovico Pio*, Rex *Carolus* ipſam Cellam S. Anſchario & Sedi Hamburgenſi abſtulit, vid. Cap. XV. XVIII. XX. *Turholtenſe Monaſterium* jam Seculo Septimo floruit, ejus primordia S. Amando tribuitur, vid. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. II. p. 402. ſq.

(*) *Ad ſupplementum Legationis ſuæ*, inqvit Adamus Br. p. 6.

(u) *Bernoldus* erat Argentoratenſis, & *Ratoldus* Svesſionenſis Epiſcopus, Car. *le Cointe* Annal. Franc. T. VIII. p. 115. Nominantur ambo in Bulla Gegorii IV. ap. *Staphorſt* T. I. p. 32.

(v) Hujus *Geroldi* fit mentio in *Annal. Eginhardi* & *Fuldenſ.* ad An. 826. Conf. Adelm. ap. Freher. ad An. 815. p. 416.

(x) Decretum *Gregorii IV.* de confirmatione *Anſcharii* datum, ut puto, An. 832. legitur ap. *Staphorſt* T. I. p. 31. *Lindenbrogium*, aliosqve.

(y) De *Pallio* vide infra Cap. XX.

(z) Qvum ea, qvæ hic & in præcedenti Capite *Rembertus* narrat, ex ipſis LUDOVICI PII & *Gregorii IV.* Diplomatibus, qvæ adhuc ipſius *Remberti* tempore procul omni dubio pura & incorrupta fuere, deſumſerit, nullaqve heic de aliis qvam *Danorum*, *Sveonum* atqve *Slavorum* gentibus mentio fiat, dubitare amplius non debemus, qvin additio illa (*Norweborum*, *Farriæ*, *Gronlandon*, *Halſingalandon*, *Islandon*, *Scridevindon*) qvæ in nonnullis prædictorum Diplomatum editis exemplaribus & in Cap. I. Vitæ S. Remberti comparet, recentiori ævo ſit addita & a rudi ignaroqve librario interpolata; tempore enim S. Anſcharii & Remberti fama inventæ *Islandiæ* & *Grönlandiæ* vix ad Germaniam penetraverat, & tempore *Ludovici Pii* & *Gregorii IV.* illæ inſulæ nondum detectæ erant. Interpolationem eam factam credo ſub ſuperbo illo Archiepiſcopo Bremenſi *Adelberto*, cui tum omnes adulabantur, & ad qvem, ultimo ejus tempore, primum extremi venerunt *Islandi*, *Grönlandi*, *Gotborumqve* & *Orcbadum* Legati, ut teſtatur *Adamus Brem.* ed. Lind. p. 39. 54.

(a) Pro *Slavorum* in nonnullis exemplaribus Diplomatis Ludoviciani de Anno 834. legitur *Winedorum*, in aliis *Wandalorum*, incertum vero, an ultima lectio ſit vera & autentica. Videmus interim, *Anſcharium* etiam in gente *Slavorum* conſtitutum fuiſſe Legatum Evangelicum. Qvid vero & numqvid in hac parte præſtiterit, ſilente eorum temporum Hiſtoria, neſcimus. *Alb. Kranzius* Metrop. L. I. c. 42. rem ita decernit: „Forte lector reqvirit, qvomodo vir ſanctus in tanta lucrandarum animarum ſolicitudine, longe per ma„ria verbum Dei circumferens, *ne ſemel qvidem vicinam Wandaliam*, qvam *Slavorum* dixere provinciam, „*memoratur attigiſſe*, qvum tamen fuerit in ejus Legationis amplisſimo mandato, qvum & gens *Obotri*„*torum* Magno Carolo fuerit fœderata: Sed ego ferocem tum gentem divini verbi mentionem ne admiſiſſe „crediderim, ut non Pontificis diſſimulatione, ſed omnimoda gentis contradictione omiſſam prædicationem „pene certus putaverim. Poſſunt & multa facta eſſe, qvæ ſcripta non ſunt". Fatetur qvidem longe vetuſtior *Helmoldus* L. I. c. 4. de Anſchario loqvens, *Hammenburgenſis Eccleſiæ Pontificum* inſtantia diſſeminatum eſſe verbum Dei in omnes *Slavorum*, *Danorum*, ſive *Norrmannorum* populos. Idem vero L. I. c. 6. ſpeciatim de *Slavis* ita ſcribit: „Non ergo caret admiratione, qvod dignisſimi Præſules & Evangelici Præ„dicatores, *Anscarius*, *Reimbertus*, & ſextus in ordine, *Unni*, qvorum in converſione gentium ingens

„claruit

rumqve in *Aqvilonis partibus* gentium conſtitutarum, una cum *Ebone* (b) Remenſi Archiepiſcopo, qvi ipſam *Legationem* ante ſuſceperat, delegavit: & ante corpus & confeſſionem *Sancti Petri* Apoſtoli publicam Evangelizandi tribuerit auctoritatem. Et ne horum qvicqvam in futurum irritum fieret, omnem reſiſtentem ac contradicentem, vel qvolibet modo his ſanctis ſtudiis (c) piiſſimi Imperatoris inſidiantem, anathematis mucrone percuſſit, atqve perpetua ultione reum diabolica ſorte damnavit. Porro, ut præmiſimus, eadem *Legatio*, auctoritate *Paſchalis* Papæ (d), *Eboni* Remenſi Archiepiſcopo prius commendata fuerat. Siqvidem ipſe divino, ut credimus, afflatus ſpiritu, pro vocatione Gentium & maxime *Danorum*, qvos in Palatio (e) ſæpius viderat, & diabolico deceptos errore dolebat, ferventiſſimo ardebat deſiderio, & pro Chriſti nomine ſe ſuaqve omnia ad ſalutem gentium tradere cupiebat. Cui etiam Dominus *Imperator* locum unum *ultra Albiam*, qvi vocatur *Welanao* (f) dederat,

„ claruit ſtudium, *Slavorum curam tantopere diſſimulaverint, ut nec per ſe, nec per miniſtros, aliqvem in eis „ fructum feciſſe* legantur. Effecit hoc, ut æſtimo, populi hujus incredibilis duritia, non autem Prædica„ torum torpor, qvibus animus circa vocationem gentium adeo fuit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pe„ percerint". Qvod *S. Anſcharius Wismariæ* Chriſtum prædicaverit, merum eſt recentiorum qvorundam figmentum, omni veterum auctoritate deſtitutum. Omnem tamen *ſalutis gentis Slavicæ curam* minime depoſuiſſe *Anſcharium*, ex eo præcipue elucet, qvod, narrante Remberto Cap. XIV. & XXX. ex gente Danorum atqve *Slavorum nonnullos emerit pueros, aliqvos etiam ex captivitate redemerit, qvos ad ſervitium Dei educaret.* Hos eum deſtinaſſe ac forte poſtea miſiſſe genti ſuæ prædicatores, nullum debet eſſe dubium.

(b) De *Ebbone* Archiepiſcopo Rhemenſi ejusqve in *Eccleſiam Daniæ primitivam meritis* ſupra ad *Nigellum* p. 401. ſatis prolixe commentavi. Qvibus addi poteſt memorabilis illa, qvæ mihi poſtea ſuccurrit, de *Ebbone ejusqve fatis narratio*, qvæ habetur in *Trecenſis Concilii* ad Papam An. 867. data *Epiſtola*, vid. *Binii* Concil. T. III. P. I. Sect. poſter. p. 567. ſq. Inde colligitur, de qvo ante incertus eram, *Ebbonem* An. 844. Romam adiiſſe, & Roma reverſum Epiſcopatum Hildesheimenſem obtinuiſſe. Ipſa prædictæ Epiſtolæ verba digna ſunt, qvæ audiantur: „ *Ebbo* Rhemenſem Eccleſiam tenuit, donec *Carolus*, reſumtis viribus & co„ piis, Seqvanam transmeavit, & in Belgicam regionem iterum reverſus fuit. Qvod audiens *Ebbo*, relicta „ Rhemenſi Eccleſia, ad *Hlotharium* ſeceſſit, & in ejus familiaribus obſeqviis manſit, & in Cisalpinis re„ gionibus *Abbatiam S. Reclami*, ſed & *Abbatiam S. Columbani* in Italia apud eum obtinuit —— & per idem „ tempus *Imperatoris diverſas Legationes* in diverſas partes peregit, usqve dum *Anno Incarn. Dom. Octingen„ teſimo qvadrageſimo qvarto*, una cum *Drogone*, Metenſium Epiſcopo, ſub *Sergio* Papa *Romam* adiit. Qvo„ rum adventum moleſte *Sergius* accipiens —— Demum *Roma* reverſus, qvodam proceſſu temporum Le„ gationem in Græciam a *Hlothario* ſibi injunctam ſuſcepit, qvam exeqvi detrectavit. Idcirco idem, ab „ eodem Imperatore Abbatiis ablatis —— *Hludowici* largitione Regis Germaniæ, in Provincia Moguntina „ & regione Saxoniæ, *non longe a vicinitate finium Nortmannorum, qvibus a Paſchali Papa Prædicator fuerat „ deſtinatus*, Epiſcopium *Hildesheim* vacans obtinuit. *Ubi* etiam, auctoritate cujusdam *Privilegii*, nobis „ oſtenſi, ab *Gregorio* Papa ſibi collati, conniventi ſupra memorata ſua reſtitutione, *miniſterium Pontificale „ finetenus exercuit*".

(c) Edit. Col. addit: *Domini apoſtolici atqve.*

(d) Decretum *Paſchalis I.* de miſſione *Ebbonis* ad *gentes aqvilonis* convertendas dat. An. 822. legitur ap. *Staphorſt* T. I. p. 21. & alibi.

(e) i. e. in aula Imperatoris.

(f) In *Welanao* Ebbo *Cellam* ſive *Monaſteriolam* conſtruxit, qvam poſtea *Imperator* circa 831. *Gautberto* Sveonum Epiſcopo, qvaſi locum refrigerii, ſuggerente ipſo *Ebbone*, tradidit, Vid. infra Cap. XIII. Per locum illum *Welanao*, *Lambecius* in Not. ad Rembertum ap. Lindenbr. p. 233. *Henſchenius* in Actis SS. ex Phil. Cæſare, *le Cointe* Annal. Eccl. Franc. T. VII. p. 744. *Feuſtkingius* Obſ. in Adam. ap. Weſtphal. T. III. p. 394. *Pontop.* Annal. T. I. p. 23. *Celſius* Hiſt. Eccl. Sv. p. 70. 76. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 251. aliiqve viri eruditi, qvaſi uno ore denotandam voluerunt *Wedelam*, oppidulum ſive vicum Dominii Pinnenbergenſis in Holſatia, in ripa Albis fluvii oceanum verſus ſitum, & æqvali ferme itinere ab Hamburgo & Glückſtadio diſtantem, ubi ſtatua antiqva, *Rolandi* credita, viſitur. Ego vero pace tantorum virorum, cum nec nomen *Wedelæ*, cujus origo ſimplex & nota, cum *Welanao* ſatis convenire mihi videatur, nec *Wedelæ*, qvantum Hiſtoria ſuggerit, veſtigia hujusmodi Cellæ ſive religioſi inſtituti unqvam fuerint, neqve Rembertus dicat, locum *Welanao* ſitam fuiſſe *ad Albim* ſed *ultra Albim*, longe aliam ego de ſitu *Welanai* ſententiam foveo, credens, eam fuiſſe villam, qvæ hodie & a multis ſeculis *Münſterdorf* dicitur,

prope

dederat, ut, qvotiens illas in partes pergeret, locum ſubſiſtendi ibi haberet. Multotiens itaqve ipſe ad eundem venit locum, & pro lucrandis animabus multa in *aqvilonis partibus* diſpenſavit, ac plurimos religioni Chriſtianorum adjunxit, atqve in fide catholica roboravit.

Ca-

prope Itzehoam in Stormaria ſituata. Hujus loci & vetus nomen, qvod *Welna* ſ. *Welnau* fuit (*Noodt* Beyträge T. I. p. 248), & recentius *Münſterdorf*, qvod *inſtiturum* aliqvod *monaſteriale* involvit, totum negotium conficere videtur. Præterea locus ille, etiam hodie, & a tempore Reformationis, ex Conſiſtorio ſuo eccleſiaſtico celeberrimus eſt. Conſiſtorium illud *Fraternitati Kalandarum*, qvæ tempore Papatus, ſub patrocinio Sanctorum *Ansgarii* & *Vicelini* qvotannis in Majo exculta, floruit in *Münſterdorf* pago *Welnæ* prope Itzehoam, dicta etiam *Fraternitas S. Sixti in Welna*, originem debet, Vid. *Lamb. Alardi* Nordalb. ap. Weſtphal. T. I. p. 1798. *Steinman* Orig. Frat. Cal. ib. T. III. p. 549. 555. ſqq. Hujus autem Fraternitatis origo videtur mihi aſcendere ad longe veruſtiora tempora, qvam ad Annum 1304, qvo *Henricus Rantzovius* eam vult ab *Henrico* Comite Holſ. inſtitutam. A qvo qvidem tempore Diplomata habemus de *Capella S. Sixti*, ab ipſa Fraternitate, cum conſenſu tam *Capituli Hamburgenſis* qvam Sanctimonialium Itzehoenſium, juxta villam *Münſterdorf* in *antiqvo Cemiterio* fundata, non autem de fundatione ipſius Fraternitatis, qvæ forte fuit reliqvia *Cellæ* illius ſive *Monaſterioli*, qvod in *Welnaw* inſtituit *Ebbo*, cuiqve poſt eum *Gautbertus* præfuit, unde & nomen *Münſterdorf* ortum eſſe potuit. Poſt *Gautbertum*, probabili conjectura, videtur *S. Ansgarius*, ut *Ebbonis* in Legatione gentium ſeptentrionalium ſucceſſor, indultu forte *Imperatoris*, qvi prædictam Cellam officio Legationis borealis conſecraverat, ſibi & Capitulo Hamburgenſi vindicaſſe jus qvoddam patronatus hujus loci, eundemqve *Oratorio* in honorem *S. Sixti* conſecrato ornaſſe, de qvibus nobis jam deſunt evidentia eorum temporum documenta. Veſtigia tamen aliqva, tale qvid indicantia, & majorum traditionibus ſine dubio fundata, annotata invenio a *Joh. Ruſſe* Fragm. Rer. Ditm. ap. Weſtphal. T. IV. p. 1454. his verbis: *S. Anſcharius ſtichte eine Capelle bey Itzeboe genömet Munſterdorp in der ehre S. Sixti*, unde Münſterdorf in Bulla Papali Anni 1462. *S. Sixti villa* dicitur, *Noodt* Beyträge T. I. p. 437. & adhuc clarius ap. Weſtphal. T. III. p. 24. ab *Auctore veteris Chronici Holſatici*, cujus hæc ſunt verba: „*S. Anſcharius* prope *Idzebo* in terra Holſatiæ in *Welna* parvum *Oratorium in honorem S. Sixti*, „cujus caput ſemper ſecum deferebat, conſecravit: Ubi *cum aliqvibus Monachis* aliqvando, *propter ſecuritatem* vel ſerenitatem *loci*, ad contemplandum ſolebat reſidere: Et legitur in *Legenda ſua*, qvod cum com„muniter in pane & aqva ſolebat carnem ſubjicere, ibidem una dierum aqva fuit in vinum converſa, & „*fons*, ubi illa aqva extracta fuit, hodierno dicitur *Fons Sanctus*". Conf. *Acta Sanctor.* T. I. Febr. p. 403. Fontem illum in pago Münſterdorf *D. Sixto* ſacrum, & opinione vulgi febri laborantibus ſalubrem, poſt Reformationem collapſum, An. 1587. *Henricus Rantzovius* reſtauravit, teſte ipſo in Deſcr. Cimb. ap. Weſtphal. T. I. p. 14. *Sancti Sixti corpus*, qvod cum aliis Reliqviis ab *Ebbone* Rhem. Arch. *Anſcharius* dono acceperat, primum Hamburgi repoſuit, poſtea in Cœnobio Rameſloenſi, *Adam.* ap. Lindenbr. p. 8. 9. *Brachium S. Sixti* in Cymbario argenteo diu Hamburgi ſervatum, *Staphorſt* T. I. p. 464. *Caput* autem *S. Sixti*, qvod *Anſcharius*, ut traditur, in collo ſuo ſemper ſolitus portare viſus eſt, *Cellæ* forte *Welnenſi* obtulit, Vid. *Chron. Raſted.* ap. Meibom. T. II. p. 94. & *Chron. Wolteri* ib. 25. Præterea vetuſtum *Sigillum Fratrum Calendarum in Welna*, qvo adhuc utitur Conſiſtorium Münſterdorfenſe, effigiem præfert Epiſcopi, qvi vix alius qvam aut *S. Anſcharius* aut *S. Sixtus* eſſe poteſt, Vid. *Weſtphal.* Monum. T. III. ad p. 550. 557. Hæc ſunt, qvibus conjecturæ meæ robur aliqvod addere valeo, *Welanaum* veterem ſcil. fuiſſe *Welnam* ſ. pagum *Münſterdorf* prope Itzehoam, non autem *Wedelam* ad Albim. Patet hinc, non adeo ineptam fuiſſe doctorum ſagaciumqve virorum *Henr. Muhlii* & *Ulr. Petrſenii* conjectionem, qvod *Munſterdorpium* forte S. Vicelini ætate *monaſterium* fuerit, dederitqve Vicelino, reſpectum ad hoc *vetus monaſteriolum* habenti, occaſionem, Cœnobium illud, qvod *Wippendorpii* inſtituit, appellandi *Novum Monaſterium* ſ. *Neu-munſter*, Vid. Ill. *Dreyeri* Notit. Mss. Cimbr. p. 98. Nec abſurde vetus Remberti interpres Svecus dicit, Imperatorem Ebboni dediſſe locum *Daniæ vicinum* (wid Danmarks Sidho d: ad latus Daniæ) dictum *Walo*. Ultimo addendum, pagum *Welnam* circa An. 1530. *Johanni Ranzovio* a FRIDERICO I. conceſſum, & An. 1578. *Henricum Ranzovium* in monticulo *Welnæ* erexiſſe pyramidem marmoream in perpetuum ſuæ familiæ monumentum, Vid. *Weſtphal.* T. I. p. 1886. 1925.

Caput XIII.

Gautberti Episcopi in Sveciam adventus.

Verum post ordinationem (g) Domini & Patris nostri *Anscharii* superius comprehensam, visum est illis de eadem *Legatione* inter se conferentibus necessarium esse, ut aliqvis illi ordinaretur adjutor, qvi in *partibus Sveonum* Ministerii *Episcopalis* (h) officio fungeretur, qvoniam in regione tam longe posita præsens adesse deberet *Pontifex*, & ipse solus ad utrumqve locum minus sufficeret. Cum consensu itaqve & voluntate prædicti *Imperatoris*, venerabilis *Ebbo* qvendam propinqvum (i) suum *Gautbertum* (k) nomine, ad hoc opus electum, & *Pontificali insignitum honore*, ad partes direxit *Sveonum*, cuiqve ministeria Ecclesiastica & necessarios sumptus, tam ex sua, qvam ex datione Regia, abunde tribuit, eumqve (l) qvasi vice sua qvidem prædicandi officium prius auctoritate Apostolica suscepit, *Legatum in Gentibus Sveonum* esse constituit. Cui etiam postea clementissimus *Augustus*, suggerente venerabili Præsule *Ebbone*, *Cellam*, qvam ipse in loco memorato *Welanao* (m) construxerat, qvasi locum refrigerii (n) tradidit, ut scilicet ad ipsius ministerium officii perpetua stabilitate deserviret (o). Prædictus itaqve *Gautbertus*, qvem ipsi consecrantes honore Apostolici nominis *Simonem* (p) vocaverunt, ad partes veniens *Sveonum* honorifice & a Rege (q) & a populo susceptus est, cœpitqve, cum benevolentia & unanimitate omnium,

(g) Contextus totius hujus Capitis evidenter monstrat, *Gautberti* electionem, ordinationem & missionem in *Sveciam* eodem Anno 831. & paulo post consecrationem *Anscharii* evenisse, post hunc enim annum, propter exortos in Imperio tumultus, nulla amplius *Imperatorem* inter & *Ebbonem* fuit aut esse potuit familiaritas, ut Imperator in gratiam & propter preces *Ebbonis* non solum ad propinqvi hujus electionem & legationem consensum præberet sumtusqve itineris Svecici eidem porrigeret, sed etiam ex *Ebbonis* consilio *Gautberto* Cellam Welanao concederet. Neqve credibile est, *Ebbonem* post hoc tempus potestatem habere potuisse vice sua *Legatum in gentibus Sveonum constituendi.* Adhæc *Annales Corbeienses* ap. Paullin. p. 370. auspicia Episcopalis officii tam *Gautberti* qvam *Anscharii* ad An. 831. refert. Errant igitur *Arrhenius*, *Dalinus*, aliiqve, qvi *missionem Gautberti in Sveciam* ad Annum tandem 835. aut seqventem pertinere volunt. *Eckartus* qvidem Rer. Franc. T. II. p. 282. putat, *Gautbertum* Sveonum Episcopum An. 835. in Januario inter plures Episcopos adfuisse in Synodo Theodonisvillana, sed, qvum ille, ut *propinqvus Ebbonis*, vix ad sententiam in degradatione ejusdem ferendam adhibitus sit, fallitur forsan *Eckartus*, dum apud Hincmarum pro *Morberto* legi vult *Gozbertum.* Nisi dicere velis, *Gautbertum* ex Svecia tum in Franciam rediisse ac postea in Sveciam reversum esse.

(h) *Gautbertus* fuit primus in Sveoniam ordinatus *Episcopus*, qvo titulo illum *Rembertus* ubiqve nominat. Nonnulli autem eum a *Gregorio IV. Archiepiscopali dignitate* decoratum autumant, seducti a clausula illa, qvæ apud *Lindenbrog.* p. 186. Bullæ Paschalis de Ebbonis Missione, manu longe recentiori, subjuncta est, in qva inscite fingitur Gregorius roborasse *Simonem Archiepiscopum*, cum Anschario Pontificali Pallio pariter decoratum, in *Archiepiscopali dignitate*, vid. *Wildii* Annot. in Puffend. T. II. p. 314. *Dalini* Hist. Sv. T. I. p. 490. *Celsii* Hist. Eccl. p. 134.

(i) *Adamus* p. 7. *nepotem* habet.

(k) De *Gautberto*, primo Sveonum Episcopo, conf. Cap. XV. XXII. XXV. & XXIX. Not. (d). Illum ante exitum Anni 831. in Sveciam profectum esse puto.

(l) Edit. Colon. *eumqve vice sua Legatum Hammaburgensis Ecclesiæ in gentibus Sveonum esse constituit.*

(m) Vid. supra Cap. XII. Not. (f).

(n) Edit. Col. *refugii.*

(o) Hinc patet, locum *Welanao* Ebboni & Gautberto, non in possessionem, sed pro officio Legationis septentrionalis, ab Imperatore concessum fuisse. Qvo fundamento, vero haud absimile est, *Ansgarium*, post mortem *Ebbonis* & *Gautberti*, sibi ut Legato septentrionis apostolico locum illum vindicasse, de qvo vid. supra Cap. XII. Not. (f).

(p) Sub primordiis christianismi Episcopis in consecratione sæpe novum nomen datum est, qvod exemplo *S. Bonifacii* & aliorum probatur. Eodem modo, qvo etiam hodie electus Pontifex Romanus novum nomen assumit. Sic *Gautberto* Petri Apostoli nomen *Simon* obvenit.

(q) Edit. Col. addit nomen *Bern.*

um, *Eccleſiam* (r) inibi fabricare, & publice Evangelium fidei prædicare. Fiebatqve gaudium ſalutis Chriſtianis ibi degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur.

Caput XIV.

Hamburgum combuſtum.

Interim qvoqve Dominus & Paſtor noſter in Diœceſi ſibi commiſſa, & in *partibus Danorum*, ſtrenue ſuum implebat officium, & exemplo bonæ converſationis multos ad fidei gratiam provocabat. Cœpit qvoqve ex *gente Danorum* atqve *Slavorum* (s) nonnullos emere *pueros* (s), aliqvos etiam ex captivitate redimere (t), qvos ad ſervitium Dei educaret. Qvorum qvosdam hic ſecum retinuit, qvosdam vero ad Cellam prædictam *Turholt* (u) nutriendos poſuit. Fueruntqve cum eo hic ex ſocietate Veſtra (v), ſancti Patres noſtri & Magiſtri, qvorum doctrina & inſtitutione feliciter nobiſcum religionis divinæ crevit opinio. Verum cum hæc in utraqve parte laudabiliter & Deo digne agerentur (x), contigit (y) ex improviſo, piratas advenientes (z) *Hammaburgenſem civitatem* navigio circumdediſſe. Qvod cum inopinate & ſubitanee accidiſſet, ſpatium non fuit Pagenſes congregandi, qvippe cum & *Comes*, qvi eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illuſtris vir *Bernarius* (a), tunc deeſſet. Dominus vero Epiſcopus ibi poſitus cum his, qvi aderant in *urbe* ipſa, vel in *ſuburbio* (b) manentibus, primo qvidem audito adventu eorum, locum ipſum continere voluit, donec majus eis veniret auxilium: ſed impellentibus (c) *Paganis*, & civitate

(r) Supra Cap. X. narratum eſt, *Herigarium* in bonis ſuis hæreditariis *Eccleſiam* exſtruxiſſe, qvæ omnium *prima* in Svecia fuit. Hæc vero, qvam *Gautbertus* ædificavit, *ſecunda* erat, niſi credere velis eandem fuiſſe cum illa Herigariana; de *Herigario* enim non dicitur, eum ſtatim a baptismate, ſed *non multo poſt*, Eccleſiam fabricaſſe, baptizatus autem forte eſt Anno 830. aut circa finem præcedentis anni 829. & Eccleſia, de qva heic Rembertus, ſtatim poſt *Gautberti* adventum An. 831. aut 832. exſtrui cœpta videtur. Si vero hæc *Gautberti Eccleſia*, qvod veroſimile eſt, alia ac diverſa ab *Herigariana* ſit, poteſt eſſe illa *Eccleſia*, qvam infra Cap. XVI. *Anundus* Rex circa An. 850. perhibet *olim conſtructam fuiſſe* in urbe [Sigtuna veteri] *Bircæ* contigua.

(r) Vide ſupra Cap. XXII. Not. (a).

(s) De emtione puerorum, vid. ſupra Cap. VII. & infra Cap. XXX.

(t) Qvod etiam alios captivos redemerit, vid. infra Cap. XXX.

(u) De Cella *Turholt*, vide ſupra Cap. XI.

(v) Patres Monaſterii *veteris Corbeiæ* alloqvitur Rembertus.

(x) Heic, ante excidium Hamburgenſe, interſerenda forent, qvæ Auctor infra Cap. XVIII. de *Ludovici Pii obitu* & *Turholdi amiſſione* narrat.

(y) Qvæ ſeqvuntur, partim iisdem verbis habentur in *Bulla Nicolai* de Rameſloa, vid. *Staphorſt* T. I. p. 55. ſi modo eadem genuina ſit.

(z) Excidium illud *Hamburgi* a *Danis* duce *Herico* Rege factum eſt, non Anno 840. ut *Adamus Bremenſis*, & qvi eum ſeqvuntur, habent, ſed *Anno* 845. uti longe vetuſtiores *Annales Fuldenſes*, *Metenſes*, *Bertiniani*, pluresqve, concorditer teſtantur, Vid. *Du Chesne* T. II. p. 524. 549. T. III. p. 201. ſq. Conf. *Staphorſt* T. I. p. 36. *Lambecii* Orig. Hamb. ap. Lindenb. p. 5. ſq.

(a) Ex conjectura J. G. *Eckarti* Rer. Franc. T. II. p. 421. *Bernarius* Comes Hamburgenſis fuit *Billungi* filius ſatorqve familiæ Billinganæ.

(b) Per *Suburbium* & *vicum proximum*, ait *Lambecius* in Notis ad Rembertum, ſignificatur is Urbis Hamburgenſis tractus, qvem nunc *Parochia S. Nicolai* occupat. Is enim, qvamvis jam S. Anſcharii tempore fuerit habitatus, mœnibus tamen vel vallo cinctus non erat: Sed ubi deinde, prolato *veteris urbis* pomoerio, munimentis circumdari cœpit, ex eo non jam *Suburbium* amplius, ſed *nova urbs* appellatus eſt, Conf. Lambecii Orig. Hamb. ap. Lindenbr. p. 7.

(c) Al. *implentibus*.

jam obſeſſa, cum eis reſiſti non poſſe conſpexit, qvomodo *pignora ſanctarum reliqviarum* (d) aſportarentur, præparavit, ſicqve ipſe clericis ſuis huc illucqve fuga diſperſis, etiam ſine cappa (e) ſua vix evaſit. Populi qvoqve a loco ipſo exeuntes, & hac illaqve palantes, plurimis aufugientibus, qvidam capti, pleriqve etiam perempti ſunt. Deniqve *hoſtes*, arrepta (f) civitate, & omnibus, qvæ in ea vel in *vico proximo* (g) erant, ſpoliatis, cum veſpertino tempore eo adventaſſent, noctem ipſam cum ſeqventi die & nocte ibi conſederunt. Sicqve, ſuccenſis omnibus ac direptis, egreſſi ſunt. Ibi *Eccleſia*, miro opere magiſterio Domini *Archiepiſcopi* conſtructa, una cum *Clauſtro Monaſterii* mirifice compoſito, igni ſuccenſa eſt. Ibi *Bibliotheca* (h), qvam Sereniſſimus jam memoratus *Imperator* eidem Patri noſtro contulerat, optime conſcripta, una cum *pluribus aliis libris*, igni diſperiit. Sicqve omnia, qvæ inibi, aut in Eccleſiaſticis miniſteriis, aut in aliis theſauris & facultatibus habuerat, aut deprædatione, aut igne, aut hoſtili impetu, direpta ſunt, ut qvaſi nudum eum dimiſerint. Qvippe cum pene nihil exinde prius elatum ſit, nec tunc qvidem aliqvid ſubvectum, niſi qvod qvisqve fugiens caſu arreptum forſan exportare potuit. Pro qvibus omnibus Dominus & Pater ſanctiſſimus nullatenus vel animo moleſtabatur, vel labiis peccavit; ſed cum omnia fere, qvæ ab initio Epiſcopatus aggregare, vel in fabricam ædificiorum componere potuerit, uno velut momento perdiderit, illud beati *Job* ſæpius verbis replicabat: *Dominus dedit*, *Dominus abſtulit*, *ſicut Domino placuit*, *ita factum eſt*, *ſit nomen Domini benedictum.*

Caput XV.

Gautberti exilium.

His itaqve ita peractis, cum Dominus Epiſcopus cum ſuis in multis eſſet preſſuris & calamitatibus, & fratres congregationis ejus, una cum ſanctis pignoribus (i), per varia loca circumeundo huc illucqve vagarentur, & nusqvam ſederent qvieti, prævalente iniqvi machinatione, contigit etiam diabolico inſtinctu, ut populus *Sveonum* furore Zeli accenſus, præfatum *Gautbertum* (k) Epiſcopum inſidioſe perſeqvi cœperit; factumqve eſt, ut ad domum, in qva manebat, unanimi conventione pars qvædam populi, cauſa direptionis, irruerit, & nepotem (l) qvidem ipſius, *Nithardum* (m) nomine,

(d) Inter has ſine dubio fuerunt Corpora Sanctorum *Xiſti* & *Sinnicii*, qvæ Ansgario cum pluribus Reliqviis ab *Ebbone* Rem. Arch. donata erant, & ab eo *Hamburgi* collocata, teſte *Adamo Brem.* ed. Lindenbr. p. 7.

(e) Adam. Brem. p. 7. *cum Reliqviis Sanctorum nudus evaſit.*

(f) Al. *direpta.*

(g) An *Vicus* illi proximus idem ſit ac *Suburbium* Hamburgenſe, de qvo paulo ante, incertum eſt, an alius vicus.

(h) Hæc erat altera & intolerabilior *Bibliothecæ jactura*, qvam *Ansgarius* fecit. De hac ita *Adamus* p. 7. *Ibi Bibliotheca, ſummo collecta ſtudio, conſumpta eſt.* De priori librorum jactura, facta in primo itinere Svecico, vid. ſupra Cap. IX. Plures eo Seculo, a ſævientibus, ubiqve Danis noſtris, incendio deletæ ſunt, inter qvas *Croylandenſis*, Ingulph. ap. Savile fol. 494. & *Hauguſtaldenſis*, Mirac. S. Wilfridi ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. III. p. 214. *Monaſterii S. Vincentii Pariſ.* Vit. S. Droctovei ibid. T. I. p. 252.

(i) Vid. paulo ſupra Not. (d).

(k) Edit. Col. *Simonem*, de qvo *Gautberti* novo nomine vid. ſupra Cap. XIII.

(l) Rem ita narrat *Adamus Brem.* ap. Lindenbr. p. 7. Tunc qvoqve *Gautbertus* Epiſcopus Zelo gentilium a *Sveonia* depulſus, & *Nithardus* capellanus ejus *martyrio* cum aliis coronatus eſt. Alius Gautberti nepos nomine *Erimbertus*, poſtea in Sveciam ivit, Vid. Cap. XXII. XXV.

(m) An. 832. *Nithardus noſter primus in Svecia Martyr*, ita annotatum invenio in *Annal. Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 296. & Edit. Paullini p. 370. Annus autem ſine dubio falſus eſt; Rembertus enim hæc facta narrat circa idem tempus, qvo *Hamburgum* vaſtatum eſt, Anno ſcilicet 845.

nomine,

nomine, gladio peremerit, & odio Christiani nominis percussum, Dei, ut credimus, *Martyrem* fecerit. Ipsum vero cum cæteris sociis, qvi simul aderant, ligaverunt, & diripientes omnia, qvæ apud eos invenire potuerunt, contumelia & opprobriis affectos a finibus suis expulerunt. Qvod tamen *non Regio jussu* (n) factum, sed populari tantum conspiratione est perpetratum. Divinæ vero Majestatis clementia hoc neqvaqvam inultum passa est abire; sed omnes pene, qvi affuere, qvamlibet diverso modo, in parvo tempore puniti sunt. De qvibus multa dici poterant, sed ne fastidium legentibus inferamus, unius tantum mentionem facere curavimus, ut, qva pœna cæteri qvoqve evindicati fuerint, ex hujus perditione patefiat. Qvidam namqve in terra illa potens extitit, cujus filius in eadem conspiratione cum aliis fuerat, & qvæ sibi de spoliis inibi captis provenerant, in domum patris sui contulit. Post qvod factum cœpit illius substantia minui & pecora qvoqve ac familia deperire. Ipse qvoqve filius, divina ultione percussus, interiit. Sed & uxor ejus cum filio & filia non multo interjacente spatio obiit. Cum itaqve se, excepto uno filio parvulo, omnibus bonis suis defraudatum videret, cœpit miser deorum iras expaveſcere, & qvod hæc omnia alicujus Dei offensione pateretur, mente tractare. Qva de re, sicut ibi moris est, qvendam adiit divinum (o), rogans, ut, cujus Dei offensam haberet, & qvaliter eum placare deberet, ipsi indicaret. Agens itaqve ille, qvæ circa cultum hujusmodi observare solebat, omnes deos illorum ipsi placatos esse respondit; Deum vero Christianorum illi omnimodis infensum: Christus, inqvit, sic te habet perditum; Et qvia qvodlibet illorum, qvod illi consecratum fuerat, in domo tua manet reconditum, ideo venerunt super te omnia mala hæc, qvæ perpessus es, nec poteris ab eis liberari, donec illud in domo tua manserit. Hoc ille audito, mente pertractans sollicita, qvid illud esse posset, de filio suo recordatus est, qvod ex spoliis supradictis qvendam *librum* in domum suam advexerit. Qva de re horrore nimio & terrore perculsus, & qvia sacerdotis tunc ibi deerat præsentia, qvid de eodem *libro* faceret, omnimodis nescius, secum qvoqve illum longius retinere nullatenus ausus. Tandem, vix reperto consilio, in conspectu populi, qvi in eadem villa manebat, eum attulit, & qvæ passus sit, retulit. Cumqve se omnes ignaros consilii super hac re dicerent, & tale aliqvid in domo sua recipere, vel habere pertimescerent, ipse cum diutius apud se retinere obstupescens, honeste compositum ad qvandam levavit (p) sepem, denuncians, ut, qvicunqve vellet, eum inde sumeret, & pro reatu commisso Domino Jesu Christo voluntariam satisfactionem vovit. Qvem *librum* qvidam Christianorum exinde sublatum in sua advexit (q). Ex cujus ore etiam ista cognovimus, qvi postea magnæ fidei & devotionis extitit, ita ut psalmos qvoqve apud nos (r) postea memoriter sine literis didicerit. Taliter ergo & cæteris sive morte, sive peste, & damno rerum suarum punitis, liqvido omnibus patuit, qvod, qvia sanctum Dei Pontificem & suos inhoneste tractare & dispoliare præsumpserant, gravissimam Domini nostri Jesu Christi senserint ultionem.

Ca-

(n) Conf. infra Cap. XXIII.

(o) ɔ: *Hariolum*, *Vatem*, qvi divinat, & futura prædicit.

(p) Al. *ligavit.*

(q) Al. addit *domo.*

(r) Hinc videtur Christianus ille, qvi librum acceperat, postea aut Hamburgum aut Bremam transiisse, & Scriptori hujus Vitæ ea narrasse.

Caput XVI.

Ardgarii in Sveciam iter. Miracula & obitus Herigarii.

Poſthæc ita locus (s) ille ſeptem fere annis (t) ſine ſacerdotali fuit præſentia (u); pro qva re Dominus & Paſtor noſter *Anſcharius* nimio mœrore anxius, Chriſtianæ religionis fidem ibi cœptam perire non ſufferens, & maxime pro filio (v) ſuo, qvem ſupra memoravimus, *Herigario* (x) condolens, qvendam Anachoretam (y) *Ardgarium* (z) nomine, illas in partes direxit, & ut ſpecialius eidem adhæreret, præcepit. Ipſe itaqve illo adveniens (a), officioſe ab ipſo ſuſceptus eſt *Herigario*, & Chriſtianis, qvi ibi aderant, magnum ſuæ præſentiæ exhibuit gaudium. Cœperuntqve, ſicuti primo egerant, ea, qvæ Dei ſunt, devote qværere, & ritum Chriſtianitatis libenti animo cuſtodire. Nemo qvoqve incredulorum ejus prædicationi audebat reſiſtere, qvia, qva pœna mulctati fuerint, qvi ſervos Dei inde expulerant, mente pavida meminerant (b). Suggeſtione qvoqve præfati *Herigarii* (c), *Regis*, qvi tunc erat (d), & juſſu & licentia, publice cœpit Dei celebrare myſteria. Qvi videlicet fideliſſimus vir *Herigarius*, tempore, qvo ſacerdotalis ibi deerat præſentia, multa ab infidelibus ſuſtinuit opprobria, ſed largiente divina gratia, ſignis cœleſtibus ejus petitione veræ fidei declarata ſunt præconia. Ex qvibus, uti promiſimus, aliqva hic interſerere curavimus, qvo ejus fidei invictus declaretur animus. Qvadam namqve vice ipſe in qvodam ſedebat *placito* (e), ſcena in campo (f) ad colloqvium parata, ubi cum, inter alia collocutionum verba, illi deos ſuos laudaſſent, qvorum favore proſpera ſibi multa provenirent, & ei, qvod ſolus a conſortio omnium inani fide aberraret, verbis multiplicibus improperarent; Ipſe, ut erat fervens ſpiritu, reſpondiſſe illis fertur: Si tanta eſt de divina majeſtate dubietas, qvod tamen dubium eſſe nullo modo deberet, probemus miraculis, qvis ſit majoris potentiæ, veſtri multi, qvos dicitis, Dii, an meus ſolus omnipotens Dominus Jeſus Chriſtus. Ecce tempus adeſt pluviæ; ſiqvidem tum pluvia imminebat, invocate vos nomina deorum veſtrorum, ne pluvia ſuper vos deſcendat, & ego invocabo Dominum meum Jeſum Chriſtum, ne aliqva ſtilla pluviæ me contingat, & ſi qvis in hac parte ſe invocantes exaudierit, ipſe ſit Deus.

(s) Scil. *Birca Sveciæ.*

(t) Ab Anno ſcil. 845. usqve ad An. 851.

(u) Qvo tempore *Herigarius* Bircæ Præfectus chriſtianitatem ibi ſolus ſuſtentavit, inqvit *Adamus Brem.* Edit. Lindenbr. p. 7.

(v) *Anſcharius* Herigarium vocat *filium ſuum*, filium ſcil. ſpiritualem, eo qvod illum baptizaverat, vid. ſupra Cap. X. Sic & infra Cap. XX. *Nordfridus* dicitur *filius* ejus.

(x) *Herigarius*, de qvo ſæpius in hoc Capite fit mentio, etiam memoratur ſupra Cap. X. & infra Cap. XVIII.

(y) *Anachoretas* ſive Heremitas S. Anſcharius freqventibus viſitationibus & donis in Dei ſervitio confortavit, vid. Cap. XXX.

(z) Nomen hujus alibi ſcribitur *Artgarius* & *Ardagarius.* Adam. Br. p. 8. *Hartgarius.* De eo infra Cap. XVII.

(a) *Ardgarius* in Sveciam venit circa An. 851.

(b) Vide ſupra Cap. XV.

(c) Ex omiſſo commate inter *Herigarii* & *Regis*, nonnulli, verbis auctoris male intellectis, *Herigarium* aſſerunt tanti æſtimatum, ut qvandoqve *Rex* vocaretur.

(d) Videntur hæc verba indicare, alium tunc in Svecia regnaſſe Regem, qvam ſupradictum *Biornonem*, forte *Anundum*, qvi haud diu ante *Ardgarii* adventum reſtitutus erat.

(e) *Placitum* apud Medii ævi Scriptores ſignificat, (1) *Conventum publicum, ſolenne populi Concilium*, (2) *Forum*, locus ubi cauſæ aguntur, nobis Ting. Concilium populorum commune a Sveonibus *Thinc* vocari, a Bremenſibus *Warph*, ait *Adamus Brem.* ap. Lind. p. 60. Hinc *placitare* idem eſt qvod *litigare, judicio experiri.*

(f) Exeundi in *campum* olim mos erat Septentrionalibus noſtris, qvando aut placitum celebrarent, aut vota facerent, aut ſortes mitterent; conf. infra in hoc eodem Capite, & Cap. XXIV.

Deus. Hac itaqve facta inter ſe conventione, cum illi omnes in una parte ſederent, ipſe vero cum uno puerulo in altera, cœpit unusqvisqve eorum invocare Deum ſuum, ille qvoqve invocabat Dominum Chriſtum; Et deſcendens immenſa de cœlo pluvia, ita omnes illos aqvis infudit, ut qvaſi in flumine cum veſtimentis jactati viderentur, & etiam folia ramorum de umbraculo ibi facto, ſuper ipſos magno caſu decidentia virtute divina illos oppreſſos oſtenderent. Super ipſum vero & puerum, qvi cum eo erat, nec una deſcendit pluviæ gutta. Qvo facto, confuſis illis & admirantibus; Ecce, inqvit, videte, qvis ſit Deus; nolite me, infelices, ab ejus cultura revocare, qvin potius ab erroribus veſtris confundamini, & veritatis viam diſcite. Alio qvoqve tempore contigit, ut dolorem in tibia ſua ſuſtineret nimium, ita ut non aliqvo modo ſe movere a loco, in qvo erat, poſſet, niſi portaretur. Cum hanc ergo diutius ſuſtineret moleſtiam, cœperunt multi ad eum cauſa viſitandi venire, & qvidam adhortationibus, qvo pro ſalute ſua Diis ſacrificaret, commonere, qvidam improperiis, qvod ſine Deo eſſet, laceſſere, & idcirco eum ſalute carere. Cum itaqve hæc ſæpius agerentur, & ipſe conſtanter malis eorum ſuggeſtionibus reſiſteret, poſtremo, non ferens eorum calumniam, reſpondit: Neqvaqvam ſe a vanis ſimulachris auxilium petere velle, ſed a Domino ſuo Jeſu Chriſto, qvi poſſet in momento, ſi velit, ab infirmitate ſua eum ſanare. Et aſcitis illico domeſticis ſuis, ut ad ſuam eum deferrent Eccleſiam, præcepit. Ubi poſitus coram cunctis, qvi ſtabant, ſupplices ad Deum preces effudit, dicens: Domine mi Jeſu Chriſte, ut ſciant iſti miſeri, qvia tu es Deus ſolus, & non eſt alius præter te, da mihi ſervo tuo in hac hora priſtinam corporis mei ſanitatem, ut videntes inimici magnalia tua, de ſuis erroribus confundantur, & ad cognitionem tui nominis convertantur: Fac, qvæſo, qvod peto, propter nomen tuum ſanctum, qvod eſt benedictum in ſecula, ne ſit confuſio confidentibus in te Domine. Poſt qvam vocem, divina eum medicante gratia, confeſtim ſanisſimus eſt redditus, ſicqve de Eccleſia ipſe per ſemetipſum egreſſus, pro ſalute ſua Deo gratias agebat, & in fide Chriſti convaleſcens, magis magisqve incredulos confundebat. Per idem fere temporis (g) accidit, ut etiam qvidam *Rex Sveonum*, nomine ANOUNDUS (h) ejectus (i) regno ſuo, apud *Danos* exul fuerit. Qvi fines regni qvondam ſui denuo repetere cupiens, cœpit ab ipſis auxilium qværere, ſpondens, qvod, ſi ſeqverentur, multa eis poſſent donaria provenire. Proponebat enim eis *vicum*, nominatum *Byrca* (k), qvod ibi multa eſſent *negotiatores divites* & abundantia totius boni, atqve pecunia theſaurorum multa. Ad illum itaqve *vicum* ſe eos promittebat ducturum, ubi ſine ſui exercitus damno multo ſuæ neceſſitatis fruerentur commodo. Illi ergo, promiſſis muneribus delectati, & theſaurorum acqviſitione avidi, in auxilium ejus expeditorum ad pugnam hominum *viginti & unam naves* impleverunt, & cum eo deſtinaverunt. Ipſe vero de ſuis *naves* habebat *undecim*. Exeuntes ergo de *Danis*, ad *vicum* inſperate venerunt memoratum. Forte tunc *Rex* ipſorum longius (l) inde ab-

 erat,

(g) Circa Annum 850. eo ſcil. tempore, qvo ſacerdos in Svecia deerat, & paulo ante *Ardgarii* adventum.

(h) Vitio librarii in qvibusdam exemplaribus legitur *Avoundus*. Ap. *Adamum* p. 7. *Amundus* legitur pro *Anundus*, qvod forte rectius; In vetuſtiſsima enim Regum Serie *Langfedgatal* ſupra p. 12. hic idem Rex *Emundr* dicitur, & in *Hervar. Sag.* p. 181. *Amundr*. Hunc puto fuiſſe *Biornonis* ex fratre *Erico* nepos & Conrex, vid. ſupra p. 445. Errant aperte, qvi hunc *Amundum* cum *Braut-Anundo* confundunt; ille enim aliqvot ante ſecula vixit.

(i) *Adam. Brem.* p. 7. addit de *Amundo* regno pulſo, qvod in chriſtianos moverit perſecutionem.

(k) De *Byrca*, vid. ſupra Cap. IX. Not. (z).

(l) Si *Rex* tunc, ut haud improbabile videtur, extra regnum fuerit, conjicere liceret, cum forte in expeditione bellica fuiſſe adverſus *Curlandos*, de qvibus infra Cap. XXVII. dicitur, *eos Regi Sveciæ etiam antea ſubjectos fuiſſe*. Opportunum illud momentum ad patriam recuperandum obſervavit *Anundus*. *Rex* ille, qvi tum longius

erat, & Principes ac populi multitudo congregari non poterant. Tantum ſupradictus *Herigarius*, Præfectus ipſius loci, cum eis, qvi ibi manebant, negotiatoribus & populis, præſens aderat. In magna ergo anguſtia poſiti, ad *Civitatem*(m), *qvæ juxta erat*, confugiunt. Cœperunt qvoqve diis ſuis, immo dæmonibus, vota & ſacrificia plurima promittere & offerre, qvo eorum auxilio in tali ſervarentur periculo. Sed qvia *Civitas* ipſa *non multum firma* erat, & ipſi ad reſiſtendum pauci, miſerunt ad eos legatos, dexteram & fœdus poſtulantes. Qvibus Rex præfatus mandavit, ut pro redemptione ipſius *vici*, *centum libras argenti* perſolverent, ſicqve pacem haberent. Qvod illi, ut petebatur, ſtatim miſerunt, & a Rege jam dicto ſuſceptum eſt. Porro *Dani* graviter hujusmodi ferentes conventionem, qvia non, ſicuti diſpoſuerant, actum fuiſſet, cœperunt velle ſuper eos (n) irruere, & locum ipſum funditus deprædari atqve incendere; dicentes, unumqvemlibet negotiatorem plus ibi habere, qvam ſibi oblatum fuiſſet, & nullo modo ſe tantam calumniam ſufferre poſſe. Cum hæc ergo inter ſe agerent, & ad diripiendam *urbem* (o), in qvam *Byrcenſes* confugerant, ſe præpararent, hoc qvoqve illis innotuit. Unde rurſus pariter congregati, cum nullo modo vires haberent reſiſtendi, nullaqve ei ſpes eſſet refugii, ad vota & ſacrificia majora diis ſuis offerenda ſe invicem cohortabantur. Contra qvos iratus fidelis Domini *Herigarius:* Maledicta ſunt, inqvit, a Deo vota & ſacrificia veſtra, cum idolis veſtris: Qvamdiu vultis dæmonibus ſervire, & vos ipſos ad perniciem veſtri votis inanibus in paupertatem redigere? Ecce multa obtuliſtis, & ampliora voviſtis, inſuper & *centum libras argenti* dediſtis. Qvid profuit vobis? Ecce omnia, qvæ habetis, veniunt diripere, uxores veſtras & filios ducent captivos, *Civitatem* & *Vicum* (p) igni ſuccendent, & vos gladio peribitis: Qvid ergo proſunt vobis ſimulachra veſtra? Ad qvam vocem illi omnes perterriti, &, qvid agerent, neſcii, unanimiter reſponderunt: Salus noſtra & conſilium in tua ſit deliberatione, & qvicqvid nobis ſuggeſſeris, procul dubio faciemus. Qvibus ille: Si, inqvit, vota ſpondere vultis, vovete & reddite Domino Deo omnipotenti, qvi regnat in cœlis, & cui ego in conſcientia pura & fide recta deſervio. Ipſe omnium Dominus eſt, & in voluntate ejus omnia ſunt poſita, nec eſt, qvi ejus ditioni posſit reſiſtere; Si itaqve ejus auxilium toto corde petieritis, omnipotentiam ipſius vobis non defuturam ſentietis. Accepto itaqve ab eo conſilio, cuncti unanimes & voluntarii exeuntes, ſicut ſibi (q) conſvetudinis erat, in *campum* (r), pro liberatione ſibi jejunium & eleemoſynas Domino Chriſto devoverunt. Interim *Rex* præfatus cum *Danis* agere cœpit, ut *ſorte* perqvirerent, utrum voluntate deorum locus ipſe ab eis devaſtandus eſſet. *Multi*, inqvit, *ibi* ſunt *Dii potentes & magni* (s), ibi etiam olim *Eccleſia* (t) conſtructa

longius aberat, creditur fuiſſe *Anundi* patruus *Biorno Haugenſis*, jam ſenex, qvi adveniente primum in Sveciam Anschario An. 829. regnavit, Vide ſupra Cap. X.

(m) *Civitatem* hanc fuiſſe *Sigtunam veterem*, ſupra ad Cap. X. Not. (z) probare conatus ſum. Qvæ hic *Civitas*, paulo infra *Urbs* nominatur.

(n) Al. add. *ſubito.*

(o) Vid. ſupra Not. (m).

(p) Per *Civitatem* intelligenda eſt *Sigtuna vetus*, per *Vicum* autem *Birca*, de qvibus ſupra Cap. X. Not. (z).

(q) Alibi pro *ſibi* legitur *ibi.*

(r) Conf. paulo ſupra Not. (f), & infra Cap. XXIV.

(s) *Odinus* olim, dum *Sigtunam veterem* ad Melerum Sedem elegerat, magnum ibi *fanum*, juxta morem Aſarum, exſtruxit, *multa*qve ibi *ſacrificia* inſtituit, vid. *Sn. Sturl.* T. I. p. 6.

(t) *Eccleſia* in urbe *veteri Sigtuna* olim exſtructa vix alia eſſe poteſt, qvam ea, qvæ *Gautberti* Epiſcopi cura fabricata eſt, de qva ſupra Cap. XIII. Illa autem, qvam *Herigarius*, ut narrat Caput X, exſtrui fecit, ſi non eadem fuerit, videtur rure fuiſſe.

conſtructa eſt, & cultura Chriſti a multis Chriſtianis ibi excolitur, qvi fortisſimus eſt Deorum, & poteſt ſperantibus in ſe, qvomodo vult, auxiliari; Neceſſario ergo qværendum eſt, utrum divina ad hoc voluntate incitemini. Qvod illi, qvia ſic apud eos moris erat, neqvaqvam abnuere potuerunt. Qvæſitum eſt igitur *ſortibus* (u) & inventum, qvod cum ſua hoc proſperitate nullatenus perficere poſſent, neqve locum ipſum eorum deprædationi a Deo conceſſum. Iterum qvæſitum eſt, in qvam partem ituri eſſent, ubi ſibi pecuniam acqvirerent, ne forte, vana ſpe fruſtrati, ad ſua vacui remearent. Ceciditqve *ſors*, qvod ad *urbem* qvandam longius inde poſitam in finibus *Slavorum* ire deberent. Hoc ergo illi, videlicet *Dani*, qvaſi divinitus ſibi imperatum credentes, a loco memorato receſſerunt, & ad *urbem* ipſam directo itinere properarunt, irruentesqve ſuper qvietos & ſecure habitantes, improviſe *civitatem* (v) illam armis ceperunt, & captis in ea ſpoliis ac theſauris multis, ad ſua reverſi ſunt. Rex vero ille (x), qvi ad eos deprædandos venerat, pace cum eis fœderata, argentum, qvod ab eis nuper acceperat, reddidit, & apud eos aliqvamdiu reſedit, volens (y), genti ſuæ reconciliari. Sicqve Domini gratia, propter fidem ſervi ſui *Herigarii*, populum illius loci ab hoſtium incurſu liberans, bonis ſuis reſtituit. Qvo facto, ipſe in *Conventu populi publico* eandem rem propoſuit, & ut, qvis Deus eſſet, intentius providerent, monuit. Heu miſeri, dicens, vel jam intelligite, qvod vanum ſit a dæmonibus auxilium petere, qvi non poſſunt tribulatis (z) ſubvenire. Suſcipite fidem Domini mei Jeſu Chriſti, qvem probaſtis verum Deum eſſe, qvi vobis, nullum habentibus refugium, ſuæ miſerationis tribuit ſolatium. Nolite ultro culturam ſuperſtitioſam qværere, & inani ſacrificio idola vobis placare. Verum Deum, qvi omnibus, qvæ in cœlis & terris ſunt, dominatur, colite, & ipſi vos ſubjicite, ipſius omnipotentiam adorate. Deniqve poſt hæc tanto alacrior, qvanto freqventibus Domini beneficiis in fide robuſtior factus, publice, ubicunqve aderat, partim exaltando virtutem Domini, & fidei gratiam cunctis nunciabat. Sicqve bonum certamen usqve ad finem ſuæ perduxit vitæ: Conſummatoqve boni operis curſu, langvore ingraveſcente, aſtante jam dicto *Ardgario* Sacerdote, divinæ commendatus clementiæ, communione ſacra percepta, feliciter in Chriſto obiit (a). De cujus fidei conſtantia (b) multa adhuc dici poterant, ſed, qvia brevitati ſtuduimus, hæc ſufficiant.

Ca-

(u) De *ſortilegiis* eo tempore uſitatis, Vide infra Cap. XXIV. Conf. Cap. XXIII. XXVII.

(v) Qvænam illa *Civitas Slavorum* fuerit, a Danis jam Anno 850. capta & ſpoliata, incertum qvidem eſt. Si autem verum ſit, qvod *Helmoldus* p. 5. refert, civitatem opulentisſimam *Vinnetam* ſive *Jumnetam* a qvodam *Danorum Rege*, maxima claſſe ſtipata, funditus everſam eſſe, & qvidem *Seculo IX.* ut *Krantzius* Wandal. L. II. c. 20. vult, vix alia expeditio eſſe poteſt, qvam ea ERICI *Regis Danorum*, de qva heic *Rembertus* loqvitur; Qvæ enim *Krantzius* de *Haraldo* qvodam Svecorum & *Hemmingo* Danorum Regibus addit, videntur mera figmenta eſſe, compoſita forte ex hac ANUNDI Sveonum & ERICI Danorum Regum expeditione Svecica. De prædicta civitate *Vinneta* ſive *Jumneta*, ſeqventi Seculo X. a noſtris reſtaurata, caſtellis & munitionibus inſtructa, ac *Jomsburgum* dicta, vide, qvæ ſupra p. 51. Not. (h) commentatus ſum.

(x) *Anundus* ſcilicet, de qvo paulo ſupra.

(y) Vitio librarii male alias legitur *nolens*.

(z) Al. in *tribulationibus*.

(a) Sub initio Anni 852. aut fine præcedentis *Herigarium* obiiſſe puto.

(b) Famam *Herigarii* talem ſuo tempore deſcribit *Adamus Brem.* p. 6. *Qvem traduxt etiam miraculis & virtutibus inſignem.* Et p. 7. *Qui tantam fidei gratiam meruit, ut potentia miraculorum & exhortatione doctrinæ multa paganorum millia ſalvaret.*

Caput XVII.

Fridburgis obitus.

Illis qvoqve temporibus apud eos Matrona (c) qvædam fuit valde religioſa, qvam nulla unqvam improborum perverſitas a fidei ſuæ potuit rectitudine evertere. Cui freqventer in qvacunqve neceſsitate poſitæ, ut more eorum idolis ſacrificaret, ſuggeſtum eſt. Sed illa immobilis fidei ſuæ munia non reliqvit, vanum eſſe dicens, a ſimulachris mutis & ſurdis auxilium qværere, & abominabile ſibi videri, ut his, qvibus in baptismo renunciaverat, denuo intenderet, & ſponſionem, qvam Chriſto promiſerat, falleret. Si enim malum eſt, inqvit, hominibus mentiri, qvanto magis Deo? Et ſi bonum eſt, inter homines fidem conſtare, qvanto magis, qvi fidem Domini accipit, nullatenus ab ea debet immutari, neqve vanitatem veritati miſcere? Dominus, inqvit, meus Jeſus Chriſtus omnipotens eſt, ipſe mihi, ſi in ejus fide perſeveravero, & ſanitatem, & omnia, qvibus indiguero, bona, ſecundum voluntatem ſuam præſtare poterit. Prædicta itaqve religioſa fæmina, nomine *Fridcburg* (d), in bonitate vitæ & fidei conſtantia laudabilis, dies vitæ ſuæ usqve ad tempus perduxit ſenectutis. Cumqve jam appropinqvare diem ſuæ crederet mortis, & poſt diſceſſum (e) Domini *Gautberti* (f) nullus ibi tunc adeſſet Sacerdos, ipſa amore ſacrificii, qvod audierat eſſe viaticum Chriſtianorum, de vino aliqvid emptum (g) in qvodam reſervari fecit vaſculo; filiæ ſuæ etiam in fide religioſæ demandans, ut, ſi qvando ei tempus inſtaret ultimum, de ipſo vino, qvia ſacrificium non habebat, ei in os diſtillaret, ut vel ſic Domini gratiæ exitum ſuum commendaret. Illud itaqve vinum tribus fere annis apud eam conſervatum eſt, ſicqve contigit, illuc prædictum adventaſſe Sacerdotem *Ardgarium* (h). Qvo ibi poſito, ipſa, qvamdiu vires habuit, religionis ſuæ devotionem exercuit, miſſarum ſolemnia & ſalutaria monita ſedulo ab eo exqvirens. Verum inter hæc, langvore ſe præoccupante, cœpit infirmari. Et ſollicita de obitu ſuo, memoratum ad ſe accerſiri fecit *Presbyterum*, & accepto de manu ejus optato viatico, feliciter migravit ad Dominum. Ipſa vero eleemoſynis ſemper intenta, qvia in ſeculi qvoqve rebus dives erat, filiæ ſuæ prædictæ, *Cathle* nomine, injunxerat, ut, poſt ſuum ex hac luce diſceſſum, cuncta, qvæ illius erant, in pauperes diſpenſaret. Et qvia hic minus pauperes (i) inveniuntur, poſt obitum, inqvit, meum, cum tibi prima opportunitas evenerit, venditis omnibus, qvæ hic diſpenſata non fuerunt, ſume tecum & vade ad *Dorſtadum* (k). Ibi ſunt Eccleſiæ plurimæ (l), & ſacerdotes ac clerici, ibi indigentium multitudo; illo adveniens, qvære, qvi te doceant, fideles, qvomodo ea diſpenſes, & pro animæ meæ remedio omnia diſtribue. Poſt exceſſum itaqve matris, filia, qvæ mater juſſerat, ſtrenue adimplevit. Arreptoqve itinere, perveniens ad *Dorſtadum*, religioſas ibi exqviſivit fæminas, qvæ cum ea loca ſancta circumirent,

&, qvid

(c) Conf. infra Cap. XVIII.

(d) Edit. Col. *Frethuburg*, al. *Fridburg*.

(e) Gautbertus e Svecia expulſus eſt Anno 845. Vid. ſupra Cap. XV.

(f) Edit. Col. *Simonis*, de qvo *Gautberti* cognomine vid. ſupra Cap. XIII.

(g) Poſt *Gautberti* diſceſſum, qvi fiebat in prima æſtate Anni 845, *Fridcburgis* Anno 848. in autumno emit vinum, qvod conſervavit fere tribus annis usqve ad *Ardgarii* adventum Anno 851.

(h) De *Ardgario* ſupra Cap. XVI.

(i) Locus præcipuus de paucitate mendicorum & pauperum in Svecia Seculo IX.

(k) De *Dorſtado*, vide ſupra Cap. VII. Not. (c).

(l) Refert *Trithemius* Chron. Hirſaug. ad An. 856. fuiſſe tum in vico Durſtaden *Eccleſias parrochiales qvinqvaginta qvinqve*, qva fide, ipſe videat. Sic & *Joh. de Beka* p. 26. vid. Not. (b). ibid. p. 29. De Eccleſiis Doreſtadi *Ubkirca* & *S. Martini*, vid. *Wilh. Heda* p. 64.

&, qvid cuiqve diſpenſari deberet, eam inſtruerent. Cumqve ergo qvadam die, cauſa diſpenſandi, loca ſancta peragrarent, & medietas jam diſtributa eſſet, ipſa ſociis ſuis dixit: Nunc jam laſſæ ſumus, melius eſt, ut nobis aliqvid de vino ematur, unde refocillari posſimus, & ſic demum cœpta peragamus. Datis igitur ad hoc *ſeptem* (m) *denariis*, & viribus reſumptis, qvod cœpere, peregerunt. Qvibus completis, ipſa ad hoſpitium ſuum rediens, ſaccum, in qvo argentum fuerat, in qvodam loco vacuum poſuit, ſed largiente ſuperno munere, denuo ipſum locum adiens, ſicuti antea fuerat, plenum invenit. Qvæ tanto obſtupefacta miraculo, adſcitis ad ſe, qvæ cum ea prius ierant, religioſis fœminis, qvid ſibi contigerit, oſtendit. Coram qvibus, qvid ibi eſſet, computans, tantumdem pretii eſſe invenit, qvantum illo advexerat, exceptis *decem* (n) *denariis*. Conſilio itaqve ab eis accepto, ivit ad ſacerdotes, qvi ibi probabiliores videbantur, & id ipſum eis innotuit (o). Qvi gratiam Dei pro tanta ejus bonitate laudantes, qvod ejus labori ac bonæ intentioni Dominus ea retribuerit, intimabant. Qvia cum, inqviunt, matri tuæ obediens fuiſti, & fidem tuam circa eam illibatam ſervaſti, & tanti itineris labore ſuſcepto, eleemoſynam illius ſtrenue impleſti, Dominus omnium bonorum retributor, pro mercedis retributione & neceſſitatis tuæ ſubſidio, iſta tibi contulit. Ipſe nempe eſt omnipotens, & omnibus ſufficiens, nullius indiget. Ipſe qvoqve omnia, qvæ pro illius nomine a fidelibus in neceſſitates pauperum ac ſervorum illius diſtributa fuerint, in cœleſti regno compenſabit. Qvod ita eſſe, ne aliqvo modo dubitares, & ne te cenſus dati diſtributio pœniteret, hoc te Dominus miraculo certificare dignatus eſt. Hoc jam ſigno, qvod mater tua cum Domino ſalva ſit, firmiter crede; hoc miraculo admonita, tu qvoqve tua pro Chriſto dare ne timueris, certa, qvod tibi a Domino recompenſabuntur in cœlis. Iſta ergo tibi a Domino donata tua ſunt, & tuo arbitrio, qvomodocunqve volueris, ea diſpenſabis. Nam ea, qvæ in uſus tuos acceperas, ipſe tibi reddere noluit, qvia ea tantum ſua benignitate retribuit, qvæ pro ejus amore in pauperes illius diſtributa fuerunt.

Caput XVIII.

Reditus Ardgarii ex Svecia.

Igitur poſt diſceſſum (p) prædicti viri *Herigarii* (q) jam memoratus Sacerdos Dei *Ardagarius* (r), amore ſolitariæ, qvam ante duxerat, vitæ, ab illis partibus egreſſus, locum ſuum repetiit (s). Sicqve denuo Chriſtiani, ibi poſiti, ſacerdotali ſunt præſentia deſtituti. Qvare manifeſto patuit judicio, qvod ad corroborandam fidem præfati viri *Herigarii*, nec non & ſupradictæ Matronæ (t), pariterqve ut exitum eorum divinæ commendaret clementiæ, & qvod fideliter deſideraverant, myſterium videlicet ſacræ communionis, pro ultimo viatico perciperent, jam dictus Anachoreta *Ardgarius* ad illas partes deſtinatus fuerit. Verum inter hæc ſuperius comprehen-

(m) Edit. Col. *qvatuor*. Gualdo Poeta, ut & vetus Interpres Svecicus, etiam *qvatuor* habent.

(n) Edit. Col. & Vet. Interpres Svecicus habent *qvatuor*. Verus ſenſus erit, eam tantum reperiſſe, qvantum in eleemoſynas diſtribuerat, non vero eos denarios, qvos in refectionem ſuam conſumſerat.

(o) i: notum fecit, indicavit.

(p) Al. *exceſſum*. Vid. ſupra ad finem Capitis XVI.

(q) De *Herigario*, vid. ſupra Cap. X. XVI.

(r) Al. *Artgarius* & *Ardgarius*. Vid. ſupra Cap. XVI. XVII.

(s) Ardgarium Anno 852. ex Svecia diſceſſiſſe puto.

(t) Edit. Col. *Frekuburgis*. Vid. ſupra Cap. XVII.

ſa (u) contigit, bonæ memoriæ LUDOVICUM Serenisſimum Imperatorem, divino ordinante judicio, vita præſenti deceſsiſſe (v). Poſt cujus obitum, cum de *Regni diviſione* magna fuerit perturbatio, Paſtoris qvoqve noſtri labefactari cœpit *Legatio.* Nam cum Cella ſupradicta *Turholt* (x) in partem ceſsiſſet venerandi Regis CAROLI (y), ipſe eam a ſervitio, qvod pater ſuus diſpoſuerat, amovit (z), & Vobis bene cognito dedit *Reginario* (a). Pro qva re cum & a fratribus ſuis (b) glorioſisſimis Regibus, & a multis qvoqve aliis ſæpius fuiſſet admonitus, & ipſe eorum petitioni nullatenus aſſentiret, jam dictus Pater noſter multiplicibus tunc atteri cœpit neceſsitatibus & indigentiis. Unde contigit, ut & fratres Veſtri, qvi hic tunc cum eo aderant, ad Veſtram ſocietatem redierint, & multi qvoqve alii cauſa paupertatis eum dereliqverint. Ipſe tamen cum paucis, qvi cum eo ſubſtiterant, prout poterat, ſe agebat, & licet in paupertate degens, injunctum ſibi officium neqvaqvam deſerere voluit.

Caput XIX.

Epiſcopatus Bremenſis Hamburgenſi unitus.

Dominus qvoqve humilitatem ejus & patientiæ fortitudinem conſpiciens, qvia cor Regis in manu Domini eſt, clementisſimi Domini & Senioris (c) noſtri LUDOVICI (d) Regis, qvi poſt patrem ſuum hujus regni gubernacula ſuſcepit, ad hoc animum incitavit, ut qværere inciperet, unde ei ſolatium ſubſiſtendi facere poſſet, qvo Legationis ſuæ mandatum perficeret. Et qvia in hac provincia Cellam nullam huic Legationi habebat congruam: Erat autem ibi juxta *Epiſcopatus Bremenſis Eccleſiæ* tunc deſolatus Paſtore (e), illum ei dare diſpoſuit. Unde in *publico Conventu Epiſcoporum*

(u) Incipit hic Auctor noſter ea narrare, qvæ diu antea Cap. XIV. interſerenda forent, & partim ante excidium Hamburgenſe, partim poſt, acciderant.

(v) *Ludovicus Pius* obiit An. 840. d. 20. Junii.

(x) De *Turholt* vide ſupra Cap. XI. p. 450. Not. (t).

(y) *Caroli* nempe *Calvi*, cui pro hæreditate paterna obtigerat *Gallia.*

(z) Conf. *Adam. Brem.* p. 8.

(a) Circa An. 843. aut 844. De *Reginario* conf. infra Cap. XXX.

(b) *Lotharío* ſcil. Imperatore, & *Ludovico* Germaniæ Rege.

(c) *Senioris* o: Principis, Domini, Heri, in qva ſignificatione apud Medii ævi Scriptores ſæpius legitur, vid. *Lambecii* Not. ad Rembertum ap. Lindenbr. p. 134.

(d) *Ludovici* ſcil. Germaniæ Regis, filii *Ludovici Pii.*

(e) Epiſcopatus Bremenſis tum vacabat, mortuo *Leuderico.* Ille qvo anno obierit, diſſentiunt Scriptores. In Vita Anſcharii *obſcure notatur tempus*, inqvit *Adamus* p. 8. *Albertus Stadenſis* fol. 91. b. obitum ejus ad An. 844. d. 22. Aug. ſive IX. Kalend. Sept. ponit. Eundem diem habet *Adamus*, p. 7. 8. de anno incertus. *Hiſt. Archiep. Br.* ap. Lindenbr. *d. VIII. Kal. Sept.* habet, qvod parum differt. Annus autem 844. conſiſtere non poteſt; ſi verum ſit, qvod *Adamus* p. 8. & *Hiſt. Arcb. Br.* l. c. narrant, *Anſcharium* poſt excidium Hamburgenſe, qvod An. 845. circa medium æſtatis accidit, exulem *Bremam* veniſſe, & propter invidiam a *Leuderico* Epiſcopo e civitate expulſum eſſe. Opinor ergo, *Ludericum* eodem anno brevi poſt mortuum eſſe, die ſcil. 22. aut 23. Auguſti 845. Hæc opinio qvodammodo conciliari poteſt cum verbis Adami: *Leudericus*, inqvit, *ſedit annos octo; ex libro Traditionum diſcimus, eum ſediſſe usqve ad Annum Luthowici junioris ſextum.* Qvæ ita explico: Si *Leudericus*, ad meam computationem, An. 838. *in Majo* factus ſit Epiſcopus, mortuus eſt *octavo Epiſcopatus ſui anno* in Auguſto 845. & ſimul *anno ſexto Ludovici Germanici.* Apparet hinc, errare *Trithemium* Chron. Hirſaug. p. 20. qvi *Leudericum Bremenſem Epiſcopum* inter plures Epiſcopos Anno 848. in Octobri adfuiſſe Synodo Moguntinæ; aut ergo expungendus eſt ille Epiſcopus, aut ſi adfuerit cuidam Synodo, illa ante Annum 845. habita ſit. Item errant *Chronogr. Saxo* ap. Leibnit. p. 138. & *Annaliſta Saxo* ap. Eccard. T. I. p. 194. qvi *Luidericum* mortuum volunt Anno 849. Ludovici IX.

porum (f), cæterorumqve fidelium ſuorum, tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere Canonica auctoritate liceret. Dominus enim & Paſtor noſter hoc ſibi periculoſum eſſe aliqvomodo formidans, & ne a qvibuslibet nævo cupiditatis reprehenderetur, caute prævidens, non facile huic diſpoſitioni aſſentiebat. Jubente itaqve Rege, hæc eadem res in *Concilio Epiſcoporum* ventilata eſt. Qvi multis præcedentibus exemplis probaverunt, bene poſſe fieri, ut, qvia *Diœceſis* illa, ad qvam ordinatus fuerat ipſe, admodum parva erat, nam non niſi *qvatuor baptismales* (g) habebat *Eccleſias*, & hæc ipſa (h) multotiens jam *Barbarorum* incurſionibus devaſtata, iſta ei cauſa ſolatii (i) adjungeretur. Verum ne in aliqvo ſcrupulum *Ferdenſis* pateretur *Epiſcopus*, qvod etiam partem, de ſuo Epiſcopatu *ultra Albiam* ſumptam, ipſe cum *Bremenſi* tota ſimul parrochia retineret, ſtatuerunt, ut, ſicut tempore Domini LUDOVICI Imperatoris primo fuerant Epiſcopatus ipſi, & *Bremenſis* ſcilicet & *Ferdenſis*, reſtituerentur, & ipſe teneret *Bremenſem*, ex qva major pars Diœceſis ſuæ ſumpta fuerat, qvæ etiam tunc

(f) Totum hoc Caput XIX. videtur loqvi de *tribus diſtinctis Synodis* ſive *Conciliis*, ſive *Conventibus publicis*, in qvibus cognita ac deliberata eſt qvæſtio de Bremenſi Eccleſia cum Hamburgenſi unienda. Non autem additur, ubi & qvando illi Conventus celebrati ſunt. Si igitur conjecturis locus detur, crederem cum *Schatenio* Annal. Paderb. p. 133. hanc qvæſtionem prima vice a *Ludovico* Rege, recentem *Anſcharii* caſum dolente, propoſitam Epiſcopis fuiſſe in *Concilio Paderbornenſi*, ſub initio Decembris An. 845. celebrato, de qvo ad hunc annum *Annales Fuldenſes* ita tenent: *Tempore Autumni, in Saxonia apud Padraprunno generale placitum habuit, ubi Normannorum* (inter alias) *Legationes ſuſcepit.* Et forte inter ceteros Epiſcopos præſens tum fuerit ipſe *Anſcharius*, tunc non facile huic diſpoſitioni aſſentiens, ut *Remberus* loqvitur. Interim Anno ſeqventi 846. videtur *Ludovicus Anſcharío* diu reſiſtenti Epiſcopatum donaſſe, ſi modo computatio Adami p. 8. conſtabit, qvod ſcil. *Anſcharius* annos XVI. ante & XVIII. poſt receptam Sedem Bremenſem Archiepiſcopus fuerit. *Alterum Concilium*, in qvo, jubente Rege, hæc eadem res ventilata eſt, ſine dubio *Moguntienſe* primum fuit, qvod *Hrabanus* recens ordinatus Moguntienſis Archiepiſcopus An. 847. habuit, de qvo *Annales Fuldenſes* ita: *Qvi in eodem anno, jubente Hludovico Rege, apud Moguntiacum Synodum habuit circa Kal. Octobris.* Acta hujus Synodi [vid. *Binii* Concil. T. III. P. I. p. 372.] docent, præter ceteros Epiſcopos, tum adfuiſſe ipſum *Anſcharium*, forte ut deſignatum Bremenſem Epiſcopum, una cum *Waltgario* Verdenſi Epiſcopo, qvi, teſtante *Remberto*, adverſus hanc conjunctionem ſcrupulum aliqvem movebat. *Tertium* deniqve *Concilium* fuit, ut puto, *Moguntienſe* alterum, cujus iidem *Annales Fuldenſes* ad An. 848. hiſce meminere: *Circa Kal. Octobris generale Placitum* [*Hludovicus*] *habuit apud Mogontiacum, in qvo Legatos fratrum ſuorum & Nordmannorum Slavorumqve ſuſcepit, audivit, & abſolvit.* Conf. *Binii* Concil. T. III. P. I. p. 377. In hoc Conventu ipſa re iterum diligentius ventilata, ut verbis Remberti utar, *Waltgarii* ſcrupulus remotus eſt, & voluntas Regis, de Bremenſi Epiſcopatu cum Archiepiſcopatu Hamburgenſi conjungendo, unanimo Epiſcoporum conſenſu approbata eſt. Poſt qvod Synodale concluſum, ſeqventi Anno 849. qvi erat *annus IX. Ludovici* Regis, teſtante *Adamo* p. 8. *Anſcharius* a Legatis Regis *Aldrico* Clerico & Comite *Reginbaldo* in Epiſcopatum Bremenſem ductus eſt. Conf. *Albert. Stadenſ.* ad An. 845. Hoc autem notandum, pleraqve Comitia, iis temporibus a Regibus indicta, fuiſſe ſimul ſynodos ſacras & a Prælatis æqve ac Proceribus Imperii freqventata; in iis enim non tantum politicæ ſed etiam eccleſiaſticæ res tractabantur. Conf. qvæ de duobus tantum Conciliis, & qvidem An. 849. haud ſatis conſiderate ſcripſit *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 404. ſq. Ego hiſce, ut ſpero, veram *Remberti* ſententiam de *tribus diverſis Conventibus publicis* aliqvaliter extricavi, niſi loco primi illius Concilii, ſcil. *Paderbornenſis*, ſubſtituere malis *Conventum Wormatienſem*, ſi modo talis circa An. 846. habitus ſit, de qvo vide ſupra p. 402.

(g) Qvænam fuerint *qvatuor* illæ *Eccleſiæ baptismales*, qvæ tempore S. Anſcharii, & qvidem circa An. 845. ſub Diœceſi Hamburgenſi extiterunt, haud ſatis notum eſt. Una fuit ipſa *Hamburgenſis Eccleſia*, altera ſine dubio *Heiligenſtadenſis* in Holſatia, in qva Reliqviæ S. Materniani repoſitæ ſunt, & qvæ poſtea ab Adelberto Archiepiſcopo Epiſcopatui erigendo deſtinata fuit, *Adam. Brem.* p. 7. 41. Tertia vero & qvarta num fuerint, *Sullenbergenſis*, in qva poſtea Præpoſitura *Ad. Brem.* p. 35. 40. & *Welnenſis* Cellæ, qvæ Ebboni conceſſa fuerat, de qva ſupra Cap. XII, incertum eſt. Niſi loco duarum poſteriorum Eccleſiarum potius ſubſtituere velis Sconenfeldenſem in Holſatia & Meldorpenſem in Ditmarſia, de qvibus *Adamus Brem.* L. II. c. 8.

(h) Scil. Hamburgenſis Eccleſia.

(i) Nempe Bremenſis Eccleſia.

tunc Paſtoris erat præſentia deſolata. Qvo decreto ita ab Epiſcopis conſtituto, ipſe, jubente Rege, *Bremenſem* ſuſcepit *Diœceſim* gubernandam. Porro partem Parrochiæ, qvæ *ultra Albiam* ad ſe pertinere debebat, *Waldgarius* recepit, tunc (k) *Ferdenſis Epiſcopus.* Qvod cum ita aliqvamdiu eſſet, iterum diligentius ipſa re in alio *Concilio Epiſcoporum* ventilata, viſum eſt eis, bonum non eſſe, ut Sedes, ad qvam ille ordinatus fuerat, ab alio Epiſcopo teneretur. Nam *Hammaburg* tunc in partem ceſſerat *Waldgarii*, poteſtatem qvidem Regis eſſe, dicentes, ut Diœceſim parvam & admodum captivatam augeret, locum (l) tamen ad *Archiepiſcopalem dignitatem* auctoritate Apoſtolica firmatum nullatenus immutandum. Unanimo ergo conſenſu, cum voluntate prædicti Regis piiſſimi LUDOVICI, Epiſcopi ibi conſtituti cenſuerunt, ut Sedem, ad qvam conſecratus fuerat Pater noſter *Anſcharius*, reciperet, & ſi qvid *ultra Albiam* ex *Ferdenſi* ipſe retineret *Diœceſi*, ex *Bremenſis Eccleſiæ parrochia* illius Sedis reſtitueret Epiſcopo. Qvod ita, & *Regio juſſu*, & *Synodali Epiſcoporum Decreto*, ipſius qvoqve *Waldgarii* memorati *Ferdenſis* Epiſcopi voluntate ſtatutum (m) eſt.

Caput XX.

Conjunctio Epiſcopatuum oppugnata, auctoritate Apoſtolica confirmata.

Porro cum hæc agerentur, *Colonia* civitas, ad qvam *Bremenſis Parrochia* ſuffraganea erat, eo tempore absqve benedictione Epiſcopali degebat (n). Qvod qvia *diuturnum extitit*, iſtud etiam ſine illius loci Pontificis præſentia neceſſario decernendum fuit. Poſtea tamen, conſecrato ad eundem locum venerabili Præſule *Gunthario*, hoc ipſum Dominus & Pater noſter ei ſuggerere ſtuduit, ut ſua qvoqve auctoritate firmaretur, cui tamen rei ipſe admodum contrarius extitit. Qva de cauſa poſtmodum, in *Wormacia* civitate (o) poſitis duobus Regibus (p), LUDOVICO ſcilicet & LOTHARIO, coram multa Epiſcoporum utriusqve Regni freqventia, præſente venerabili Patre noſtro, hæc eadem res expoſita eſt. Qvod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus qvoqve Pontifex *Guntharius* hoc ipſum ſua auctoritate

(k) *Hilingaudus* antea erat Epiſcopus Ferdenſis, de qvo ſupra Cap. XI. *Waldgarius* An. 847. Concilio Moguntino interfuit, *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 392. 394.

(l) *Hamburgum* ſcilicet. Nihilominus tamen Sedes Archiepiſcopalis poſtea Bremam translata eſt.

(m) Al. add. *& aſſenſu perfectum.*

(n) *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 364. ex Annalibus ineditis monſtrat, *Hadeboldo* Archiepiſcopo Colonienſi circa An. 842. obeunti ſucceſſiſſe *Hilduinum*, qvo mortuo, *Gunthurius* An. 850. factus eſt Archiepiſcopus. Heic autem ex *Remberto* diſcimus, Sedem Colonienſem inter *Gunthurium* & Anteceſſorem ejus diu vacaſſe, unde concluditur, *Hilduinum* paucis annis Sedi præfuiſſe, ac forte circa An. 845. obiiſſe; alias enim ad Bremenſis Eccleſiæ, qvæ Colonienſi ſuffraganea erat, conjunctionem cum Hamburgenſi, de qva ab Anno 845. & ſeqventibus agebatur, conſilium ejus & conſenſum neceſſario adhibuiſſent.

(o) De hoc conventu, An. 857. *Wormatiæ* habito, qvo *Lothurius* patruum ſuum *Ludovicum* ex Confluente caſtello comitabatur, ita in Annal. Fuldenſ. legitur: *DCCCLVII. tempore Qvadrageſimæ Placitum habuit apud Wangionum civitatem.* Inter ceteros Epiſcopos *Anschurius* & *Gunthurius* aderant. Etiam *Vet. Schol.* (7) ad Adamum p. 9. hoc ita perſeqvitur: *Concilium unionis factum eſt Wormatiæ, præſente Cæſare cum Epiſcopis, ſicut Privilegium teſtatur.* Hoc in Privilegio *Ludovici* Regis, qvod ſine dubio jam periit, extitiſſe conjicitur; in Bulla enim *Nicolai* Papæ de Eccleſiar. Hamb. & Brem. unione *Wormatiæ* non fit mentio. Hallucinatur autem *Vetus Scholiaſtes*, dum *Ludovicum* Germaniæ Regem *Cæſarem* appellat, qvod & ipſe *Adamus* p. 8. 9. fecit, cum tamen hunc temporis hujus ex fratre nepos *Ludovicus II.* Imperator Rom. eſſet.

(p) Sub LUDOVICO erat *Brema*, ſub LOTHARIO *Colonia.*

ctoritate firmaret, cuncti rogaverunt. Qvi primo qvidem fortiter his reniti cœpit, juſtum non eſſe, multipliciter aſſerens, ut *Sedes ſuffraganea* in *Archiepiſcopalem* verteretur, nec ſe debere honorem Sedis ſuæ in aliqvo minuere. Poſtremo tamen, & ipſis Regibus, & cunctis ſimul Epiſcopis, ibi aggregatis, pro hoc ipſo cum rogantibus, & omnino cauſa neceſſitatis id licitum fore dicentibus, reſpondit: Si Apoſtolica auctoritate firmaretur, ex ſe qvoqve ratum eſſe (q). Qvo reſponſo accepto, cum etiam omnes *Suffraganei* ejus hæc eadem conſenſiſſent, piiſſimus Rex jam dictus LUDOVICUS, cupiens & Patris ſui eleemoſynam in omnibus augmentare, & qvod ipſe diſpoſuerat, per omnia ratum fieri, reverendiſſimum *Salomonem*, Conſtantiæ civitatis Epiſcopum, pro hoc ipſo ad Sedem direxit Apoſtolicam. Cum qvo etiam Dominus & Pater noſter *Anſcharius*, qvia ipſe per ſe non poterat, filium (r) ſuum, fratrem noſtrum, *Nordfridum* miſit Presbyterum. Qvi officioſiſſime a ſanctiſſimo ſuſcepti Papa *Nicolao*, Legationis ſuæ mandatum ei plane & dilucide retulerunt. Qvi prudenter & ſollicite ea, qvæ ab ipſis dicebantur, mente pertractans, & Deo inſpirante, pro lucrandis animabus gentilium, hanc conſtitutionem juſtam eſſe decernens, voluntatem Regis (s) noſtri ſua auctoritate firmavit. Deniqve ut ipſam rem diligentius ab eo elucubratam manifeſtius aperire poſſimus, verba ipſius interponere decrevimus. Cum enim cauſam Legationis ejus & cætera ſuperius comprehenſa plene & breviter recapitulaſſet, deniqve ſubjunxit (t): „Cujus delegationis, & auctoritatis, & Pallii „acceptionis pagina nobis eſt a filio noſtro LUDOVICO per *Salomonem* ſanctiſſimum „Epiſcopum deſtinata, juxta morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ bullata: per cujus te„norem paginæ hæc ita fuiſſe comperimus, ſicut pietas nobis jam fati Regis per fide„lem virum *Salomonem* ſcilicet Epiſcopum intimavit. Unde nos veſtigia tanti Pon„tificis, & prædeceſſoris noſtri ſeqventes *Gregorii*, omnemqve ibi Deo dignam ſta„tutam providentiam agnoſcentes, magnorum Principum votum, LUDOVICI vi„delicet divæ recordationis Auguſti, & æqvivoci ejus filii excellentiſſimi Regis, tam „hujus Apoſtolicæ auctoritatis præcepto, qvam etiam *Pallii* (u) datione, more præ„deceſſorum noſtrorum roborare decrevimus, qvatenus tanta fundatus auctoritate „prænominatus *Anſcharius*, primus *Nordalbingorum Archiepiſcopus*, & poſt ipſius „ſucceſſores ejus, lucrandis plebibus inſiſtentes, adverſus tentamenta Diaboli validio„res exiſtant: ipſumqve filium noſtrum, jam dictum *Anſcharium*, Legatum in omni„bus circumqvaqve gentibus *Sveonum* ſive *Danorum*, nec non etiam *Sclavorum*, „vel in cæteris, ubicunqve illis in partibus conſtitutis, divina pietas oſtium aperuerit, „publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem. Ipſamqve *Sedem Nordalbingo„rum*, *Hammaburg* dictam, in honore *S. Salvatoris* ſanctæqve ejus intemeratæ ge„netricis *Mariæ* conſecratam, *Archiepiſcopalem* deinceps eſſe decernimus, atqve ut „ſtrenui prædicatoris Epiſcopi, poſt deceſſum crebro dicti *Anſcharii* Archiepiſcopi, „perſona, tantoqve officio apta, eligatur ſemper ſucceſſura, ſub divini judicii obte„ſtatione ſtatuimus. Verum qvia CAROLUS Rex, frater ſæpedicti Regis LUDO-

(q) Conf. *Adam. Brem.* p. 9.

(r) *Filium* ſcilicet *ſpiritualem*, eodem modo, qvo ſupra Cap. XVI. Herigarius dicitur *filius S. Anſcharii*, eo qvod eum baptizaverat ac in fide confirmaverat, conf. Cap. X.

(s) *Adam. Br.* p. 9. innuere videtur, præter confirmationem Papæ *Nicolai*, a *Ludovico* Rege anno regni XXI, etiam datum eſſe *Privilegium* ſive *Præceptum* de Hamburgenſis & Bremenſis Eccleſiarum conjunctione, qvod tamen nunqvam in lucem prodiit.

(t) Seqvitur fragmentum Reſcripti Papæ *Nicolai I.* de *conjunctione Hammaburgenſis & Bremenſis Eccleſiæ*, qvod Anno 858. in Majo datum eſt. Illud in extenſo legitur ap. *Staphorſt* T. I. p. 41.

(u) De *Pallii* uſu vid. *Lindenbrogii* Cod. Leg. ant. p. 1451. & *Du Fresne* Gloſſar. in voce *Pallium*.

„ VICI, poſt diſceſſum Imperatoris Patris ſui piæ memoriæ LUDOVICI, abſtulit a „ prænominato loco, qvi dicitur *Hammaburg*, monaſterium, qvod appellatur *Tur-* „ *holt* (v), utpote qvod, poſt partitionem inter fratres ſuos, in Regno ſuo conjacere „ videbatur, ſitum in *occidentali Francia*, qvod illic *genitor* ſuus ad ſupplementum „ & victum Epiſcopo & Clericis ejus dederat, cœpere, ſicut fertur, omnes miniſtri „ altaris recedere; Deficientibus qvippe neceſſariis ſumptibus, ab ipſis receſſerunt gen- „ tibus, & eadem *ad gentes Legatio* per hujusmodi factum defecit. Ipſa qvoqve *Me-* „ *tropolis Hammaburg* pene deſerta facta eſt. Igitur dum hæc agerentur, mortuus „ eſt *Diœceſeos Bremenſis Epiſcopus*, qvæ huic contigua eſſe dicitur. Cumqve ſæpe- „ dictus Rex, & hanc Diœceſim vacantem, & illam novellam Inſtitutionem cerneret „ deficientem, inſuper & utramqve hanc Eccleſiam, Dei permittente occulto judicio, „ per *Barbarorum* ſævitiam admodum attenuatam: qværere cœpit, qvaliter prædicta „ *Bremenſis Eccleſia* prædicta novellæ *Archiepiſcopali* uniretur ac ſubderetur *Sedi*, no- „ ſtro hoc votum roborante decreto: Unde per ſæpenominatum venerabilem miſſum „ *Salomonem*, videlicet Conſtantiæ civitatis Epiſcopum, nobis hoc relatum eſt confir- „ mandum, ac poſtulatum eſt noſtra auctoritate roborandum. Nos igitur id ſubtili „ perpendentes examine, animadvertimus, propter inſtantem neceſſitatem, & anima- „ rum lucra in gentibus demonſtrata, utile fore. Omnia enim, qvæ proficua Eccle- „ ſiæ probantur exiſtere, & divinis non reſultant præceptionibus, licita & facienda „ eſſe non dubitamus; maxime in tam novellæ Chriſtianitatis plantatione, in qva varii „ ſolent eventus contingere. Qvamobrem auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum „ Apoſtolorum Petri & Pauli, & hoc noſtro decreto, decernimus, ſecundum reve- „ rendiſſimi Regis LUDOVICI votum, ipſas prædictas Diœceſes *Hammaburgenſem* „ ſcilicet & *Bremenſem*, non deinceps duas, ſed unam eſſe & vocari, ſubdiqve *Sedi*, „ qvæ Prædeceſſoris noſtri decreto *Archiepiſcopali* eſt munere ſublimata, reſtituta dun- „ taxat de *Bremenſis Eccleſiæ* rebus *Epiſcopatui Ferdenſi* parte inde ante ablata; Nul- „ lus vero *Archiepiſcopus Colonienſis* ullam ſibi deinceps in eadem Diœceſi vindicet „ poteſtatem. Qvin immo & ipſis & omnibus omnino ſvademus vere religionis cul- „ toribus, ut *ſacra hac Legatione* fungentibus adjutorio & ſolatio ſint; qvatinus gra- „ tia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo, qvi dixit: Ite, do- „ cete omnes gentes, & qvicunqve receperit vos, me recipit. Itaqve omnia a dilecto „ filio noſtro Rege LUDOVICO ad hoc Deo dignum officium deputata, noſtra etiam „ pia ejus vota auctoritate firmamus. Et qvia caſus præteritorum nos cautos faciunt „ in futurum, omnem qvoqve adverſantem vel contradicentem, atqve piis noſtris his „ ſtudiis qvolibet modo inſidiantem, anathematis mucrone percutimus, atqve perpe- „ tuæ ultionis reum diabolica ſorte damnamus: ut culmen Apoſtolicum more præde- „ ceſſorum noſtrorum, cauſamqve Dei pio affectu zelantes, ab adverſis hinc inde par- „ tibus tutius muniamus". His itaqve Decretis atqve inſtitutionibus Papæ ſanctiſſimi *Nicolai*, *Bremenſis Eccleſia*, adjuncta & unita *Sedi Hammaburgenſi*, qvæ prius *Metropolis* conſtituta fuerat, facta eſt *Archiepiſcopalis*. Verum qvia de Diœceſeos illius ratione ita firmata hæc præoccupando diximus, multum enim fuit temporis, ex qvo Sedem illam gubernandam ſuſcepit (x), priusqvam auctoritate Apoſtolica firmaretur. Ad *ea, qvæ prius* (y) *geſta ſunt*, redeamus.

Ca-

(v) De *Turholt*, vide ſupra Cap. XI. Not. (t).

(x) Hæc verba repetit Adamus p. 8. Anscharius enim An. 849. Sedem Bremenſem gubernandam ſuſcepit, plenam demum poſſeſſionem aſſecutus Anno 858. per Bullam *Nicolai* Papæ.

(y) Scil. ante Annum 858. qvo Bulla Papæ Nicolai confirmatoria edita eſt.

Caput XXI.

Legatio in Daniam resumta.

Namqve susceptа *Bremensi Parrochia* (z), iterum spiritu cœpit fervere intimo, qvia jam tunc, qvod daret, habebat (a), si qvid posset in *Partibus Danorum* pro Christi elaborare nomine. Unde freqventius ORICUM (b) adire (c), qvi tunc solus *Monarchiam regni* tenebat *Danorum*, & muneribus eum, ac qvibuscunqve poterat obsequiis, conciliare studuit, ut sua licentia prædicationis officio in regno ejus frui valeret. Aliqvotiens namqve *Regia* (d) etiam *Legatione* ad eum mittebatur, & qvæ ad fœdera pacis & utriusqve regni utilitatem pertinebant, strenue & fideliter (e) perage-bat. Qva de re cognita fide & bonitate sancti viri, prædictus ORICUS Rex multo eum affectu cœpit venerari, & libenter ejus consilio uti, ac familiarissimum in omnibus (f), ita ut etiam inter secreta sua, dum de *negotiis regni* cum *Consiliariis suis* tractaret, ipsi liceret interesse (g). Ea qvoqve, qvæ inter populum hujus terræ, videlicet *Saxonum*, ac *Regnum ipsius*, causa fœderis, debebant constitui, non aliter nisi fide illius volebat firmari, hoc sibi dicens omnino fidissimum (h) esse, qvod ille ei & laudasset & spopondisset. Hac itaqve familiaritate potitus, cœpit etiam illi persvadere, ut fieret Christianus (i). Ille qvoqve omnia, qvæ ei ex divina intimabat Scriptura, benigne audiebat, & bona prorsus ac vere salutaria esse laudabat, seqve his plurimum delectari, ac libenter Christi velle gratiam promereri. Cui, post talia vota, Pater sanctissimus patenter (k) suggerere cœpit, ut Christo Domino hanc concederet benevolentiam, qvod ei gratissimum foret, ut in Regno suo *Ecclesiam* (l) fieri permitteret, ubi

(z) Bremensis Ecclesiæ susceptionem computari debere puto ab *introductione Anscharii* in eandem, qvæ, ut supra monui, Anno 849. per Legatos Regios fiebat. Qvem etiam annum indigitat *Adamus Brem.* p. 8. his verbis: *Sanctus Ansgarius receptus Bremis, annos XVIII. sedit, antea Hammaburgensi Cathedræ præfuit annis XVI. qui sunt simul XXXIV.* Ab anno enim 831. ad 849. sunt XVIII. & ab Ann. 849. ad emortualem Anscharii 865. sunt XVI. anni.

(a) Hoc Regalis munificentiæ dono Confessor Dei valde gavisus, in *Daniam* festinavit, ait *Adamus Brem.* p. 8.

(b) Alii *Horicum*, *Horich*, *Horuc* scribunt, nostri *Ericum* eum vocant. Hunc pleriqve confundunt cum *Horico*, Haraldi Moguntiæ baptizati fratre sive nepote, qvem Annales Francorum *Roricum* appellant. *Ericus* autem, de qvo hic agitur, est *primus* ejus nominis Jutiæ Rex, qvi etiam infra a *Remberto* Cap. XXII. XXIII. & XXVIII. nominatur; & loco ultimo *Oricus senior* dicitur. Erat ille *Godefridi* Regis An. 808. interfecti filius, monarchiam regni Jutici, mortuis forte fratribus, nactus circa vel ante An. 850. & in memorabili illo, tot Principum Regii sangvinis cæde celebri, prælio An. 854. occisus, Vid. *Grammii* Not. ad Meurs. p. 119.

(c) Deest vox *cœpit*. Circa An. 850. *Anscharius* alteram hanc Legationem in Daniam incepit, *Erico* solo jam totius Jutiæ arbitrium consecuto.

(d) *Regis* scil. *Germaniæ Ludovici* nomine.

(e) Al. *feliciter*.

(f) Deesse videtur *habere* aut tale qvid.

(g) Hinc apparet, *Anscharium* tunc *lingvam Danicam* calluisse.

(h) Al. *fidelissimum*.

(i) Hinc liqvet, ORICUM sive ERICUM hunc non fuisse illum, qvi cum HARALDO Rege Moguntiæ baptizatus erat, ut qvidam volunt. ERICUM autem hunc, qvem *Anscharius*, ut præter Rembertum *Adamus* p. 8. dicit, *christianum reddidit*, vix dubitari potest, ab eo etiam baptizatum esse. *Auctor* etiam veteris Historiæ Archiep. Brem. ap. Lindenbr. p. 70. de *Anscharo* expressis verbis testatur, qvod *Regem Danix baptizaverit*.

(k) Al. *patienter*.

(l) Ergo ante alterum hunc Anscharii in Daniam adventum, circa An. 850. factum, nullum in hoc Regno Templum exstructum fuerat. Credibile qvidem esse potest, HARALDUM post baptismum An. 826. in patriam reducem, tale qvid tentasse, sed prævalente ethnicismo & idololatria & propter mox insecutam regni

ubi *Sacerdos* omni tempore præſens adeſſet, & verbi divini ſemina ac baptismi gratiam qvibusqve ſuſcipere volentibus traderet. Qvod ille benignisſimo concesſit affectu, & in *portu* qvodam *regni ſui* ad hoc aptisſimo, & huic regioni proximo, *Sleaswic* (m) vocato, ubi ex omni parte *conventus* fiebat *negotiatorum*, *Eccleſiam* (n) illi fabricare permiſit, tribuens *locum*, in qvo *Presbyter* maneret: data pariter licentia, ut, *qvicunqve vellet*, *in regno ſuo fieret Chriſtianus.* Hac ergo, Dominus *Epiſcopus* noſter, accepta licentia, ſtatim, qvod diu deſideraverat, perfecit: Et conſtituta ibi *Eccleſia* in *honore ſanctæ genitricis Dei Mariæ* (o), & conſtituto ibi *Presbytero*, gratia Dei in eodem loco fructuoſius creſcere cœpit. *Multi* namqve ibi antea erant *Chriſtiani*, qvi vel in *Dorſtado* (p), vel in *Hammaburg* (q), baptizati fuerant (r), qvorum qvidam *primores* ipſius *vici* habebantur, & gaudebant, ſibi facultatem datam Chriſtianitatem ſuam obſervandi. Qvorum exemplo multi qvoqve alii & viri & fæminæ, relicta ſuperſtitioſa Idolorum cultura, ad fidem Domini converſi baptizabantur. Factumqve eſt gaudium magnum in ipſo loco, ita ut etiam gentis hujus homines absqve ullo pavore, qvod antea non licebat, & *negotiatores* tam hinc (s), qvam ex *Dorſtado*, vicum (t) ipſum libere expeterent, & hac occaſione facultas totius boni inibi exuberaret. Et (u) cum multi inibi baptizati ſupervixerint, innumerabilis tamen *Albatorum* (v) multitudo exinde ad regna conſcendit cœlorum (x). Qvia liben-

ter

regni perturbationem propoſitum ejus irritum factum eſſe. *Saxo* noſter p. 175. hanc opinionem confirmat, de HARALDO loqvens: *In territorio Slesvicenſi dicandam Deo ædem ſolicita moliebatur impenſa.* Qvod Templum, ſi condi cœptum erat, mox, HARALDO expulſo, a gentilibus deſtructum ſit.

(m) Al. *Sclaſwich*, *Slieswich.* Urbs ita dicta, qvod *Slia* fluvius, ſeu brachium maris Baltici, ea ſe penetret & *ſinum* ibi faciat, qvi Danice dicitur Vig, Germ. Wick. Alio nomine veteres Dani locum vocarunt *Hethеby*, qvod in *Otheri* Periplo *Hethum* dicitur. *Ethelverdo* locus ille oppidum Angliæ veteris capitale audit, qvod ſermone Saxonico *Slesuuic* nuncupatur, ſecundum vero Danos *Haithaby.*

(n) *Adamus* p. 8. hæc ita narrat: *Is* [Horicus] *ſtatim Eccleſiam in portu maritimo erexit apud Sliaswig*, *data pariter licentia*, *ut qvisqve vellet in regno ſuo*, *fieret chriſtianus.* Hæc circa An. 851. facta fuiſſe puto. *Ol. Trygg. Saga* p. 68, HARALDO tribuit, Eccleſiam in *Heideby* ſtruxiſſe. *Chron. Erici* ſupra p. 158. de S. Anschario narrat, qvod ſub HARALDO Eccleſiam in *Hadeborh* conſtruere fecerit. Imo *Saxo Gramm.* p. 175. de ipſo HARALDO KLAK aſſerit, eum in territorio Slesvicenſi dicandam Deo ædem ſollicita molitum fuiſſe impenſa. Hoc qvidem verum eſſe poteſt, ſed merito dubitatur, an aliqva Templi ſtructura in Dania, ante ſupradicti ERICI Regis tempus, perfectionem nacta fuerit.

(o) An ulla unqvam *Slesvici* Eccleſia fuerit, qvæ a *S. Anschario* nomen habuit, incertum eſt, vid. *Stapborſt* T. I. p. 44. *Rembertus* autem heic nos docet, primum *Slesvicenſe Templum beatæ virgini Mariæ* conſecratum fuiſſe.

(p) De *Dorſtado* vid. ſupra Cap. VII. Not. (c).

(q) Scil. *Hamburgo*, anne potius *Brema.*

(r) Multi etiam Danorum iis temporibus in aula Imperatoris baptismum acceperunt, non autem omnes fidei ac devotionis cauſa, ſed propter pretioſas veſtes, arma, aliaqve dona, qvibus baptizati ab Imperatore & Patrinis ornabantur, unde deteſtabiles abuſus exiſtebant, & qvidam ſe ſæpius baptismo ablui fecerunt, ut narrat *Monachus Sangall.* ap. Du Chesne T. II. p. 134.

(s) Hinc diſcimus, Danos illos, qvi ante conſtitutam Slesvici Eccleſiam baptismum deſiderarunt, eum aut *Doreſtadi* in Friſia aut *Hamburgi* apud Anscharium qvæſiviſſe.

(t) Scil. *Sleſvicum.*

(u) Hæc omnia, ab *Et cum* ad usqve ad *intrarent*, in Colonienſi Editione deſunt, ex Codice autem Corbejenſi in ceteris Editionibus reſtituta ſunt.

(v) *Albati* dicebantur *recens baptizati*, ob candidam, qva induebantur, veſtem. Baptismatis illa veſtis, *Alba* vocata, Gallis *l'Aube*, apud veteres Septentrionales dicebatur *Hvita vadir*, vid. *Jo. Olavium* de Baptismo Cap. VIII. & Illuſt. *Ibre* Diſſ. de mortuis in Hvitavadum. De *veſtibus albis* qvibus ab Imperatore *Haraldus* Rex poſt Baptismum induebatur, vid. ſupra *Nigellum* p. 412.

(x) *Remberti* hic ea mens eſt: multos ex gentilibus converſis ſtatim baptismum accepiſſe, multo autem plures Catechumenos tantum permanſiſſe, & baptismum usqve in ultimam vitæ horam diſtuliſſe, & in candida illa veſte, qva poſt baptismum fuerant induti, exſpiraſſe. Tales apud neophytos noſtros ſeptentrionales dicebantur

ter qvidem *ſignaculum crucis* (y) recipiebant, ut *Catechumeni* fierent, qvo eis Eccleſiam ingredi & ſacris officiis intereſſe liceret: *Baptiſmi* tamen perceptionem differebant, hoc ſibi bonum dijudicantes, ut in fine vitæ ſuæ baptizarentur (z), qvatinus purificati lavachro ſalutari, puri & immaculati vitæ æternæ januas absqve ulla retardatione intrarent. Multi qvoqve apud eos infirmitatibus detenti, cum ſe fruſtra idolis pro ſalute ſua ſacrificaſſe viderent, & a propinqvis ſuis deſperarentur, ad Domini miſericordiam confugientes, Chriſtianos fieri ſe devovebant. Cumqve, accerſito ſacerdote, baptismi (a) gratiam percepiſſent, ſtatim incolumes divina largitate fiebant. Sicqve crevit in eodem loco Dei miſeratio, & ad fidem Domini populi converſa eſt multitudo (b).

Caput XXII.

Legatio in Sveciam parata.

Inter hæc vero Dominus & Pater noſter *Anſcharius* pro *gente Sveonum*, eo qvod ſacerdotis tunc præſentia deſolati eſſent, nimio condolens affectu, a præfato poſcere cœpit Rege ORICO (c), ſibi in omnibus familiariſſimo, uti ſuo auxilio fines illius regni petere poſſet. Qvi cum maxima benevolentia hanc qvoqve petitionem ejus ſuſcipiens, ita ſe per omnia facturum promiſit. Qva de cauſa Dominus *Epiſcopus* noſter cum præfato cœpit *Gautberto* (d) Pontifice de hoc ipſo tractare (e), neceſſarium eſſe dicens, ut iterum probaretur, ſi forte gens illa divinitus admonita, ſacerdotes ſecum manere pateretur, ne fides Chriſti, illis in partibus cœpta, eorum negligentia aliqvomodo (f) deperiret. Prædictus vero Pontifex *Gautbertus*, qvi & *Simon*, ſe inde expulſum, rurſus locum illum repetere non auſum, reſpondit, nec id valde proficuum fore poſſe, immo magis periculoſum, ſi denuo priorum reminiſcentes, aliqvid perturbationis circa eum excitarent: ſibi magis congruum videri, ut ille iret, qvi hanc legationem primo ſuſceperat, qvippe (g) benigne ibi habitus fuerat. Ipſe vero

dicebantúr ad andas i Hvitavodum, o: mori in albis, *Ol. Trygg. Saga* T. II. p. 8. 41. *Sn. Sturl.* T. I. p. 308. Sic in ipſis albis obiit Clodovei Regis filius, de qvo ita mater: *Scio, in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos*, *Greg. Turon.* L. II. c. 29. Sic etiam *Cedoaldus* ſive *Cedwalla* Anglo-Saxonum Rex, Romæ a Sergio Papa baptizatus, adhuc *in albis conſtitutus*, ad regna cœleſtia migravit, *Paul. Warnefrid.* in Bibl. Max. Patr. T. XIII. p. 195. *Th. Rudborne* ap. Wharton T. I. p. 194. *Alberici* Chron. p. 64. Conf. *Lambecii* Not. ad Gualdonem ap. Lindenbr. p. 141.

(y) De ritu illo *Primæ Signationis*, per qvem *Signum Crucis* fidei chriſtianæ Novitiis ante baptismum conferebatur, majoribus noſtris *Primſigning* dicto, erudite commentatur *Joh. Olavius* Isl. de Baptismo Cap. V. Exempla hujus ſacri ritus dantur, in *Norna-Geſto*, qvi primam ſignationem non autem baptismum accepit, in *Olavo Tryggonio* Rege, qvi ſancta cruce in Dania ſignabatur, diu anteqvam baptizaretur, & in *Ormone Storolfi* filio, primam Signationem in Dania, baptismum vero in Islandia accipiente, *Ol. Trygg. Saga* T. II. p. 133. 144. 186. & Append. p. 14.

(z) Catechumeni illi, qvi baptismum ad vitæ finem differebant, in veteri eccleſia *Clinici* vocabantur, vid. *Lambecii* Not. ad Remb. ap. Lindenbr. p. 134.

(a) *Adam. Brem.* Lindenbr. p. 8. *Plures, ut aqva baptismi loti ſunt, ab omni corporis infirmitate liberati.* Conf. *Hiſt. Arcb. Brem.* ibid. p. 70.

(b) Conf. *Adam. Brem.* p. 8.

(c) De *Orico* ſ. *Erico I.* Rege Danorum in Jutia, vid. ſupra Cap. XXI. & infra Cap. XXIII. XXVIII.

(d) De *Gautberto*, conf. Cap. XIII. XV. XXV. XXIX.

(e) Hæc *Adamus* p. 8. ita explicat: *Cum Gautberto Epiſcopo conſilium habuit, qvis eorum laudabile pro Chriſto ſubiret periculum: At ille periculum ſponte declinans, Sanctum, potius ut iret, rogavit Ansgarium.*

(f) Al. *aliqvando.*

(g) Al. *qvique.*

cum eo *nepotem ſuum* (h) mitteret, qvi ibi, ſi locus prædicandi inveniretur, remaneret, & ſacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaqve ratum inter ſe decernentes, coram præſentia clementisſimi Regis venerunt LUDOVICI, cauſamqve hujuſcemodi ei retulerunt, atqve ut ejus licentia ita fieri permitteretur, exorabant. Qvi ſciſcitans, utrum ipſi in hac voluntate concordes fuiſſent, reſponſum a venerabili *Gautberto* Pontifice tale accepit: *In Dei*, inqvit, *ſervitio nos ſemper concordes & fuimus & ſumus, & iſtud unanimo conſenſu ita fieri cupimus.* Itaqve ſerenisſimus Rex in Dei cauſa ſemper voluntarius, ſecundum qvod inter eos convenerat, *Legationem* hanc pro Chriſti nomine Paſtori noſtro injunxit religioſisſimo, ſuæ qvoqve partis, ſicuti & Pater ejus fecerat, ad *Regem Sveonum* mandata ei committens. Igitur devotisſimus Pater noſter ad hoc iter præparare ſe cœpit, & ut qvantocius hoc expleret, ferventiori incitabatur ſpiritu; Siqvidem & hoc cœlitus ſibi injunctum credebat, viſione qvadam imbutus, qvam ante præviderat. Viſum namqve eſt ei, qvod pro ipſo itinere, ſicut erat, valde eſſet ſollicitus, & videbatur ei, qvod ad qvemdam devenerit locum, in qvo erat ſtructura ædificiorum magna, & manſiones diverſæ, ubi qvidam ei obvius factus, locutus eſt ad eum, dicens: De itinere, qvod ſollicitaris, & de his, qvæ ſunt in corde tuo, ne ſupra modum contriſteris, qvia hic qvidam eſt Propheta, de qvo tibi cœpi dicere (i). Abbas qvondam clarisſimus *Adalardus* (k), ipſe nunc (l) eſt Propheta ad te a Domino miſſus, qvi tibi ea, qvæ proventura ſunt, annunciabit. Qvo ille audito exhilaratus animo, viſus eſt illi reſpondiſſe: Domine, ubi inveniam eum? Et ille: tuo, inqvit, labore invenies eum, nec eſt licitum cuiqvam eum tibi inſinuare. Tunc viſum eſt ei, qvod iret per circuitum manſionum ipſum qværendo, & pariter in mente ſua tractaret. Si, inqvit, ille non interrogatus a me, annunciaverit mihi, qvæ ſunt in animo meo, tunc verum illum Prophetam comprobabo. Ad qvandam ergo perveniens manſionem clariſtimam & ſpecioſisſimam, videt eum ibi in ſolio ſuo ſedentem, & ſtatim recognovit. Ille qvoqve confeſtim pronuncians, intentus in eum, dicere cœpit: Audite inſulæ, & attendite populi de longe, Dominus ab utero vocavit te, de ventre matris tuæ recordatus eſt nominis tui. Et poſuit os tuum qvaſi gladium acutum, in umbra manus ſua protexit te, & poſuit te ſicut ſagittam electam: in pharetra abſcondit te, & dixit tibi: Servus meus es tu, qvia in te gloriabor. Qvo dicto, extento brachio, manum dexteram ad cum cœpit erigere. Ille autem hoc viſo, ad genua ejus accesſit, ſperans, eum ſe velle benedicere. At ille ſubjunxit: Et nunc hæc tibi dicit Dominus, formans te ex utero ſervum: Dedi te in lucem gentium, ut ſis illis in ſalutem usqve ad extremum terræ, Reges videbunt & conſurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum & ſanctum Iſrael, qvia glorificabit te. Hanc ergo viſionem ſervus Dei cum ante profectionem illam longe vidiſſet, certum tenebat animo, Dei ſe imperio ad partes illas incitari, & maxime in verbo, qvo dictum eſt: *Audite inſulæ*, qvia *omnis* (m) *patria illa in inſulis* eſt conſtituta (n): & qvod ſubjunctum eſt, Eris illis in ſalutem usqve

(h) Hujus nomen *Eribertus* ſ. *Erimbertus* erat, vid. Cap. XXV. XXVII. XXIX. Alius Gautberti nepos, *Nithardus* nomine, antea in Svecia martyrio coronatus, vid. ſupra Cap. XV.

(i) Alibi additur: *qvi te de his omnibus certum reddet, & ne aliqva menti tuæ ſuper hoc inſideat dubitatio, dicam tibi, qvis ſit ille Propheta.*

(k) *S. Adalardus*, Caroli M. Imp. conſangvineus, An. 817. Abbas Corbeiæ veteris factus, S. Anscharii præceptor fuit, & An. 822. fundamenta jecit monaſterii Corbeiæ novæ in Saxonia. Ille eſt, qvi jam in viſione S. Anschario apparuit.

(l) Pro *nunc* Edit. Col. habet *nempe.*

(m) Al. add. *fere.*

(n) *Adam. Br.* p. 8. conſiderans *Gothorum* populos in *Sveonia* regnantes, omnemqve hanc regionem in *inſulas* dispertitam, huc trahit Prophetiam Ezechielis. *Emittam ignem in Magog & in his qvi habitant in inſulis confidenter.*

qve ad *extremum terræ*; qvia finis mundi in *aqvilonis partibus* in *Sveonum* conjacet *regionibus*. Deniqve etiam verbum qvod de Propheta Jeremia in finem (o) commutatum eſt; ſcilicet Qvia glorificabit te, ardorem deſiderii illi maximum nutriebat, qvia *palmam Martyrii* (p) olim ſibi promiſſam hoc ſignificare putabat.

Caput XXIII.

Legatio Sveciæ.

Profectionem itaqve hanc (q) ſuſcepturus, jam dicti Regis ORICI (r) *Miſſum* (s) pariter & *Signum* (t) habuit ſecum, qvi *Regi Sveonum*, nomine OLEPH (u), partis ſuæ mandatum tale intimari juſſit (v): „*Servum Dei*, qvi, ex parte Regis LUDO-„VICI miſſus, fines regni ejus peteret, ſibi per omnia cognitum eſſe, ac ſe in vita „ſua nunqvam tam bonum vidiſſe hominem, nec in qvolibet mortalium aliqvando „tantam fidem inveniſſe: Ideoqve, cognita ejus ſanctiſſima bonitate, omnia, qvæ „ille

(o) Al. *fine*.

(p) Vide ſupra Cap. II. Conf. Cap. XXXIII. XXXIV.

(q) *Örnhielmius* alteram hanc *Anscharii in Sveciam profectionem* ad An. 861. refert. *Lambecius*, &, qvi eum ſequuntur, *Wildius* & *Dalinus*, Annum 858. præferunt. *Celſius* Hiſt. Eccl. Sv. p. 160. propius adhuc ad veritatem accedit, Annum 856. vel 857. ponendo. Ego vero eam diu ante ſuſceptam puto, hac præcipue ductus ratione: *Ericus* ſenior Danorum ſive Jutiæ Rex, cujus Miſſum & Signum *Anscharius* ſecum in Sveciam habuit, Anno 854, teſtantibus diſerte Francorum Annalibus, in prælio tot Regii ſangvinis Principibus funeſto occubuit. Iter ergo Svecicum Anſcharii præceſſiſſe neceſſe eſt, & qvidem, ut opinor, Anno 853. Sic enim proxime præcedentia *S. Anscharii* acta computo: Anno 849. introductus a Legatis Regis Ludovici, Epiſcopatum Bremenſem gubernandum ſuſcepit, unde cogitare cœpit de iterata in Daniam Legatione. An. 850. & 851. *Ericum* Regem Danorum freqventius adit, ejusqve ſumma familiaritate fruitur. Anno 852. cum *Erico* & *Gautberto* de altera in Sveciam Legatione conſulit, ſeqve ad iter Svecicum præparat, qvod ſeqventi Anno 853. aggreditur, demum An. 854. e Svecia revertitur, eodem ſcil. anno, qvo *Ericus* Rex interficitur. Hi anni cum ætate Anſcharii, & cum multitudine negotiorum, qvæ eum poſt reditum ex Svecia in diœceſibus ejus occuparunt, imo cum contextu rerum a Remberto relatarum, melius congruunt, qvam aut 858. aut 861, vita ejus ac valetudine ad finem declinante. *Meſſenius*, qvi alias ſæpius a vero tramite abludit, in hoc rem acu tetigiſſe videtur, ut mecum in Anno 853. conſentiat, vid. Scond. Illuſtr. T. I. p. 66.

(r) *Erici I.* Regis Daniæ ſive potius Jutiæ, de qvo ſupra Cap. XXI. XXII. & infra Cap. XXVIII.

(s) *Miſſus* Medii ævi Scriptoribus idem eſt ac *Legatus*.

(t) *Adamus Brem.* p. 8. *Sigillum* interpretatur. *Signum* autem mihi rectius videtur idem fuiſſe, qvod ſupra Cap. XI. dicitur *certum legationis experimentum*, literæ forte credentiales, ſive alia res in fidem publicam data; Incertum enim eſt, an *ſigillorum* uſus in Septentrione tum viguerit, *literarum* autem uſum viguiſſe, & *Remberti* & *Hrabani Maurus* docuere, vid. ſupra Not. (f) ad Cap. XI. Singularem *Wildii* ſententiam de hoc ſigno, qvod idem ac *Landaura* ap. Sturlæum T. I. p. 460. putat, vide in Annot. ad Puffend. T. II. p. 324.

(u) Idem *Olaph* Rex nominatur infra Cap. XXVII. Inepte qvidam hunc Regem fuiſſe putant *Olavum Tratalie*, qvi ante integrum ſeculum vixerat & a Sveonibus regno pulſus fuit, vid. *Wilde* ad Puffend. T. II. p. 323. *Dalinus* T. I. p. 513. *Olavum* hunc aut filium *Biornonis Jernſide* fuiſſe autumat, aut filium *Ringonis*, qvi ab *Adamo Brem.* p. 15. nominatur. Cum autem incertum ſit, num horum alteruter filium nomine *Olavum* habuerit, & ſi vel ita, alter diu ante, alter diu poſt Anſcharii ultimum in Sveciam adventum vixerit, probabilius mihi videtur, hunc *Olavum* fuiſſe filium *Biornonis Haugenſis*, illius ſcilicet, qvi in primo Anſcharii adventu regnavit & *Bircæ* ſedem habuit. *Wildius* l. c. in dubio relinqvit, an hujus *Biornonis*, anne potius *Emundi* ſ. *Anundi* olim exulis filius *Olavus* fuerit. Ad meam mentem *Anundus* ſ. *Emundus* & *Olavus* fuerunt patrueles, prior filius *Erici Upſalenſis*, poſterior *Biornonis Haugenſis*. *Biornonem* autem credo fuiſſe *Erici* fratrem juniorem, ejusqve filium *Anundum* in exilium coegiſſe, vid. Tab. Geneal. ſupra allatam.

(v) Seqvuntur contenta mandatorum Regis Danorum per Legatum ſuum ad Regem Sveciæ.

„ille in regno ſuo cauſa Chriſtianæ Religionis diſponere vellet, ſe ei concesſiſſe, ip-
„ſumqve petere, ut ſimiliter & in regno ſuo ei permitteret culturam Chriſtianitatis,
„qvam optabat ſtatuere, qva ipſe nihil aliud, qvam qvod bonum & rectum foret, vel-
„let perficere (x)". Suſceptum itaqve peragens iter (y), *viginti ferme diebus* navigio transactis, pervenit ad *Byrcam* (z), ubi invenit *Regem* & multitudinem populi nimio errore confuſam. Inſtigante enim diabolo, adventum boni viri omnimodis præſciente, contigit eo ipſo tempore, ut qvidam illo adveniens diceret, ſe in *conventu Deorum*, qvi ipſam terram posſidere credebantur, affuiſſe, & ab eis miſſum, ut hæc *Regi* & populis nunciaret (a): „Vos, inqvam, nos vobis propitios diu habuiſtis, &
„terram incolatus veſtri multa abundantia noſtro adjutorio in pace & proſperitate lon-
„go tempore tenuiſtis; Vos qvoqve nobis ſacrificia & vota debita perſolviſtis, grata-
„qve nobis veſtra fuerunt obſeqvia: At nunc & ſacrificia ſolita ſubtrahitis, & vota
„ſpontanea ſegnius offertis, & qvod magis (b) diſplicet, alienum Deum ſuper vos in-
„troducitis. Si itaqve nos vobis propitios habere vultis, ſacrificia omiſſa augete, &
„vota majora perſolvite: Alterius qvoqve Dei culturam, qvæ contraria nobis doce-
„tur, ne apud vos recipiatis, & ejus ſervitio ne intendatis: Porro, ſi etiam plures
„Deos habere deſideratis, & vobis non ſufficimus, ERICUM (c) qvondam *Regem*
„veſtrum nos unanimes in *Collegium noſtrum* aſciſcimus, ut ſit unus de numero Deo-
„rum (d)". Hoc ergo diabolicum mandatum, publice denunciatum in adventu Domini *Epiſcopi*, mentes cunctorum perturbabat, & error nimius ac perturbatio corda omnium confuderat. Nam & *Templum in honore* ſupradicti *Regis* dudum defuncti ſtatuerunt, & ipſi tanqvam *Deo* vota & ſacrificia offerre cœperunt. Adveniens itaqve illuc Dominus *Epiſcopus*, ab amicis ſuis qvondam ibi cognitis qværere cœpit, qvomodo *Regem* ſuper hac re interpellaret. Qvi omnes toto anniſu contradicentes, aſſerebant, nihil omnino ea vice *Legationem* ejus proficere poſſe, ſed ſi aliqvid haberet pretii, ea ratione illum dare debere, ut vivus inde evaderet. Qvibus ille, Non, inqvit, pro vitæ meæ redemptione aliqvid hic daturus ſum, qvia ſi Dominus meus ita diſpoſuerit, pro ejus nomine paratus ſum hic & tormenta ſubire & mortem pati. Cum ergo pro hac re in maxima eſſet poſitus anxietate, tandem, accepto conſilio, *Regem* ad ſuum invitavit hoſpitium. Cui convivium exhibens, dona, qvæ potuit, obtulit, &

Legationis

(x) Ex his & ex iis, qvæ in gratiam *Erici* Regis pro *Anschario* effecit *Olavus*, apparet, intimam tunc temporis amicitiam ac familiaritatem Reges Danorum inter ac Sveonum intercesſiſſe.

(y) Iter illud *S. Anscharii* maritimum, dubitari non debet, ex portu *Slesvicenſi* ſuſceptum eſſe; alium enim portum ad Mare Balticum eo tempore uſitatum ignoramus, ex qvo ſolvere poterant, qvi ex Germania venientes in Sveciam tendebant. *Adamus Brem.* qvi ſine dubio *itinerarium ipſius Anscharii* legerat, p. 8. expresſis etiam verbis dicit: *A littore Danorum transfretans in Sveoniam pervenit.* Sed qvum in hoc itinere nautico viginti fere dies *Anscharius* transegerit, facile conjicitur, eum non omnino ſecundum habuiſſe ventum. Conf. qvæ ſupra ad Cap. IX. Not. (r) ſcripta ſunt.

(z) De *Byrca* ſive *Birca*, vide ſupra ad Cap. X. Not. (z) prolixam commentationem.

(a) Seqvitur *Deorum Oratio* miſſa per legatum ad Regem & populum.

(b) Al. add. *nobis.*

(c) Ms. Corbeienſe *Horicum.* Vixerunt Seculo IX. plures *Erici* Sveonum Reges, qvorum tres ante Seculi medium obierant. Ex iis ultimus, qvi nominabatur *Ericus Upſalenſis*, eo qvod Upſaliæ reſedit ibiqve idololatriam & ſacrificia ferventer ſuſtentavit, videtur ille fuiſſe, qvem in Deorum numerum retulerunt, utpote cujus ſuperſtitioſæ vitæ ac meritorum memoria adhuc recens erat. Fuit ille, ut ex ſupra poſita Genealogia apparet, abnepos *Biörnonis Jernſide*, pater *Anundi* ſive *Emundi*, & frater *Biörnonis Haugenſis.* Videtur autem ille *Ericus* haud diu regnaſſe. An vero idem *Ericus* fuerit, qvem nonnulli *Vederbat*, alii *Arſæll* cognominant, incertum eſt. Conf. *Wilde* ad Puffend. T. II. p. 324. ſq. *Celſii* Hiſt. Eccl. p. 161. *Dalini* Hiſt. Svec. T. I. p. 195. 514. *Örnhielmii* Hiſt. Eccl. p. 47. 73. 148.

(d) Singularis locus de Regum apud ethnicos ſeptentrionis apotheoſi.

Legationis ſuæ mandata retulit. Nam & antea per *Miſſum* ORICI (e), & per fideles Domini *Epiſcopi*, qvi ibi manebant, cauſa adventus ipſius eidem *Regi* denunciata fuerat. Delectatus itaqve & charitatis ejus benevolentia, & munerum datione, ſe qvidem, qvæ ille ſuggeſſerat, gratanter velle, reſpondit. Antea tamen hic, inqvit, fuerunt Clerici (f), qvi populari hinc ſeditione, *non Regio juſſu* (g), ejecti ſunt: Qvapropter hanc *Legationem* veſtram confirmare nec poſſum nec audeo, priusqvam *ſortibus* (h) Deos noſtros conſulam, & populi qvoqve ſuper hoc voluntatem interrogem: Sit Miſſus tuus in *placito* (i) mecum proximo, & ego pro te loqvar populo, & ſi qvidem, diis fautoribus, illi tuæ conſenſerint voluntati, qvod qvæſiſti, proſperabitur, ſin autem minus, & hoc tibi notum faciam. Sic qvippe *apud eos moris* eſt, ut qvodcunqve negotium publicum magis in *populi* (k) *unanima voluntate*, qvam in *Regia* conſiſtat *poteſtate*. Hoc ergo Paſtor noſter devotiſſimus reſponſo *Regis* accepto, totum ſe ad Domini convertit refugium, jejuniis & orationibus vacans, atqve in contritione & afflictione cordis ſemetipſum in conſpectu Dei humilians.

Caput XXIV.

Fundatio Religionis Chriſtianæ in Svecia.

Verum ipſo inter has preſſurarum anguſtias poſito, cum *dies placiti* (l) appropinqvaret, qvadam die inter ſacra miſſarum ſolemnia, dum Sacerdos altari aſtans, myſteria ſancta benediceret, illi in terram proſtrato, cœleſtis effuſa eſt inſpiratio. Siqvidem Spiritus ſancti dono interius roboratus, & fiducia maxima in animo confortatus, cognovit omnia ſibi proventura, uti vellet. Unde eidem Sacerdoti, ſibi in omnibus familiariſſimo (*), poſt miſſam denunciavit, nihil trepidationis ſe habere debere, qvia ſecum gratia Dei comitaretur. Cui interroganti, qvomodo hoc ſciret, divinitus ſibi inſpiratum reſpondit. Qvam mentis ejus illuſtrationem Frater ille ſatis recognovit, qvia taliter eum divinitus conſolari multis ante probavit indiciis. Hanc ergo animi ejus fiduciam ſtatim rei confirmavit eventus. Nam *Rex*, congregatis primo Principibus ſuis, de hac Patris noſtri *Legatione* cum eis tractare cœpit. Qvi *ſortibus* qværendum ſtatuerunt, qvæ ſuper hoc deorum eſſet voluntas. Exeuntes igitur more ipſorum in *campum* (m), miſerunt *ſortes* (n), cecidit qve *ſors*, qvod Dei voluntate *reli-*

(e) Vid. paulo ſupra Not. (r).

(f) *Gautbertus* ſcil. & nepos ejus *Nitbardus*, vid. ſupra Cap. XV.

(g) Vide ſupra Cap. XV.

(h) Conf. Cap. XVI. XXIV. XXVII.

(i) *Adam. Brem.* Ed. Lindenbr. p. 8. *Anſcharius* in Sveoniam pervenit, ubi tunc *Oleph* Rex apud *Bircam* generale populi ſui habuit *Placitum*. De *Placito* vide ſupra Cap. XVI. Not. (e).

(k) Illuſtre hiç habes teſtimonium de antiqvis *populi Sveonici* juribus *Regum*qve limitata poteſtate. *Adamus Bremenſis* Edit. Lindenbr. p. 60. ita in eandem ſententiam: *Reges habent ex genere antiqvos, qvorum tamen vis pendet in populi ſententia; Qvod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, niſi ejus decretum potius videatur, qvod aliqvando ſeqvuntur inviti: Itaqve domi pares eſſe gaudent: In prælium eunte, omnem præbent obedientiam Regi, vel ei, qvi doctior ceteris a Rege præfertur.* Longe aliam apud *Sviones* antiqviſſimis temporibus fuiſſe Regiminis Formam, docet *Tacitus* Germ. Antiq. Cap. XLIV. *Eſt apud illos*, inqvit, *& opibus bonos, eoqve unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.*

(l) Vide paulo ſupra Not. (i).

(*) Sacerdotem illum ſive Fratrem S. Anſchario familiariſſimum, qvi eum hac vice in Sveciam comitatus fuerat, conjicio fuiſſe eundem, qvi infra Cap. XXX. dicitur ei familiariſſimus, & Cap. XXXIII. fideliſſimus ejus diſcipulus, ipſum nempe *Rembertum*, qvi modeſte ſe nominare non vult.

(m) Conf. ſupra Cap. XVI. bis.

gio Chriſtiana ibi fundaretur. Qvod factum unus ex primoribus, amicus Domini Epiſcopi, ſtatim ei innotuit (o), &, ut conſolaretur animo, amice admonuit dicens: Confortare & viriliter age, qvia Deus voluntati & Legationi tuæ non abnuit, ſicqve ipſe, fiducia ſumpta, ſpiritu interiori lætificatus, exultabat in Domino. Deniqve cum *dies placiti* adveniſſet, qvod in prædicto vico *Byrca* habitum eſt, ſicut ipſorum eſt conſvetudo, præconis voce *Rex*, qvæ eſſet eorum *Legatio*, intimari fecit populo. Qvo illi audito, ſicut erant antea errore confuſi, diverſa ſentire & tumultuare cœperunt. Qvibus ita perſtrepentibus, conſurgens unus, qvi erat *ſenior natu*, in medio plebis dixit (p): „ *Audite me Rex & populi:* De cultura iſtius Dei pluribus noſtrum „ bene jam eſt cognitum, qvod in ſe ſperantibus magnum poſſet præſtare ſubſidium; „ Nam multi noſtrum jam ſæpius & in marinis periculis, & in variis neceſsitatibus hoc „ probaverunt. Qvare ergo abjicimus, qvod neceſſarium nobis & utile ſcimus? Ali„ qvando nempe qvidam ex nobis *Dorſtadum* (q) adeuntes, hujus Religionis normam „ profuturam ſibi ſentientes, ſpontanea voluntate ſuſcipiebant. Nunc multæ interja„ cent inſidiæ, & piratarum infeſtatione periculoſum valde nobis iter illud factum eſt. „ Qvod ergo tam longe poſitum prius ſollicite qværebamus, hic nobis modo oblatum, „ qvare non ſuſcipimus? & qvi Dei gratiam nobis in multis utilem probavimus, qvare „ ſervos ejus nobiscum manere non libenter aſſentiamus? Attendite populi conſilium „ noſtrum, & nolite abjicere utilitatem veſtram. Nobis enim, qvando noſtros pro„ pitios habere non poſſumus Deos, bonum eſt hujus Dei gratiam habere, qvi ſem„ per in omnibus poteſt & vult ad ſe clamantibus auxilia præbere". Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi unanimis effecta, elegit, ut ſecum & Sacerdotes eſſent, & qvæ competebant myſteriis Chriſti, apud eos ſine contradictione fierent. *Rex* itaqve ſurgens a placito, ſtatim cum Miſſo Domini Epiſcopi ſuum direxit nuncium, mandans, populi unanimitatem ad ſuam voluntatem converſam, ſibiqve hoc per omnia placere, necdum tamen ſe plenam licentiam ei concedere poſſe, donec in *alio placito*, qvod erat in *altera parte* (r) *regni* ſui futurum id ipſum populis ibi poſitis nunciaret. Tunc iterum bonæ memoriæ Pater noſter conſveta ſua reqvirens ſubſidia, divinam clementiam intentius exorabat, cum ecce *placiti tempus* advenit, & *Rex* præconis voce *Legationem* Domini Epiſcopi, atqve omnia pariter, qvæ in *priori placito* dicta & acta fuerant, intimari fecit. Divina ergo providentia largiente, omnium corda ita adunata ſunt, ut *prioris placiti* conſenſum cuncti laudarent, & ſe qvoqve his aſſentire velle modis omnibus faterentur. Ca-

(n) De *ſortilegio* veterum Germanorum lege *Taciti* Germ. Cap. X. Qvem morem *Saxonibus* uſitatum, ex *Eginhardo* repetit *Adamus Brem.* Edit. Lind. p. 2. *Scythis* etiam & *Alanis* Sortilegia & Divinationes in uſu fuiſſe, docent *Ammianus Marcell.* Ed. Gronov. p. 673. & *Herodotus* Weſſelingii p. 311. Ab hiſce morem illum ſorti res dubias committendi majores noſtri ſeptentrionales didicerunt. Exempla habemus ap. Snor. Sturl. T. I. p. 736. & T. II. p. 58. Apud *Danos* æqve ac *Svecos* Sortilegia olim magni fuiſſe, docet *Rembertus* noſter Cap. XVI. XXIII. XXVII. *Adamus Brem.* p. 8. præter jactum ſortis *Idoli reſponſum* addit. *Vetus* ejusd. *Scholiaſtes* (86) p. 60. rem ſic exponit: *Omnia, qvæ inter Barbaros agnntur, ſortiendo in privatis fiunt rebus, in publicis autem cauſis etiam dæmonum ſolent reſponſa peti, ſicut in geſtis S. Ansgarii poteſt cognoſci.* Singularis eſt *Meſſenii* ſententia Scond. Illuſtr. T. XII. p. 14. de hoc reſponſo per *Statuam Othini Upſaliæ* dato. *Rembertus* autem nihil aliud, qvam de *jactu ſortis* & qvidem in *campo Bircenſi*, loqvitur. Etiam in Sacra Scriptura *Sortilegiorum* non deſunt exempla.

(o) ↄ: Notum fecit, ſignificavit.

(p) Seqvitur oratio Senioris cujusdam Sveci ad Regem & populum.

(q) De *Dorſtado* vid. ſupra Cap. VII. Not. (c).

(r) *Svecia* ſcilicet ſtricte ſic dicta; *Byrca* enim *Gothiæ* vicus cenſebatur. Unde liqvet, diſtinctionem ejus regni in *Sveoniam* & *Gothiam* jam Seculo IX. viguiſſe. *Adamus Brem.* & *Sveones* & *Gothos* inter Svediæ populos præcipuos recenſet, eorumqve limites p. 58. clare diſtingvit: *Supra Sconiam renſo limite Gothi habitant usqve ad Bircam, poſtea longis terrarum ſpatiis regnant Sveones*, Conf. p. 60.

Caput XXV.

Eccleſia conſtructa in Svecia.

Hoc itaqve facto, convocato ad ſe *Rex* Domino *Epiſcopo*, qvæ fuerant geſta, retulit; ſicqve omnium unanima voluntate & conſenſu decrevit, ut apud eos & *Eccleſiæ* (s) fabricarentur, & *Sacerdotes* adeſſent, & qvicunqve vellet de populo, absqve contradictione fieret Chriſtianus. Dominus autem & Paſtor noſter prædictum nepotem venerabilis *Gautberti* (t) Epiſcopi, *Eribertum* (u) nomine, manibus Regis commendavit, ut ſuo auxilio & defenſione munitus, myſteria divina ibidem ageret. Cui etiam *Rex* in *præfato vico atrium* unum ad *oratorium* dedit fabricandum: Dominus qvoqve *Epiſcopus* Presbytero ad habitandum alterum cum *domo* emit, præbensqve idem *Rex* benignisſimum circa Dominum *Epiſcopum* dilectionis ſuæ favorem; fidelisſimum qvoqve in omni parte ſuis circa chriſtianæ Religionis cultum ſe fore velle promiſit. Sicqve per Domini gratiam rite omnibus peractis (x) Dominus *Epiſcopus* ad ſua reverſus eſt (y).

Caput XXVI.

Incrementum Eccleſiæ in Svecia.

Porro anguſtiam maximam mentis, qvam in ipſo perpeſſus eſt itinere, dum illud iter pararetur, Domino revelante, Pater noſter ſanctisſimus ante præſcivit. Viſum eſt namqve illi qvadam nocte, qvod tempus eſſet paſſionis (z), & qvod ille præſens adeſſet, cum Dominus Jeſus Chriſtus a Pilato duceretur ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum; deniqve cum a Judæis & militibus ſputa & opprobria patiens, per omnia membra verberibus, ut ipſi videbatur, afficeretur, ipſe non ſufferens, illum ſic puniri, accurrens, oppoſuit ſe poſt dorſum ejus verberantibus, omniaqve verbera, qvæ illi infligebantur, ipſe in corpore ſuo ſuſciperet, excepto, qvod ſtatura procerior capiti illi eminentior videbatur, & idcirco illud defendere non poterat. Hanc itaqve viſionem miles Chriſti invictus, qvid ſignificaret, prius non cognovit, qvam de hoc itinere reverſus mente tractavit, qvanta opprobria & irriſiones ibi ſuſtinuerit, & in qvanta anguſtia fuerit, qvantasqve blasphemias in Deum illatas ibi ſuſtulerit. Nam qvantum ad ejus pertinuit animum, ubi ille ſine dubio pro Chriſto paſſus eſt, & ibi Chriſtus

(s) Jam antea in Svecia *Eccleſiæ* exſtructæ erant, una ſcil. ab *Herigario*, de qva ſupra Cap. X. XVI. altera a *Gautberto* Epiſcopo Cap. XIII. XVI.

(t) De *Gautberto*, conf. Cap. XIII. XV. XXII. XXIX.

(u) Al. *Erimbertum*. Alii *Herbertum* & *Heribertum* eum nominant. De hoc *Gautberti nepote*, conf. Cap. XXII. XXVII. XXIX.

(x) *Adamus Br.* Ed. Lind. p. 8. cuncta ab *Anschario* in Svecia peracta paucis his complectitur: „ Qvem [Regem], „ præveniente miſericordia Dei, ita placatum invenit, ut ex ejus imperio, & populi conſenſu, & jactu „ ſortis, & idoli reſponſo, *Eccleſia* ibi fabricata, & baptismi licentia omnibus conceſſa ſit. His etiam ex „ ſententia finitis Evangeliſta noſter Eccleſiam Sveonum *Erimberto* commendavit presbytero, & rediit “. Auctor *Hiſt. Arcb. Brem.* ibid. p. 70. addit: *Poſtbæc Regem Sveciæ cum ſuo populo baptizavit.* Qvod verosimile omnino videtur, & cujus rei notitiam Auctor ille ex ſuperius allegato *S. Anscharii Diario* habere potuerat.

(y) *S. Anscharius*, ad meam computationem, Anno 854. ex *Svecia* revertitur.

(z) Al. add. *Domini.*

Chriſtus in ſervo ſuo prius ſibi illata denuo ſuſtinuit improperia. Porro qvod caput illius defendere non poterat, hoc ſignificare putabat, qvia caput Chriſti Deus, qvod pasſiones, qvas ſanĉti in hoc mundo pro Chriſto ſuſtinent, partim ad ipſam etiam Dei pertineant majeſtatem, qvas ipſe in ſe qvodammodo compatiendo ſuſcipiens, ad tempus qvidem tolerat, ſed qvandoqve diſtricte judicabit, ſicut ſcriptum eſt: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus.

Caput XXVII.

Victoria bellica.

Nec prætereundum qvoqve videtur, qvaliter virtus Domini poſt hanc profectionem jam dictis *Sveonibus* patefacta ſit. Gens enim qvædam ab eis longe poſita, vocata *Chori* (a) *Sveonum principatui olim ſubjecta* fuerat, ſed jam tunc diu erat, qvod rebellando eis ſubjici dedignabantur. Deniqve *Dani*, hoc ſcientes, tempore ſupradicto (b), qvod Dominus Epiſcopus jam in partes *Sveonum* advenerat, navium congregata multitudine, ad eandem perrexerunt provinciam (c), volentes & bona eorum diripere, & ſibi eos ſubjugare. *Regnum* vero ipſum *qvinqve* habebat *civitates*. Populi itaqve inibi manentes, cognito eorum adventu, conglobati in unum, cœpere viriliter reſiſtere & ſua defendere. Dataqve ſibi victoria, medietate populi *Danorum* cæde proſtrata, medium qvoqve navium eorum diripuerunt, *auro* & *argento* ſpoliisqve multis ab eis acceptis. Qvod audiens prædictus Rex OLEPH (d) populusqve *Sveonum*, volentes ſibi nomen acqvirere, qvod facere poſſent, qvæ *Dani* non fecerant, & qvia ſibi etiam antea (e) ſubjecti fuerant, innumerabili congregato exercitu, illas adierunt partes (f), & primo qvidem improviſe ad qvandam *urbem* regni ipſorum,

(a) i. e. *Curlandi*, Saxoni *Curi*, *Curii*, *Curetes*, in Dipl. 1230. *Curones*, ap. Snorronem & Islandos veteres *Kurir* & *Kurer*. Regio autem, qvam incolunt, Saxoni dicitur *Curetla*, in Dipl. vet. *Curonia* & *Curlandia*, Islandis vett. *Kurland* & *Kurtland*. An vero *Scyri* Jornandis qvoad nomen, cum *Choris* ſ. *Curis* commune aliqvid habeant, diſpiciant alii. Singularis eſt illa, qvæ apud *Adamum* Edit. Lindenbr. p. 58. legitur, *Curlandiæ* veteris deſcriptio, & digna, qvæ heic repetatur: „Sed & aliæ inſulæ interius ſunt, qvæ ſubjacent *Sveonum* imperio: Qvarum maxima eſt illa, qvæ *Curland* dicitur, *iter octo dierum* habens, gens „crudeliſſima, propter nimium idololatriæ cultum fugitur ab omnibus: *Aurum* ibi plurimum, *eqvi* optimi, divinis, auguribus, atqve necromanticis omnes domus ſunt plenæ, qvi etiam veſtitu monachico „induti ſunt: A toto orbe ibi reſponſa petuntur, maxime ab *Hiſpanis* & *Græcis*: Hanc *inſulam* in *vita* „*Sancti Anſcharii* CHORI nominatam credimus, qvam tuno *Sveones* tributo ſubjecerunt: Una ibi nunc „facta eſt *Eccleſia* cujusdam ſtudio *negotiatoris*, qvem *Rex Danorum* multis ad hoc allexit muneribus; Ipſe „enim *Rex*, gaudens in domino, recitavit mihi hanc *cantilenam*". Hoc autem diſſimulari non debet, ſuſpicionem nonnullis fuiſſe, *Adamum* per *Curlandiam* intellexiſſe *Gotlandiam*, eo qvod nullibi celebris hujus inſulæ meminit, eandemqve haud procul a Birca collocat, & eo qvod *Odinus* olim in *Gotlandia* habitaverat ac in illa inſula reſponſa dederat, teſtante *Alberico* p. 187. collat. cum *Paulo Warnefrido* L. I. c. 8. 9. Sed huic ſuſpicioni varia & haud levia obſtant argumenta.

(b) *Danorum* hæc in Curlandiam expeditio bellica facta eſt circa Annum 853. qvo Anſcharius in Sveciam pervenerat; ut ſupra Cap. XXIII. Not. (q) dictum eſt.

(c) Al. *patriam*.

(d) De eo ſupra Cap. XXIII. Not. (u).

(e) Qværitur, qvo tempore ſubjectio illa *Curlandorum* a *Rege Sveciæ* facta fuerit? Conjecturam ſupra ad Cap. XVI. Not. (l) propoſui, qvam tamen nemini obtrudo, Curlandicam illam expeditionem tum peractam fuiſſe, cum *Anundus*, Rege abſente, ad Bircam circa 850. appulerit, regnum patrium recuperaturus. Haud diu poſt iterum defeciſſe *Curlandos*, inde colligitur, qvod Rex Sveciæ *Ericus Emundſon* inter ceteras vicinas gentes etiam *Curlandos* debellaverit, *Snor. Sturl.* T. I. p. 485.

(f) Expeditio hæc Svecorum Curlandica Anno 854. facta videtur.

ipſorum, vocatam *Seeburg* (g), in qva erant ſeptem millia pugnatorum devenientes, penitus illam devaſtando ſuccenderunt. Exinde confortati animo, dimiſſis navibus, iter qvinqve dierum arripientes, ad aliam *urbem* ipſorum, qvæ *Apulia* (h) dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in illa urbe qvindecim millia hominum bellatorum. Cum itaqve illo adveniſſent, concluſis ipſis in civitate, iſti a foris urbem debellare, illi de intus cœpere viriliter repugnare; illi intrinſecus defendebant, iſti exterius impingebant, ſicqve tranſierunt dies octo, ut omni die a mane usqve ad veſperam dimicantes bello inſtarent, & multi hinc inde caderent, neutra tamen pars victoriam obtineret. Cum ecce nono die populus *Sveonum*, diutina cæde fatigatus, cœpit anguſtari, & timido corde expaveſcens hoc ſolum cogitare, qvomodo inde evaderent. Hic, inqviunt, non proficimus, & naves noſtræ longius abſunt. Nam qvinqve dierum, ut prædiximus, iter erat ad portum, in qvo naves eorum ſtabant. Cum ergo, qvid ſibi eſſet agendum, nimium turbati omnimodis neſcirent, qværendum *ſortibus* (i) ſtatuerunt, utrum dii eorum eis vellent auxiliari, ut vel victoriam caperent, vel vivi inde evaderent. Miſſis itaqve *ſortibus*, neminem deorum, qvi eis ſubſidio eſſe vellet, reperire potuerunt. Qvod cum denunciaretur in populo, ululatus & gemitus excitatus eſt in caſtris, omnisqve virtus ab eis receſſit. Qvid, inqviunt, infelices acturi ſumus? Dii receſſerunt a nobis, & nullus eorum adjutor eſt noſtri. Qvo fugiemus? Ecce naves noſtræ longius ſunt poſitæ, fugientibusqve nobis inſeqventes usqve ad internecionem nos delebunt. Qvid ergo nobis erit? Cum itaqve in tanta anguſtia eſſent poſiti, qvidam *negotiatorum* (k) memores doctrinæ & inſtitutionis Domini *Epiſcopi*, ſuggerere eis cœperunt: Deus, inqviunt, Chriſtianorum multotiens ad ſe clamantibus auxiliatur, & potentisſimus eſt in adjuvando. Qværamus, an ille nobiscum eſſe velit, & vota ei placita libenti animo ſpondeamus. Omnium itaqve rogatu ſupplici miſſa eſt *ſors*, & inventum, qvod Chriſtus vellet eis auxiliari. Qvod cum publice denunciatum cunctis innotuiſſet, omnium corda ita ſubito roborata ſunt, ut confeſtim ad urbem expugnandam intrepidi vellent accedere. Qvid, inqviunt, nobis formidandum qvidve pavendum eſt, Chriſtus eſt nobiscum; pugnemus & viriliter agamus; nihil nobis obſtare poterit, nec deerit nobis certa victoria, qvia potentisſimum Deorum noſtri adjutorem habemus. Conglobati ergo omnes, læto & forti animo ad debellandam profecti ſunt urbem. Cumqve in circuitu aſtantes, pugnam inire vellent, ab his, qvi intrinſecus erant, poſtulatum eſt, ut copia eis daretur loqvendi. Qvod cum *Rex Sveonum* annuiſſet illis, ſubſecuti ſunt: Nobis jam pax magis qvam pugna placet; fœdus vobiscum inire cupimus. Et primo qvidem, qvic-

(g) *Henſchenius* aliiqve *Seeburg* putant fuiſſe *Seleburgum* ſive *Caſtrum Selonum* in Semigallia ad dextram ripam Dunæ fluvii, de qvo *Chronicon Livon.* Gruberi p. 50. 51. unde primi Semigalliæ & Curlandiæ Epiſcopi dicebantur *Epiſcopi Selonienſes. Selonienſes populi* nominantur *Alberto Stad.* p. 208. *Selonum* agri in Dipl. Rig. 1226. Bernardus primus *Seloniæ* Epiſcopus, *Alberici* Chron. P. II. p. 542. *Gvaldo* in vit. Ansch. Cap. LXIV. locum *Segeburg* nominat.

(h) Reliqvias nominis *Apuliæ* qvidam qværunt in *Pila* ad fluvium Weta ſive Windau, ſi modo ibi locus & veſtigia vetuſtæ alicujus urbis appareant; niſi nomen & locum oppidi *Pilten*, ad eundem fluvium ſiti, præferre velis.

(i) De *ſortilegiis* veterum Septentrionalium in cauſis dubiis ac maximi momenti rebus, vid. ſupra Cap. XVI. XXIII. XXIV.

(k) *Negotiatores* olim, ſub chriſtianismi auſpiciis, Eccleſiæ plantandæ ac doctorum fidei promotores fuiſſe, præter hoc, exempla habes ſupra Cap. IX. & infra Cap. XXIX. Sic in *Curlandia* [niſi *Gurlandiam* malis] adhuc Seculo XI. gentili, ſtudio cujusdam *Negotiatoris*, qvem SVENO *Rex Danorum* multis ad hoc illexit muneribus, prima exſtructa eſt Eccleſia, teſtante *Adamo* p. 58. Et Seculo XII. *S. Meinardus* prædicandi cauſa cum comitatu *mercatorum* in *Livoniam* venit, *Chron. Liv.* Ed. Gruberi p. 2. 177. *Helmoldus* Bangerti p. 513.

qvid ex ſpoliis *Danorum* præterito anno in *auro* & *armis* acqviſivimus, vobis pro munere fœderis damus. Deinde pro unoqvoqve hominum in hac urbe conſtitutorum *dimidiam libram argenti* offerimus; & inſuper *cenſum*, qvem antea ſolebamus vobis dare, perſolvemus, & datis obſidibus, abhinc ſubjecti & obaudientes, ſicuti antea fuimus, veſtro imperio eſſe volumus. Cum hæc itaqve oblata fuerunt, nec dum tamen animi juvenum ſedari poterant, verum alacriores facti, & absqve metu imperterriti, pugnare tantum deſiderantes, armis ſe urbem & omnia, qvæ haberent, vaſtaturos, ipſosqve captivos abducturos, dicebant. *Rex* vero & Principes ſaniori conſilio dexteras ab eis accipientes, fœdus inierunt, & theſauris innumerabilibus, atqve obſidibus triginta ſibi collatis, cum gaudio ad ſua reverſi ſunt. Deniqve, pace inter eos fœderata, ſtatim *Sveones* Chriſti Domini noſtri omnipotentiam collaudantes, ejusqve magnificentiam, qvod vere magnus ſuper omnes eſſet deos, totis viribus prædicantes, qvid ipſi, per qvem tantam obtinuiſſent victoriam, vovere deberent, ſollicite qværere cœperunt. Unde a Chriſtianis edocti *negotiatoribus*, qvi ſimul aderant, Chriſto Domino placitum devoverunt jejunium, ita, ut ad ſua reverſi, poſtqvam domi ſeptem dies eſſent, alios ſeptem omnes pariter a carne abſtinerent. Sed & poſt hac, qvadraginta diebus evolutis, ipſi qvoqve unanima conventione qvadraginta ſeqventes ſimiliter a carne abſtinentiam agerent. Qvod & factum eſt, omnesqve, qvi ibi affuerant, hoc ſtatutum libenti perfecerunt animo. Multi etiam poſthæc reverentia & amore Chriſti apud eos jejuniis, qvæ Chriſtiani obſervabant, inſiſtere incipientes, & eleemoſynis, qvia hoc Chriſto gratum didicere, qvoslibet pauperes adjuvare cœperunt. Sicqve favore omnium præditus *Erimbertus* (l) ſacerdos libere apud eos, qvæ Dei ſunt, agere, & cunctis Chriſti potentiam laudantibus, Religionis divinæ in illis partibus devotio augmentum ſui ab eo tempore ſine ullius contradictione cœpit habere.

Caput XXVIII.

Incrementum Eccleſiæ in Dania inter perſecutiones.

Inter hæc vero divino contigit judicio, ut piratarum infeſtatione memoratus ORICUS (m) Rex, qvibusdam propinqvis ejus regnum ipſius invadere conantibus, bello interemptus ſit (n). Cum qvo pariter omnes primores terræ illius, qvi olim Domino *Epiſcopo* familiares & amici habebantur, gladio interierunt. Deinde poſthac conſtituto in regno ipſius ORICO *Juniore* (o), qvidam eorum, qvos ille tunc habebat Principes,

(l) De *Erimberto*, nepote Gautberti Epiſcopi, vid. Cap. XXII. XXV. XXIX.

(m) *Ericus I.* dictus infra *Oricus Senior*, de qvo ſupra Cap. XXI. XXII. XXIII.

(n) *Adamus Brem.* p. 9. rem ita geſtam narrat: „Contendentibus ad invicem *Gudurm* Principe *Nordmannorum* „cum patruo ſuo *Horico*, ſcil. Rege *Danorum*, tanta cæde utriqve mactati ſunt, ut vulgus omne caderet: „de ſtirpe autem Regia nemo omnium remaneret, præter *puerum* unum, nomine *Horicum*“, Conf. *Chron. Erici* ap. Lindenbr. p. 266. Memorabile hoc prælium *Annales Fuldenſes* & *Metenſes* ad An. 854. referunt, his verbis: „Inter *Horuc* Regem Danorum & *Gudrum* filium fratris ejus, qvi hactenus ab eo regno pulſus „piratico more vixit, orta contentione, ita ſe mutua cæde mactaverunt, ut vulgus qvidem promiſcuum „innumerabile caderet, de ſtirpe vero Regia, niſi unus puer, nullus remaneret“. *Annales Bertiniani* triduanum fuiſſe prælium annotant: „*Dani* inteſtino inter ſe prælio dimicantes, adeo *tridui concertatione* „obſtinatiſſima bacchati ſunt, ut, *Orico* Rege & ceteris cum eo interfectis Regibus, pene omnis nobili„tas interierit“. *Ol. Trygg. Saga* p. 68. hanc pugnam minus recte ad An. 861. refert.

(o) *Ericus II.* ſive *junior*, qvem Dani *Erik Barn* appellarunt, Rex Jutiæ, ex probabili conjectura *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 118. 123. fuit filius *Erici I.* in ſupradicto prælio occiſi, non autem *Sigvardi* Regis, ut *Saxo* p. 177. & ab eo ſeducti recentiores aſſerunt.

Principes, & minus antea Domino cogniti fuerant *Epiſcopo*, perſvadere (p) ei cœperunt, ut *Eccleſia* apud eos facta deſtrueretur, & Religio Chriſtianitatis ibi cœpta annullaretur (q), dicentes: Deos ſuos ſibi iratos eſſe, & qvod ideo cuncta (r) eos mala invenerint, qvia alterius & ignoti Dei apud ſe culturam receperint. Qva de re *Comes* præfati vici, *Slieſwic* videlicet, nomine *Hovi*, qvi huic Religioni præcipue reſiſtebat, & ad deſtruendam Chriſtianitatis fidem *Regem* provocabat, *Eccleſiam* ibi factam juſſit claudi, Religionemqve Chriſtianitatis ibidem prohibuit obſervari. Unde & *Presbyter*, qvi ibi aderat, perſecutionis acerbitate compulſus, inde receſſit. Pro hac itaqve re Dominus *Epiſcopus* nimium ſollicitus, & admodum triſtis effectus fuerat, qvia nullum tunc cum ORICO *Juniore* de amicis habebat, qvos antea largiſſimis donationibus ſibi familiares acqviſierat, per qvos eum ad Domini voluntatem conciliare poſſet. Unde qvia humano deſtitutus fuerat, ad divinum ſolito more concurrit auxilium. Nec ſpes eum ſua fefellit. Conſolatus eſt qvippe eum Dominus ſpirituali in animo conſolatione, & certus omnino factus eſt, qvod nullo modo, ut hoſtes Chriſti machinabantur, Religio ibi cœpta deperiret. Qvod ita, Domino annuente, non multo poſt contigit. Nam cum pro hac eadem cauſa ad prædictum *Regem* ire diſponeret, Domini præveniente gratia, idem *Rex*, expulſo prius de vico memorato jam dicto *Comite*, ita ut nunqvam poſtea in ejus gratiam redire potuerit, ad Dominum *Epiſcopum* ſuum gratis direxit *Legatum*, mandans, ut *Sacerdotem* ſuum ad propriam remitteret *Eccleſiam:* non ſe minus, qvam *Seniorem* ORICUM, Chriſti velle gratiam promereri aſſerens, Dominiqve *Epiſcopi* amicitiam. Qvo facto cum ipſe qvoqve Reverendiſſimus Paſtor noſter ad ejusdem Regis præſentiam cum adjutorio *Burchardi* (s) illuſtriſſimi *Comitis* veniſſet (t), qvi etiam antea apud ORICUM *ſeniorem* adjutor illi in omnibus fuerat, & apud *Regem utrumqve* bene poterat, qvia *propinqvus ipſorum* erat, tanta gratia a *Juniore* ſuſceptus eſt ORICO, ut ſtatim ei omnia, qvæ anteceſſor ſuus cauſa Chriſtianitatis in regno ſuo fieri permiſerat, ipſe qvoqve concederet (u). Inſuper etiam, qvod antea nefandum paganis videbatur, ut *Clocca* (v) haberetur in

Eccleſia

(p) Perſecutio ea chriſtianæ religionis in Dania poſt obitum *Erici ſenioris* orta, qvæ Comiti *Hovi* ceteriſqve *Erici junioris* malis Conſiliariis competit, ab *Adamo Bremenſi* p. 9. ipſi *Erico* Regi injuſte attribuitur, his verbis: *Qvi* [*HORICUS*] *mox ut regnum ſuſcepit Danorum, ingenito furore ſuper chriſticolas efferatus, ſacerdotes Dei expulit, & Eccleſias claudi præcepit.* Et mox *Ericus crudelis tyrannus ſalutatur.* Ab *Adamo* ergo, qvi minus attente legit & interpretatus eſt hunc *Remberti* locum, ſeducti ſunt recentiores fere omnes, qvi *Ericum* vexationis populi chriſtiani inſimulant, cum tamen *Rembertus* nullam ipſi *Erico* culpam adſignet. Præter *Adamum*, etiam *Saxo* noſter p. 177. ſq. perſecutionem chriſtianismi ſub primis imperii *Erici* annis exaggerat. *Ericum* autem ipſum non adeo furioſum ac crudelem fuiſſe, docet ſubito ſecuta animi ejus flexibilitas ac ſumma in chriſtianos benignitas.

(q) Al. *annihilaretur.*

(r) Al. *tanta.*

(s) Qvis ille *Burchardus* Comes fuerit, inveſtigare nondum licuit. Ex *Remberto* ſolum diſcimus illum utriusqve *Erici* & *Senioris* & *Junioris* fuiſſe & fidelem amicum & propinqvum. Forte ſoror ejus fuit uxor *Erici Senioris* & mater *Junioris.*

(t) Sine dubio hæc facta ſunt Anno 855. Imo ipſe Rex *Ericus junior* videtur poſtea fidem chriſtianam amplexus, qvod non modo ex propenſione ejus in Ansgarium probatur, ſed etiam ex muneribus ejus Papæ An. 857. miſſis, & ex *Nicolai* Papæ reſponſo An. 858. dato, ex qvo tamen elucet, Regem nondum baptizatum fuiſſe. Vid. *Nicolai* Lit ap. Staphorſt T. I. p. 52. & *Baluz.* Miſcell. T. V. p. 484. Forte ERICUS hic junior ille *Rex Daciæ* eſt, qvem poſtea *Rembertus* baptizavit, qvod refert *Vet. Scriptum* Eccl. Brem. ſupra p. 367.

(u) Dubitari vix poteſt, qvin etiam *Ericus*, ut inqvit *Adamus* p. 9. *chriſtianissimum ipſe ſuſceperit.* Auctor *Hiſtoriæ Ol. Trygg.* P. I. p. 68, aſſerit, *Ansgarium eum baptizaſſe*, qvod qvidem a vero non abludit.

(v) i. e. *Campana*, qvam etiam hodie Danice dicimus en Klokke. *Ol. Trygg. S.* T. I. p. 196. ein ſtor Klocka, magna

Ecclesia consensit. In alio qvoqve vico regni sui, *Ripa* (x) vocato, similiter locum, ubi *Ecclesia* (y) fabricaretur, tribuit, & ut ibi *Sacerdos* præsens adesset, suæ potestatis licentiam dedit.

Caput XXIX.

Viri Apostolici in Sveciam missi.

Deniqve dum hæc agerentur, prædictus venerabilis *Gautbertus* Episcopus ad gentem *Sveonum* qvendam misit Presbyterum, nomine *Ansfridum* (z), qvi ex gente *Danorum* oriundus, a Domino *Ebbone* (a) ad servitium Domini educatus fuerat: qvi cum

magna campana. *Sn. Sturl.* T. I. p. 307. 821. *Kluckna-bliod*, sonus campanæ. Anglo-Sax. *Clugga.* Gall. *Cloche.* German. Klocke, Glocke. *Wachterus* vocem a veteri Germanico *Klocken* sive *Klobbon* derivat. In *Epist. Bonifacii* Bibl. Max. Patr. T. XIII. p. 74. 146. vox *Cloca* occurrit. *Willibaldi* Vit. Bonif. in Act. SS. Bened. T. IV. p. 26. Ecclesiæ *Cloccum* commotum est. *Canis.* T. III. p. 367. *Glocca.* Capit. Caroli M. ap. Baluz. T. I. p. 243. *Clocas* non baptizent. *Vit. S. Sturmii* in Act. SS. Bened. T. IV. p. 284. omnes *Gloggas* pariter moveri imperavit. *Vit. Remberti* ibid. T. VI. p. 474. Signum Ecclesiæ, qvod nos *Cloccam* vocamus. *Gvaldo* Cap. 73. voce *Nola* utitur.

(x) Insignem *Urbis Ripensis* antiqvitatem testatur hic Remberti locus. *Portus Ripensis* meminit *Adamus Brem.* p. 9. & p. 56. eundem ita describit: *Qvæ civitas* [Ripa] *alio tangitur alveo, qvi ab oceano influit, & per qvem vela torqventur in Fresiam, vel in Saxoniam, vel in Angliam.* Vetus Adami Scholiastes (75) ibid. itineris cursum *ex hoc portu* per oceanum & mare mediterraneum ad Palæstinam usqve recenset. De Portu Ripensi ita *Saxo Gramm.* p. 235. *Illuc frequens navigiis portus oppido splendidam mercium varietatem importat.*

(y) Idem *Auctor* Hist. Ol. Trygg. p. 68. his verbis affirmat: *Harekur let kirkiu gora i Rifum.* Ædificationem primi templi Ripensis *Andreas Vellejus* aliiqve referre non dubitant ad An. 860. *Grammius* autem Not. ad Meurs. p. 124. in dubio ponit, ullane ædificata vel *Erici II.* vel *Anscharii* ætate *Ripis* fuerit ædes sacra, licet facultas erigendi data esset. Interim qvum *Adamus Brem.* p. 9. diserte adserat, ERICUM Regem, suggerente *Anschario*, in alio portu regni sui apud *Ripam exstruxisse Ecclesiam* in Dania secundam, & *Rembertus* heic non solum de loci donatione sed etiam de concessa per Regem Sacerdotis præsentia mentionem faciat, non video, qvid magis *Ripis* qvam *Slesvici* hoc factum impediret. Non obstat, eam *partem regni inter mare & Eidoram*, ut docent *Annales Fuldenses*, ab ERICO Rege An. 857. donatam fuisse *Rorico*; qvis enim dixit, *vicum* aut *portum Ripensem* huic donationi fuisse inclusum; Contrarium potius elucescit ex potestate, qvam ERICUS exercuit, & locum tribuendi & Sacerdoti licentiam dandi. Adhæc ERICUS, ut opinor, ante An. 857. *Anscharo* hanc gratiam concesserat, qvum ille Annis 855. & 856. Regem inviseret. Circa qvæ tempora templum Ripis ædificari cœptum videtur. Hoc tamen credo, magnificam aliqvam structuram nec Regem nec Anscharium intendisse, neqve ad talem impensas tum suppetiisse, ligneam potius & humilem ædem fuisse, qva primi christiani, ut eo citius sacris suis in publico cœtu operarentur, maluerunt contenti esse, vid. *Terpagr.* Rip. Cimbr. p. 76. Primam hanc *Ripensem Ecclesiam* Anscharius *Rimberto* Presbytero commendavit, testante *Adamo* p. 9. Ille autem *Rimbertus* diversus est a *Rimberto* eo Dano, qvem S. Anscharius An. 859. Episcopum ordinavit, ac in Sveciam misit. An vero cum *S. Remberto* postea Archiepiscopo Hamburgensi & S. Anscharii Successore idem sit, qvod *Helvaderus*, *Pontoppidanus* & forte plures recentiorum perhibent, id ab aliis disputatur, vid. *Celsii* Hist. Eccl. Sv. p. 169. mihiqve etiam forsan disputabile fuisset, nisi evidens illud *Annalium Corbeiensium* ap. Leibn. T. II. p. 298. & Paullini p. 372. testimonium obstitisset: *DCCCLX. Rembertus noster fit Pastor in Ripen*, & infra ad An. 866. de eodem: *Rembertus noster fit Episcopus & succedit Ansgario nostro.* Unde liqvet, *Rembertum* pastorem Ripensem eundem esse, qvi mortuo Anscharo in Archiepiscopatu Hamburgensi succesit. E contra fallitur omnino *Staphorstius* T. I. p. 52. 56. qvi *Rembertum* pastorem Ripensem cum *Rimberto* Episcopo Sveciæ, de qvo Auctor noster Cap. XXIX, confundit, cum tamen hic in Sveciam An. 859. iverit, ibiqve multos annos manserit, ille autem An. 860. factus est pastor Ripis. Qvod autem *Rembertus* Archiepiscopus antea fuerit Diaconus S. Anscharii, impedire non potest, qvin & Pastor Ecclesiæ Ripensis esse potuerit: Ex silentio etiam Auctoris Vitæ S. Remberti nihil inferri potest, cum certum sit, eum, æqve ac ipsum Rembertum in Vita S. Anscharii, plures circumstantias omisisse.

(z) Aliis *Aufridum.* Ansfridi missio Svecica sine dubio Anno 855. facta est. Post cujus adventum Erimbertus exinde revertitur.

(a) De *Ebbone* Archiepiscopo Rhemensi & post Episcopo Hildeshemensi, vid. supra p. 401.

cum illo adveniſſet, memoratus *Eribertus* (b) ſacerdos exinde reverſus, & ille (c) ibi cum multa omnium ambitione *tribus* aut *eo amplius annis* demoratus eſt. Poſt hoc vero, audito Domini *Gautberti* (d) obitu, ipſe qvoqve exinde reverſus, & apud nos (e) aliqvamdiu converſatus, infirmitatis moleſtia correptus, aggraveſcente dolore, defunctus eſt. Qvo facto, Dominus *Epiſcopus* non ſuſtinens, fidem Chriſtianitatis ibi cœptam deperire, ſuum illuc Presbyterum, *Ragenbertum* (f) nomine, mittere diſponebat (g). Qvi cum ad hoc ſatis idoneus, & tanta (h) profectione valde eſſet voluntarius, dum ad portum memoratum *Sleasvich*, in qvo naves cum *negotiatoribus* (i), qvi cum eo ituri erant, conſtabant, pergeret, diabolica machinatione fortuito in via *Danorum* latrocinantium inſidiis circumactus, & iis, qvæ habebat, ſpoliatus, *die Aſſumptionis ſanctæ Mariæ* (k) ipſe qvoqve in bonæ voluntatis curſu fœliciter conſummatus eſt. Qvod factum cum Domini *Epiſcopi* animum nimio affeciſſet mœrore, neqvaqvam tamen a cœpta (l) retrahi potuit voluntate. Verum non multo poſt

(b) De *Erimberto*, vid. ſupra Cap. XXII. XXV. XXVII.

(c) *Anſfridus* ſcilicet, ut ego arbitror.

(d) Diſertis heic verbis teſtatur *Rembertus*, *Gautbertum* Epiſcopum aliqvot annos ante mortem S. Anſcharii obiiſſe, & qvidem ad meam computationem circa Annum 858. Jam vero qværitur, qvomodo cum *Remberto* conciliari poſſint *Erdmannus* in Chron. Ep. Osnabr. ap. Meibom. T. II. p. 200-201. & *Kramzius* Metrop. p. m. 51. qvi *Gosbertum* [qvi idem ſit ac *Gautbertus*] Epiſcopum, e Sveonia pulſum, præfuiſſe narrant *Epiſcopatui Osnabrugenſi* usqve ad 874. qvo anno d. III. Idus Aprilis obierit. Mirum eſt, nec *Rembertum*, nec *Adamum* [qvod tamen *Stophorſt* T. I. p. 47. aſſerit] hanc de *Gautberto* ſæpius ab ipſis laudato circumſtantiam attigiſſe. An ergo figmenta tradidiſſe *Erdmannum* & *Kramzium* credamus? Minime. Res tamen Summe Rev. *D. Celſio* Hiſt. Eccl. Sv. p. 169. ſq. dubia eſt, mihiqve etiam dubia foret, niſi ante paucos annos, cura Amici mei æſtumatiſſimi Dn. *Lud. Alb. Gebhardi* Prof. Luneb. mihi obveniſſent duo Diplomata, ex Tabulario Osnabrugenſi deſcripta, qvæ multam rei lucem affundunt, eamqve extra omnem controverſiam ponunt. Ea Diplomata monſtrant, *Erdmannum* ſua ex eodem Tabulario hauſiſſe, ex eoqve ſua *Kramzium*. Si autem hi erraverint, error eſt in anno *Gautberti* ſive *Gosberti* emortuali, qvi, ſi *Remberto* fides ſit, non fuit Annus 874. ſed diu ante Anſchatii mortem incidit: Anſcharius autem Anno 865. obiit. *Ornhielmius* Hiſt. Eccl. Sv. p. 76. 77. omnino fallitur, dum, male intellecto Krantzio, putavit, *Gosbertum* Osnabrugenſem Epiſcopum ſive Adminiſtratorem alium fuiſſe a *Gautberto* Sveonum Epiſcopo, & longe ſerius, qvam *Gautbertus*, in Sveciam miſſum fuiſſe, cum tamen una eademqve perſona ſit. Prædicta Diplomata, qvorum alterum eſt *Ludovici Germanici* [idem forte, qvod *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 274. 398. ex *Henſelero* citat & ad An. 864. refert], *Egiberto* Epiſcopo Osnabrugenſi Anno 863. datum, alterum eſt *Egilmari* Epiſcopi Osnabrugenſis ad Stephanum Papam Anno 888. ſcriptum, rem ita explicant: *Goswinus* Epiſcopus Osnabrugenſis An. 832. 833. conſpirationi in *Ludovicum* Imperatorem ſe immiſcuit, unde ab Epiſcoporum conſortio ſemotus, ad cœnobium Fuldenſe fugit. Diœceſis Osnabrugenſis ſic Epiſcopo deſtituta, a variis invaditur, donec, poſt exceſſum Imperatoris, *Ludovicus* Germaniæ Rex eam *Cobboni* Comiti tuendam committit. Poſtea *Gozbertus* Epiſcopus, a gente Sveonum ejectus, *Cobbonem* adiit, qvo impetrante & Rege conſentiente, ſuſcepit eundem Epiſcopatum, decimis maxima ex parte vacuatum &c. Qvum autem *Egibertus* An. 863. fuerit Epiſcopus Osnabrugenſis, dubitari vix poteſt, *Gautbertum* ſive *Gozbertum* ante obiiſſe, & *Rembertum* vera narraſſe. Diploma qvoqve Anni 852. ægritudinem & ſenectutem *Gozberti* Epiſcopi memorat: unde concluditur, eum non diu poſt ſuperſtitem fuiſſe, vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 419. De confuſione circa nomen & perſonam *Gaudberti* vid. *Act. Sanctor.* T. I. Februar. p. 313. 314. De loco mortis ejus diſſentiunt Scriptores, Conf. *Gualterii* Chron. Chronicor. T. I. p. 1373. *Paullini* Syntagm. p. 478. ſq. Vide, qvæ ſupra Cap. XIII. XV. XXII. XXV. de *Gautberto* dicta ſunt.

(e) Incertum, an *Hamburgi*, *Bremæ*, aut in *Corbeia Nova* deceſſerit.

(f) Al. *Raginbertum*.

(g) Hæc ſine dubio facta ſunt Anno 858.

(h) Al. *tantæ profectionis*.

(i) De chriſtianæ fidei per *mercatores* promotione, vid. ſupra Cap. IX. Not. (t) & Cap. XXVII. Not. (k).

(k) i. Die 15. Auguſti.

(l) Al. *accepta*, ſed perperam.

ad hoc opus alium ordinavit *Episcopum* e gente qvoqve *Danorum* (m) progenitum, nomine *Rimbertum* (n). Qvem cum ad illas partes pro Christi nomine destinasset, benigne ibi a *Rege* & a populo susceptus (o), divina apud eos mysteria, largiente Domino, libere hactenus (p) celebravit. Deniqve & ipsi, sicut & cæteris, qvos inter paganos ante constituerat, denunciavit Sacerdotibus, ut nullius aliqvid concupiscerent, neqve peterent, sed ut magis exemplo beati Pauli Apostoli, ipsi qvoqve manibus suis laborarent, & victu ac vestimento contenti essent, pie eos adhortatus est. Qvibus tamen ipse & seqvacibus eorum, qvicqvid necessarium habebant, insuper & qvid pro amicis acqvirendis dandum erat, de suo abundanter ministrabat. Porro inter has multiplices variasqve angustiarum pressuras, qvamvis, uti commemoravimus de eadem *Legatione*, divina, ut prædictum est, semper inspiratione roboraretur, ne a cœpto desisteret opere, tamen Domini qvoqve *Ebbonis* (q) memorati Remensis Archiepiscopi, qvi hanc *Legationem* primo susceperat, non modice eum in hac causa & devotio mentis & fervor consolabatur animi. Siqvidem ipse intimo pro *vocatione gentium* flagrans spiritu, jugiter eum ad fidei gratiam in partes istas promulgandam incitabat, & ut cœpta non desereret, strenue commonebat. Cujus verbis exhortationis, & maximo ardore mentis, qvo ad hoc fervebat iste bonus (r) vir, provocatus, indubitanter officii sibi commissi curam agebat, nec aliqva unqvam incommoditatis adversitate a cœpto opere averti poterat. Et licet innumera fuerint prædicti *Pontificis* svasoria monita, qvibus *Pater* noster intimo consolabatur gaudio, illius tamen semper recordabatur sermonis, qvem de *Legationis* hujus causa in ultimo collocutionis suæ habuere tempore. Nam, cum Dominus *Episcopus* noster, dinumeratis multis, qvæ sibi contigerant, angustiis, qvid de eadem *Legatione* sibi videretur, ipsum reqvireret, qvalemqve consolationem sibi super hoc dicere vellet, ab eo sollicite exposceret, ille (s), qvasi prophetico afflatus spiritu, respondit: *Certus sum*, inqvit, *qvia, qvod nos pro Christi nomine elaborare cœpimus, fructificare habet in Domino; Nam ita est fides mea, & sic firmiter credo, immo veraciter scio, qvia & si aliqvando propter peccata qvodammodo impeditum fuerit, qvod nos in illis cœpimus gentibus, non tamen unqvam penitus extenuetur, sed fructificabit in Dei gratia, & prosperabitur, usqve qvo perveniat nomen Domini ad fines orbis terræ.* Hæc itaqve fides fuit eorum, hac voluntate exterarum gentium fines petierunt, hujus religionis amore pro Domino certaverunt, a qvo & præmium laboris sui sine dubio percepturi sunt. Hujus devotionis voluntas ab animo Domini & Patris nostri nunqvam recessit, & pro *salute gentium* nunqvam orare cessavit. Qvin potius cum assidua fere *piratarum* infestatione, qvi ex *gentibus* jam dictis veniebant, *Parochia* illius in circuitu vastaretur, ac familia diriperetur, ille tamen pro adversantibus & insidiantibus sibi jugiter exorabat, & pro conversione

(m) Hinc patet, plures primòrum *Sveciæ Apostolorum* fuisse gente *Danos*, qvod sine omni dubio propter communem *Sveonibus* cum *Danis* lingvam factum est, cujus ignorantia exteris in propagando christianismo haud parvo fuit impedimento.

(n) *Rimbertus* hic alius est a *Remberto* Hamburgensi Archiepiscopo, qvi hanc S. Anscharii vitam scripsit. Ex seqventibus enim patet, *Rimbertum* illum Episcopum, tunc, cum hæc scripta sunt, etiamnum in Svecia superstitem fuisse. Erat ille *secundus Sveonum* sive *Bircensium Episcopus*, multis annis in Svecia Christum prædicans.

(o) *Rimbertus* Episcopus circa Annum 859. in Sveciam venit.

(p) Dum *Rembertus* hanc vitam scriberet.

(q) De *Ebbone* vid. supra p. 401.

(r) Al. *beatus.*

(s) Scil. *Ebbo*, tunc Hildesheimensis Episcopus, ante Rhemensis Archiepiscopus, & Legatus Apostolicus ad gentes septentrionales.

conversione eorum, qvi sibi malefaciebant, apud Dei misericordiam sine cessatione rogabat, petens, ne statueretur illis in peccatum, qvod ignorantes Dei justitiam, errore diabolico decepti, Christianorum rebus essent infesti. Cujus sollicitudinis causa in tantum fervebat, ut etiam in infirmitate positus novissima, jam dictæ suæ *Legationis* causam nunqvam antea tractare & disponere omiserit, qvousqve ultimum exhalavit spiritum vitæ. In qvo Religionis ardore a seculo susceptus (t), credimus, qvod maxima secum comitante fidelium multitudine, qvos ex *gente Danorum* atqve *Sveonum* Domino lucratus fuerat, meritum boni certaminis illius, divina remunerante clementia, in die resurrectionis omnium gloriose & feliciter regna penetravit cœlorum.

Caput XXX.

S. Anscharii pœnitentia, preces, eleemosynæ.

Sane qvia de causa *Legationis* ejus & cura, qva alios salvare cupiebat, multa jam diximus, qvalis in semet ipso in exercitatione salutis propriæ animæ extiterit, qvaliterqve corpus suum pro divino timore continue afflixerit, jam nunc tempus est enarrandi. Qvalis namqve apud Vos (u) in monasterio in omni frugalitate & devotionis studio effulserit, non opus est Vobis ea dicere, qvæ Vobis sunt optime comperta: Tamen, ut auditum habemus, ipse adolescens & juvenis senibus & grandævis mirandus videbatur & imitandus. Jam vero, sumpto apud nos *Episcopatu*, hoc omnino, qvod in monasterio inchoaverat, modis omnibus augmentare, sed & omnium vitas sanctorum imitari studuit; specialius tamen *Beati Martini*. Cilicio namqve ad carnem non solum in die, sed etiam in nocte usus est. Deniqve, sicut in ejus vita legerat, magnopere populis verbum Domini prædicando prodesse studebat, interdum tamen, ut se ipsum in divina exerceret Philosophia, solitudinem amabat. Ad qvod opus & *Cellam* (v) aptam sibi constructam habebat, qvam appellabat *qvietum locum & amicum mœrori*. Ubi cum paucis demoratus, qvotiescunqve a prædicatione & Ecclesiasticis officiis, & ab *inqvietudine paganorum* liber esse poterat, habitavit secum. Ita tamen, ut proprium commodum & solitudinis amorem nunqvam gregis sibi commisi præponeret utilitati. Porro qvousqve juventutis aliqvatinus potitus est robore, persæpe & panem in pondere, & aqvam in mensura sumebat, maxime qvamdiu solitudine ei uti licitum erat. Qvo tempore non modice, ut ipse affirmabat, a spiritu tentatus est *cenodoxiæ* (x). Studebat namqve inimicus humani generis peste jam dicta animum illius inficere, & magnus sibi in oculis suis videbatur, qvia taliter abstineret. Qva de re tristis factus, & ad Domini pietatem totis viribus in oratione conversus postulabat, ut sua eum gratia ab hoc pernicioſisſima impietate liberaret. Qvodqve & factum est. Cumqve pro hac re precibus esset sollicitius intentus, qvadam nocte sopori deditus, vidit se qvasi usqve in cœlum rapi, & totum seculum, ac si in teterrimam vallem collectum, ex qvo tamen & bonorum (y) animæ licet raro Angelico ministerio rapiebantur & ducebantur in cœlum. In qva, videlicet tenebrosa valle, ostensum est ei

(t) Al. *susceptum.*

(u) Fratres Monasterii Corbeiæ veteris Rembertus alloqvitur.

(v) Per hanc *Cellam* an Rembertus respiciat ad *Cœnobium Rameslocnse*, aut ad illud *Bremense*, aud aliud aliqvod, de qvibus *Adamus* p. 9, incertum est.

(x) *Cenodoxia* i. vana gloria.

(y) Al. *beatorum.*

ei etiam qvaſi ſementivum (z) qvoddam, ex qvo genus hominum ducit originem. Cumqve hæc omnia admirans & horreſcens aſpiceret, juſſus eſt, ut attenderet, qvo initio in hanc vitam veniret, ac dictum eſt. Unde, inqvit, homini ulla jactantia eſſe poterit, qvi de tam vili origine in convalle lachrymarum procreatus ſit, & qvicqvid boni habuerit non a ſe, ſed ab eo, a qvo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt, acceperit; Si igitur, ulterius inqvit, ab ulla tentatus fueris *cenodoxiæ* peſte, iſtud in mentem reducens memorare, unde progenitus ſis, & cum Dei gratia liberaberis; qvod ita & factum eſt. Jam vero, poſtqvam ſenuit, non adeo potuit de cibo abſtinere, potus tamen ei ſemper aqva erat, niſi qvod propter vanam gloriam vitandam magis, qvam aliqvam ſvavitatem capiendam, aliqvantulum ipſi aqvæ, qvam bibiturus erat, de potu (a) admiſcebat. Qvia tamen in ſenectute ſua ſolita neqvivit uti parſimonia, ſtuduit hoc eleemoſynis & orationibus, multisqve aliis bonis compenſare. Hujus namqve rei gratia multos redemit captivos (*), qvos & libertate donavit. Nonnullos tamen eorum, qvi ad hoc apti eſſe poterant, ad Dei ſervitium educandos literis divinis inſtruere juſſit. Porro ad devotionem ſibi in Dei amore acuendam, qvam ſtudioſus fuerit, teſtantur *Codices* (b) *magni apud nos* (c), *qvos ipſe propria manu per notas inſcripſit, qvi ſolummodo illa continere noſcuntur, qvæ ad laudem omnipotentis Dei pertinent, & ad peccatorum redarguitionem: Ad laudem qvoqve beatæ & æternæ vitæ, & terrorem gehennæ, & qvicqvid ad compunctionem pertinet & lamentum.* Teſtes ſunt & fratres, & *apud Vos* (d) & in *nova Corbeja* degentes, qvos pro hoc opere freqventes poſtulavit, qviqve illi nonnulla hujusmodi conſcripta miſerunt. Sed numqvam illi ſat eſſe poterat, qvia omnem vitam ſuam in luctu & lachrymis exigere volebat. Nam licet illi compunctio cordis freqventer lachrymas excitaret, non tamen unqvam ei ſufficientes videbantur, niſi qvod in ultimo ætatis ſuæ anno

hanc

(z) Al. *ſementinum.*

(a) Forte *cereviſia.*

(*) Qvod pueros ex captivitate redemerit, vid. ſupra Cap. XIV.

(b) *Scripta S. Anſcharii*, qvorum aliqvam notitiam habemus, fuere ſeqventia: (1) *Piæ meditationes* in laudem Dei, de peccatis, de vita æterna, & de inferno, de qvibus heic Rembertus. (2) *Oratiunculæ*, Pſalmis Davidicis adaptatæ, qvas ipſe *Pigmenta* vocavit, teſte Remberto. Eædem forte ſunt, ſive earundem pars, qvæ tempore *Alberti Krantzii* Hamburgi ſuperfuere, de qvibus *Metrop.* L. I. c. 42. ita: *Tenemus devotionis ejus breve, ſed clariſſimum monimentum, libellum, Pſalmorum Summam paucis includentem, qvi, qvalis fuerit in majoribus, ſatis atteſtatur.* (3) *Vita & Miracula S. Willehadi.* Libellus iſte editus eſt a *Philippo Cæſare* in Triapoſtolatu Septentrionis, a *Mabillonio* in Actis Sanctor. Benedict. a *Fabricio* in Memoriis Hamburgenſibus, & a *me* in hoc opere ſupra p. 342. ſqq. De hoc *Adamus Brem.* p. 5. *Extat*, inqvit, *Vitæ Actuumqve ejus inſignis Liber, qvem ſucceſſor ejus qvartus fideli ſtilo exaravit Ansgarius.* Et *Hiſt. Arch. Brem.* ap. Lindenbr. p. 71. *S. Anſcharius Vitam & Miracula b. Willehadi fideliter ſcripſit.* (4) *Epiſtolæ* ejus ad Reges Romanorum, Reges Danorum, aliosqve, de Legatione ſua ſeptentrionali, qvæ tempore *Adami Bremenſis* [Vid. Edit. Lind. p. 9. 10.] plures extiterunt. *Krantzius* autem Metrop. L. I. c. 42. de harum jactura ita qveritur: *Extabant diu Epiſtolæ ejus plures, qvæ nunc per injuriam perierunt.* Aſſerit qvidem *Otto Sperlingius* in Not. ad Ad. Brem. ap. Weſtphal. T. II. p. 689. aliqvas Anſcharii Epiſtolas Hamburgi in Mss. Bibliothecæ cathedralis ſupereſſe, ſed ſine omni dubio fallitur; illud enim Hamburgenſes eruditi vix tacuerunt. Una tamen, ad Epiſcopos ſcripta, adhuc integra conſervata eſt in *Actis Sanctorum* T. I. Febr. p. 404. & apud *Stapborſt* T. I. p. 59. Conf. infra Cap. XXXII. (5) *Miſſale S. Anſcharii* ante integrum Seculum in poſſeſſione fuit Cardinalis a Wartenberg Epiſcopi Osnabrugenſis, vid. *Paullini* Theatr. Illuſtr. Corbeiæ p. 21. (6) *Manuale S. Ansgarii* ſive Diarium, in qvo *ſacri ejus labores in Septentrione* juxta annos & dies ſtudioſe notati fuerunt breviter, qvod An. 1215. a Baltaſare Rummer Fratribus Corbeienſibus donatum fuerat, poſtea circa 1260. ab Abbate Tymone Romam miſſum, Annal. Corbei. ap. Leibn. T. II. p. 310. & ap. *Paullini* p. 400. (7) Præter hæc *Privilegia Apoſtolicæ Sedis de Legatione ejus ſeptentrionali* in *multis libellis* ipſe deſcribi juſſit, vid. *Rembert.* Cap. XXXIV.

(c) Sine dubio *Hamburgi* Codices iſti S. Anſcharii aſſervabantur, niſi *Bremam* malis.

(d) Alloqvitur hic, ſicut aliqvoties ſupra, *Monachos Corbeiæ veteris*, qvibus hoc opus ſuum *Rembertus* dedicavit.

hanc qvoqve gratiam diu qvæſitam Domino largiente promeruit, ut, qvotienscunqve vellet, ploraret. Deniqve ex ipſis compunctivis rebus ex ſacra ſcriptura ſumptis per omnes pſalmos, *unicuiqve* videlicet *pſalmo propriam* aptavit *oratiunculam*, qvod ipſe *Pigmentum* (e) vocitare ſolebat, ut ei pſalmi hac de cauſa dulceſcerent. In qvibus videlicet *pigmentis* ipſe non compoſitionem verborum curabat, ſed compunctionem tantum cordis qværebat. In qvibus aliqvando Dei laudat omnipotentiam & judicium, aliqvando ſemet ipſum vituperat & increpat, aliqvando ſanctos, qvi Deo obediunt, beatificat, aliqvando miſeros & peccatores luget; qvibus omnibus ſemet ipſum ſemper deteriorem dicebat. Qvæ tamen aliis cum eo pſalmos canentibus, finito pſalmo, ipſe ſolus tacite ruminare ſolebat, nec ulli ea manifeſtare volebat. Qvidam tamen noſtrum, qvi ei familiariſſimus (f) erat, magna vi precum vix ab eo obtinuit, ut ei ipſa *pigmenta*, ſicut ille cantare ſolitus erat, dictaret. Qvæ tamen ipſe conſcripta, vivente eo, nemini innotuit, ſed poſt obitum ejus qvibusqve legere volentibus exhibuit. Inter pſalmos autem cantandum, freqventer etiam manibus operari ſolitus erat; nam his temporibus rete operabatur. De ipſis vero pſalmis diſpoſitum habuit, qvos in nocte, qvos in die cantaret, qvos, dum ſe ad miſſam cantandam parabat, qvos, dum iterum diſcalceatus ad lectum ire volebat. Mane autem ſemper, qvando ſe calceabat & manus lavabat, litaniam cantabat, & ſic ad Eccleſiam profectus, tres aut qvatuor miſſas, ipſe aſtans & officium agens, celebrari faciebat. Statuto tamen legitimo tempore in die, publicam miſſam, niſi aliqva ei incommoditas accidiſſet, ipſe cantabat: ſin vero, audiebat. In eleemoſynis vero dandis qvam liberaliſſimus fuit, qvis enarrare poterit, cum omnia, qvæ habebat, in Domini voluntate neceſſitatem patientibus ſubminiſtrare cupiebat. Ubicunqve enim aliqvem in neceſſitate poſitum ſciebat, ex qvanto poterat, eum adjuvare ſatagebat; & non ſolum in propria parrochia, ſed etiam in longinqvis regionibus poſitis, ſubſidium ſui adjutorii miniſtrabat. Specialius tamen *Hoſpitale Pauperum in Brema* (g) conſtitutum habebat, ad qvod decimas de nonnullis villis diſpoſuit, ut ibi cum qvotidiana ſuſceptione pauperum ægroti qvoqve recrearentur: Per omnem qvoqve Epiſcopatum ſuum decimas animalium & omnium redituum, decimasqve decimarum, qvæ ad eum pertinebant, in pauperum expenſionem diſtribuebat: Et qvicqvid argenti, vel cujuslibet cenſus illi proveniebat, in uſus indigentium decimabat. Inſuper in qvinto anno, omnium animalium, licet antea decimata fuerint, ad eleemoſynarum dationem iterum ex integro decimationem faciebat. De argento etiam, qvod ad Eccleſias in Monaſteriis veniebat, qvartam partem ad hoc ipſum deſtinatam habebat. Curam vero pupillorum ac viduarum maximam ſemper habebat, & ubicunqve Anachoretas eſſe ſciebat, ſive viros ſive fœminas, freqventibus viſitationibus & donis ipſos in Dei ſervitio confortare, & neceſſariis ſubſidiis adjuvare ſtudebat. Habebat qvoqve & in zona propria ſemper ſaccellum (h) cum nummis, ut, ſi qvando egens veniret, & diſpenſator eleemoſynæ ſuæ deeſſet, ipſe ſine mora, qvod daret, haberet. Studebat enim illud beati *Job* dictum per omnia implere, ut nec ſaltem oculos viduæ aliqvandiu expectare faceret. Sicqve & oculus cæco, & pes claudo, & pater pauperum omnino eſſe ſtudebat. In Qvadrageſimo vero tempore qvatuor pauperes qvotidie in *Brema* ad eſcam ſuſcipi jubebat, duos

(e) Al. *pigmenta.*

(f) Ipſe forte *S. Rembertus*, qvi infra Cap. XXXIII. dicitur *S. Anſcharii fideliſſimus diſcipulus.*

(g) Conf. *Hiſt. Archiep. Brem.* ap. Lind. p. 71. *Xenodochium Bremenſe* ab *Anſchario* inſtitutum nobiliter auxit Succeſſor ejus *S. Remberius*, *Adam. Brem.* p. 12. *Gvaldoni* Cap. 86. Hoſpitale illud *Stabulum* egenis dicatum dicitur.

(h) Al. *ſacculum.*

ſcilicet viros, & duas fæminas. Et viris qvidem ipſe cum fratribus pedes lavabat, fæminis autem in prædicto *Hoſpitali pauperum*, vice illius, qvædam Deo ſacrata, qvam ipſe in Dei voluntate & religionis amore probatam habebat. Deniqve cum *Parrochias* more Epiſcopali circuiret, anteqvam ipſe ad convivium accederet, pauperes præcipiebat introduci, qvibus ipſe & aqvam ad manus lavandas exhibebat, & eulogiis datis miſcebat, & menſa ante ipſos poſita, ſic demum ad ſuum convivium cum hoſpitibus accedebat. Et ut miſericordiæ ac pietatis ejus viſcera exemplis approbemus, vidimus qvondam, cum inter multos alios cujusdam viduæ filium in longinqva regione *captivum* abductum, in *Sveonum* videlicet, *pretio redemtum* (i), ipſe ſecum ad patriam reduxiſſet, & cum ipſum mater ſua gaudens videret reverſum, ſicuti mos eſt fæminarum, præ gaudio in conſpectu ejus aſtans lachrimata fuiſſet, ipſe qvoqve *Epiſcopus* compunctus non minus flere cœpit, ſtatimqve ipſum viduæ filium libertate donatum matri reddidit, domumqve gaudentes ire permiſit. Et (k) qvia converſatio ejus, ſecundum beatum Paulum Apoſtolum, ſemper erat in cœlo, nonnunqvam ipſe cœleſtibus revelationibus, ſicuti jam præfati ſumus, licet multa omiſerimus, illuſtrabatur in terra, ita ut fere omnia, qvæ ei proventura erant, antea ſemper ſive per ſomnum, ſive per intimam revelationem in mente, ſive per exceſſum ipſi cognita fuerint (l). Nam qvod diximus fieri in mente, hujusmodi eſſe putamus, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur: Dixit, inqvit, ſpiritus Philippo. Ad omnia enim, qvæ forte præcipua definire debebat, ſpatium cogitandi habere volebat, & nihil temere diſponebat, anteqvam gratia Dei illuſtratus, ipſe in mente ſua ſentiret, qvid melius eſſet, ſicqve ſuperna viſitatione certificatus, in mente ſine cunctatione, qvæ agenda erant, diſponebat. Porro ea, qvæ per ſomnum videbat, ſicuti jam ſuperius multa comprehenſa ſunt, tam vera erant, ut nunqvam caſſata reminiſcamur. Nam ad probationem hujus rei omiſſa referamus. Anteqvam ad *Bremenſem* invitaretur *Eccleſiam*, qvadam nocte viſum eſt ei, qvod veniſſet in qvandam regionem amœniſſimam, in qva invenit *beatum Petrum* (m) Apoſtolum; Cumqve illum admiraretur, venerunt qvidam homines petentes, ut ipſe, beatus videlicet *Petrus*, eis Doctorem & Paſtorem deſtinare deberet. Qvibus cum ille reſpondiſſet: *Iſte eſt, qvem debetis habere Paſtorem*, Dominum Epiſcopum coram ſe ſtantem proponens, viſum eſt ipſi, qvod terræ motus fieret magnus, & ipſe in terram cecidiſſet, & qvod veniſſet vox ſuper eum, & magna ſvavitas in mente, unctio videlicet Spiritus Sancti, ita ut ſe qvaſi innovatum ſentiret in gratia Chriſti. Vox vero, qvæ venit, qvaſi benedictionem ſuper eum fudit. Poſt hæc iterum, ſicut ipſi videbatur, jam dicti viri admonuerunt Apoſtolum, qvo eis doctorem (n) qvemlibet deſtinaret. Contrarii tamen eſſe videbantur his, qvæ ille eis ante propoſuerat. Qvibus ille qvaſi indignando reſpondit: Nonne dixi vobis, qvia hic eſſe deberet, qvi in præſentiarum ſtat? qvid dubitaſtis? Nonne audiſtis vocem ſuper eum ſpiritus ſancti ad hoc delapſam, ut eum vobis conſecraret Paſtorem? Qvo dicto, ſomno expergefactus, qvod *triennio* ante (o) viderat, qvam ad *Bremenſem* regendam invitaretur *Eccleſiam*, certus omnino factus eſt, qvod alicubi in nomine Domini ire deberet, ſed qvo, neſciebat. Poſtqvam vero regio juſſu

ad

(i) De redemtione puerorum ex captivitate, vid. ſupra Cap. XIV.

(k) Hic in qvibusdam exemplaribus novum Capitulum incipit cum hac inſcriptione: *Illuſtrationis divinæ miracula.*

(l) Al. *fierent.*

(m) Conf. Cap. II. ſupra p. 432.

(n) Al. *doctorum.*

(o) Circa Annum 842. aut ſeqventem.

ad prædictam Ecclesiam venit, & eam in *honore S. Petri* (p) consecratam didicit, & nonnullos qvoqve ibi invenit, qvi eum non libenti reciperent animo, recordatus est visionis suæ, hacqve de causa consensit, ut illam regendam susciperet diœcesim, nam aliter nunqvam se hoc facere voluisse attestando dicebat. Eo qvoqve tempore, qvando cellam prædictam *Turholt* (q) habuerat, qvoniam omnis ei cura de *vocatione gentium* erat, ut eis in sua *Legatione* prodesse potuisset, nonnullos *pueros* (r) ex *Nortmannis* vel *Sclavis emptos* in eadem *Cella* causa discendi ad sacram militiam nutriendos (s) posuerat, qvorum qvosdam prædictus *Reginarius* (t), qvando *Cella* ipsi data est, inde abstulit, & ad suum servitium misit. Qva de causa cum nimium esset Dominus Episcopus anxiatus, post paululum visum est illi, qvod veniret in qvandam domum, invenisseqve ibi & venerandum Regem CAROLUM, & ipsum *Reginarium*, qvos ipse, ut ei videbatur, de eisdem *pueris* increpavit, asserens, qvod eos ad Dei omnipotentis servitium nutrire disposuerit, non ut *Reginario* servirent. Qvo dicto visum est ei, qvod idem *Reginarius* levato pede suo ad os calcitraret Domini Episcopi. Denique hoc facto mox visum est ei, qvod Jesus Christus propter eum astaret, diceretqve *Regi* præfato pariter & *Reginario:* Cur, inqvit, hunc hominem vos tam turpiter dehonestatis, scitote, qvia ipse Dominum habet, & vos de hac causa non eritis immulctati. Qvo dicto, ipsi exterriti facti, conturbati sunt: Dominus vero *Episcopus* evigilavit. Qvod illi ostensum, qvia verum fuerit, testatur ultio divina, qvæ super ipsum venit *Reginarium;* Nam non multo post iram *Regis* meruit, & Cellam ipsam, una cum omnibus, qvæ ex parte Regis habebat, perdidit, nec ulterius in gratiam pristinam redire potuit.

Caput XXXI.

Illustrationes divinæ. Miracula.

Verum de Pastorali ejus gratia, qvalis qvantusqve extiterit, præteriisse ne videamur, in illo certe probavimus, qvam verum sit, qvod beatus *Gregorius* in figura pastorum, qvi in nativitate Domini super gregem suum vigilabant, de Pastoribus Ecclesiæ dixit: Qvid est, inqvit, hoc, qvod vigilantibus pastoribus Angelus apparuit, eosqve Dei claritas confulsit, nisi qvod illi præ cæteris videre sublimia mererentur, qvi fidelibus gregibus præesse solicite sciunt, dumqve ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. In omni enim actione illius gratiam Dei cum eo comitasse, multis experimentis probavimus. Nam qvod ipse super gregis sui custodiam sollicitus, multa sublimia videre promeruit, & in mente divinitus superna freqventius visitatione inspiratus sit, superius jam in multis comprehensum ostendimus. Deniqve etiam exterius gratia Dei in eo largius coruscante, sermo qvoqve prædicationis

(p) Carolus M. *Saxoniam* victam & conversam *S. Petro* obtulit, vid. *Diplom. Caroli M.* ap. Adamum Br. p. 4. *Gregorii VII.* Epist. in Binii Concil. T. III. P. II. p. 367. Hinc prima *Bremæ* a *S. Villehado* exstructa Ecclesia *S. Petro* dedicata est, qvam postea *Willericus* Episcopus de lignea lapideam fecit: Eandem vero An. 1041. conflagratam *Bezelinus* Archiepiscopus longe majorem exstruere cœpit, *Adamus Brem.* ap. Lindenbr. p. 7. 32.

(q) De *Turbolt* vid. supra Cap. XI. Not. (t).

(r) De emtione puerorum, supra Cap. VII. XIV.

(s) Vid. supra Cap. XVIII.

(t) Vid. supra Cap. XVIII.

nis illius multa ſvavitate perfuſus, partim erat horribilis, ut certo probaretur indicio, infuſione ſpirituali verba ejus moderari, qvo miſcens terroribus blandimenta vim divini jam prætenderet judicii, in qvo veniens Dominus & terribilis peccatoribus, & blandus apparebit juſtis. Hac qvippe gratia in verbis qvoqve propriis & vultu admirandus erat, ita ut cum potentes & divites, maxime tamen contumaces & protervi, terribilem attenderent, mediocres vero qvaſi fratrem complecterentur, pauperes autem qvaſi patrem piiſſimo venerarentur affectu. Porro licet ſigna virtutum velut inſtrumenta jactantiæ caute fugeret, tamen eo non qværente, & hæc ipſa non deerant, qvod evidenti probatum eſt indicio, qvia ſcilicet mandatum Domini ex ore illius in irritum prolatum non ceſſit. Nam cum qvodam tempore in *Freſia*, in pago videlicet *Oſtargao* (u), in die Dominica prædicaret populo, & inter alia prohiberet, neqvis in die feſto opus ſervile exerceret, qvidam illorum, ut ſunt contumaces & ſtolidi, domum reverſi, qvia ſerenus erat aer, in pratum euntes, collecto fœno acervos fecerunt, qvibus factis, adveſperaſcente die, omnes illi acervi, qvi eodem die facti fuerant, divinitus igni conſumpti ſunt, illæſis illis permanentibus, qvi anterioribus diebus præparati in medio conſtabant. Qvo facto populi in circuito manentes, fumum a longe cernentes, hoſtem adeſſe putantes, timuerunt valde. Sed diligentius rei veritatem perſcrutantes, contumaciam nonnullorum probaverunt eſſe mulctatam.

Caput XXXII.

Captivi apud Nordalbingos liberantur.

Nec ſilentio qvoqve prætereundum arbitramur, qvia cum qvodam tempore *gens Nordalbingorum* plurimum deliqviſſet, qvorum delictum nimis horribile & hujusmodi erat; videlicet cum nonnulli captivi, qvi de Chriſtianis terris rapti, & ad *Barbarorum* terras perducti, nimis apud exteros affligebantur, ſpe evadendi inde fugerent, & ad Chriſtianos venirent, ad prædictos videlicet *Nordalbingos*, qvi proximi noſcuntur eſſe *Paganis*, ipſi eos absqve ulla miſeratione, cum ad ſe veniſſent, capiebant, & in vinculis ponebant; qvorum alios iterum *ad Paganos vendebant* (v), alios ſuo mancipabant ſervitio, aut aliis Chriſtianis venundabant. Cum ergo hoc Domino innotuiſſet *Epiſcopo*, nimium triſtis effectus fuerat, qvod tantum nefas in ſua diœceſi contigiſſet, ſed qvaliter id emendari potuiſſet, non ſatis ratione colligebat, qvoniam in hoc nefandiſſimo ſcelere erant plurimi inretiti, qvi potentes apud eos & nobiles habebantur. Deniqve cum de hac re nimium eſſet anxius, qvadam nocte more ſolito divina ei apparuit conſolatio. Videbatur namqve illi, qvod Dominus Jeſus eſſet in præſenti ſeculo, ſicut qvondam fuit, qvando ſuæ præſentiæ doctrinam & exempla populis præbebat, viſumqve eſt ei, qvod eſſet cum multitudine fidelium, & qvod ipſe videlicet Dominus *Epiſcopus* cum eo in eodem eſſet itinere, lætus & adgaudens, qvia nulla erat contradictio, ut ipſi videbatur, ſed erat in omnibus contumacibus terror divinitus illatus, & ereptio fiebat oppreſſorum, & qvies magna in omnibus, ita ut nihil contradictionis aut contrarietatis in ipſo videretur eſſe itinere. Poſt hanc itaqve viſionem confirmatus, ad prædictum populum ſuum ipſe paravit profectionem, ea videlicet voluntate, ut & miſeros, qvi irrationabiliter ſervituti addicti erant, & venditi

(u) Nomen varie ſcriptum reperitur, *Oſterga*, *Aſterga*, *Oſtringa*, *Oſtergaus*. Pagus in pago Emdano.

(v) De venditione hominum apud veteres & ſpecialiter Chriſtianorum, vid. *Capitul. Reg. Francor.* T. I. p. 131. 351. *Wilkins* Leges Anglo-Sax. p. 107. 120. *Ejusd.* Concil. T. I. p. 235. 287. 293. 295.

venditi qvoqve pacto, liberaret, & ne in posterum aliqvis tantum malum committere auderet, cum Dei gratia prohiberet. In qva videlicet profectione tantam illi Dominus concesit gratiam, tantumqve metus auctoritatis ejus contumacibus terrorem incusit, ut, licet essent nobiles & male potentes, nullus tamen eorum suæ consultationi aut imperio ullatenus auderet contradicere. Verum qværebantur miseri, ubicunqve venditi erant, & donati libertate, dimittebantur, ut irent, qvocunqve vellent. Insuper ne ulla fraus in futurum pro eadem re obtenderetur, conventionem talem fecerunt, ut non *juramento* nec *testibus* se ullus eorum, qvi in prædicta rapacitate mulctati fuerant, defenderet, sed *judicio omnipotentis Dei* se committeret, aut ipse, qvi pro tali scelere impetebatur, aut certe captivus, qvi (x) alium impetebat. Hoc ergo facto, in ipso itinere Dominus veraciter exhibuit, qvod fidelibus pollicitus est, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usqve ad consummationem seculi. Tanta enim prosperitate & gaudio iter illud perfecit, ut qvidam cum eo comitantes dicerent, nunqvam se in vita sua tam bonum & tam svave iter egisse; Nunc ergo pro certo, inqviunt, cognovimus, qvia Dominus fuit nobiscum.

Caput XXXIII.

Morbus S. Anscharii.

Qvanti vero oratione illius, & *unctione olei sacri* sanati sint, enumerare non possumus; Hoc enim multorum assertione comperto, certatim ad eum non solum de ipsius diœcesi, sed etiam de longinqvo venire solebant ægrotantes, medicinam salutis ab eo poscentes. Ipse tamen hæc omnia semper occultari maluit, qvam vulgari; nempe cum de hujusmodi virtutum signis aliqvando coram eo fieret sermo, ipse cuidam suo dixit familiari: si dignus essem apud Dominum (y) meum, rogarem, qvatinus unum mihi concederet signum, videlicet, ut de me gratia sua bonum faceret hominem. Præterea cum talis ei esset vita, infirmitate tamen proprii corporis pene assidue laborabat. Omnis qvippe vita ejus fere *martyrium* fuit. Qvippe in laboribus plurimis infra diœcesim propriam, propter incursiones & deprædationes *Barbarorum*, nec non & contradictiones malignantium, insuper & cruciatione propria, qvam sibi ipse in corpore suo pro amore Christi nunqvam cessavit inducere. Sed qvid facimus, qvi post tot dulcia & salubria illud cogimur referre, qvod sine nostro luctu non valemus explicare? Nam *ætatis suæ anno Sexagesimo qvarto*, *Episcopatus* vero *trigesimo qvarto*, cœpit gravi corporis morbo laborare, *Dysenteria* scilicet jugi, qva cum per multos dies, *mensibus* scilicet *qvatuor*, & *eo amplius* (*), acriter laboraret, & se ad mortem urgeri (z) sentiret, semper Deo gratias agebat, minoremqve ipsum laboborem esse dicebat, qvam sua meretur iniqvitas, illud beati Job sæpius decantans: Si bona suscepimus de manu Domini, qvare mala non sustineamus. Tamen qvia se propter supradictas visiones *martyrio* (a) potius, qvam tali infirmitate credebat consummari, tristis admodum factus, sibimet ipsi & peccatis suis cœpit reputare, qvod

(x) Al. *qvem alius.*

(y) Al. *Deum.*

(*) *Anscharius* moritur die 3. Februarii 865. vid. Cap. XXXIV. Not. (o), postqvam 4 mensibus & amplius morbo laboraverat, ergo ægrotare cœpit circa exitum mensis Septembris Anni 864. cum nuper annum ætatis 64. ingressus esset.

(z) Al. *vergere.*

(a) Conf. Cap. II. XXII. XXXIV.

qvasi spe certissima sua esset culpa defraudatus, illud Psalmigraphi sæpius decantans: Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Qvem videlicet mœrorem cum suo *fidelissimo discipulo* (b), qvi ei conscius, qverendo revelaret, &, ipse eum consolari intentius studuisset, dicens, qvod non ei promissum fuisset, ut gladio trucidaretur, aut igne cremaretur, aut in aqva necaretur, sed ut cum *corona martyrii* ad Dominum venire deberet, nullatenus tamen consolationem recipere potuit. Deniqve cum sæpius de eadem re cum prædicto *discipulo* suo (c) collocutionem haberet, & ipse eum summopere consolari voluisset, ad memoriam ejus revocare studens, qvanta in Dei servitio sustinuerit, qvantamqve corporis sui pertulerit molestiam, & qvod, etsi nihil talium passus sit, ipsa infirmitas novissima gravis nimium & diutina, satis superqve ipsi pro martyrio cum Dei gratia reputari potuisset, ipse tamen nullo modo consolationem recipiens, in supradicto permanebat mœrore. Unde factum est, ut Dominus servum suum, non jam ut prius per somnum (d), sed apertius consolari dignatus sit, qvatinus tanto mœrori suæ gratiæ præstaret remedium. Nam cum qvadam die ad missam in oratorio consistens, pro hoc ipso nimium esset sollicitus, subito in excessu mentis raptus, audivit vocem qvandam sic (e) vigilans, qvæ ipsum vehementer increpabat, qvod ullatenus de Dei promissione dubitare debuisset, qvasi aliqva iniqvitas Dei potuisset pietatem vincere: Firmissime itaqve crede, inqvit, & nullatenus dubites, qvia utrumqve tibi Deus sua gratia faciet, id est, & peccata tibi dimittet; pro qvibus modo sollicitus es, & omnia, qvæ promisit, implebit. Qva consolatione suscepta, ipse qvoqve solabatur semetipsum.

Caput XXXIV.

Obitus & Sepultura.

Et exinde sollicitius, qvæcunqve erant in diœcesi sua, procurando cœpit disponere; insuper & Privilegia Apostolicæ Sedis, qvæ erant de *Legatione* ipsius facta, in multis libellis jussit describere, & per omnes pene Domini LUDOVICI Regis *Episcopos* destinare. Ipsi qvoqve Regi LUDOVICO, filioqve ejus æqvivoco (f), hoc ipsum dirigens, addens & sui nominis litteras (g), qvibus postulavit, ut hac in memoriam haberent, simul etiam, prout res dictaret, adjutorio essent, qvatinus *Legatio* ipsa, Dei auxiliante gratia, & ipsis adjuvantibus, fructificare & crescere in gentibus potuisset. Porro cum jam per *tres continuos menses* prædicta laboraret infirmitate, & *Epiphania Domini* transisset, optare cœpit, qvatinus in *Purificatione S. Mariæ* sibi ad Domini gloriam transire liceret. Qva videlicet festivitate appropinqvante, præcepit & Clero & pauperibus convivium præparari, ut in *sanctissimo die* epularentur. Jussit etiam, ut *tres* fierent *cerei* magni ex sua speciali cera, qvam optimam habuit: Qvibus factis, in ipsa *vigilia* (h) prædictæ *festivitatis* fecit eos ante se ferri,

qvibus

(b) Ipsi scil. *S. Remberto*, hujus vitæ scriptore, vid. *Vitam S. Remberti* ap. Staphorst T. I. p. 258. Conf. *Adam. Brem.* p. 10.

(c) Al. add. *qvi ei conscius plane in omnibus fuit.*

(d) Al. *somnium.*

(e) Al. *qvasi* pro *sic.*

(f) *Ludovico* scil. secundo ejus nominis Germaniæ Regi, *Ludovici Pii* ex filio *Ludovico Germanico* nepoti, conf. *Adam. Brem.* L. I. c. 31. p. 10.

(g) *Epistola S. Anscharii* ad omnes Præsules in regno Ludovici legitur ap. *Staphorst* T. I. p. 59.

(h) *Vigilia* olim & apud Catholicos est *Dies ipsum Festum præcedens*, ut Vigilia *Purificationis Mariæ* sit ipsæ Kalendæ sive Dies 1. Februarii.

qvibus allatis, unum ante *altare Sanctæ Mariæ* accendere præcepit, alterum vero ante *altare Sancti Petri*, tertium autem ante *altare Sancti Johannis Baptiſtæ*, optans, ut ipſi eum de corpore ſuſciperent egredientem, qvi in ſupradicta viſione olim ejus fuerant ductores (i). Cæterum prædicta infirmitate ita erat fatigatus & attritus, ut pene jam in corpore ipſius nihil remaneret, exceptis oſſibus nervis ligatis & corio tectis. Attamen ipſe ſemper in Domini laude ſe exercebat. Illuceſcente vero jam dictæ *feſtivitatis die* (k), Miſſas pro eo, ſicuti qvotidie ſoliti fuerant, cuncti pene, qvi affuere, Sacerdotes celebrarunt. Ipſe vero ordinare cœpit, qvaliter ad populum fieret ſermo, aſſerens ſe nihil eodem die guſtaturum, donec publica finiretur Miſſa. Qva finita, cum parumper comediſſet & bibiſſet, per omnem pene diem ſtudioſius ſuos commonere, & ad Domini ſervitium accendere ſtuduit, nunc communiter, nunc ſingillatim, qvemqve, prout poterat, ad divinum animans ſervitium. Maxime tamen ejus cura & ſollicitudo de ſua fuit *Legatione ad gentes*. *Noctem* (l) qvoqve ſeqventem in talibus admonitionibus pene duxit continuam. Fratres vero, qvi aderant, cum & Litaniam facerent, & Pſalmos ex more pro ejus exitu decantarent, admonuit ipſe, ut etiam Hymnum ad laudem Dei compoſitum, id eſt, *Te Deum laudamus*, pariter canerent; *Fidem* qvoqve *catholicam* a beato *Athanaſio* compoſitam. *Mane* (m) vero facto, omnibus fere, qvi aderant, Sacerdotibus, ſacra Miſſarum ſolemnia pro eo celebrantibus, *Dominici corporis & ſangvinis communione percepta*, elevata manu precabatur, ut qvicunqve in eum qvoqvo modo peccaſſet, divina ei pietas remitteret. Deinde verſiculos iſtos cœpit freqventius repetere: *Secundum miſericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam Domine*: Et, *Deus propitius eſto mihi peccatori*: Et, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, tu redemiſti me, Domine Deus veritatis*. Cumqve hæc ipſe ſæpius repeteret, & freqventer anhelitu jam ea freqventare non valeret, cuidam fratri (n) præcepit, ut hæc eadem vice illius freqventando caneret. Sicqve oculis in cœlum intentis, Domini gratiæ commendatum ſpiritum exhalavit vitæ (o). Cujus corpore ex more thurato (p), feretroqve impoſito,

(i) *S. Petrus* ſcil. & *S. Johannes*, Vid. ſupra Cap. I. II. XXX.

(k) Nempe *Feſtum Purificationis Mariæ* ſ. Dies 2. Februarii.

(l) *Noctem* ſcil. *ad d. 3. Februarii*, ſeqventem ipſum Feſtum Purificationis.

(m) *Mane* ſcil. *Diei 3. Februarii* & ſeqvente prædictum Feſtum.

(n) Ipſi forte *Remberto*, vid. paulo ſupra Not. (b).

(o) Licet varii ad varios annos *mortem S. Anſchurii* retulerint, nullum tamen hodie ſupereſt dubium, illum mortuum eſſe *Anno* 865. *die* 3. *Februarii*, *Indictione XIII. Ludovici Regis Germ. anno XXVI.* Hoc *Adamus Brem.* non ſolum p. 10. aperte dicit, ſed etiam aliis modis exprimit, videlicet, qvod *Anſchurius* ſederit poſt ordinationem in Archiep. Hamb. XXXIV, poſt introductionem in Bremenſem Epiſcopatum XVIII, & poſt plenariam Eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis copulationem VII. annos, ibid. p. 8. 10. Jam alibi monſtravi, primam Anno 831. ſecundam 849. tertiam 858. factam, unde concluditur, *Annum* 865. & non alium eſſe ejus annum emortualem. Ante hunc annum nemo eum mortuum vult; poſt hunc vero annum illum mortuum non eſſe, indubitanter probat *Bulla Nicolai I.* Papæ, qvæ *Rembertum* Succeſſorem ejus in officio Archiepiſcopali confirmat, data eodem anno 865. *Indictione XIV. in menſe Decembri*, Vid. Staphorſt T. I. p. 57. 67. Eundem Annum 865. aſſignant *Necrol. Corbei.* Miſc. Lipſ. Nov. Vol. X. p. 403. Chron. Qvedl. ap. Leibnit. T. II. p. 278. *Alb. Stad.* fol. 93. b. *Annaliſta Saxo* ap. Eccard. T. I. p. 200. Diem autem Anſcharii emortualem fuiſſe *diem proxime ſeqventem poſt Purificationem Mariæ* ſive d. 3. Februarii, primo mane, ipſe *Reimbertus* nos luce clarius hic edocet. Cur nonnullæ Eccleſiæ alio die, & qvidem d. 4. Februarii, *Anniverſarium S. Anſchurii* celebraverint, ita explicat *Mabillonius* Act. SS. Bened. T. VI. p. 76. „*Anſchurii Memoriam* retinent *Faſti Sancti-Gallenſes* ap. Goldaſtum his verbis: *Pridie Nonas Febr.* „*Ansker Archiep. obiit.* Tametſi ejus obitus in recentioribus Martyrologiis & libris eccleſiaſticis ponitur „*Tertio Nonas*, præterqvam in *Breviario Raceburgenſi* & *Miſſali Svecico* pervetuſtis, in qvibus itidem, ut „in

posito, cum ad Ecclesiam deferretur (q), illud interrari visum est, luctus videlicet omnium, & vox una plangentium, maxime tamen Clericorum, orphanorum, viduarum, pupillorum, & indigentium. Qvamvis enim de illius salute non sit dubitandum, qvis religiosorum, aut fidelium se justo a fletu continere poterit, cum ille nos desolatos reliqverit, in qvo solo pene omnium antiqvorum vigebant exempla Sanctorum. Siqvidem ut ab ipso statim electorum omnium capite incipiamus, *Christum* inops inopem est secutus, cum *Apostolis* omnia dereliqvit, & cum *S. Joanne Baptista* (r), primævum tempus a turbarum freqventia remotum ducens, *monasterii* solitudinem expetivit. Ubi cum temporis processu qvotidiano profectu excrevisset, & de virtute in virtutem iviſſet, vas electionis ad portandum Christi nomen coram gentibus cum beato Apostolo *Paulo* deputatus, pascendarum Christi ovium postmodum curam cum principe Apostolorum *Petro* suscepit. In qvo regimine qvalem se qvantumqve exhibuerit, hoc vel maxime probare videtur, qvod inter cœlum & terram medius inter Deum & proximum seqvester, nunc divinæ visioni & cœlestibus revelationibus intererat, nunc commissorum sibi actus & vitam disponebat, ad qvas active & contemplative geminas alas ideo ipse sufficiebat; qvia cum mundicordes soli, juxta Evangeliorum fidem, Deum credantur visuri, ipse virgo ab eo electus, cum S. Apostolo & Evangelista *Joanne*, & mente & corpore virgo in ævum permansit, & tanta insuper ad cunctos charitate tenebatur, ut cum beato protomartyre *Stephano* etiam oraret pro suis persecutoribus. O vere beatum & omni laudis præconio dignissimum virum, qvem talem ac tantum imitari, qvem solum plurimorum tot simul habere virtutes contigit, qvi mente sanctus & corpore castus cum virginibus agnum, qvocunqve ierit, seqvetur, qvi semper in confessione Christi perseverans, glorioſum admodum inter *Confessores* locum habebit, qvi in sublimi illa cum Apostolis judicum sede in regeneratione sessurus est, ac mundum, qvem contempserat, judicaturus, & cum *Martyribus* justitiæ coronam & *palmam Martyrii* (s) adepturus. *Martyrii* duo esse genera constat, unum in pace Ecclesiæ occultum, alterum persecutionis articulo ingruente manifestum; utrumqve voluntate tenuit, ad alterum affectu (t) pervenit. Qvia enim qvotidie semper lachrimas, vigilias, jejunia, carnis macerationem, & desideriorum carnalium mortificationem, in ara cordis Deo mactabat, *Martyrium* profecto, qvod pacis tempore non potuit, voto consecutus est. Qvia vero ad apertum corporis *Martyrium* persecutoris gladii sibi animus non defuit, qvod opere minus potuit,

„in *Gallensi Necrologio*, habetur *Pridie Nonas.* Qvod *Henschenius* factum putat ob *Festum Sancti Blasii*, „qvi in *Februarii Diem Tertium* incidit. Qvamqvam forsan *S. Blasio* præferendus fuerit *S. Ansharius*, „gentis Svecicæ Apostolus. *S. Anscharii Depositio* summa veneratione Bremæ colebatur *III. Nonas Februarii* „tempore *Adami* Canonici Bremensis, qvi medio Seculo XI. floruit". *Missale Hamburgense* Anniversarium B. Anscharii ad *III. Nonas s. d.* 3. *Februarii* refert, e contra *Breviarium Ottonienſe* & *Breviarium Arosiense* ad *II. Nonas s. d.* 4. *Februarii.*

(p) Al. *curato*, sed melius videtur *thurato*, antiqvus enim, ut notat Lambecius, Ecclesiæ mos erat thura dandi corporibus defunctorum, anteqvam humo mandarentur.

(q) Ex hisce videtur corpus b. Anscharii eodem die, qvo mortuus est, postridie scil. Purificationis Mariæ An. 865. terræ mandatum esse. Id etiam *Adamus Br.* p. 10. affirmat, dicens, *depositionem ejus III. Non. Februarii coli.* Ipso mox die depositionis Ansgarii *Rimbertum* omnes concorditer elegerunt, testante *Auctore vitæ Remberti* Cap. XI. Qvod item Adamus p. 10. his verbis confirmat: *Eadem die, qva ipse terræ commendatus est, Rimbertus Diaconus ejus a Clero simul & Populo electus est.* Unde elucet error *Henschenii*, *Staphorsti*, aliorumqve, qvi *Rembertum die* 4. *Februarii* electum esse volunt. *Annales Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 298. *Electionem Remberti* ad An. 866. falso referunt.

(r) Conf. supra Cap. II. III.

(s) Conf. supra Cap. II. XXII. XXXIII.

(t) Al. *effectu.*

tuit, voluntate adeptus est. Qvamvis hoc qvoqve *Martyrium* opere eum habuisse, omnino negare neqveamus, si tantos ejus pro Domino labores juxta Apostolum attendamus. In *itineribus* sæpe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: Præter illa, qvæ extrinsecus erant, instantia ejus qvotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Qvis infirmabatur, & ipse non fuit infirmus? Qvis scandalizabatur, & ipse non urebatur? Qvi ergo tot ac tantis est pro Domino & corporis adversitatibus & animi æstibus excoctus, qvomodo *Martyr* (u) esse jure negabitur? Nam si sola vita per pasionem terminata *Martyrio* deputaretur, neqvaqvam sanctum Evangelistam *Joannem* calicem suum Dominus bibiturum esse testaretur, qvem minime vitam *Martyrio* finivisse scimus. Proinde si illum juxta Dominicam sententiam inter *Martyrum* numerum (v) ascribendum esse non dubitamus, de eo qvoqve, qvem præmisimus, *Sancto* plane & *Beato* admodum *viro*, omnino ambigere non debemus. *Martyr* enim fuit, qvia juxta Apostolum, & ipsi mundus & illi mundo crucifixus erat: *Martyr* fuit, qvia inter diaboli tentamenta, inter carnis illecebras, inter persequentes paganos, semper imperterritus, semper immobilis, semper invictus in Christi confessione usqve ad exitum vitæ permansit. *Martyr* fuit, qvia dum Martyr testis dicatur, ipse divini semper verbi & Christifici (x) nominis extitit testis. Qva in re nemo miretur, eum ad hoc, qvod summo ipse desiderio optabat, & sibi repromissum putabat, *Martyrium* non pervenisse; Qvia nec hoc sibi pollicitum juxta hujus nominis interpretationem probatur. Et certe poterat in aperto corporis Martyrio aliqva forte suæ menti elatio subrepere. Qvod ut caveretur, hoc divina providentia & spopondit & concessit, unde & meritis suis nihil minueretur, & humilitati, qvæ omnium est custos virtutum, provideretur. Qvo circa, qvia jam ex his, qvæ superius commemoravimus, claret, qvantæ vir iste Sanctitatis, qvanti apud Deum meriti fuerit, restat, ut, sicut ipse *Christi imitator* in omnibus fuit, sic nos qvoqve ejus imitatores esse studeamus. Sic qvippe fieri qvibit, ut & ipse semper usqve ad consummationem seculi nobiscum vivere possit in terris, & nos post præsentis vitæ transcursum, cum eo in cœlis vivere mereamur. Vivet namqve nobiscum in terris, si eum vitæ sanctitas, & doctrinæ recordatio nobis repræsentat: Vivemus nos cum ipso in cœlis, si ejus exempla sequentes, ad eum semper toto desiderio & tota virtute tendamus, ad qvem nos ille præcesit, *Jesum Christum* Dominum nostrum, qvi cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

(u) De *S. Anscharii incruento Martyrio* loqvitur *Lambecius* Bibl. Vindob. T. II. p. 270. occasione *Gregorii* Episcopi Neocæsarieusis, qvi etiam, licet sine cruento Martyrio obierit, tamen improprie & eodem sensu, qvo *Anschavius*, *Martyr* dicitur.

(v) *Anschavium* statim ab obitu suo in numerum *Sanctorum* relatum esse, inde colligit *Stapborstius* p. 60. qvod *Ado Viennensis*, qvi ei coævus fuit, & decimo a morte ejus Anno 875. obiit, illi in suo Martyrologio Sanctorum locum tribuerit.

(x) Al. *Christiferi.*

XXXI.

Chronologia Rerum Septentrionalium Ævi Anschariani.

Perductæ ad calcem *Vitæ Sancti Anscharii* subjungam, qvam superius promisi (a), *Chronologiam Vitæ Anschariancæ* eorumqve qvæ *ævo S. Anscharii* circa res *Danicas* & *Septentrionis* acciderunt, qvalem tam ex ipso *Remberto*, *Adamo*, aliisqve vetustis ac coævis maxime *Francorum Scriptoribus*, qvam ex probabili conjectura, ubi desunt testimonia, & vera rerum connexione, concinnare licuit. Qva qvidem Chronologia non modo *Vitæ S. Anscharii* lucem aliqvam affundi, verum etiam haud parvam in *Historia nostra Seculi IX.* lacunam suppleri posse confido. Veteres Auctores, qvantum fieri potuit, ipsos loqvi sino, & ea, qvæ *Rembertus* sæpius inverso ordine & loco alieno narravit, veris suis annis ac temporibus qvodammodo me restituisse spero. Eodem negotio credo, me exhibuisse *Specimen Excerptorum*, qvibus, & qvo modo, Historia nostra septentrionalis, per omnia Secula, ex cunctis Medii Ævi Scriptoribus exteris, collatione cum Historicis patriæ institura, suppleri posset & deberet. Unde iis, qvi opus aliqvod in Historia Patriæ moliuntur, labor redderetur facilior, nec opus esset, vasta & sumtuosa volumina aut emere aut sæpius frustra qværere. Fateor qvidem nec dubito, plura, qvam hic trado, *Rerum Danicarum ac Septentrionalium vestigia* apud veteres Scriptores inveniri, qvum autem multi dentur libri, qvos mihi videre non contigit, talia aliis commodioriqve occasioni investiganda relinqvo: Hæc interim hac vice Speciminis loco sufficiant. Ad uberiorem hujus Chronologiæ elucidationem adnectere placuit *Tabulam Genealogicam Regum ac Principum Danorum*, ex familia scil. Regia Jutiæ australis, qvi ævo Anschariano viguerunt, & qvorum nomina apud Scriptores coævos, maxime exteros occurrunt.

An. 801.

Ante Octobrem hujus anni, & qvidem, ut puto, die 8. Septembris (b), *S. Anscharius* natus sit; nam circa exitum Septembris aut initio Octobris Anno 864. qvatuor mensibus & amplius ante obitum suum, qvi incidit in d. 3. Febr. An. 865, ægrotare cœpit. *Remberti* Vit. S. Ansch. Cap. XXXIII.

An. 802.

CAROLUS Imperator, æstatis tempore, misso *Saxonum* (c) exercitu, *Transalbinos Saxones* (d) vastavit. *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 165.

Die 8. Septembris *Anscharius* annum ætatis secundum ingreditur.

An. 804.

Imperator æstate in *Saxonia* ducto exercitu, omnes, qvi *trans Albiam* (e) & *Winhuodi* habitabant, *Saxones*, cum mulieribus & infantibus (f) transtulit in *Franciam*,

(a) Vide supra ad finem Prologi Vitæ S. Anscharii p. 429.

(b) Vide supra ad *Vitæ S. Ansch.* Cap. I. Not. (f).

(c) Plurimi qvidem Francorum Annales habent *Saxonum*, sed nonne legendum *Francorum;* vix enim Cæsar ad vastandam ipsorum gentem *Saxones* misit, & *Annales Fuldenses* ap. Du Chesne T. II. p. 539. ita dicunt: *Transalbiani Saxones a Francis vastantur.* Nisi pro *Saxonum* legendum malis *in Saxoniam*, ut loqvuntur *Annales Metenses* ibid. T. II. p. 290. & *Regino* ap. Pistor. T. I. p. 34.

(d) ɔ: *Holsati*, qvi etiam *Nordalbingi* a veteribus vocantur.

(e) Cel. *Eckartus* Rer. Francic. T. II. p. 35. in ea est sententia, *Transalbinos* in *Franconiam* ablegatos esse, & locum habitationis inter Radantiam & Moenum accepisse, ibiqve extorres permansisse. Nominantur, ita pergit *Eckartus*, adhuc in Dipl. Ottonis III, qvo An. 996. confirmat Præcessorum suorum præcepta de Servis vel Slavis sive Parochis, qvos Bargildon dicunt, seu *Saxonibus*, qvi *Nortelbingi* dicuntur, sive cæteris accolis, pro liberis hominibus, in ejusdem Ecclesiæ prædiis manentibus. Eadem iisdem verbis Conradus II. Anno 1032. rata habuit. *Nortelbingi* vero iidem sunt, qvi *Saxones Transalbini* vocantur. Conf. *Schuback* Diss. de Transportat. Saxonum.

Ad pag. 496.

GENEALOGIA
Stirpis Regiæ Danorum
ævo Anschariano
in Jutia australi regnantis.

SIGEFRIDUS Dan … *Halfdan*, …
… git Widekindus An. 77… …en non adeptus. Princeps Legationis Sige-
… rolum M. An. 782. & … ad Carolum M. An. 782. Vixit adhuc &
recipit. Obiit circa vel … o M. sociatur An. 807.

Reginoldus filius fratris *Godefridi* Regis, interfectus in Slavia Ann. 808.

HEMMINGUS Rex Danorum, filius fratris *Godefridi*, cui succedit A. 810. Pacem cum Carolo M. ad Eidoram facit A. 811. Moritur An. 812.

Sigef… defr… tre … lens *Hem…* gi, … cum … occi…

…ARALDUS KLAK … Dan. An. 812. Le… os ad Carolum M. …tir. Regno pellitur A. …3. Iterum victus, ad …peratorem fugit 814. …riam recuperare fru… …tentat 815. 816. 817. *…odefridi filiis* in socie… …em regni recipitur …). Ita 821. An. 822. Legatos ad …. mittit. A. 823. ad Imp. venit …silium petit. A. 825. videtur re… …utus. A. 826. Moguntiæ baptiza… … A. 827. iterum regno pellitur. … 828. Inducias rumpit, in pace …dem facta videtur regno restitu…, sed postea iterum expulsus. …n *Lotharii* adversus fratres facit, …ipso Walachria donatus A. 841. …n excubiis Lotharii ad Mosellam …tis fugit A. 842. Mortuus cir… …An. 846.

REGINFRIDUS Rex simul cum *Haraldo* A. 812. Cum eo regno pellitur A. 813. In prælio cadit. A. 814.

Hemmingus Halfdani filius, frater Regum Haraldi & Reginfridi, Obses apud Carolum M. 812. redditur 813. Occiditur in Walchria a conterraneis suis A. 837. Hujus filii mihi videntur fuisse

N

Omnes in hoc Schemate, … partim ex probabili conjectura con… tur mihi ex veteri *Danica Skioldung* … isse Propinqvi & Agnati Filiorum … ris, qvorum diversæ lineæ, per … *Biornonis Jernside* in Svecia, summ… …dum hi ex *Herioldo* derivati, *Lodb…* … ac forte Fionia pluribusqve insulis … tibusve sibi sedes qværebant, sive … *Lodbrokus* ipse ejusqve Nepotum … autem, qvinam fuere seqventes … oriundi, & qvot ex iis ad hanc Ge…

Turgesius An. 815. 835. …
in patria *Thurgils* sive …
Ragnerus s. *Ragenarius* An…
Reginarius alius & *Reolfus*
Hastingus, qvi & *Gurmund*…
adhuc 882.
Hals & *Wrm* A. 882. ann…
dicitur.
Hoseri sive *Osceri* A. 841.
Bierius fil. Lothbroci A. 8…
Berno A. 855. 856. 858. …
Sydroc, *Sidric* A. 852-856
idem qvi *Sigefridus* A. …
Amelaus, *Syaracus* & *Yv*…
vegi, anne ex filiis *Lo*…
Gillandus cum Danis, *Rol*…
Welandus A. 861. 862. 86…
Roricus, *Sineus* & *Truxor*…
Sveci, *Dani* an Borussi…
Roricus, A. 862. nuper a…
rico nepote *Haraldi Kl*…
Ruinus sub Carolo simplic…
Maurns Rex Normannor…
Barcius Dux Normannor…
Abdagus Rex Annal. Fuld…
Sigefridus & *Godefridus* a…

Herioldus procul dubio Islandorum *Klak-Harald* Comes Jutiæ. Circa 850. iram Domini sui *Horici* fugiens, ad Ludovicum venit. Ann. 852. baptizatur, post plures annos a custodibus Danici Limitis occiditur. Hujus liberi ex conjectura

SIGEFRID. Rex Dan. A. 873. Baptizatur An. 882. Parisios obsidet An. 886. Occisus in Frisia 887. Idem forte, qvi A. 865. dux Normannorum dicitur.

HALFDAN Rex Dan. Ann. 873. Annal. Fuld. An. 875. Northumbriam invadit, post in Anglia occisus. Adam. Brem.

…ýra. *Godefridus*, *Rodulfus*
…upta procul dubio cum Patre baptizatus 826. Karolus eum in societatem Regni suscipit, eiqve terram ad inhabitandum dat An. 850. A Lothario deficit, Frisiam aggreditur 852. Cum Carolo conciliatur A. 853. Cum *Rorico* Daniam irrito successu repetit, Doreståo se continet A. 855.

locarium a Lothario A. 864. accipit. Ann. 872. cum Carolo colloqvium habet, eidem infidelis. Occisus Ann. 873.

…gurdo …ikiæ.

…i Rin…

Guttorm Dux

THYRA *Danebod* Regina Daniæ, nupta GORMONI GRANDÆVO Monarchæ Daniæ.

Manegoldus baptizatus cum Patre A. 852.

Godefridus junior, qvi A. 882. baptizatur Frisiamqve, qvam Roricus habuit, obtinet, ac *Gislam Lotharii* filiam uxorem ducit. A. 884. Normannis adsentit. A. 885. a fidelitate Imperatoris subducitur ac trucidatur. Hujus filia dubio procul fuit

…AAR… …narcha

Kanutus Dana-ast. HARALDUS BLAATAN Rex Daniæ.

Reinhild s. *Ragnhildis* nata circa 883. Danorum Fresonumqve germine procreata, nupta *Theodorico* Com. Ringelh. s. Oldenb.

MATHILDIS Imperatrix, uxor HENRICI AUCUPIS.

ciam, & *pagos Transalbinos Abodritis* (g) dedit. Eodem tempore GODEFRIDUS *Rex Danorum* venit cum *Classe sua*, nec non & omni *Equitatu regni sui* ad locum, qvi dicitur *Liestorp* (h), in *confinio regni sui* & *Saxoniæ* (i). Promisit enim, se ad colloqvium *Imperatoris* venturum. Sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed qvicqvid voluit, per *Legatos* mandavit. Nam *Imperator* super Albiam sedebat, in loco, qvi dicitur *Holdumsten* (k). Et missa ad GODEFRIDUM *Legatione* pro profugis reddendis, mense Septembrio Coloniam venit. *Annal. Bertin.* p. 166. *Regino* ap. Pistor. T. I. p. 35.

Die 8. Septembris *Anscharius*, finito tertio, annum ætatis qvartum incipit.

An. 806.

S. Anscharii Mater obiit, cum ille esset qvinqve annos natus; Die enim 8. Sept. qvintum ætatis annum implevit. A Patre in Scholam, scil. Monasterii Corbeiæ veteris in Gallia, & qvidem sub *Adelardo* Abbate, mittitur. *Rembert.* Cap. I. *Gvaldi* Præfat. *Gerardi* Vit. S. Adalhardi ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. V. p. 345.

An. 807.

Halfdan (l), *Nordmannorum Dux*, Carolo M. fœdere jungitur; sic enim *Poeta Saxo* ap. Du Chesne T. II. p. 169.

Interea *Northmannorum Dux*, ALFDENI dictus,
Augusto, magna sese comitante caterva,
Subdidit, atqve fidem studuit firmare perennem.

Dani

(f) *Eginhard.* Vit. Car. M. Cap. 7. de his ita scribit: *Decem hominum millia ex his, qvi utrasqve ripas Albis fluminis* [scil. in Holsatia & Wigmodia sive districtu Bremensi] *incolebant, cum uxoribus & parvulis sublatos transtulit, & huc atqve illuc per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit.*

(g) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 35. observavit, *tunc Obotritos in Wagriam, veterem Cimbrorum & postea Saxonum civitatem immigrasse.* Qvod tamen hinc non satis probatum est, & a *Mich. Richey* in Diss. de Connoburgo Smelding. p. 38. negatur. In *Vita Walæ* Abb. ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. V. p. 473. Obotriti dicuntur *Abitrices.*

(h) *Annales Franc. auctiores* ap. Du Chesne T. II. p. 19. qvi hæc ad An. 805. referunt, habent *Sliestorp.* Vita Caroli M. ibid. p. 61. *Sliestorp.* Mon. Egolism. ib. p. 81. *Slestorp.* Regino ap. Pistor. T. I. p. 35. *Schliesswich.* Et forte *Slesvicum* in principio *Slestorp* vocatum fuit.

(i) *Saxonia & confinia Regni Danorum* etiam antiqvissimis temporibus, sicut & postea, eodem loco terminata sunt, fluvio scilicet *Eidora.*

(k) *Chronicon Moissiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 145. locum corruptius *Oldonstack* vocat, & ultra *Alaram* collocat. *Monach. Egolism.* ibid. T. II. p. 81. *Ondulstetin.* In aliis *Francor. Annal.* ibid. T. II. 43. 61. 252. T. III. p. 291. legitur *Hodumsteti, Holdunsteti, Holdunstetin*, & *Holdensteti.* Hodie locus ille dicitur *Hollenstedt*, Advocatia & Paroecia in Principatu Luneburgensi. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 34. putat esse *Oldestadium*, sub oppido Ulzena ad Ilmenaviam amnem in pago Bardengau situm. *Hamsfortius* supra p. 267. hunc locum per *Hollingstedt* haud procul Slesvico perperam explicat. Alii neqve rectius ex hoc nomine faciunt *Heiligenstede*, alii *Holstein* sive *Holsatiam*, vid. *Danckwerth* p. 160.

(l) Qvæ heic de *Halfdano* narrat *Poeta Saxo*, nemo, præter illum, veterum Scriptorum, qvod scio, retulit. Qvis autem hic fuerit, difficile dictu est. Ante Seculum IX. inter vetustissimos Danorum Reges & Principes fuere minimum duo aut tres *Halfdani*, ut docent supra inserti Regum nostrorum Catalogi. Forte hic *Halfdanus*, qvi Seculi IX. initio vixit, & Carolo M. se subdidit, fuit *pater Hemmingi* illius, qvem Annales Fuldenses An. 837. occisum perhibent, & consequenter, ut creditur, etiam *pater Annulonis*, *Haraldi Klak*, & *Reginfridi* Regum. Idem, ex mea conjectura, fuit frater junior *Sigefridi* & *Godefridi* Regum, aut forsan eorundum affinis, & sine dubio idem, qvi Anno 782. erat Princeps Legationis *Sigefridi* ad *Carolum M.* Vid. *Annal. Francor.* ap. Du Chesne T. II. p. 32. 54. 537. T. III. p. 157. 283. apud qvorum qvosdam nomen *Halfdan* deformatum est in *Halvoni*, *Almpram*, & *Alvdem.* Hujus forte nepos fuit recentior *Halfdanus*, qvi vixit An. 867. 878. qvi nominatur in *Annal. Fuld.* ibid. T. II. p. 566. in *Chron. Sax.* Gibson p. 81. 83. *Sim. Dunelm.* ap. Twisden p. 14. 17. 21. 70. *Ric. Hagustald.* ib. p. 299. sq. *Adam. Brem.* L. I. c. 33. Et forte adhuc recentior *Halfdanus* vixit An. 911. *Chron. Sax.* Gibs. p. 103. *Order. Vit.* in Script. Norm. p. 516.

Dani & *Norwegii*, vel *Oſtmanni*, ut vocantur, *Hiberniam* primum incurſionibus intrarunt (*). *Rod. O Flaherty* Ogyg. p. 433.

Die 8. Septembris *Anscharius* annum ætatis ſuæ ſextum abſolvit, ſeptimum exorſus.

An. 808.

Qvia nunciabatur, GODEFRIDUM *Regem Danorum* in *Abodritos* (m) cum exercitu trajeciſſe, *Carolum* filium ſuum ad *Albiam* cum valida *Francorum* & *Saxonum* manu miſit, jubens veſano Regi reſiſtere, ſi *Saxoniæ terminos* aggredi tentaret. Sed ille, ſtativis per dies aliqvot in littore habitis, expugnatis etiam & manu captis aliqvot *Sclavorum Caſtellis*, cum magno copiarum ſuarum detrimento reverſus eſt. Nam licet *Draſconem* (*), Ducem Abotritorum, popularium fidei diffidentem, loco pepuliſſet, & *Godelaibum* alium Ducem dolo captum patibulo ſuſpendiſſet, *Abodritorum*qve *duas partes ſibi vectigales feciſſet*, optimos tamen militum ſuorum & manu promptiſſimos amiſit, & cum eis *filium fratris ſui* (n), nomine *Reinaldum* (o), qvi in oppugnatione cujusdam oppidi, cum plurimis *Danorum Primoribus* eſt interfectus. Filius autem Imperatoris *Carolus* in *Albiam* pontem junxit (p), & exercitum, cui præerat, in *Linones* (q) & *Smeldingos* (r), qvi & ipſi ad GODEFRIDUM Regem defecerant (s), qvanta potuit celeritate, transpoſuit. Populatisqve circumqvaqve eorum agris, tranſito iterum *flumine*, cum incolumi exercitu in *Saxoniam* ſe recepit.

(*) Tum *Roſcomaniam* regionemqve adjacentem ferro flammaqve vaſtarunt &c. *Waræi* Antiqv. Hibern. p. 122.

(m) *Chron. breve* ap. Du Chesne T. III. p. 129. ſic habet: GODEFREDUS *Rex Normannorum* cum exercitu venit in *Wenedonia*. *Eginhardus* Vit. Car. M. c. XIV. ita de GODEFRIDO ſcribit: *Jam Abodritos, vicinos ſuos, in ſuam ditionem redegerat, jam eos ſibi vectigales fecerat.* Chron. Moisſiac. ap. Du Chesne T. III. p. 145. rem his verbis expedit: „*Karolus* Imp. miſit *Karolum* filium ſuum Regem ſuper *Saxonia ultra Albiam* „ad illos *Sclavos*, qvi vocantur *Linai*, & vaſtavit maximam partem regionis ipſius: Sed & aliqvi ex noſtra „parte ibidem ceciderunt. Et GODOFREDUS *Normannorum Rex* venit ſuper illos *Sclavos*, qvi dicuntur „*Abotriti*, & vaſtavit magnam partem regionis eorum, & aliqvas *civitates* deſtruxit".

(*) *Draſco* ſ. *Traſco* Abodritorum Dux poſtea a Danis in urbe Reric interfectus, vide infra ad An. 809.

(n) *Fratrem* illum *Godefridi* credo fuiſſe SIGEFRIDUM, qvi ante eum Rex fuit, ad qvem An. 777. fugit Witekindus, qviqve ad Carolum M. An. 872. Legatos mittit, & ab eo An. 798. Legatum accipit, *Eginh. Annal.* ap. Du Chesne T. II. p. 240. 242. 249. Conf. *Grammii* Not. ad Meurſ. p. 97.

(o) *Chronicon Moisſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 145. „Ibi fuit *Reginaldus*, nepos ejus, qvi *primus poſt eum* „*in Regno* fuit; interfectus, & multi de populo *Normannorum* ibidem corruerunt". Alii Annales hunc *Reginoldum* & *Reginboldum* appellant, Regino & Annales Metenſes *Reginbaldum*.

(p) *Albiam ponte junxit*, ſic habent ceteri Annaliſtæ.

(q) *Regino* ap. Piſtorium T. I. p. 37. & *Eginh. Annales* ad An. 808. 811. ap. Du Chesne T. II. 254. *Hilinones* habent, hinc bellum illud ab *Eginhardo* in Vit. Car. M. c. XIV. *Hilinonicum* vocatur. In autographis forte ſcriptum fuit *Hlinones;* veteres enim ſæpius ante L poſuerunt literam H. *Poëta Saxo* ap. Du Chesne T. II. p. 169. *Linos* habet, & in *Chron. Moisſiac.* ad An. 808. 811. *Linai* & *Lanai* corrupte dicuntur. *Adamus Brem.* L. II. c. X. *Lingones*, & *Helmoldus* ed. Bangerti p. 6. *Linguones*. Hos nonnulli ſedes circa *Luneburgum* habuiſſe putant, ſed falluntur omnino; nam ad populos Slavorum pertinuerunt, & Imperator, Aqvisgrani moratus, exercitum ſuum *ultra Albiam* trajecto fluvio in *Linones* & *Smeldingos* transmiſit, ergo hæ gentes ab hac & Slavica parte Albis fluvii habitarunt. *Adamus* & *Helmoldus* l. c. *Lingones*, qvi iidem ſunt ac *Linones*, inter *Polabos* & *Warnos* collocant, i. e. inter hodiernos Lauenburgenſes & Roſtochienſes. Sedes ergo *Linonum* ultra Eldam fluvium & in Comitatu Sverinenſi ac Vandaliæ Ducatu qværenda eſt. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 67. *Linones* ab amne *Lina*, nunc *Lockenitz* dictos putat. Conf. *Staphorſt* T. I. p. 10. 654. *Schminckii* Not. in Eginhardum p. 70. 194. *Schlöpke* Chron. Bardevic. p. 144.

(r) *Smeldingam Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 53. per *terram ad Eldam* exponit, ſic dictam a *Seme*, qvod Slavis *terram* notat, & *Elda* amne. Cumqve *Smeldingi*, vicini *Linonum*, etiam ultra Albim a parte Slavica, ac inter Eldam & tractum Hamburgenſem habitarent, crederem, illos fuiſſe eosdem, qvos *Adamus* L. II. c. X. *Polabingos*, & *Helmoldus* Lib. I. c. 2. *Polabos* dicunt, hodie vero *Raceburgenſes* ſive *Lauenburgenſes* dictos, terminis tamen nobis ignotis & longe aliter ac hodie diſtinctis.

cepit. Erant cum GODEFRIDO in expeditione prædicta *Sclavi*, qvi dicuntur *Wilzi* (t). Qvi propter antiqvas amicitias, qvas cum *Abodritis* habere solebant, sponte se copiis ejus conjunxerant. Ipso qvoqve in *regnum suum* revertente cum præda, qvam in *Abodritis* capere poterunt, & ipsi domum regressi. GODEFRIDUS vero, priusqvam reverteretur, destructo *Emporio*, qvod, in *oceani littore* (u) constitutum, lingva Danorum *Reric* (v) dicebatur, & magnam regno illius commoditatem, *vectigalium persolutione*, præstabat, translatisqve inde *negotiatoribus*, soluta classe ad portum, qvi *Liesthorp* (x) dicitur, cum universo exercitu venit. Ibiqve per aliqvot dies moratus, *limitem regni sui*, qvi *Saxoniam* respicit, *vallo munire constituit* (y), eo modo, ut *ab orientalis maris sinu*, qvem illi *Ostarsaltz* (z) dicunt, *usqve ad occidentalem oceanum*, totam *Egidoræ* fluminis ripam aqvilonalem munimentum prætexeret, *una tantum porta dimissa*, per qvam carra & eqvites emitti & recipi potuissent. Diviso itaqve opere inter duces copiarum, domum reversus est. — *Imperator* vero, ædificatis per Legatos suos *super Albiam duobus Castellis* (*), præsidioqve in eis con-

(s) Ab antiqvis adeo temporibus, videtur jus illud derivatum esse, qvod, etiam post aliqvot Secula, Reges Danorum, præcipue WALDEMARUS I. CANUTUS VI. & WALDEMARUS II. sibi armis & fœderibus vindicandum sumserunt. Unde *Fridericus II.* Imp. Regi nostro WALDEMARO II. An. 1214. Privilegium concedit, qvo *omnes terminos ultra Eidoram & Albiam*, qvos Rex CANUTUS, multis provocatus injuriis, cum fratre suo jam dicto WALDEMARO Rege, armis obtinuit & possedit, & qvicqvid in *Slavia* Rex CANUTUS, comparatum *paterno suoqve labore* tenuit, *Regno ipsius* addidit. Dipl. orig. adhuc in Archivo Regio asservatur. Conf. *Huitfeld* p. 180. ubi male *Eidora* pro *Eldena* legitur, lr. p. 243.

(t) *Wilzi* erant *Pomeranorum pars*, a citeriori parte Odoræ fluvii habitantes, a fortitudine sic dicti. Lingva propria *Welezabi* s. *Welerabi* dicebantur, *Eginhard.* ap. Du Chesne T. II. p. 98. 245. *Wladawi* autem in lingva Slavica idem est ac *regentes populi*, observante *Jordano* in Orig. Slav. P. III. p. 192. Hi *Wilzi* alio nomine, forte a civitate *Loitz*, *Leuticii* sive *Luticii* dicebantur. Sub eo nomine comprehendebantur qvatuor illi populi, *Circipani* & *Kyzini* ab una, *Tholenzi* & *Redarii* sive *Riadari* ab altera parte Penis fluvii, *Helmoldus* Ed. Bangerti p. 6. 11. 61. Eos *Adamus Brem.* p. 19. 39. Ed. Lind. *Chizzinos*, *Circipanos*, *Tholosantes* & *Retharos* appellat. *Tolenzi* sive *Tholosantes* a *Thollensch* fluvio, & *Redarii* sive *Retbari* a *Retbre* vulgatissima civitate sine dubio sic dicti sunt. *Krantzius* Wandal. L. II. c. 22. *Retbre* eandem cum *Oldenburgo Vagriæ* civitatem male facit, vid. *Seapborst* T. I. p. 292. *Kyzini* sunt, qvi in tractu Gutzkovensi, & *Circipani* qvi circa Penim habitarunt. *Wilzorum* nominis reliqviæ forte in vico *Wilsnac* supersunt.

(u) In littore *Maris orientalis* sive *Baltici*, qvod hic *oceanus* dicitur.

(v) *Eskartus* Rer. Franc. T. II. p. 54. *Rericum* urbem in *littore Wagriæ* sitam fuisse putat, qvam GODEFRIDUS destruxit, qvia eam servari posse diffidebat. Melius ii faciunt, qvi *Rericum* fuisse *magnam Abodritorum civitatem*, ab Adamo p. 19. *Magnopolim*, & ab Helmoldo p. 6. *Miklinburgk* dictam, credunt, circa Wismariam olim sitam, ex qva *Abodriti* sive *Obotriti* alio nomine etiam *Reregi* appellati sunt, *Adam.* l. c.

(x) Legendum, sicut supra ad An. 804, *Slieshorp*. Conf. *Annal. Loisel.* ap. Du Chesne T. II. p. 45. In *Rembertí Vit. Ansch.* Cap. XXI. locus ille nominatur *Portus Slaswich*, & Cap. XXVIII. *Vicus Slieswic*, hodie *Slesvig*, *Slesvicum*, Metropolis Jutiæ Australis sive Ducatus Slesvicensis.

(y) Habemus hic prima vestigia decantatissimi illius Munimenti Danici, *Dannevirk* sive *Danewirki* nuncupati. Putat Cel. *Gebhardi* Hist. Dan. p. 381. hoic reperiri originem *Vallorum Eidorensium*, qvæ adhuc ad inundationes fluminis prohibendas sustentantur.

(z) *Annales Loisel.* l. c. habent *Estarsalt*. *Mon. Egolism.* ap. Du Chesne T. II. p. 83. *Oestarsalt*, *Eginh. Annal.* p. 255. *Osterfalt*, qvod ap. *Reginonem* ad h. a. corrupte legitur *Hosarfalet*. Nomen hoc belle convenit cum illo, qvo veteres Islandorum Historici *Mare Balticum* nominarunt, scil. *Eystra Salt*, Snor. Sturl. T. I. p. 218. *Austur i Salt* ib. p. 277. *Æistra Salt*, Ol. Trygg. Sag. T. I. p. 36. Nos Dani hodie *Östersøen* dicimus. Mare illud suo tempore sic describit *Eginhardus* Vit. Car. M. c. 12. „Sinus qvidam ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis qvidem incompertæ, latitudinis vero, qvæ nusqvam „centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur".

(*) Unum horum Castellorum exstructum videtur superius ad Albiam ad compescendos *Slavos*, alterum inferius contra *Danos*, dictum sine dubio *Hochburg*, *Hohenburg*, *Hobburbi*, qvod nomen apud Scriptores Francicos ad An. 810. corruptum legitur in *Hobbuoki*, *Hocbuoki*, *Hobbuchi* & *Holtbuocbi*. Recte igitur *Lambertus Schafnab.* ap. Pist. T. I. p. 153. ad An. 808. sic scribit: *Hohenburg Castellum impositum est Albi flumini*

ab

tra *Slavorum* incursiones dispositio, Aqvis Natalem Domini celebravit. *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 168. *Metenses* ibid. p. 293. *Regino* ap. Pistor. T. I. p. 36. 37.

Die 8. Septembris *Anscharius* annum ætatis suæ septimum finivit, octavum ingressus. Circa hæc tempora, vel paulo ante *Anschario* Visio prima de matre sua & S. Maria obtigit. *Rembert.* Cap. I.

An. 809.

GODOFRIDUS *Rex Danorum* per *negotiatores* qvosdam, qvos damnavit (a), dum audisset, qvod *Imperator* ei fuisset iratus, eo qvod in *Abodritos* anno superiore duxisset exercitum, & suas ultus esset injurias, addens velle se purgare dixit ab eo, qvod ei objiciebatur, *fœderis irruptionem* ab illo primitus fuisse inchoatam. Petebat etiam, ut conventus Comitum *Imperatoris* atqve suorum juxta *terminos Regni sui trans Albiam* fieret. In qvo res invicem gestæ proferri & emendatione digna inter partes emendari potuissent. Non abnuit Imperator, colloqviumqve *trans Albiam* habitum cum *Primoribus Danorum*, in loco, qvi dicitur *Melac* (b), multisqve hinc & inde prolatis enumeratisqve rebus, negotio penitus infecto discessum est. *Trasco* (c) vero Dux *Abodritorum*, postqvam *filium* suum postulanti GODEFRIDO obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio a *Saxonibus* accepto, vicinos suos *Wulzos* (d) aggressus, agros eorum ferro & igni vastat. Regressus (e) domum cum ingenti præda, accepto iterum a *Saxonibus* validiori auxilio, *Smeldingorum* (f) *maximam Civitatem* (g) expugnat. Atqve his successibus omnes, qvi ab eo defecerant,

ab Imp. Carolo contra Danos. Annalista Saxo ap. Eccard. T. I. p. 174. male legit *Hodenburch.* Vix dubitari debet, in hoc *Castello Hobburbi* sive *Hobenburg* origines *Hamburgi* & nominis & urbis qværendas esse. Qvod etiam vult *Mich. Richey* de Connoburgo Smeld. p. 25. 28. Erat ergo hoc *Hamburgense Castellum*, qvod *Wilzi* post biennium occuparunt, vid. infra ad An. 810.

(a) Videtur hic error aliqvis librarii & defectus inesse, qvi ex *Annal. Metens.* ap. Du Chesne T. III. p. 294. sic corrigi potest: „Interea GODEFRIDUS Rex Danorum per qvosdam negotiatores mandavit Duci, qvi „*Fresiam* prævidebat, audisse se, qvod ei *Imperator* esset iratus &c. Conf. *Vit. Car. M.* ib. T. II. p. 64. *Eginh. Annal.* ib. p. 255.

(b) Pleriqve Annalistæ *Melac* legunt. Sed *Eginhardi Annales* l. c. locum nominant *Badenfliet.* An locus ille, qvod conjicit *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 54, sit *Padenstede* ad Egidoræ ripam sinistram, non procul Novo Monasterio, inqvisitione indiget. Ego autem opinor, me verum locum invenisse in paroecia *Beinfleth* sive *Beidenflet* prope ab Albi ad Storam fluvium sita. Et si etiam nomen *Melac* habere cupias, accipe, si placet, haud longe disitum prædium *Melbeck*, in qvo aliqva nominis similitudo, ubi forte congressus Legatorum Danorum & Francorum habitus sit, Legatis Cæsareis alias in Beidenflet diversantibus.

(c) Anno superiore *Trasco* a GODEFRIDO expulsus & dominium ejus occupatum erat.

(d) Legendum *Wilzos.* De his vide ad An. 808. Not (t).

(e) Qvæ heic de præda a Wilzis reportata, deqve Civitate Smeldingorum occupata, & de defectoribus ad partes reductis, *Trasconi* adscribuntur, *Monachus Egolism.* ap. Du Chesne T. II. p. 84. ad *Francos* & *Saxones* transfert. Hi autem ejus fœderati & auxiliares erant. *Annales Fuldenses* ib. p. 541. rem ita narrat: „*Trasco* „Dux Obodritorum, postqvam cum auxilio *Saxonum Wilzos* & *Smeldingos* perdomuit, & omnes, qvi a „se defecerant, reverti coëgit, in *Emporio Reric* ab hominibus GODEFREDI per dolum interfectus est".

(f) De *Smeldingis* vid. supra ad An. 808. Not. (r).

(g) *Chron. Moissiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 145. de hac expeditione ita: „*Karolus* in illa æstate misit scaras „suas ad Marchias. Et aliqvi de illis *Saxones* venerunt, *ultra Albiam* fugerunt. Ibi *unam Civitatem* cum „nostris *Guinildinis*, qvi appellantur *Semeldini*, *Connoburg*". Qvis non videt, locum hunc corruptum & mutilum esse. Ultima verba *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 54. 55. sic exponenda vult: *Ibi cum nostris Winidis ceperunt unam Civitatem, Connoburg dictam, eorum nempe Winidorum sive Slavorum, qvi appellantur Semeldini.* Porro *Eckartus* pro *Connoburg* legendum putat *Camoburg* sive *Hamburg*, & hanc primam esse mentionem *Civitatis Hamburgensis*, qvæ primo ad *Smeldingos*, nunc autem auxilio Saxonum ab *Obotritis* occupata & *Saxonibus* incolenda data fuit. Hanc vero *Eckarti* sententiam Cel. *Mich. Richey* Diss. de Connoburgo p. 29. 35. 36. 41. omnino & haud vanis argumentis refellit, verba *Chronici Moissiacensis* longe aliter explicans. *Maximam* ergo *Smeldingorum Civitatem*, qvam Trasco expugnavit, non in *Hamburgo*, sed potius in *urbe aliqva Polaborum*, forte *Raceburgo*, aut alio dudum deleto nobisqve jam ignoto oppido.

cerant, ad ſuam ſocietatem reverti coëgit. — *Imperator*, cum ei multa de ſuperbia & jactantia *Regis Danorum* (h) nunciaretur, ſtatuit *trans Albiam* fluvium *Civitatem ædificare*, *Francorum*qve in ea ponere præſidium. Cumqve ad hoc per *Galliam* atqve *Germaniam* homines congregaſſet, armisqve ac ceteris ad uſum neceſſariis rebus inſtructos per *Freſiam* ad locum deſtinatum ducere juſſiſſet, *Traſco* Dux *Abodritorum* in Emporio *Reric* (i) ab hominibus GODEFREDI per dolum (k) interfectus eſt. Sed *Imperator*, poſtqvam locus *Civitati* conſtituendæ fuerat exploratus, *Egbertum* Comitem huic negocio exeqvendo præficiens, *Albiam* trajicere & locum juſſit occupare. Eſt autem locus (l) ſuper ripam *Sturiæ* fluminis, vocabulo *Eſſesfelt* (m). Hic occupatus eſt ab *Egberto* & *Comitibus Saxonicis* circa *Idus Martias* & muniri (n) cæpit (o). *Annal. Bertin.* p. 69. *Metenſ.* p. 293. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 38.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, anno ætatis ſuæ octavo completo, nonum intravit.

An. 810.

Imperator Aqvisgrani adhuc degens, & contra GODEFRIDUM Regem expeditionem meditans, nuntium accepit, *Claſſem CC. navium* de *Nortmannia* (p) *Freſiam* appuliſſe (q), totasqve *Freſiaco littori adjacentes inſulas* eſſe vaſtatas. Jamqve exercitum illum in continenti eſſe, ternaqve prælia cum *Freſonibus* commiſiſſe, *Danos*qve victores *tributum victis impoſuiſſe*, & vectigalis nomine C. *libras argenti* a *Freſionibus* (*) jam eſſe ſolutas, & Regem GODEFRIDUM domi eſſe. Et revera ita erat. Qvi nuncius adeo Imperatorem concitavit (r), ut, miſis in omnes circumqvaqve regiones ad congregandum exercitum ſuum nunciis, ipſeqve ſine mora exiens, primo qvidem eis occurrere, deinde, transmiſſo *Rheno* flumine, in loco, qvi *Lippia* vocatur,

(h) *Eginhartus* in Vit. Car. M. c. XIV. *Quorum Rex GODEFRIDUS adeo vana ſpe inflatus erat, ut totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatem. — Jactabat etiam, ſe brevi Aqvisgrani, ubi Regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus, quamvis vanissimis, omnino fides denuebatur, quin potius putaretur tale quid inchoaturus, niſi feſtinata morte fuiſſet prævenius.*

(i) De Emporio *Reric* vid. ſupra ad An. 808. Not. (v).

(k) *Chron. Moisſiac.* hæc ſub An. 810. ita narrat: GOTHOFREDUS *Rex Normannorum miſit quaſi pacifice per inſidias vaſallum ſuum, ut in dolo DROSOCUM Regem Abodritorum occideret, qvod ita factum fuit.*

(l) *Chron. Moisſiac.* etiam hæc ſub An. 810. refert his verbis: „Et *Karolus* Imp. miſit ſcaras ſuas ad Marchas, „ubi neceſſe fuit, & mandavit *Civitatem* ædificare *ultra Albiam*, in loco, qvi dicitur *Eſſeeldeburg*, & mandavit illis hominibus, qvi cuſtodirent Civitatem". Apud *Saxonem* Grammaticum, *Helmoldum*, & in Diplomatis Sec. XII. XIII. locus ſcribitur *Eeebo* & *Eesebo*. Nomen loci hodie eſt *Iseebo*.

(m) In *Annal. Loiſel.* ap. Du Chesne T. II. p. 46. legitur *Eſſelfelt*. In *Annal. Metenſ.* ad An. 809. *Eſſelfleth*.

(n) *Mon. Egoliſm.* ap. Du Chesne T. II. p. 84. *Et muniri cœptus eſt, & ædificata eſt fortiſſima Civitas Eſſelfelt.*

(o) Ap. ceteros Annaliſtas pro *cœpit* legitur *cœptus*.

(p) i. e. *Dania* & præcipue *Jutia*.

(q) *Eginhartus* Cap. XIV. de *Godefrido* Rege ita: *Friſiam quoque & Saxoniam haud aliter atque ſuas provincias æſtimabat.* Apud *Reginonem* legitur *Phryſiam* & *Phryſionibus*. Conf. *Saxo Gramm.* Ed. Steph. p. 167. *Chron. Moisſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 146. *Et occulte miſit pyratas cum navibus in Friſia, qui fecerunt ibi magnum damnum de populo chriſtiano.* Poëta Saxo ap. Leibnit. T. I. p. 166. hanc Godefridi expeditionem Friſicam ad parvam ſolum inſulam reſtringit, ita canens:

Et qvod, Northmannis vaſtantibus, Inſula qvædam
Parvula Freſonum damna tulit gravia.

(*) *Auctor Hiſt. Ol. Tryggv.* T. I. p. 67. forte ex longe vetuſtioribus Annalibus narrat, *GUTTFREDUM Jutlandiæ Regem Hrárekum Friſiorum Principem occidiſſe, Friſiosqve tributo ſubjeciſſe.* Conf. *Torfæi* Ser. p. 404. ſq. De more *Freſonum* tributum Danis ſolvendi, vid. *Sax. Gram.* p. 167.

(r) Hinc non mirum, ſi KAROLUS, qvod refert *Saxo* p. 167. audita morte GODEFRIDI, effuſo gaudio exultavit, nihil eo caſu unqvam fortunæ ſuæ jucundius obveniſſe confeſſus.

vocatur, copias, qvæ nondum convenerant, ſtatuit operiri. Congregatis tandem copiis, qvanta potuit celeritate, ad *Alaram* fluvium contendit, caſtrisqve juxta Confluentem ejus, qvo *Wiſeræ* flumini conjungitur, poſitis, minarum GODEFREDI Regis præſtolatur eventum. Nam *Rex* ille (s) vaniſima ſpe victoriæ inflatus, acie ſe cum *Imperatore* congredi velle jactabat. Sed dum *Imperator* memorato loco ſtativa haberet, diverſarum rerum nuncii ad eum venerunt, hoc eſt, *Claſſem*, qvæ *Freſiam* vaſtabat, domum regreſſam, & GODEFRIDUM Regem a qvodam ſuo ſatellite (t) interfectum, *Caſtellum*qve vocabulo *Hohbuoki* (u) Albiæ flumini appoſitum, in qvo *Odo* (v) Imperatoris Legatus & *orientalium Saxonum* erat præſidium, a *Wulzis* (x) captum. — GODEFRIDO *Danorum Rege* mortuo, HEMMINGUS filius *fratris ejus* (y) in regnum ſucceſſit, ac pacem cum *Imperatore* fecit Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXI. *Annal. Bertin.* p. 170. *Annal. Loiſel.* ap. Du Chesne T. II. p. 47. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 38.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ nonum implevit, decimum incepit.

An. 811.

Condicta inter *Imperatorem* & HEMMINGUM *Danorum Regem* pax (z), propter hiemis aſperitatem, qvæ inter partes commeandi viam claudebat, in *armis tantum jurata* ſervatur, donec, redeunte veris tempore, & apertis viis, qvæ immanitate frigoris clauſæ fuerant, congredientibus ex utraqve parte utriusqve gentis, *Francorum* ſcilicet & *Danorum*, *XII. Primoribus* (a) ſuper fluvium *Egidoram* (b), datis (c) vicisſim

(s) *Mon. Egolism.* ap. Du Chesne T. II. p. 85. ita: *Nam ille Rex Daniſcus inflatus vana ſpe victoriæ* &c.

(t) Sic & *Eginhartus* Cap. XIV. *Nam a proprio ſatellite interfectus, & ſuæ vitæ & belli a ſe inchoati finem acceleravit.* *Saxo Gr.* p. 167. *Propriis ſatellitis inſidiis circumventus, ferro domeſticæ fraudis interiit.* *Hiſt. Ol. Tryggv.* T. I. p. 67. *Gutfridum a ſuis hominibus cæſum* refert. *Chron. Moiſſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 146. *GODOFREDUS fuit interfectus à ſuo Vaſallo, & perdidit regnum cum vita.* Mon. Sangall. ib. T. II. p. 130. ſingulare hoc anecdoton de morte ejus habet: „GODEFRIDUS Rex Nordmannorum, abſentia *Caroli* „animatus, fines regni Francorum invaſit, *Moſellanum*qve *pagum in ſedem ſibi præelegit.* Cum vero falco„nem ſuum de aneta vellet extrahere, conſecutus eſt eum *filius ſuus*, cujus nuperrime *matrem* reliqvit, „& *alteram* ſuper eam duxit *uxorem*, & cum gladio per medium diviſit“. Hoc autem, reliqvis omnibus aliter narrantibus, ſine dubio falſus rumor fuit.

(u) Legendum procul dubio *Hohburhi*, *Hochburg* ſ. *Hohenburg*, in qvo nomine prima vice apud Scriptores verosimiliter *Hamburgum* occurrit, cujus *Caſtellum* An. 808. a *Carolo M.* fundatum, de qvo vid. paulo ſupra Not. (*), hoc anno 810. a *Wilzis* occupatum eſt. *Albertus Stadenſis*, vetus adeo Hiſtoricus, ad An. 810. non dubitavit hanc ſententiam pro rata pronuntiare: „*Caſtellum*, inqvit, *Hochburi*, qvod nunc *Hamburg* „dicitur, Albiæ oppoſitum, in qvo vico legatus Imperatoris erat, a Wilzis captum“. *Albertum* ſeqvuntur *Lambecius* in Orig. Hamb. aliiqve. *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 53. e contra *Hamburgum* ab *Hohbuoko* omnino diſtingvit, dicens, *Hamburgum* ſignificare *Caſtellum Indaginis* & in *Smeldingis* ſitum fuiſſe, *Hohbuckum* vero notare *Altum Fagum* altiusqve ad Albim in veteri Marchia ſtetiſſe, *Linonibus* oppoſitum. Sed falli *Eckartum*, Cel. *Mich. Richey* in Diſp. de Connoburgo Smeldingorum monſtravit. Conf. qvæ ſupra ad An. 808. Not. (*) & An. 809. Not. (g) ſcripta ſunt.

(v) In Annal. Meteni. *Oddo* ſcribitur, ab aliis *Vodo* dicitur, idem forte, qvi An. 811. pacificationi inter Danos & Francos interfuit.

(x) Potius *Wilzis*, de qvibus vide ſupra ad An. 808. Not. (t).

(y) *Frater* ille Godefridi, & Hemmingi pater, vix alius eſſe potuit, qvam SIGEFRIDUS Rex, qvi vixit & in Jutia regnavit ad Seculi VIII. finem, de qvo ſupra ad An. 808. Not. (n). *Hiſt. Ol. Tryggv.* T. I. p. 67. Hemmingum *fratrem* Gutfredi perperam vocat. Conf. *Torfæi* Ser. p. 404.

(z) Hinc apparet, pacem anno ſuperiore, ſtatim a morte GODEFRIDI inter *Imperatorem* & HEMMINGUM conventam ac ad interim juratam eſſe.

(a) Fere omnes Francorum Annaliſtæ in *duodecim Primoribus* conveniunt, licet apud plurimos ſolum decem ab utraqve parte numerentur, apud aliqvos ſolum novem. Annales Loiſel. & Mon. Egoliſm. *Bernardum Comitem* addunt, ut ſic fiant numero undecim. In ſcriptione nominum pene omnes variant, qvod ſine dubio librariorum culpa factum eſt. Qvi fuerint aliqvot horum Comitum, explicat *Eckart* Rer. Fr. T. II. p. 67.

vicisſim ſecundum ritum ac morem ſuum ſacramentis, pax confirmatur. *Primores* autem, de parte *Francorum* hi fuere: *Walach* Comes filius Bernardi, *Burchardus* Comes, *Hurocus* Comes, *Vodo* (d) Comes, *Meinhardus* Comes, *Egbertus* (e) Comes, *Theodericus* Comes, *Abo* Comes, *Osdach* Comes, *Wicman* Comes: De parte vero *Danorum*, in primis fratres HEMMINGI, *Hacuuin* & *Angandeo* (*), deinde ceteri honorabiles inter ſuos viri, *Offrid* cognomento *Turdimulo*, & *Warſien*, & *Suomi* (f), & *Vuirm*, & alius *Osfrid* filius *Eiligen*, & *Offrid* (g) *de Sconatue* (h), & *Hebbin*, & *Admuin* (i). *Imperator* vero cum HEMMINGO pace firmata, & Placito generali ſecundum conſvetudines *Aqvis* habito, in tres partes Regni ſui totidem exercitus miſit, unum *trans Albiam* in *Linones* (k), qvi & ipſos vaſtavit, & Caſtellum *Hochbuoki* (l), ſuperiori anno a *Wulzis* deſtructum, in ripa *Albiæ* fluminis reſtauravit. *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 170. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 39. *Eginh. Annal.* p. 257.

Carolus M. Eccleſiam, *Hamburgi* (*) ſuperioribus annis condi cœptam, conſecrari facit, qvam *Heridago* Presbytero committit, eidem Cellam *Hrodnace* attribuens, ac diſponens, *Hamburgenſem Eccleſiam* cunctis *Slavorum Danorum*qve gentibus *Metropolim* ſtatuere. *Rembert.* Cap. XI. *Ludovici Pii* Præceptum de An. 834. *Adam. Brem.* ap. Lindenbr. p. 5. Conf. *Lambecii* Orig. Hamb. ibid. p. 3. 4.

Hoc & forte ſeqventibus annis CAROLUS M. laxavit *Nordalbingorum captivitatem*, qvam ob perfidiam, in ipſis chriſtianitatis initiis patratam, *per ſeptennium* paſſi ſunt, eorum autem terram, ne locus ille a *Barbaris* invaderetur, *Ecberto* Co-

 miti

(b) *Annales Loiſel.* & *Mon. Egoliſm.* addunt: *In loco qvi vocatur* . . nomine loci non expreſſo.

(c) Pro *datis* legitur ap. *Adelmum* Freher. T. II. p. 413. *in loco, qvi vocatur Clasis*, qvod forte eſt error librarii, neqve circa Eidoram invenitur locus aliqvis, qvi hujus nominis ſimilitudinem habet.

(d) Idem forte, qvi ſupra ad An. 810. *Odo* vocatur, Legatus Imperatoris & Præfectus Caſtelli Hamburgenſis, & qvi An. 834. in prælio periit, *Annal. Fuld.* p. 546.

(e) *Egbertus Comes* idem eſt, qvi An. 809. a Carolo M. miſſus eſt ad occupandum & muniendum locum in Holſatia, Caſtellum ſcil. *Eſſesfelt* ſive *Itzehoe*. De ejus familia & poſteris vid: *Eckart* Rer. Fr. T. II. p. 713.

(*) *Gandeo* nominatur ap. Du Chesne T. II. p. 65.

(f) Apud *Adelmum* Freher. p. 13. legitur *Suonus*, qvod, ſi recte, fieri potuit *Sveno*. Sed nonne pro *Suomi* legendum ſit *Gluomi* ſ. *Gluomus*, ille ſcil. qvi infra ſub An. 817. Cuſtos Normannici littoris appellatur, ſi modo ille Regis Danorum, & non Imperatoris, vices gerebat.

(g) Pro *Offrid* forte ubiqve legendum *Osfrid*, niſi ubiqve *Offrid* malis; nam *Offer* eſt vetuſtum nomen viri proprium apud Danos.

(h) Male deformatum eſt hoc provinciæ nomen in *Deſconatue*. Melius in Annal. Loiſel. legitur *de Sconaonue*, & in Eginh. Annal. *Sconowe*, qvod ſine dubio *Scaniam*, *Skaney*, *Skaane*, notabit.

(i) Ultimi duo procul dubio ſunt iidem Danorum Magnates, qvi circa finem hujus anni miſi ſunt ab HEMMINGO Rege ad *Imperatorem* Legati, nomine *Hacuuin* & *Hebbin*.

(k) Gentem qvandam Slavicam in Meklenburgi parte, de qva ſupra ad An. 808. Not. (q). *Chron. Moiſſiac.* ad An. 811. hæc ita tradit: „Miſit *Karolus* Imp. exercitum Francorum & Saxonum *ultra Albiam*, ad illos „*Sclavos*, qvi nominantur *Lanai* & *Beibelclereri*. Et vaſtaverunt regiones illas, & ædificaverunt iterum Ca„*ſtella* in loco qvi dicitur *Abochi*“. Qvis non videt, *Abochi* eſſe ceterorum Annaliſtarum *Hobbucki* ſive *Hamburgum*, & *Lanai* ceterorum *Linones*. *Beibelclereros* autem, corrupte ſic ſcripto nomine, *Bellegeretos* ſcribendos vult *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 67. ratus, illos eſſe, qvi ad Stepenitzam amnem circa *Wittenbergam* habitabant, illud autem Caſtrum a Slavis *Bellegered* vel *Biallogorod* dictum putat, qvod *Album caſtrum* denotat. Illam autem explicationem, licet non ridiculam, ut nimis audacem, deridet *Mich. Rickey* Diſſ. de Connoburgo p. 34.

(l) Hic, ut ſupra ad An. 810, legendum *Hochburg*, qvod *Hamburgum* erit.

(*) Qvantum ex *Bulla Gregorii IV.* de confirmatione S. Anſcharii colligi poteſt, *primum Hamburgenſe Templum in honorem Chriſti Salvatoris & b. Mariæ matris ejus conſecratum ſit*. Qvam Eccleſiam vulgo nunc *Domum*, Domkirken, nuncupant, *Lambec.* Orig. Hamb. Edit. Fabric. p. 7.

miti (*) eis reſtituere præceperat. Hæc ipſe *Ludevicus* Imp. in Præcepto de Anno 834. teſtatur, ap. Staphorſt T. I. p. 27.

Hoc & ſuperioribus annis *Carolus M.* molitus eſt & *Claſſem contra Nordmannos* (m), ædificatis ad hoc navibus juxta fluminа, qvæ de Gallia & Germania ſeptentrionalem influunt oceanum, & qvia *Nordmanni Gallicum littus atqve Germanicum aſſidua infeſtatione vaſtabant*, per omnes portus & oſtia fluminum, qva naves recipi poſſe videbantur, ſtationibus & excubiis diſpoſitis, ne qva hoſtis exire poſſet, tali munitione prohibuit. — Ac per hoc nullo gravi damno Gallia atqve Germania a *Nordmannis* diebus ſuis affecta eſt, præter qvod — in *Friſia* (n) *qvædam inſulæ*, Germanico littori contiguæ, a *Nordmannis deprædatæ ſunt.* Eginhardi Vit. Car. M. Ed. Schminckii p. 87.

Carolus in *Flandriam* venit, omnemqve *noſtri maris luſtravit oram.* Bononiæ, qvam inſtitui imperaverat, *Claſſem* inſpexit. — Flexit inde ad flumen *Scaldem*, ac *Gandavi* aliqvandiu commoratus eſt propter *naves* (o), *qvas & ibi contra Danos Normannos*qve ædificari juſſerat. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 11.

Die 8. Septembris S. Anscharius annum ætatis ſuæ decimum implevit, ac undecimum ingreſſus eſt.

Circa medium Novembrem Imperator *Aqvis* venit. Obviaverunt ei venienti Legati HEMMINGI Regis, *Hacuuin & Hebbin* (p), munera Regis & verba pacifica deferentes. *Annal. Bertin.* p. 171. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 39. *Eginh. Ann.* p. 257.

An. 812.

Imperator Aqvis hiemavit. Non multo poſt HEMMINGUS *Danorum Rex* defunctus nunciatur. Cui cum *Sigifridus* (*) nepos GODEFRIDI, & *Anulo* (q) nepos HERIOLDI & ipſius Regis (r), ſuccedere voluiſſent, neqve inter eos, uter regnare

(*) Comes *Echertus* ille erat, qvem CAROLUS M. An. 809. exſtructioni & munitioni Civitatis Eſſesfeld ſive Itzeho præfecit, qvi etiam hoc anno 811. in Holſatia ad Eidoram inter Legatos Imperatoris pacificationi cum Danis intererat. Vid. *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. II. p. 169. 170. LUDOVICUS poſtea Imperium nactus, hoc Patris beneficium extendere volens, An. 814. *Saxonibus* [inter qvos *Nordalbingi*] & *Friſionibus*, ab exilio reductis, jus paternæ hæreditatis, qvod ſub Patre legaliter perdiderant, Imperatoria clementia reſtituit, teſtante *Auctore Vitæ Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 296. Conf. *Jac. Schuback* Diſſ. de Saxon. Transport. p. 52. 57.

(m) In *Vit. Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 292. ſub Anno 807. ſic legitur: *Præceperat tunc temporis fabricari naves contra Nordomannicas incurſiones, in omnibus fluminibus, qvæ mari influebant: Qvam curam etiam filio injunxit ſuper Rodanum & Garonnam & Silidam.* Conf. *Schminckii* Not. ad Vit. Caroli M. p. 87. CAROLUS M. experientia doctus, notitiam *rei nauticæ Danorum* aſſecutus erat; nam, ad primam Claſſis in mari advenientis conſpectum, *ex ſtructura navium vel agilitate Normannos eſſe* dignoſcere potuit, ut teſtatur *Mon. Sangall.* ap. Du Chesne T. II. p. 130.

(n) Vide ſupra ad *Annum* 810.

(o) Hæc ex *Adelmo* ap. Freher. T. p. 413. *Annal. Bertin.* p. 171. *Metenſ.* p. 296.

(p) Adelmus l. c. *Aouus & Hebbi.* Annal. Metenſ. *Acuin & Hebbi.* Annales Loiſel. corruptius *Arouuin & Hebbi.* Qvæ nomina forte erunt Danica noſtra *Haqvin* ſ. *Hakon*, *Hakun*, & *Ebbe.*

(*) *Sigefridus* procul dubio fuit frater Hemmingi, & Godefridi ex fratre Sigefrido nepos. Scriptores Islandi eum *Sigfrodum* vel *Sigrodum* nominant, facientes illum Godefridi ex filia nepotem: Hoc autem fundamento regnum petere non potuit, dum plures tunc Regum Filii ſupererant. Vid. *Torfæi* Ser. p. 404. 407.

(q) Ap. *Reginonem* legitur *Anilo.* Eginh. Annales habent *Amilo.* Chron. Moiſiac. vitioſius *Auolo.* Ceteri habent *Annulo* ſive *Anulo*, factum a latino *Annulus*, Danice *Ring*, qvod apud veteres Danos etiam nomen viri proprium fuit, ſcriptum olim a nonnullis *Hring*, qvo nomine *Annulo* ab Auctore Hiſt. Ol. Trygg. nuncupatur.

(r) ɔ: *nepos Herioldi, qvi & ipſe Rex fuit.* Eginh. Annal. p. 257. ita: *Nepos Herioldi qvondam Regis.* HERIOLDUS ille ſive HARALDUS Rex qvis fuerit & qvando vixerit, Hiſtoria noſtra non prodit, ut ita opus ſit ad conjecturas recurrere. Mihi videtur fuiſſe pater SIGEFRIDI & GODEFRIDI Regum & *Halfdani* patris

nare deberet, convenire potuiſſet, comparatis copiis, & commiſſo prælio, ambo moriuntur. Pars tamen *Anulonis*, adepta victoria, fratres ejus HARIOLDUM (s) & RAGENFREDUM (t) *Reges* ſibi conſtituit. Qvam pars victa neceſſario ſecuta, eosdem ſibi regnare non abnuit. In eo prælio X. Millia DCCCCXL. viri cecidiſſe narrantur (u). — *Claſſis Nortmannorum* (v) *Hiberniam*, *Scotorum inſulam*, adgreſſa, commiſſoqve cum *Scotis* prælio, parte non modica *Nortmannorum* interfecta, turpiter fugiendo domum reverſa eſt. — HARIOLDUS & RAGINFRIDUS, *Reges Danorum*, miſſa ad Imperatorem Legatione, pacem petunt, & fratrem ſuum *Hemmingum* (*) ſibi remitti rogant. *Annal. Bertin.* p. 171. *Annal. Loiſel.* p. 48. *Fuldenſ.* p. 542. *Mon. Egolismi.* p. 86. *Regino* ap. Piſt. p. 39. 40.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius*, undecimo ætatis anno completo, duodecimum inchoavit.

An. 813.

Miſſi ſunt de hoc Conventu (x) qvidam *Francorum* & *Saxonum* Primores *trans Albim* fluvium ad *conſinia Nordmannorum*, qvi pacem cum eis, ſecundum petitionem *Regum* (y) illorum, facerent, & *fratrem* (z) eorum redderent. Qvibus cum pari numero, nam XVI. erant, de *Primatibus Danorum* in loco deputato occurriſſent, juramentis utrimqve factis, pax confirmata, & *Regum* (a) *frater* eis redditus eſt. Qvi tamen eo tempore domi non erant, ſed ad *Weſtaeruoldan* (b) cum exercitu profecti

patris *Annulonis*, *Haraldi*, *Reginfridi* ac *Hemmingi*. Vixiſſe illum Seculo ſuperiore octavo, nullum eſt dubium, & forte primus fuit ex Skioldungorum Regia familia, qvi a ſupremis Danorum Monarchis, *Lethrarum Regibus*, Jutiam auſtralem poteſtate qvadam abſoluta, ut regni fines eo melius tutaretur, obtinuit. Probabile ergo fit, HARALDUM fuiſſe *Filium* aut *Fratrem* minorem Regis alicujus Lethrenſis. Et qvis ſcit, anne fuerit filius SIGURDI RING & frater junior REGNERI LODBROK, qvi hac extrema regni parte donatus ſit, unde ipſe & poſteri viverent. Nec dubitari debet, qvam plurimos Principes Regum filios ab Hiſtoricis noſtris per incuriam omiſſos eſſe. Hoc etiam conſiderari debet, inter nepotes hujus HARALDI fuiſſe illa nomina, *Annulo* ſive *Ring*, *Harald*, *Reginfrid* qvod forte idem ſit ac *Regner*.

(s) Prima heic fit mentio nominatiſſimi Regis Jutiæ HARALDI, Moguntiæ poſt baptizati, qvem Annaliſtæ noſtri *Klak* cognominarunt, & a qvo junior qvidam Princeps, ut puto, *Harald Klak* nominatus eſt, cujus filia THYRA DANEBOD Regina Daniæ fuit.

(t) Annales Metenſes & alii *Reginfridum* legunt. Chron. Moiſſiac. *Reganfredum*. Islandi *Reinfridum* habent, eumqve *filium Godefridi* perperam faciunt, vid. *Torfæi* Ser. p. 405.

(u) *Chron. Moiſſiac.* p. 146. ita habet: *Fuit occiſio magna Normannorum, & Auolo ibi corruit*, ſed rem perperam ad Annum 811. trahit. *Auctor Hiſt. Ol. Trygg.* narrat, *Haraldum* eo prælio votum feciſſe recipiendi cum ſuis ſacri baptismatis, ſi victoria potitus ſit ac ſalvus evaderet, vid. *Torfæi* Ser. p. 405.

(v) *Annales Fuld.* ap. Du Chesne T. II. p. 542. *Claſſis Danorum Hiberniam aggreſſa, a Scotis* prælio ſuperatur. Conf. *Herm. Contract.* ad An. 812. *O Flaherty* Ogyg. p. 433. *Waræus* Antiqv. Hibern. p. 122. addit: Hiſtorici Hibernici Danos ſub eodem tempore duobus prœliis ab Hibernis profligatos aſſerunt.

(*) *Hemmingus* ille, Annulonis frater, vocatur infra ad An. 837. *Halfdani filius*, unde concludimus, *Halfdanum* etiam fuiſſe *Annulonis*, *Haraldi* & *Reginfridi patrem*. Procul dubio *Hemmingus* anno ſuperiore 811. Carolo M. a Danis in pacificatione obſes datus fuerat.

(x) Qvi ſcil. *Aqvisgranis* verno tempore habebatur.

(y) Reges antedicti HARIOLDUS & RAGENFRIDUS.

(z) Frater Regum, qvi Imperatori obſes datus fuit, erat *Hemmingus*, de qvo ſupra ad An. 812.

(a) In *Annal. Bertin.* vitio forte typographico ſic legitur: *& Regnum & frater eis redditus eſt*; regnum enim non amiſerant.

(b) Nonnulli Annaliſtarum Francorum habent *Weſterfalz*, alii *Weſterfoldam* & *Weſterfoeldam*, per qvod nomen qvidam *Inſulam Foör*, *Weſtfordam*, *Weſterlands Foör*, *Friſiam minorem*, *Nordſtrandiam*, aliasqve partim adhuc ſuperſtites, majori vero parte ſubmerſas, Ducatus Sleſvicenſis ad occidentem inſulas, intelligi volunt. Conf. *Gebhardi* Geſchichte von Dännemark p. 382. *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 85. per *Weſterfoldam* ſignificari putat *Norvegiam*, qvod iis eo minus improbabile videbitur, qvi aliqvam partem Norvegiæ *Weſtfolden* dici ſciunt. Qværitur, anne nomen *Weſterfalz* & *Weſterfelda* aliqvid commune habeat cum *Wes-*

profecti, qvæ regio *ultima Regni eorum* inter ſeptentrionem & occidentem ſita, contra aqvilonem *Britanniæ* ſummitatem reſpicit, cujus Principes (c) ac populus eis ſubjici recuſabant. Qvibus perdomitis (d), cum revertiſſent, & *fratrem* ab *Imperatore* miſſum recepiſſent, *Filii Godefridi* Regis, & ex *Primoribus Danorum* non pauci, qvi jamdudum, relicta patria, apud *Sveones* (e) exulabant, comparatis undecumqve copiis, bellum eis intulerunt, &, confluentibus ad ſe paſſim ex *omni Danorum terra* popularium turmis, commiſſo prælio, etiam regno (f) eos non multo labore pepulerunt. *Inc. Auct.* ap. Du Chesne T. II. p. 67. *Mon. Egolism.* ib. p. 87. *Ann. Bertin.* p. 172. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 40.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, duodecimo ætatis ſuæ anno transacto, decimum tertium ingreditur.

An. 814.

Die 28. Januarii CAROLUS M. Imperator moritur, qvem *Anscharius* antea in magna potentia glorioſum viderat, unde ille, puer tum duodecim annorum, magno terrore perculſus, ad ſe redire cœpit. *Rembert.* Cap. II.

LUDOVICUS PIUS in Imperio Romano ſuccedit. Ille voluntatem Patris oblitus, *Provinciam Transalbinam Bremenſi & Ferdenſi Epiſcopis* commendat, Cellamqve *Hrodnace*, a Patre *Eccleſiæ Hamburgenſi* An. 811. attributam, Indæ Monaſterio confert. *Præceptum Ludovici* An. 834. ap. Staphorſt p. 28. *Rembert.* Cap. XI. *Adam. Brem.* Ed. Lind. p. 6.

HARIOLDUS & RAGENFRIDUS, *Reges Danorum*, qvi ſuperiori anno a *Filiis Godefridi* victi & regno pulſi fuerunt, reparatis viribus, iterum eis bellum intulerunt. In qvo conflictu & RAGENFRIDUS & unus de *Filiis Godefridi*, qvi major natu erat, interfectus eſt. Qvo facto, HARIOLDUS, rebus ſuis diffidens, ad *Imperatorem* venit (g), & ſe in manus illius commendavit. Qvem ille ſuceptum, in *Saxoniam* (h) ire, & opportunum tempus juſſit expectare, qvo ei auxilium ferre poſſet. *Annal. Bertin.* p. 173. *Adelmus* ap. Freher. p. 415. Die

Weſfaldingis, qvo nomine *Normannorum* turba vocatur in *Chron. Aqvit.* ap. Labbeum T. I. p. 291. & *Chron. Engolism.* ib. p. 324. Qvoniam autem ſic *Weſterfolda* apud nos ipſos aut in *Dania* aut in *Norvegia* commode haberi poteſt, non opus eſt ad conjecturam Torfæi de *Weſtfalia* Ser. Reg. Dan. p. 409. 411. recurrere. Hoc vero operæ pretium erat, inqvirere, an *Weſterforda*, an etiam *Weſtfolda* heic a Scriptoribus Francicis intelligatur.

(c) In *Eginh. Annal.* ap. du Chesne T. II. p. 258. legitur *Princeps.*

(d) Hæc *Chron. Moiſiac.* ap. Du Chesne T. III. p. 146. ita exponit: „Exierunt *Normanni* cum navibus ſuis in „*Friſia*, & fecerunt ibi grande malum, *ceperunt viros*, *mulieres* & prædam magnam. Poſtea venerunt „*Filii Godefridi* cum exercitu, expuleruntqve *Beraldum* [Heraldum] & *Reganfredum*, atqve *Amingum* „[Hemmingum] de regno ipſorum, & illi fugerunt usqve ad abdita". Nonne in *viris* & *mulieribus*, tunc & ſæpius *ex Friſia abductis*, qværendæ ſint origines *Friſiorum in Jutia auſtrali* ad littora maris occidentalia habitantium?

(e) Pleriqve Annalium *Sveones* legunt, Regino *Sviones*, Annales autem Bertin. *Svesſiones.*

(f) Regino addit *paterno.*

(g) *Aſtronomus* Vit. Lud. Pii ap. Du Chesne T. II. p. 296. hæc ita refert: „Eodem tempore HERIOLDUS, „ad qvem *ſumma Regni Danorum* pertinere videbatur, & qvi pridem a *Filiis Godefridi* regno pulſus fuerat, „ad Imperatorem *Ludovicum* confugium fecit, & *juxta morem Francorum* manibus illius ſe tradidit. Qvem „Rex ſuſceptum in *Saxoniam* ire juſſit, & tempus, qvo ei auxilium ferre poſſet, ad recuperationem *ſui* „*Principatus* ibidem operiri. Qvo etiam tempore *Saxonibus* atqve *Friſonibus* jus paternæ hæreditatis, qvod „ſub *Patre* ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria clementia reſtituit. Qvod alii liberalitati, alii „improvidentiæ aſſignabant, eo qvod hæ gentes, naturali feritati aſſvefactæ, talibus habenis deberent coer„ceri, ne ſcilicet effrænes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eo ſibi arctius eos „vinciri ratus, qvo eis beneficia largiretur, non eſt ſpe ſua deceptus; Nam poſthæc *easdem gentes ſemper* „*ſibi devotiſſimas habuit*". Inter *Saxones* hos, qvibus LUDOVICUS paterna bona reſtituit, fuere *Nordalbingi* ſive *Holſati*, qvos CAROLUS M. per *Ecbertum* Comitem in patriam ab exilio revocaverat, de qvibus ſupra ad An. 811.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ tredecimum implevit, decimum qvartum incipiens.

Circa hæc tempora, & forte hoc anno, *Anscharius*, adoleſcentior factus, tonſuratus & in Monaſticis diſciplinis poſitus fuit, obedientiam Abbati promittens. *Rembert.* Cap. I. IV.

An. 815.

Circa medium Majum, omnes *Saxonici Comites* omnesqve *Abodritorum* copiæ, cum Legato Imperatoris *Baldrico*, ad auxilium HARIOLDO deferendum, trans *Heidoram* fluvium, in terram *Normannorum*, vocabulo *Sinlendi* (i), perveniunt: & inde profecti, ſeptimo tandem die in loco, qvi dicitur (k) . . . in littore oceani (l) caſtra ponunt. Ibiqve ſtativis triduo habitis, cum *Filiis Godefridi*, qvi contra eos magnis copiis & *ducentarum navium Claſſe* comparata in *inſula* (m) qvadam, tribus millibus a continenti ſeparata, retidebant, cum eis congredi non auderent, vaſtatis circumqvaqve vicinis pagis, & acceptis popularium obſidibus (n) qvadraginta, ad *Imperatorem* in *Saxoniam* reverſi ſunt (o). *Imperator*, antequam de motibus Romanis diſponit, res HARALDI ordinat, eumqve in *Saxonia* (p) dimittit. *Annal. Bertin.* p. 173. *Eginh. Annal.* p. 259. *Vit. Lud. Pii* p. 296. *Annal. Fuldenſ.* p. 542.

Altero regni ſui anno, *Ludovicus* generale Placitum in partibus *Saxoniæ* (q) habuit, ibi *Legatio Danorum* ad eum venit, poſtulans pacem. *Theganus* ap. Du Chesne T. II. p. 278.

Turgeſius Norwegus (r) in *Hiberniam* appulit, & exinde ibidem *Dani* & *Norwegi* fixas ſedes habere cœperunt. *Rod. O Flaherty* Ogyg. p. 433. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 123.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvartum decimum complevit, decimum qvintum ingrediens.

An. 817.

Filii Godefridi Regis Danorum, propter aſſiduam HERIOLDI infeſtationem, miſſa ad *Imperatorem* Legatione, pacem petunt, eamqve a ſe ſervandam pollicentur. Sed cum hæc ſimulata magis qvam veracia viderentur, velut inania neglecta ſunt, au-

(h) Per *Saxoniam* hoc loco ſine dubio intelligenda venit *Saxonia Transalbina* ſive *Holſatia*, ubi HARALDUS auxiliares ab Imperatore mittendos præſtolaretur.

(i) Pro *Sinlendi* Adelmus ap. Freher. p. 416. *Sualandiam* legit. Alii *Sinlande* habent. Aliis forte magis arridebit *Finlandi* ſ. *Fynlandi*, Fyonia. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 118. nomen illud in *Filendi* mutandum cenſet, ut locum deſignet, ubi poſtea *Filendisburg* ſive Caſtrum *Flensburg* conſtitutum, ſed hæc conjectura, ut nimis audax, vix ſuccedet. Melius igitur *Sinlendi* pro *Sydland* ſive *Syndland* contracte a *Synder-Jylland*, Jutia auſtrali, accipi poteſt; Statim enim ac Franci *Eidoram* trajeciſſent, in terra Danorum *Sinlendi* erant, & poſt ſeptem dierum iter ſtativa habuerunt in loco oppoſito inſulæ tribus milliaribus a continenti ſeparatæ.

(k) Doleudum eſt, nomen loci interiiſſe. Cum autem Franci ſeptimo tandem die profectionis ab Eidora hic ſtativa poſuerint, pene crederem, hoc factum eſſe ab hac parte Haderſleviæ in littore Fioniæ oppoſito.

(l) In littore Maris Baltici minoris, ut puto.

(m) *Inſula* ea videtur fuiſſe *Fionia*. Gebhardi Hiſt. D. p. 383. *Aroam* mavult.

(n) *Joh. Iperii* Chron. ap. Martene T. III. p. 504. *Ludovicus Imperii ſui anno ſecundo exercitum contra Danos miſit, & pacis obſides dare compulit.* In Annal. Eginhardi numerantur *Obſides XLI.*

(o) Hujus expeditionis meminit etiam *Claudius Scotus*, ejus temporis Scriptor, in Præfatione ſuæ interpretationis in Matthæum, Vid. *Baronii* Annal. T. IX. p. 672. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 118. Conf. *Uſſerii* Ep. Hibern. No. XIX.

(p) Forte in *Saxonia Transalbina* ſive *Holſatia*.

(q) Conventus ille generalis *Paderbrunnæ* habitus eſt, *Annal. Bert.* p. 173. *Vit. Lud. Pii* ad An. 815.

(r) *Turgeſius* infra ad An. 845. dicitur *Danorum Dux*. Alii ad Annum 818. *Turgeſii* in Hiberniam adventum referunt, *Giraldus* vero nimis ſero ad An. 838. Lege, qvæ de *Turgeſio* narrantur a *Silv. Giraldo* ap. Camdenum p. 748. ſq. *Jo. Bromton* ap. Twisden. p. 1074. *Uſſerii* Eccl. Brit. Antiqv. p. 425. 447. 474. 542. ſq.

xilium eſt contra eos HERIOLDO datum. — *Sclaomir* Abodritorum Princeps (s), miſſa trans mare Legatione, junxit amicitias cum *Filiis Godefridi*, & ut exercitus in *Saxoniam Transalbinam* mitteretur, impetravit. Nam & *Claſſis eorum* per *Albiam* usqve ad *Eſelsfeld Caſtellum* (t) venit, qvæ totam *Sturiæ* (u) *fluminis ripam* devaſtavit. *Ecgluomi* (v), Cuſtos Normannici limitis, pedeſtres copias ducens, ſimul cum *Abodritis* terreno itinere ad ipſum Caſtellum accesſit. Qvibus cum noſtri fortiter reſtitiſſent, omiſſa Caſtelli oppugnatione, diſceſſerunt. *Annal. Bertin.* p. 174. 175. *Eginhardi* p. 260. 261. *Vita Lud. Pii* p. 297. 298. *Annal. Fuld.* p. 345.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ decimum ſextum implevit, decimum ſeptimum incepit.

An. 818.

Circa hæc tempora *Willericus*, Bremenſis Epiſcopus, *Transalbinis* populis, ante *Anscharium*, prædicat, & *Eccleſiam in Milinthorp* (x) freqventer viſitat, usqve ad tempus, qvo *Hammaburg* Metropolis facta eſt. *Adam. Brem.* Edit. Lind. p. 5.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ decimum ſeptimum clauſit, decimum octavum incipiens.

HARIOLDUS, juſſu Imperatoris, ad naves ſuos per *Abodritos* reductus, in patriam, qvaſi regnum ibi accepturus, navigavit. Cui ſe *duo ex Filiis* (y) *Godefridi*, qvaſi una cum eo regnum habituri, ſociaſſe dicuntur, aliis duobus patria expulſis. Sed hoc dolo factum putatur. *Annal. Bertin.* p. 176. *Adelmus* ap. Freher. p. 419 ſq.

Hoc anno, ut & ſæpius, *Ebbo*, Archiepiſcopus Rhemenſis, *Danos in Palatio viderat*, eorumqve errores ethnicos dolens, ardebat deſiderio eos convertendi. *Rembert.* Cap. XII.

Hoc anno (z) circa Pentecoſten, *S. Anschario* obtigit Viſio illa de S. Petro & S. Joh. Baptiſta, ex qva ſibi *Martyrium* divinavit. *Rembert.* Cap. II.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, decimo octavo ætatis anno egreſſus, nonum decimum intravit.

An. 820.

De *Nortmannia tredecim piraticæ naves* (a) egreſſæ, primo in *Flandrenſi littore* prædari molientes, ab his, qvi in præſidio erant, repulſæ ſunt: Ubi tamen ab eis,

(s) *Vit. Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 298. „Statim ei *Abodritorum* defectio nuntiatur, qvi cum *Filiis Go-*„*defridi* amicitias jungentes, *Saxoniam Transalbianam* vexabant. Contra qvos *Imperator* ſufficientes copias „dirigens, eorum motus, Deo favente, compreſſit". *Matth. Weſtmonaſt.* p. 153. hæc ad An. 818. refert: *Sclaomir Abotritarum Rex, ab Imp. Ludovico de regno pulſus, ad Danos transivit.*

(t) *Eſelsfeld* ſive *Eſſesfelt* Caſtellum in Holſatia, hodie *Itzebo*, a *Carolo M.* contra Danos exſtructum, vid. ad An. 809.

(u) Hinc liqvet, *Sturiam* tunc usqve ad Itzehoam navigabilem fuiſſe.

(v) *Adelmus* ap. Freherum p. 418. pro *Ecgluomi* legit: *Et Gluomus.* Sic *Eginh. Annales* ap. Du Chesne T. II. p. 261. *Et Gluomi, Nordmannici limitis Cuſtos.* Marchio ille, ſive Limitis ad Eidoram Cuſtos, non vice *Imperatoris*, ſed a parte *Regni Danici* fuit, ut totus indicat contextus. Ipſum etiam nomen confirmat, eum *Danum* fuiſſe, *Gluomi* enim ſive *Glum* vetuſtum eſt viri nomen proprium apud Danos, ex qvo adhuc ab olim nominatos habemus varios pagos, *Glumstorp*, *Glumswith*, *Glumshöi* &c. Nomen hoc etiam apud veteres Islandos in uſu fuit, e. g. *Glumr Olafsſon, Glumr Hilldiſſon*, Nials Saga p. 22. 192.

(x) i: *Meldorp* in Dithmarſia, ubi Seculo octavo a *S. Willehado* Eccleſia plantata videtur. Conf. ſupra p. 347.

(y) Ex hiſce HORICUS ſive ERICUS I. fuit unus, ut ex ſeqventibus conſtat.

(z) Si *Anscharius* hanc Viſionem habuerit duos annos ante illam, de qva Cap. III. & qvæ ei obtigit poſtqvam Rector Scholæ factus eſt, neceſſe eſt, illum hanc habuiſſe circa Annum 819; vix enim plauſibile eſt, *Anſcharium* Rectorem Scholæ factum fuiſſe ante Annum 821. & ante vigeſimum ætatis annum. Falli ergo videtur *Rembertus*, dum Cap. II. narrat hanc Viſionem qvaſi factam Anno 814. & ſtatim a morte *Caroli M.*

(a) *Aſtronomus* in Vit. Lud. Pii ap. Du Chesne T. II. p. 301. de hac expeditione ita: „Ipſo tempore nunciatum „eſt,

cis, propter Custodum incuriam, aliqvot casæ viles incensæ, & parvus pecoris numerus abactus est. In *ostio Sequanæ* similia tentantes, resistentibus sibi *littoris Custodibus*, qvinqve suorum interfectis, irritæ recesserunt. Tandem in *Aqvitanico littore* prosperis usæ successibus, vico qvodam, qvi vocatur *Burnad* (b), integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reversi sunt. *Annal. Bertin.* p. 177. *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 524. *Adelmus* ap. Freher. T. II. p. 421. *Eginh. Annal.* p. 264.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, completo decimo nono ætatis suæ anno, ad vicesimum pervenit.

An. 821.

De parte *Danorum*, omnia qvieta eo anno fuerunt, & HERIOLDUS a *Filiis Godefridi* in societatem Regni receptus, qvæ res tranqvillum inter eos hujus temporis statum fecisse putatur. Sed qvia *Ceadragus*, Abodritorum Princeps, perfidiæ & cujusdam cum *Filiis Godefridi* factæ societatis notabatur, *Sclaomir* avunculus (c) ejus in patriam remittitur. Qvi cum in *Saxoniam* venisset, ægritudine decubuit, perceptoqve baptismi sacramento, defunctus est. *Annal. Bertin.* p. 178. *Eginhardi* p. 265. *Fuldenses* p. 544.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis vicesimum explevit, vigesimum primum inchoavit.

Medio mense Octobris *Ebbo* Archiepiscopus Rhemensis interfuit *Conventui Theodonisvillano* ab Imperatore *Ludovico* habito, in qvo primum cum *Ebbone* actum credo de *Danorum conversione* & conclusum de *Ebbone* eum in finem Romam mittendo, ut Papali simul cum Imperatoris auctoritate suffultus Legationem ad gentes Septentrionales obiret, Vid. supra p. 401.

Circa hæc tempora *S. Anscharius* factus est Rector Scholæ S. Petri in Corbeia veteri, Collegam nactus *Withmarum*, post ipsius mortem adhuc superstitem. Tunc, post duos annos a superiori visione evenit *S. Anschario* Visio illa de Christo. *Rembert.* Cap. III. IV. IX.

An. 822.

Hoc anno, sine dubio, contigit *Fulberti* pueri & discipuli sui cædes, qva *Anscharius* nimium contristabatur, & de qva Visionem habebat. *Rembert.* Cap. IV.

Corbeia Nova Monasterium in Saxonia fundatur & in Augusto exstrui incipitur. *Rembert.* Cap. V. *Chron. Corbei.* ap. Meibom. T. I. p. 755. 766. *De Construct. Corbei.* ap. Du Chesne T. II. p. 347.

In *Conventu Attiniacensi*, mense Augusto habito, de *conversione Septentrionalium* aliqvid actum esse creditur. *Ebbo* a LUDOVICO Imperatore ad hanc Missionem deligitur & instruitur. *Ebbo* (*) Romam it, ac a *Paschali* Papa licentiam accipit

„est, *naves piraticas tredecim*, a *Nortmannia sedibus* mare conscendisse, & prædatum nostros fines appellere. „Contra qvas *Imperatoris* circumspectio custodiam fieri qvum imperasset, a *Flandrensi solo* simul & *ostio* „*Sequanæ* repulsæ, in *Aqvitaniam* sese verterunt, & vastato vico, cujus vocabulum *Buin*, multaqve onerata præda reversæ sunt". Duces hujus expeditionis navalis fuisse *duos illos Principes Danos, Godefridi filios*, patria superiori anno expulsos, dubitari non debet.

(b) Pro *Burnad integrum* Eginhardi Annales habent *Bundium ad integrum*. Vit. Lud. Pii *Buin*.

(c) Pro *avunculus* legitur in Annal. Eginh. & Fuld. *æmulus ejus*.

(*) Sic plurimi putant, *Ebbonem*, finito Conventu Attiniacensi, Romam profectum esse. Qvum autem circa finem ejusdem anni in Daniam profectus sit, intervallum temporis vix ad Iter Romanum sufficisse videtur. Mihi ergo probabilius est, *Ebbonis Iter Romanum* conclusum fuisse Anno 821. in Conventu Theodonisvillensi,

pit evangelizandi in *Septentrione*. *Halitgarius* ei Misſionis Socius datur, cum qvo in *Daniam*, Roma reverſus, *Ebbo* proficiſcitur, forte in comitatu *Legatorum Danorum*, qvi ex parte tam HARALDI, qvam *Filiorum Godefridi*, in *Conventu Francofordenſi* (d), vergente ad finem anno, fuerunt, pacem renovantes & confirmantes. *Ebbo* (*), auctoritate Imperatoris ac Pontificis Romani, &, ut videtur, ex compacto cum *Danorum Legatis*, verbum Dei *Danis* ſtatim annuntiare incipit. *Rembert.* Cap. XII. *Anscharii Epiſt.* in Act. SS. Febr. T. I. p. 404. ap. Staphorſt p. 60. *Paſchalis Decret.* ib. p. 21. & Act. SS. l. c. *Vit. Lud. Pii* ap. Du Chesne p. 302. *Flodoardus* Ed. Duac. p. 263. *Le Cointe* Annal. Franc. T. VII. p. 637. Conf. omnino *Nigellus* ſupra p. 401. ſq.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ viceſimum primum implevit, viceſimum ſecundum exorſus.

An. 823.

S. Anscharius ex Corbeia Veteri Galliæ ad Corbeiam Novam Saxoniæ vocatus pervenit (e), ut ibi ſit *Rector Scholæ* & ſimul *Doctor populi*. *Rembert.* Cap. V.

Hoc anno *Manderus*, filius *Regis Daniæ* (f), *Jonam* inſulam (g) diripit. *Annal. Bartholin.* ſupra p. 335.

Ebbo, maximam partem hujus anni in *Dania* moratus, *Danorum converſioni* operam dat, multos ex eis ad fidem & baptismum trahens.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, completo anno ætatis ſuæ viceſimo ſecundo, viceſimum tertium incepit.

Ad Kalendas Novembris LUDOVICUS Imp. ad *Compendium* Palatium, ubi Conventum indixerat, venit. Venerat & HARIOLDUS de *Nortmannia*, auxilium petens contra *Filios Godefridi*, qvi eum patria pellere nitebantur (h). Ob cujus cauſam diligentius explorandam, ad eosdem *Godefridi Filios Theotarius* & *Ruotmundus* Comites

villenſi, ſuſceptum Anno 822. in æſtate, Decretum autem Papale in Conventu Attiniacenſi productum, *Ebbonem* demum in Daniam profectum eſſe.

(d) *Eginh. Annales* p. 266. ad An. 822. Fuere in eodem Conventu & *Legationes de Normannia*, tam de parte HERIHOLTI, qvam *Filiorum Godefridi*. Vita Lud. Pii ap. Du Chesne T. II. p. 302. ita: *Miſſi Nortmannorum*, pacem renovantes & confirmantes, non defuerunt. Qvos auditos qvum congrue remiſiſſet, in eodem loco præparatis novo opere ædificiis, hiemavit.

(*) *Annales Fuld.* ap. Du Chesne T. II. p. 544. ad An. 822. *Ebo Remorum Archiepiſcopus genti Nordmannorum evangelizavit verbum Dei.*

(e) Ex *Narratione de conſtruct. Nov. Corb.* ap. Du Chesne T. II, conſtat, hoc anno plures ex fratribus eo cum Abbate *Adelardo* veniſſe, ut in Libello de Vita ejus invenitur.

(f) Qvis ſit ille *Manderus*, niſi ſit unus *Filiorum Godefridi*, neſcio. Nec, unde hæc *Bartholinus* habuit, mihi ſuccurrit; Ex Annaliſta qvodam veteri ſumta eſſe, dubitari vix poteſt.

(g) Eandem, opinor, expeditionem fuiſſe, in qva, teſte *Waræo* Antiqv. Hibern. p. 122. *S. Blaithmacus* Reguli Hibernici filius a *Danis* ſive *Norwegis* ethnicis in *Jona inſula* cæſus eſt, ut ex Vita ejus, a *Walafrido Strabone* carmine deſcripta, liqvet. Ea Inſula ab *Adamanno* Scriptore Seculi VII. nominatur ap. Caniſ. T. I. p. 680. 682. 686. ſed male ibi ſcribitur *Jova* pro *Jona*. Nomen alias hujus inſulæ olim erat, *Ii, Hii, Hy, Hu*, vid. *Gibſon Chron. Saxon.* p. 21. 53. & Explic. locor. ib. p. 33. Scribitur etiam *Hiona* & *Ibona*. Inſula autem ſita eſt in mari Hibernico inter Scotiam & Ilam inſulam; vid. *Gibſon* l. c. & *Caniſ.* l. c. p. 682. Vocatur a Beda *Hii* & incolæ *Hiienſes*. In hac Inſula, notatu dignum eſt, eminere inter ceteros tres tumulos, qvorum unus eſt *Regum Scotiæ*, alter *Regum Hiberniæ*, tertius *Regum Norwegiæ*, vid. *Jo. Smith* Not. ad Bedam p. 106.

(h) *Eginhardi Annales* legunt *minabantur*. Tunc, ſicuti & ante & poſtea, factum ſit, qvod *Rembertus* Cap. VI. refert: „Poſthæc contigit, ut HERIOLDUS ab aliis ipſius provinciæ Regibus, odio & inimicitia convenitus, Regno ſuo expulſus ſit. Qvi Imp. *Ludovicum* adiit, poſtulans, ut ejus auxilio uti mereretur, qvo Regnum ſuum denuo evindicare valeret. Qvi eum ſecum detentum, tam *per ſe*, qvam *per alios*, ad ſuſcipiendam chriſtianitatem cohortatus, ut ſcil. inter eos major familiaritas eſſe poſſet, populusqve chriſtianus ipſi ac ſuis promptiori voluntate in adjutorium ſic veniret, ſi uterqve unum Deum coleret“.

Comites misi fuerunt. Qvi & causam *Filiorum Godefridi* & *statum totius Regni Nortmannorum* diligenter explorantes, adventum HARIOLDI præcesserunt, & *Imperatori* omnia, qvæ in illis partibus comperire potuerunt, patefecerunt. Cum qvibus & *Ebbo*, Remorum Archiepiscopus, qvi, *consilio Imperatoris* & *auctoritate Romani Pontificis*, prædicandi gratia ad *terminos Danorum* accesserat, *æstate præterita* (i) *multos ex eis*, *ad fidem venientes*, *baptizaverat*, regressus est. *Annal. Bertin.* p. 181. *Eginh. Annal.* p. 267.

An. 824.

Ebbo in *Daniam* sive ad *Daniæ terminos*, ut creditur, regressus, Missionis sacræ opus continuat, HARALDO Regi *populo*qve *Danico* fidei christianæ dogmata tradendo. Conf. *Ermold. Nigellum* supra p. 401. & *Rembert.* Cap. VI.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ vigesimum tertium complevit, vigesimum qvartum ingressus.

An. 825.

Hoc vel præcedenti anno, Imperator *Ebboni* locum *Welanao* (k) ultra Albiam donat, ubi *Cellam* exstruit; *plurimos etiam ex Danis Ebbo* religioni christianorum adjungit. *Rembert.* Cap. XII.

Ebbo etiamnum videtur HARALDI Danorum Regis conversioni operam dedisse. Vide *Nigellum* l. cit. & *Rembert.* Cap. VI.

Circa hæc tempora, & forte hoc anno, *Ebbo* ab *Eugenio* Papa (l) in *Legatione gentium Septentrionalium* confirmatur. *Flodoardus* Ed. Duac. p. 267.

Mense Augusto, in *Conventu Aqvisgranensi*, Imperator *Filiorum Godefridi Legatos* audivit, ac pacem (m), qvam iidem sibi dari petebant, cum eis in *Marca eorum* (n) mense Octobri confirmari jussit. *Annal. Bertin.* p. 183. *Eginh. Ann.* p. 269. *Vit. Lud. Pii* p. 304. *Annal. Fuldens.* p. 545.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* anno ætatis suæ vicesimo qvarto egreditur, vicesimum qvintum intrans.

An. 826.

Imperator circa Kalendas Junii (o) ad *Ingelenheim* venit, habitoqve ibi Conventu non modico, multas & ex diversis terrarum partibus missas Legationes audivit & absolvit. — *Legati* qvoqve *Filiorum Godefridi* Regis Danorum, pacis ac fœderis causa directi: Et de *Sclavorum* regionibus qvidam *Abodritorum* Primores, *Ceadragum* Ducem suum accusantes. *Annal. Bertin.* p. 183. *Eginhardi* p. 269.

Eodem tempore HERIOLDUS Rex, qvi partem tenebat *Regni Danorum* (p), classe per Rhenum advectus *Moguntiam*, in *Palatio Ingelheimensi* (q) ab Imperatore

(i) Scilicet *hujus Anni* 823.

(k) *Welanao* qvis sit locus, vid. supra p. 452. Sunt, qvi asserunt, locum *Welanao* ab Imperatore Regi HARALDO tanqvam Asylum esse donatum, ex verbis autem *Remberti* supra p. 452. alius sensus elici non potest, qvam hunc locum *Ebboni* concessum fuisse.

(l) *Epistola Eugenii* Papæ ad *Ebonem*, de Legatione ejus septentrionali, qvam *Frodoardus* p. 267. citat, vix hodie superest.

(m) In hac pace HARALDUM inclusum fuisse ac Regno restitutum credo.

(n) *Marca Danorum* videtur ad nomen Regni Danici *Danmark* alludere, licet heic significari videatur *Limes Regni Danorum ad Eidoram.*

(o) *Annales Fuld.* ap. Du Chesne T. II. p. 545. ita: „*Mense Majo* apud *Ingelenheim* habito Conventu, diversa„rum gentium Legationes auditas absolvit. Qvo tempore HERIOLDUS cum uxore, & magna Danorum „multitudine, apud *Mogontiam* baptizatus est".

(p) *Partem* scilicet *Juticæ* & forte *Jutiam australem*, qvæ hodie est *Ducatus Slesvicensis.*

(q) Vid. *Nigellus* supra p. 407. 410. & *Theganus* infra Not. (u).

excipitur, & cum *Uxore*, *Filio*, *Nepote* (r), ac magna *Danorum* multitudine, qvos ſecum adduxit, apud *Sanctum Albanum* (s) baptizatur. Imperator *Regem* de ſacro fonte levavit ſibiqve in filium (t) adoptavit, Juditha Imperatrix *Reginam* (u), Lotharius junior Cæſar *Filium Regis* (v) ſuſcepit. Imperator HARALDO multis muneribus, *Beneficio ultra Albiam* (*), & *Comitatu Riuſtri in Friſia* (x) donavit, ut eo ſe cum rebus ſuis, ſi neceſsitas exigeret, recipere potuiſſet. *Rembert.* Cap. VI. VII. *Nigellus* ſupra p. 410. 412. *Annal. Bertin.* p. 183. *Adam. Brem.* L. I. c. 15.

S. Anscharius, auctoritate Imperatoris, eligitur Apoſtolus Septentrionis, & una cum *Autberto* HARALDUM Regem, per Coloniam & Friſiam, in *Daniam* comitatur. Eo circa finem hujus anni pervenientes, apud HARALDUM & in ſancto converſionis gentis Danicæ opere, biennio aut amplius, morantur (†). *Rembert.* Cap. VI. VII.

Die 8. Septembris Anscharius viceſimum qvintum ætatis annum implevit, viceſimum ſextum incepit.

An. 827.

Anscharius & ſocius anno primo in Dania operi converſionis inſiſtunt, & pueros emunt, qvos ad Dei ſervitium educarent. HARALDUS Rex ex ſuis etiam aliqvos eis erudiendos tradit. *Scholam* (*) duodecim aut eo amplius puerorum inſtituunt. *Rembert.* Cap. VII.

Imperator duobus Conventibus habitis, uno apud *Niumagam* propter falſas HORICI filii Godefridi Regis Danorum pollicitationes, qvibus ſe illo ad Imperatoris præſentiam venturum promiſerat, altero apud Compendium. — Interea *Reges Danorum*, *Filii* videlicet *Godefridi*, HERIOLDUM de conſortio Regni ejicientes, *Normannorum finibus* excedere compulerunt. *Annal. Bertin.* p. 185. *Eginh. Annal.* p. 271. *Adelmus* ap. Freher. T. I. p. 430.

Magna

(r) Vid. *Nigellus* ſupra p. 412. 413. 420. *Joh. Iperii* Chron. ap. Martene T. III. p. 515. *Erioldus Rex Danorum, cum uxore & filiis, & magna parte Danorum, Maguntiæ baptiſantur.*

(s) Vid. *Nigellus* ſupra p. 407. Not. (z).

(t) *Ademarus* ap. Labbeum T. II. p. 159. rem hisce exponit: „EROLDUS, cum *Uxore* ſua, & *magna Dano-*„*rum multitudine*, veniens ad Imperatorem *Moguntiaco*, & apud *S. Albanum*, cum his, qvos ſecum addu-„xit, baptizatus eſt, fuitqve *Filiolus Imperatoris de fontibus*: & multis muneribus ab eo donatus, per *Fri-*„*ſiam*, qva venerat, reverſus eſt: In qva provincia dedit ei Imperator in *filiolatu* [Dan. Faddergave] unum „Comitatum, qvi *Driuſtri* [leg. Hriuſtri] vocatur". *Gvaldo* infra Cap. XII. hæc ita exprimit: *Et Pater in lavacri natalibus extitit illi.*

(u) A *Thegano* ap. Du Chesne T. II. p. 281. ita hæc narrantur: „Seqventi anno *Imperator* erat in *Palatio In-*„*gulenheim*, & ibi ad eum venit ERIOLTH de *Danis*, qvem Dominus Imp. elevavit de fonte baptismatis, „& *Uxorem ejus elevavit de fonte* Domina JUDITH Auguſta. Tunc Dominus Imp. *magnam partem Fri-*„*ſonum* dedit ei, & donis honorificis ornavit eum, & cum *Legatis ſuis* dimiſit eum ire in pace". Conf. *Nigellus* ſupra p. 412. 413.

(v) Vid. *Nigellus* ſupra p. 412.

(*) De *Beneficio ultra Albiam*, vid. ſupra p. 439. Conf. *Gebhardi* Geſchichte von Dänn. p. 384.

(x) *Aſtronomus* in Vit. Lud. Pii ap. Du Chesne T. II. p. 304. his utitur verbis: „HERIOLDUS a *Normanniæ* „partibus cum *Uxore* veniens, *Danorumqve non parva manu*, *Magontiaci apud Sanctum Albanum*, cum ſuis „omnibus ſacri baptismatis unda eſt perfuſus, plurimisqve muneribus ab Imperatore donatus: Verens au-„tem piiſsimus *Imperator*, ne ob tale factum negaretur ei habitatio ſoli naturalis, dedit ei qvendam *Co-*„*mitatum in Friſia*, cujus vocabulum eſt *Riuſtri*, qvo ſe ſuosqve, ſi neceſsitas exigeret, tuto recipere poſ-„ſet". Conf. ſupra *Nigellus* p. 420. & *Vita Anscharii* p. 439. Not. (d).

(†) Hæc ab *Adam. Brem.* p. 6. ita dantur: *Biennio in regno Danorum commorati, multos ex gentilibus ad chriſtianam fidem converterunt.*

(*) Scholam hanc *Hathehyæ* ſive *Sleſvici* fuiſſe inſtitutam, probabiliter opinatur doctiſſ. Dn. *Gebhardi* in Hiſt. Dan. p. 385.

Magna *Normannorum Clasſis* in *Galleciam* appulit (y), qvæ cum hoſtiliter omnia vaſtaret, *Ranimirus* obviam profectus, magna illos clade affecit, & *ſeptuaginta naves* incendit. Reliqvi *Hiſpalim* profecti, depopulati omnia, magnam inde prædam egerunt. In qvodam *libro vetuſto* reperi, tempore *Ordonii*, *centum naves Normannorum* in *Galleciam* veniſſe, & poſt triennium ad ſuos rediiſſe. *Jo. Vaſæus* in Hiſp. Illuſtr. T. I. p. 709.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis viceſimum ſextum complevit, viceſimum ſeptimum incipiens.

Hoc vel ſeqventi anno, *Egbertus* in Regem totius Britanniæ coronatus eſt: Edixit illa die, ut *Inſula* in poſterum vocaretur *Anglia*, & qvi *Juti* vel *Saxones* dicebantur, omnes communi nomine *Angli* vocarentur. *Annal. Winton.* in Monaſt. Angl. T. I. p. 32. Conf. *Chron. Cant.* ap. Twisden p. 2238.

An. 828.

Anſcharius & *Autbertus* HARALDUM Regem, anno ſuperiori Regno ejectum, ac, ut creditur, in *Beneficio ſuo Transalbino* ſive ultra Eidoram in *Holſatia* diverſantem, ſecuti, ibidem, & per varias forte excurſiones in *Daniam*, adhuc ſecundo anno pergunt in ſacro opere converſionis *Danorum*. Qvod *Rembertus* Cap. VII. hisce indicare videtur: „Præfati itaqve *Servi Dei* cum eo [HARALDO] poſiti, aliqvando inter *Chriſtianos*, aliqvando inter *Paganos*, conſtituti, cœperunt verbo Dei „inſiſtere, &, qvoslibet poterant, ad viam veritatis movere; multi enim exemplo „& doctrina eorum ad fidem convertebantur, & creſcebant qvotidie, qvi ſalvi fierent „in Domino".

Interea cum in *Confinibus Nortmannorum*, tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, qvam de HERIOLDI rebus tractandum eſſet (z), & ad hoc totius pene *Saxoniæ Comites* ſimul cum *Marchionibus* illo conveniſſent, HERIOLDUS rerum gerendarum nimis cupidus, *conditam & per obſides firmatam pacem*, incenſis ac direptis aliqvot *Nortmannorum villulis*, irrupit. Qvod audientes *Filii Godefridi*, contractis ſubito copiis, ad *Marcam* (a) veniunt, & noſtros [ɔ: Francos] in ripa *Eidoræ fluminis* ſedentes, ac nihil tale opinantes, tranſito flumine, adorti, caſtris exuunt: eisqve in fugam actis, cuncta diripiunt, ac ſe cum omnibus copiis ſuis in ſua caſtra recipiunt. Deinde, inito conſilio, ut ultionem hujus facti prævenirent, *miſſa Legatione ad Imperatorem*, qvam inviti & qvanta neceſſitate coacti id fecerunt, expoſuerunt:

(y) *Marima* hanc expeditionem ad An. 847. refert, & forte rectius.

(z) *Aſtronomus* in Vit. Lud. Pii ap. Du Chesne T. II. p. 306. rem taliter geſtam narrat: „Interea *Filii Godefridi* „Danorum qvondam Regis HERIOLDUM regno expulerant. Sed qvum *Imperator* & HERIOLDUM juvare vellet, & cum *Filiis Godefridi* fœdus pacis iniſſet, miſis in hoc ipſum cum ipſo HERIOLDO Co„*mitibus Saxonicis*, præcepit, ut agerent cum prædictis, qvatenus *eum in ſocietatem, ut pridem habuerant*, „*ſuſciperent*. HERIOLDUS autem harum morarum impatiens, inſciis noſtris, *aliqvas villarum illorum* „igne injecto concremavit, prædamqve abduxit. At illi putantes, hæc voluntate noſtrorum geſta, improviſis & nihil tale ſuſpicantibus noſtris ſuperveniunt, tranſitoqve *Egidora flumine*, caſtris pellunt, in „fugam compellunt, potitiqve omnium, in caſtra propria ſe recipiunt. Sed, his geſtis, cognoſcentes rei „veritatem, & verentes debitam ultionem, mittentes ad eos, qvibus talia intulerant, primum, deinde ad „*Imperatorem*, profeſſi ſunt errorem. Dehinc obtulerunt congruam vindictæ ſatisfactionem: modum autem ſatisfactionis conferentes in Imperatoris voluntatem, dummodo *firmitas pacis inconvulſa maneret*. Qvibus *Imperator* pro voto & petitione annuit". *Annales Fuld.* vero ib. p. 545. rem omnem paucis explicant: *Fœdus cum Nordmannis factum, per negligentiam ruptum, & caſtra noſtrorum a Nordmannis direpta ſunt.*

(a) ɔ: Limitem Daniæ ad Eidoram. Hujus *Danici* ſive, ut tunc a Francis dicebatur, *Normannici Limitis Cuſtos* ſine dubio fuit ille *Gluomi*, de qvo ad An. 817. ſupra Not. (y).

runt: se tamen ad satisfactionem esse paratos, & hoc in Imperatoris esse arbitrio, qvaliter (b) ita fieret emendatum, ut de re *inter partes pax firma* (c) maneret. *Annal. Bertin.* p. 185. 186. *Annal. Eginh.* s. *Laurisham* p. 271. sq.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* anno ætatis suæ vicesimo septimo completo, vicesimum octavum intravit.

An. 829.

Sub initio anni, *Autbertus*, qvum biennio & eo amplius, una cum *Anscario*, Danis convertendis insudasset, ægrotans, in *Corbeiam Novam* transfertur, ubi *tempore Paschatis* ex hac vita discedit. *Rembert.* Cap. VII.

Interim & hoc eodem veris tempore contigit, ut *Legati Sveonum* ad *Imperatorem* venientes, *Prædicatores* nomine Gentis & Regis sui expetant. *Anscharius* revocatur, duos integros annos cum dimidio emensus in *Dania*, ubi tunc sine dubio, restituto præcedenti anno HARALDO (d), morabatur. Ipse *Anscharius*, jussu Imperatoris, una cum *Withmaro*, constituto vice sua apud HARALDUM in Dania *Gisslemaro* (*), pergens in *Sveciam*, & *Mare Balticum* trajiciens in manus piratarum incidit. Autumnali primo tempore, ut puto, *Bircam* (e) post varias molestias pervenerunt, a BIÖRNONE Rege benigne excepti, qvi eis licentiam ibi manendi & Evangelium prædicandi dedit. *Rembert.* Cap. VIII. IX. X.

Imperator priusqvam ad Kalendas Julii Aqvisgrano moveret, nuncium accepit, *Nordmannos* velle *Transalbinam Saxoniæ regionem* invadere, atqve exercitum eorum, qvi hoc facturus esset, nostris finibus appropinqvare. Qvo nuncio commotus, misit in omnes Franciæ regiones, & jussit, ut summa festinatione tota populi sui multitudo (f) in *Saxoniam* veniret, indicans simul, velle se apud *Nouesium* medio Julio Rhenum transire. Sed ubi vana (g) esse compererat, qvæ de *Nordmannis* fama disperserat, medio Augusto Wormatiam venit. *Eginhardi Annal.* p. 272. *Annal. Bertin.* 186. *Ademari Chron.* ap. Labbeum T. II. p. 159.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ vicesimum octavum finivit, vicesimum nonum incepit.

An. 830.

Anscharius & *Withmarus* toto hoc anno in conversione *Sveonum* laborare pergentes, qvotqvot possunt, ad fidem Christi perducunt & baptizant. *Herigarius* Præfectus

(b) *Eginh. Annal.* ita legunt: *qvatenus ita fieret emendatum, ut de reliqvo inter partes* &c.

(c) Hac pace, licet impatientia & impetu HARALDI pene corrupta fuisset, non possum non credere, HARALDUM Regem iterum Regno sive parti suæ Regni Danici restitutum esse; pacis enim conditiones in arbitrio Imperatoris positæ erant, & Haraldi restitutio, qvæ causa belli erat, fuit pacis conditio sine qva non, ut liqvet ex testimonio Auctoris Vitæ Ludovici Pii paulo supra Not. (z) adducto, Conf. *Gebhardi* Hist. Dan. p. 385. Non ergo video, qvomodo *Grammius* noster ad Meurs. p. 115. ex Annalibus Francicis colligere possit, *HARALDUM post Annum* 828. *non rediisse in Daniam, sed in Frisia, in Comitatu Riustri sedem fixisse.* An vero demum patria, finaliter extorris, excesserit, & qvo anno hoc factum sit, mihi non constat. Nec credo, qvod nonnulli putant, HARALDUM apostatam factum esse & fidem christianam deseruisse; vix enim tum Beneficia Imperatorum retinuisset.

(d) Lege præcedentem Notam (c).

(*) *Adam. Brem.* ap. Lindenbr. p. 6. *Ansgarius assumtis secum fratribus Gislemaro & Witmaro, gaudens pervenit in Daniam, ubi relinqvens Gislemarum HARALDO, ipse cum Witbmaro in Sveoniam transfretavit.* Conf. supra p. 443. Not. (r).

(e) De *Birca*, vide supra p. 444. sq.

(f) Annal. Bertin. ita legunt: *tota populi sui generalitas post se in Saxoniam.*

(g) In *Vita Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 306. hæc ita narrantur: „Rumor erat, *Nordmannos* velle transgredi statuta pacti & proprios fines, & *Transalbinam Regionem* populari. Sed his aliter se habentibus, „Imperator secundum dispositionem loci & temporis advenit".

fectus Bircæ & Consiliarius Regis baptizatur, & paulo post *Ecclesiam* (·.·) in sua hæreditate exstruit. *Rembert.* Cap. X.

Nortmanni cum timerent *Saxoniam* intrare, reflexis navibus, ad *mare Aquitanicum* appellunt, & *Herio insulam* incendunt mense Junio, & destituta est a generali Monachorum habitatione. *Ademari Chron.* ap. Labbeum T. II. p. 159.

Armacham Hiberniæ hoc anno a *Danis* & *Norwegis* per spatium unius mensis esse occupatam, produnt Annales Hibernici. *Waræi* Hibern. Sacra p. 8.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* vicesimum nonum ætatis annum implevit, trigesimum ingressus.

An. 831.

Peracto in *Svecia* uno & dimidio anno, circa initium anni, *Anscharius*, una cum *Withmaro*, acceptis a Rege BERONE literis, redit ad Imperatorem (*). In *Conventu Aquisgranensi*, initio Februarii habito, deliberatur de voto CAROLI MAGNI implendo sive *Archiepiscopatu Hamburgensi* erigendo (h), cui *Nordalbingorum* Ecclesia & *Regiones Septentrionales* qvoad rem christianam subjacerent. Circa initium Junii, in *Conventu*, ut mea fert opinio, *Ingelheimensi* (•), *Anscharius* consecratur Archiepiscopus Hamburgensis (i). Cui tum *Cellam Turholt* (k), securitatis & commoditatis causa, *Legationi Septentrionali* perpetuo servituram, Imperator tradit. *Episcopi Bremensis* & *Verdensis*, qvorum curæ *Provincia Transalbina* commendata fuerat (l), consecrationi *Anscharii* consentiunt, postqvam Imperator ab eis *partes Parochiæ Hamburgensis*, illis olim commendatas, receperat. *Rembert.* Cap. XI. *Ludovici Dipl.* de An. 834. ap. Staphorst p. 26. *Annal. Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 296. *Vit. S. Remb.* Cap. 2. 3. *Adam. Brem.* L. I. c. 17.

Gautbertus consensu Imperatoris eligitur, & ab *Ebbone* ac *Anscario* ordinatur *Sveonibus* (m) *Episcopus*, cui ab Imperatore *Cella Welanao* (n), pro officio ac tanqvam asylum sive refectionis locus, donatur. *Gautbertus* primo autumno, ut puto, *Ebbonis* vice Legatus, in *Sveciam* mittitur. Honorifice ibi a *Rege* & populo susceptus, cœpit publice evangelium fidei prædicare (o). *Rembert.* Cap. XIII.

Anscharius ordinatus Archiepiscopus, cum Legatis Imperatoris, post consecrationem *Gautberti*, *Romam* confirmandus proficiscitur, ubi per aliqvod tempus &

(·.·) Vid. supra p. 448. Alia procul dubio Ecclesia ab ea, qvam *Gautbertus* ædificavit, de qva infra ad An. 832.

(*) *Adamus Brem.* p. 6. hæc ita habet: *Hac legationis suæ prosperitate gavisi, Corbejam novi Apostoli cum triumpho duarum gentium regressi sunt.*

(h) Vide supra p. 448. Not. (e).

(•) *Rembertus* Successor S. Anscharii etiam *Moguntiæ* consecratus est ob certas causas, vid. *Vit. S. Remb.* c. XI.

(i) Lege, qvæ hac de re scripsi supra p. 448. Legitur qvidem ap. *Adamum* L. I. c. 17. *Anscharium* Anno 833. ordinatum esse; hoc autem esse vitium librarii, & legendum esse 831. monstrat additio seqvens ex Codice vetusto Seveliano, qvæ in editis desideratur: *qui est Ludewici Imperatoris XVIII.* Annus autem 833. minime fieri potest *Ludovici XVIII.* Anno item *Willerici* Bremensis Episcopi XLIII. Si jam *Willericus* circa finem Anni 789. factus sit Episcopus, potest Annus 831. fieri Episcopatus ejus XLIII. eo modo, qvo sæpius veteres computarunt, scil. primo anno incepto, & ultimo non completo. Conf. *Vit. S. Remberti* Cap. 2. 11.

(k) De *Cella Turholt* vide supra p. 450.

(l) Post obitum *Caroli M.* his Episcopis a *Ludovico* Imp. Provincia Transalbina commendabatur, vide supra ad An. 814.

(m) *Annales Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 296. ita habent: *DCCCXXXI. Ansgarius noster Episcopus in Hammaburg designatur a Rege Lotharico, & Gautbertus in Svecia.*

(n) De *Cella Welanao*, vide supra p. 452. 454.

(o) *Remberti* Cap. XII. & XIII. ex Arnhenii & Staphorst Editionibus, Cap. VI. ex Edit. Henschenii, sed ex mea Cap. XIII. vide supra p. 454.

forte ad primum ver anni ſeqventis moratus videtur. *Rembert.* Cap. XII. *Gregorii Bulla* ap. Staphorſt. p. 31.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, trigeſimo ætatis anno completo, trigeſimum primum ingreditur. *Archiepiſcopatus* ejus *annus primus* a die 1. Junii vel circiter, Anni 831. computari poteſt.

In *Placito Theodonisvillenſi*, menſe Novembri habito, *Miſſi Danorum* de pace ad Imperatorem veniunt, & fœdere firmato, ad propria repedant. *Annal. Bertin.* p. 187.

An. 832.

Circa initium anni *Gregorius IV.* Papa *Anschario* Romæ præſenti Pallium confert, & Bullam confirmationis tribuit, eumqve, una cum *Ebbone*, *Apoſtolicæ Sedis Legatum* apud gentes *Sveonum*, *Danorum*, & *Slavorum* conſtituit. *Rembert.* Cap. XII. *Gregorii Bulla* (*) ap. Lindenbr. p. 128. Staphorſt p. 31. Act. SS. Febr. T. I. p. 406.

Gautbertus apud *Sveones* in prædicatione Evangelii pergit, & *Eccleſiam* ſive Templum, forte in vico *Birca*, fabricare cœpit (p). *Rembert.* Cap. XIII.

Pagani [i. e. Dani ac forte Norvegi] devaſtarunt *Sceapige* (q) [Inſulam Angliæ]. *Gibſon Chron. Saxon.* p. 72. *Flor. Wigorn.* p. 580.

Normanni, ex Norvegia delati, *littora Flandrica* tentaverunt, ſed & hic & ad *Seqvanæ* oſtium fortiter repulſi, tandem in *Aqvitaniam* irruperunt. Eodem tempore *Ludovicus* Cæſar atqve *Ansgarius* Archiepiſcopus Hamburgenſis, in *Flandriam* venerunt, viſitantes *Turhold* (r), Monaſterium, Archiepiſcopo ab Imperatore donatum, unde *Rembertum*, optimæ indolis magnæqve ſpei puerum, futurum Archipræſulem, *Ansgarius* ſecum duxit. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 11. b. Conf. *Vit. S. Remberti* Cap. III. V.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ triceſimum primum finivit, triceſimum ſecundum intrans. Archiepiſcopatus autem annum ſecundum a die 1. Junii inceperat.

Hoc anno & ſeqventi, *Ebbo* Archiepiſcopus negotiis politicis & perſecutione *Ludovici* Imperatoris, Benefactoris ſui, turpiter occupatus erat, partibus filiorum favens (s). *Annal. Bertin.* p. 189. *Flodoardus* Edit. Duac. p. 263. *Thegamus* ap. Du Chesne T. II. p. 282.

An. 833.

(*) Aliud etiam, forte eodem tempore, *Anschario* datum fuiſſe *Gregorii Privilegium* de donatione Cellæ *Turholt*, qvod tempore *Adami* in Eccleſia Bremenſi conſervatum fuit, teſtatur ipſe *Adam. Brem.* L. I. c. 17. Illud autem nullibi editum eſt, & vix hodie exſtat.

(p) Incertum, anne priori anno & ſtatim ab adventu *Gautberti* ſtructura templi hujus cœpta ſit. Conf. ſupra p. 455.

(q) Nomen ſcribitur alias *Scepige* & *Scapeya*, & ſignificat *Inſulam ovium*, hodie dicitur *Sclepye Island*, in agro Cantiano. Hanc vaſtationem *Matth. Weſtmon.* p. 155. ad An. 833. refert, his verbis: „Exercitus *Dano-*„*rum*, infidelium piratarum, poſtqvam apud *Dunemuthum* victi & fugati fuerunt, *Scapeiam*, i. e. ovium „inſulam, deprædati ſunt. Applicuerunt enim ibidem *Pagani* illi cum navibus 35. & ſpoliata inſula „illa, navigaverunt & applicuerunt in loco, qvi *Carrum* nuncupatur, prædis ibidem & ſpoliis vacantes, „nulli ſexui pepercerunt". Conf. qvæ infra ſub An. 833. narrantur.

(r) Ex vetuſtioribus Annalibus *Meyerus* hæc hauſerit. *Adami Brem.* verba L. I. c. 20. hæc ſunt: „Sæpe etiam „Monaſterium Galliæ, qvod dono Cæſaris poſſedit, *Turholt*, viſitans, fratribus ibidem Deo militantibus „ſalutaris regulæ tramitem verbo exemploqve monſtravit. In qvorum nobili contubernio jam tunc a „puero *Sanctus* effulſit *Rembertus*, qvem ſanctus pater *Ansgarius* adoptans in filium prophetico ſpiritu, „qvo plenus erat, longe ante prædixit illum ſuæ virtutis æmulum, & *in Cathedra Pontificali ſuccedere*".

(s) Hinc in *Annal. Bertin.* dicitur *Ebo Remorum Epiſcopus falſarum objectionum inventor & factionis velut ſignifer.*

An. 833.

Hoc & seqventibus annis; *Anscharius* in Diœcesi sua strenue officium suum Episcopale implet, nunc *Danos*, nunc *Transalbianos* visitans, & innumerabilem utriusqve gentis multitudinem traxit ad fidem. Cœpit ex *Danis* & *Slavis* pueros emere (t), aliqvos ex captivitate redimere, qvos ad servitium Dei educaret, qvorum qvosdam secum retinuit, qvosdam in *Cella Turholt* nutriendos posuit. *Rembert.* Cap. XIV. *Adam. Brem.* Ed. Lindenbr. p. 6.

Pugnavit *Ecgbryhtus* Rex [Anglorum] cum 35. *navibus piraticis*, & ibi magna strages facta est, verum *Dani* stragis locum adepti. *Heresrithus* etiam & *Wigenus*, duo Episcopi, mortem obibant, & *Dudda* ac *Osmodus*, duo Præfecti, decessisse ferunt (*). *Gibson Chron. Saxon.* p. 72. *Flor. Wigorn.* p. 580.

Die 28. Augusti, *Egbertus* Westsaxonum & *Witlasius* Merciorum Reges, cum Pontificibus & Proceribus Angliæ, *Lundoniæ* in *Concilio* congregati erant, ad consilium capiendum contra *Danicos piratas*, littora Angliæ assidue infestantes. *Dipl. ap. Ingulphum* Ed. Henr. Savile fol. 488.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis tricesimum secundum complevit, tricesimo tertio incepto. Sed a die 1. Junii *tertium Archiepiscopatus annum* cœpit.

An. 834.

LUDOVICO Imp. in Imperium restituto, *Ebbo* e Rhemensi civitate ad *Normannos* [s: Danos] fugit, qvibus a *Paschali* & *Eugenio* fuerat Prædicator ordinatus, proditus autem & interceptus est. *Flodoardus* ed. Duac. p. 267.

Hoc anno die 15. Maji, LUDOVICI Imp. Præceptum (*) de fundatione *Archiepiscopatus Hamburgensis* & constitutione *Anscharii*, Anno 831. factis, primum publicatum est, qvod antea propter exortos in Imperio tumultus expediri non potuit.

Classis de Danis veniens in *Frisiam* (u), aliqvam partem ex illa devastavit, & inde per *vetus Trajectum* ad Emporium, qvod vocatur *Doresladus* (v), venientes, omnia diripuerunt: Homines autem qvosdam occiderunt, qvosdam captivatos abduxerunt, partemqve ejus igni cremaverunt. *Annal. Bertin.* p. 190.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ trigesimum tertium supplevit, trigesimum qvartum ingressus. Et a die 1. Junii *qvartum Archiepiscopatus sui annum* egit.

An. 835.

Dum *Imperator*, in mense Junio, in *Placito Stremiacensi* moratur, *Nordmanni*, secunda irruptione, *Doresladum* irruentes vastaverunt atqve hostiliter deprædati sunt. *Imperator* autem graviter ferens, *Aqvis* perveniens, dispositia omni *maritima custodia*, Arduenna autumnalem venationem exercuit. *Ann. Bertin.* p. 191. *Fuldens.* p. 546.

Impe-

(t) Hoc etiam prima vice in Daniam veniens *Anscharius* fecerat, vid. supra p. 441.

(*) *Matth. Westmon.* p. 155. hæc ad An. 834. refert. An. 833. *Willerrus* Ep. Salisb. a *Danis* interfectus, *Godwini* Præsul. Angl. p. 331.

(*) *Ludovici Diploma* legitur in Act. SS. Febr. T. I. p. 406. ap. Lindenbr. p. 125. Staphorst p. 26. & alibi. Sed cave, ne propter interpolationes & varias lectiones, qvæ in plurimis exemplaribus occurrunt, ipsum Diploma condemnes. *Adam. Brem.* L. I. c. 17. hoc *Ludovici Præceptum* perperam ad An. 833. refert; editum enim est in Majo *Indictione XII.* qvæ in An. 834. qvadrat, & *Ludovici Imp. anno XXI.* qvi etiam erit 834. si primus & ultimus anni computentur non completi.

(u) Hæc *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 524. ad An. 833. refert.

(v) De *Doresstado*, emporio Frisiæ, & christianorum Septentrionalium Asylo, vid. supra p. 438.

Imperator limina Apoſtolorum inviſere voluit. Qvod ne fieret, irruptio *Nordmannorum* in *Friſiam* impedivit. Ad qvorum inſolentiam comprimendam pergens, miſit Miſſos ad *Lotharium*, *Falconem* ſcil. Abbatem & *Richardum* Comitem. — Illi qvidem Imperatori a *Friſia*, poſt *fugam Nordmannorum* revertenti, talia nunciant in *Franconoford* Palatio. *Vit. Lud. Pii* ap. Du Chesne T. II. p. 314.

Nordmanni Inſulam *Herenſem* invadunt (x), & *Rainaldus* ibi XIII. Kal. Sept. cum iis congreſſus, aliqva victoria potitus eſt, ut *Chron. Egoliſm.* & *Ermentarius*, teſtis oculatus, Lib. II. de Mirac. S. Filib. affirmant. *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 294.

Magnus navalis exercitus (y) appulit in *occidentales Britonas* (z), qvi cum iis in fœdere junctus contra *Ecgbryhtum*, occidentalium Saxonum Regem, prælium commiſit. Ubi is illud audiviſſet, cum exercitu adverſum eos progreditur, & cum iis pugnavit apud *Hengeſtdune*, ibiqve fugavit tum *Britannos*, tum *Danos*. *Gibſon* Chron. Saxon. p. 72. Flor. Wigorn. p. 581.

Normegi majoribus inſtructi copiis, magna claſſe appulerunt, ſub ductu *Turgeſii* (a), & *Conatiam* ferme univerſam, una cum qvibusdam *Lageniæ* & *Midiæ* partibus devaſtarunt. *Waræi Antiqv. Hibern.* p. 123.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ trigeſimum qvartum implevit, trigeſimum qvintum ingreditur. *Anno Archiepiſcopatus ſui qvinto* d. 1. Junii incepto.

An. 836.

Egbertus, Rex occidentalium Saxonum, novum *Danorum* adventantem exercitum, contritione gravi conterens, in fugam convertit. *Matth. Weſtmon.* p. 155.

In Septembri *Nordmanni* Doreſtatum & Friſiam (b) rurſum depopulati ſunt. Sed & HORICH, *Rex Danorum*, per *Legatos* ſuos in *Placito Wormatienſi* (c) amicitiæ atqve obedientiæ conditionis mandans, ſe nullatenus corum importunitatibus aſſenſum præbuiſſe teſtatus, de *ſuorum ad Imperatorem Miſſorum* interfectione conqveſtus eſt, qvi dudum circa *Coloniam Agrippinam* (d) qvorundam præſumptione necati fuerant. Qvorum necem etiam *Imperator*, miſis ad hoc ſolum Legatis, juſtiſſime ultus eſt. Peracta autumnali venatione, in *Franconofurd* Palatio, ad *Aqvisgrani* reverſus

(x) Conf. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 291. *Chron.* autem *Ademari* ibid. T. II. p. 160. ſic rem narrat: *Rainaldus Comes Arbatilicenſis menſe Septembri cum Nortmannis in Herio Inſula dimicat, & trucidatus eſt*, in ms. *fugatus*, qvod forte rectius, nam poſt aliqvot annos adhuc vixiſſe reperitur. Hanc inſulam ante viſitaverant, vid. An. 830.

(y) *Ran. Higdenus* ap. Gale T. I. p. 253. *Dani cum multa claſſe apud occidentales Britones in loco, qvi dicitur Curvâlia, applicuerunt* &c.

(z) *Wallenſes* dicuntur ap. *Matth. Weſtmon.* p. 155. qvi rem ita explicat: „An. 835. *Wallenſes* cum *Danis* junctis viribus, igne & ferro regnum *Egberti* invadentes, *caſtella* ejus & *municipia* djruere ſatagebant. Qvo „audito, Rex *Egbertus* cum exercitu copioſo hoſtibus occurrens, maximam ex obſtantibus ſtragem fecit, & „tandem *Danos*, cum *Wallenſibus*, damnoſam inire fugam coëgit, patriamqve ab hoſtium irruptione liberavit".

(a) De *Turgeſio*, vide ſupra ad An. 815. & infra ad An. 846. Fuit ille ſine dubio *Princeps* qvidam *Norvegus*, cujus nomen in patria putatur fuiſſe *Thorgils* ſive *Trygve*, aut tale qvid. Sub ſeqventis Seculi X. initiis recentior *Thorgillus*, filius magni Regis Norvegiæ HARALDI Pulchriconi *Irlandiam* hoſtiliter inviſit. Snor. Sturl. T. I. p. 113.

(b) *Iperii* Chron. ap. Martene T. III. p. 511. ſic habet: „*Normanni*, reſumtis viribus, junctis ſibi *Saxonibus* „atqve *Danis*, *Friſiam* depopulantur, & *eam ſub tributo redigunt*, anno *Ludovici* Imp. viceſimo ſecundo".

(c) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 294. putat, *Miſſos Regis Danorum*, de cæde Legatorum Regis ſui qverentes, non in eodem, ſed in alio, Conventu Imperatorem adiiſſe.

(d) De his *Legatis Danicis* ad *Coloniam* interfectis a Francis, ſine dubio intelligenda eſt hæc, in *Annalibus* Codici Concil. Bibliothecæ Colon. adjectis & nondum editis, Annotatio: *DCCCXXX. Nordmanni Colonia occiſi*; ita ut conjectura *Eckarti* Rer. Franc. T. II. p. 293. de victoria Imperatoris prope Coloniam a Nordmannis reportata debilitari videatur.

reverſus eſt, ubi etiam *Miſſi* ejusdem HORICH venerunt, qværentes ſummam eorum, qvos ipſe captos ex his interfici fecerat, qvi in noſtros fines talia jam dudum moliti ſunt. *Annal. Bertin.* p. 192.

Nordmanni Andverpam civitatem incendunt, ſimiliter & *Wittham* (e) Emporium juxta oſtium *Moſæ* fluminis, & a *Friſionibus* tributum acceperunt. *Annales Fuldenſ.* ap. Du Chesne T. II. p. 546.

Accidit qvandoqve, ut, propter multas hominum iniqvitates, *Nortmannorum gens ferociſſima* in eam regionem adveniret, omnia circumqvaqve depopularetur, *Antverpiam* inflammaret, & ubiqve luctu compleret omnia. Porro per fluvium *Schildam* ad villam *Turnimum* [nunc Doorne] pervenerunt Barbari illi, ubi erat *Monaſterium S. Fredegandi* Confeſſoris: Sed Deus propter iniqvitatem habitantium exoſus locum, reliqvias ejus juſſit alio transferri, ut nullum eſſet obſtaculum adverſus imminentem deſolationem. Iis ſublatis, tamqvam muro & propugnaculis urbis everſis, irruit *barbara gens*, & ædificia omnia, atqve ipſum Monaſterium incendit, homines partim trucidavit, partim captivos abduxit, nihil præter humum relinqvens. Inde progreſſi illi apud *Mechliniam S. Rumoldi Eccleſiam* exuſſerunt, villam & incolas gladio & igni perdiderunt. Ubi vero ad *S. Gommari Eccleſiam* ventum eſt, vires ſuas ejus meritis enervari ſenſerunt. Cum enim in Monaſterii tectum ignem injeciſſent, repulſus & extinctus eſt divinitus. Sed ea re magis inflammatus eſt furor hoſtilis. Itaqve in Templum irruunt, *Fredegerum* presbyterum, ſacrificium offerentem, ad ſacram aram crudeliter perimunt. Sed non dormitat ultio præpotentis Dei. Cum enim prædam omnem ad navim apportarent, duo Duces eorum, *Reolfus* & *Reginarius* (*), divinitus percuſſi ſunt; *Reolfus*, ventrem purgans, viſcera omnia effudit, *Reginarius* & oculis captus & dira morte extinctus eſt. Hæc ex *Geſtis S. Gummari* recenſet *Franc. Haræus* Annal. Brabant. T. I. p. 67.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius*, completo anno ætatis ſuæ trigeſimo qvinto, trigeſimum ſextum inchoavit. Verum a die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus ſextum* auſpicatus eſt.

An. 837.

Imperator, diſpoſita *Friſiæ maritimaqve cuſtodia* (f), menſe Majo ad *Theodonis villam* venit. — Ea tempeſtate *Normanni* irruptione ſolita *Friſiam* irruentes, in inſula, qvæ *Walachria* dicitur, noſtros imparatos aggreſſi, multos trucidaverunt, plures deprædati ſunt. Et aliqvandiu inibi commorantes, *cenſu*, prout libuit, exacto (g), ad *Doreſtadum* eadem furia pervenerunt, & tributa ſimiliter exegerunt. Qvibus *Imperator* auditis, prætermiſſo memorato itinere, ad *Noviomagum* Caſtrum vicinum *Doreſtado* properare non diſtulit. Cujus adventu *Nordmanni* audito, continuo receſſerunt. *Imperator* vero, generali Conventu habito, publice cum his qvæſtionem habuit, qvos principes ad eandem cuſtodiam delegaverat. Qva discuſſione patuit, partim impoſſibilitate, partim qvorundam inobedientia, eos inimicis non po-

(e) Al. *Witlam* legunt. *Haræus* Annal. Brabant. T. I. p. 67. credit legendum *Wilisham*, nunc *Geer-Vliham*. De his *Iperius* ap. Martene T. III. p. 511. *Inde* [ex Friſia] *littora Brabantiæ discurrentes Normanni, Antwerpiam & Willant juxta oſtium Moſæ fluminis incendunt Ludovici Imp. anno XXIII.*

(*) De alio Danorum Principe *Ragenario* ſive *Ragnero*, vid. infra ad An. 845. 846.

(f) Ut *Nordmannis* eo fortius reſiſteretur.

(g) Conf. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 524. *Iperii* Chron. ap. Martene T. III. p. 511. *Deinde Zelandiam aggreſſi, Wallengam* [Vallacahiam] *inſulam vaſtantes, ſub tributo redigunt Ludovici Imp. anno XXIV.* Chron. Elnon. & Tornac. ap. Martene T. III. p. 1394. 1454. hæc ad An. 839. perperam referunt.

tuisse resistere. Unde & ad comprimendam *Fresiorum* (h) inobedientiam strenui Abbates ac Comites directi sunt, & ut deinceps illorum incursionibus facilius obsisti qveat, *Classis* qvaqvaversus diligentius parari jussa est. *Annal. Bertin.* p. 192.

Prænunciavit *Imperator*, ut cum omni exercitu voluisset ire Romam cum filiis *Pippino* & *Hludouuico*. Et statuit seditiones (i) in nonnullis locis contra *Danaos* (k). Illi vero *Danai*, nave venientes ad unam sedictionem, & interfecerunt ibi innumerabilem multitudinem christianorum. Et ibi cecidit *Hemminch* (l), qvi erat ex stirpe *Danorum*, Dux christianissimus, & *Eccihardus* (m) alius Dux, & multi Optimates Imperatoris, & aliqvi comprehensi sunt, & postea redempti. Hoc audiens *Imperator*, dimisit iter, qvod prænunciatum habebat, & revertens ad prædium Gundulfi, cum omni exercitu venit *Nouiomagum castrum*, qvod situm est super fluvium Valum (n). *Thegani Append.* in Lambec. Bibl. Vindob. T. II. p. 392. *Kollarii* Analect. Vindobon. T. I. p. 597. Conf. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 300.

Northmanni tributum exactantes, in *Walchram insulam* venerunt, ibiqve *Eggihardum*, ejusdem loci Comitem, & *Hemmingum*, *Halpdani filium*, cum aliis multis, XV. Kal. Julii occiderunt, & *Doreſtadum* vastaverunt, acceptoqve a *Frisionibus* tributo, reversi sunt. *Annal. Fuldens.* p. 546.

Wulfheardus Dux depugnavit apud *Hamtun* cum *XXXIII. piratarum Classe* (*), ibiqve magnam stragem fecit, victoriamqve adeptus est. Eodem anno decessit *Wulfheardus*. Eodem anno præliatus est *Æthelhelmus* Dux cum *Denorum* exercitu in *Port*, Dorsætensibus adjutus, ac spatio temporis bene magno exercitum fugavit. *Dani* autem obtinuerunt loci, ubi facta est strages, potestatem, Ducemqve interfecerunt. *Gibson Chron. Sax.* p. 73. *Flor. Wigorn.* p. 581.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis tricesimum sextum finivit, tricesimum septimum exorsus. A Kalendis Junii *annus Archiepiscopatus ejus septimus* numeratur.

An. 838.

Hoc anno LUDOVICI Imp. XXV. & penultimo, *Willericus* Episcopus Bremensis obiit, sepultusqve est in *Domo S. Petri* die 4. Maji. Ei succesit *Leudericus*, cujus *anno III.* Ludovicus Imp. obiit. *Adam. Brem.* L. I. c. 19. 22.

Mense Majo *Noviomagum*, juxta conditum, Imperator progredi disponebat, qvatenus sua præsentia damnum, qvod annis præteritis *pyratarum importunitate* nostrorumqve desidia contigerat, vitaretur. Habitoqve *Conventu* fidelium, copiosus circa

(h) *Frisii* videntur faviisse *Nordmannis*.

(i) *Seditio*, *Sedictio*, heic loci notat *Præsidium* urbis sive castelli, qvod Danice dicimus Besætning.

(k) כ: *Danos*.

(l) *Hemmingus* ille Princeps Danus infra in Annal. Fuldens. vocatur *Halpdani filius*. An. 811. a Danis *Carolo M.* sine dubio Obses datus erat. An. 813. fratribus suis HARALDO & REGINFRIDO tunc Regibus redditus. Vide supra ad An. 812. 813. Nonne *Hemmingus* ille *Doreſtadum* tum in Beneficio habuerit?

(m) *Chron. Joh. de Beka* p. 24. ita refert: „Abcedente sancto Pontifice, *barbaræ gentes* prædictam invaserunt in„sulam [Walachriam], *Eggardim* Comitem, cum multitudine Francorum perimentes, multasqve fœmi„nas abinde captivas, cum spoliis diversæ supellectilis absportantes“. Conf. *Jac. Endii* Chron. Zeland. L. 2. c. 2.

(n) *Vahalis* fluvius, nunc *die Wael*.

(*) *Matth. Westmon.* p. 155. ad An. 838. rem sic narrat: Applicuerunt *Dani* in *Portu Hamonis*, cum navibus „33. magna comite superbia. Qvos Comes *Vlfwardus*, prælio commisso, multis ex eis millibus interfe„ctis, turpiter abire coëgit. Sed non multo post eodem anno, idem *Pagani* in ostium *Portus* appulsi, „patriam depopulari contendunt. Rumore itaqve divulgato, Dux *Æthelhelmus*, cum Dorsetensibus oc„currens, ipsos diu convertit in fugam, sed tandem inconsulte viribus utens, dum nimis cum suis inor„dinate processit, ab ipsis interfectus est“.

circa *maritima apparatus* (o) distributus est. Inter qvæ *Danorum pyratæ*, patria egressi, ortoqve subito maritimorum fluctuum turbine, vix paucissimis evadentibus, submersi sunt. — *Missi HORICI*, in Novembri, *Attiniacum* venientes (p), piratarum in Francorum fines dudum irruentium maximos a se, ob *Imperatoris* fidelitatem, captos atqve interfici jussos retulerunt, petentes insuper (q), *sibi dari Frisiamos* atqve *Abodritos*. Cujus petitio qvanto *Imperatori* indecens sive incongrua visa est, tanto vilius spreta & pro nihilo ducta est. *Amal. Bertin.* p. 193.

Herebryhtus Dux fuit occisus a *Paganis* (r), & complures cum eo in *Merscwaris*. Postea in *Lindissa*, & *orientalibus Anglis*, & *Cantwaris*, multi occisi fuerunt ab *isto exercitu*. *Gibson* Chron. Saxon. p. 73. Conf. *Ran. Higden.* ap. Gale T. I. p. 254. *Flor. Wigorn.* p. 581.

Classe sexaginta navium Nortmannos ingressos esse ostia *Boandi* fluminis (s), & alia 60. *navium* ostia *Liffii* fluminis in *Lagenia*, asserit *Colganus* ex Annal. 4. Magistror. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 123.

Hoc & seqventibus annis, *S. Anscharius Legationem* sibi creditam fideliter exsecutus, apud *Hammaburg* novellæ plantationi insudavit, doctrina oris & opere manuum exercens ecclesiam. *Adam. Brem.* Lib. I. c. 20.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* tricesimum septimum ætatis annum finivit, tricesimum octavum ingrediens. *Octavum* etiam *Archiepiscopatus annum* a Kalendis Junii inceperat.

An. 839.

Venerunt Legati Græcorum, a *Theophilo* Imperatore directi. — Qvos *Imperator* XV. Kal. Junii in *Ingulenheim* honorifice suscepit. — Misit cum eis qvosdam, qvi se, id est, *Gentem suam Rhos* (t) vocari dicebant. Qvos Rex illorum, *Chacanus* (u) vocabulo, ad se amicitiæ, sicut asserebant, causa direxerat. Petens per memoratam epistolam, qvatenus benignitate *Imperatoris* redeundi facultatem atqve auxilium per Imperium suum totum habere possent: qvoniam *itinera*, per qvæ ad illum *Constantinopolim* venerant, inter *barbaras & nimiæ feritatis gentes immanissimas* habuerant, qvibus eos, ne forte periculum inciderent, redire noluit. Qvorum adventus causam *Imperator* diligentius investigans, comperit, *eos gentis esse Svconum*, exploratores

(o) Huc pertinet, qvæ ad An. 838. referunt *Annales Fuldenses* ap. Du Chesne T. II. p. 546. *Naves contra Nordmannos ædificantur.*

(p) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 303. hæc ad An. 837. pertinere putat.

(q) Hinc constat, *Danos* olim non temere neqve ob solam prædam bella gessisse, sed terras etiam vicinas affectasse, qvas qvum præliando obtinere non poterant, eas gratificationibus ac obseqviis appetebant.

(r) *Pagani*, qvando apud veteres Anglorum Scriptores occurrunt, fere ubiqve *Danos* & *Norvegos* designant. *Matth. Westmon.* p. 156. hæc sub An. 839. refert. Idem autem vastationem *Lindissæ* sub An. 841. narrat.

(s) In Hibernia.

(t) Nuntii illi, ad Imperatorem Constantinopolitanum & ab eo ad Imperatorem Romanum missi, fuerunt ex septentrionis qvadam parte, & qvidem, ad penitiorem eorum examinationem, ex *Svecia*. Num vero nomen *Rhos*, qvo Gentem suam appellabant, aliqvid commune cum *Russorum* nomine, an cum nomine *Roslagiæ* provinciæ Sveciæ, incertum est, & ulteriori inqvisitione dignum. Ill. *Dalinus* Hist. Sv. T. I. p. 476. audacter satis asserit, illos a Sveciæ Rege SIGURDO RING emissos esse, & qvidem Anno 824. qvod est contra fidem Annalistæ Bertinienſis. De nomine *Rhos* ea est *Eckarti* Rer. Franc. T. II. p. 316. opinio. „Populi, *Rhos* dicti, jam in Sacra Scriptura memorantur, nec diversi sunt a *Russis*: Nomen vero hoc suum „traxerunt a fluvio *Rha*, qvem primitus accoluerunt, & qvem nunc *Volgam* nominamus, &c.“.

(u) *Chacanus* videtur non nomen proprium, sed appellativum fuisse, significans *Regem* aut *Principem*, qvo titulo *Chan* Tartari adhuc Principes suos nominant.

exploratores potius Regni illius noſtriqve, qvam petitores ratus, penes ſe eo usqve retinendos judicavit, qvoad veraciter inveniri poſſet, utrum fideliter eo, nec ne, pervenerint. Idqve *Theophilo* per memoratos Legatos ſuos atqve epiſtolam intimare non diſtulit, & qvod eos illius amore libenter ſuſceperit, ac ſi fideles invenirentur, & facultas absqve illorum periculo *in patriam remeandi* daretur, *cum auxilio remittendos:* Sin alias, una cum Miſis noſtris ad ejus præſentiam dirigendos, ut, qvid de talibus fieri deberet, ipſe decernendo efficeret. — Imperator, deſcriptis atqve deſtinatis, qvi cum *Saxonibus* adverſus *Danorum Sclavorum*qve, qvi ferebantur, incurſus occurrerent. — Qvidam etiam *Pyratæ*, in qvandam *Friſiæ* partem irruentes, non parum incommodi noſtris finibus intulerunt. Direxit & ORICUS *Miſſos* ad Imperatorem (v), qvendam videlicet, cujus conſiliis præ cunctis fidere, & omnia agere videbatur, & cum eo *Nepotem ſuum*, munera gentilitia deferentes, pacis amicitiæqve arctius ſtabiliusqve gratia confirmandæ. Qvibus hilariter ſuſceptis atqve muneratis, qvia propter qvædam incommoda ſuper *Friſionibus* qverebantur, duces ſtrenui deſtinati ſunt, qvi tempore conſtituto illis de omnibus juſtitiam adimplerent. — Sed & *Legati Imperatoris* ad HORICH (x) pacis gratia directi, receptis ſacramentis, indiſſolubilem pepigerunt. *Annal. Bertin.* p. 195. 196. 197.

Hoc anno (y) fuit magna cædes in *Lundonia*, & in *Cwantawic*, & in *Hrofesceaſter* (z). *Gibſon* Chron. Saxon. p. 73. *Flor. Wigorn.* p. 581.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* triceſimum octavum ætatis annum explevit, triceſimum nonum intrans. A Kal. Junii *annum Archiepiſcopatus nonum* incepit.

An. 840.

Die 20. Junii LUDOVICUS PIUS Imperator vita decedit. Poſt cujus obitum magna in Imperio perturbatio ſecuta eſt, propter qvam etiam *S. Anſchurii Legatio* labefactari cœpit. *Rembert.* Cap. XVIII.

Northmanni, in qvandam *Friſiæ* partem irruentes, non parum incommodi noſtris [ɔ: Francorum] finibus intulerunt. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 524.

Æthelwulfus (*) Rex pugnavit apud *Carrum* cum *XXXV. navibus piratarum: Dani* autem obtinebant loci, ubi facta eſt cædes, poteſtatem. *Gibſon* Chron. Saxon. p. 74. *Flor. Wigorn.* p. 581.

Anno Regni *Kennethi* Scotorum Regis ſexto (a), *Piratæ Danorum*, occupatis littoribus *Scotiæ*, *Pictos* ſua defendentes non modica ſtrage prædando maritima protriverunt. *Joh. Fordun* Scotichron. p. 285.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ triceſimum nonum attigit, qvadrageſimum ingreſſus. A d. 1. Junii *annum Archiepiſcopatus decimum* inchoaverat.

An. 841.

Lotharii Imp. anno primo, *Haſtingus*, cum innumera *Danorum* multitudine, *Franciam* ingreſſus, oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame, depopulatur. *Galliæ* itaqve *ſuperioris* finibus accenſis, *Turoniam* venit; ibiqve *Ambazia*, & univerſis;

(v) Hi Legati, ut videtur, comparuerunt in *Conventu Cavillonenſi* circa Kalendas Septembris celebrato. Tunc forte factum eſt, qvod *Mon. Sangall.* ap. Du Ch. T. II. p. 134. de *gladiis per Legatos Danicos Imperatori porrectis* narrat.

(x) Sic legendum, non *Corich*, qvod error eſt typographicus.

(y) *Aſſerii* Annales ap. Gale T. I. p. 155. hoc ſub Anno 842. narrant, Sic etiam *Matth. Weſtmon.* p. 156.

(z) Ex præcedentibus & ſeqventibus liqvet, hanc cædem ab *exercitu Danico* patratam eſſe. *Cwantawic* ſ. *Cwentavic* eadem urbs eſt qvæ *Cantvarahurh*, hodie *Canterbury*, vid. Gibſon Chron. Locor. Explic. p. 22. Non ergo confundenda cum *Qventovico* Franciæ oppido, de qvo infra ad An. 842.

(*) Idem forte eſt, qvod *Joannes Abb. Petrib.* ap. Sparke p. 13. ad An. 843. refert, his uſus verbis: *Adulphus filius Regis in bello a Danis victus eſt.* Matth. Weſtmonaſt. hæc ſub An. 844. narrat.

(a) *Kennethus* Anno 834. regnare cœpit. *Joh. Fordun* Scotichron. p. 281.

ſis, qvæ inter *Ligerim* & *Carum* fluvios continebantur, in favillam redactis, *Turonim* obſidet. Cumqve urbem crebris aſſultibus infeſtaret, *Turonici* viribus diffidentes, corpus b. Martini flentes & dolentes rapiunt, & ſuper murum, qvo belli violentior impetus erat, mortuum pro vivis propugnatorem opponunt. Virtute Sancti, *Dani* fugiunt, fugientes Turonici perſeqvuntur, ſecum corpus b. Martini cum laudibus deferentes. Sicqve pars *Danorum* gladio cadit, pars capta reducitur, pars altera fugiens ſic evaſit. *Turonici* vero cum gaudio redeuntes, in loco, qvo Sancti ſubſtitit corpus, dum *Danos* fugarent, in honore Sancti fabricaverunt *Eccleſiam*, qvæ propter belli eventum *S. Martini Bellum* ab incolis nuncupatur. — In honore vero Sancti eo die, qvo de *Danis* habuerunt victoriam, ſcil. *IV. Idus Maji*, inſtituerunt ſolemnitatem annuam celebrandam, qvam *Subventionem* proprie nuncuparunt. *Chron. Turon.* in Scriptor. Norman. p. 25.

Hoc anno, Indictione IV. qvarto Idus Maji, venerunt *Normanni*, OSCHERI (b) qvoqve Dux. Pridie Idus Maji incenſa eſt ab eis urbs *Rothomagus* (*). XVII. Kal. Junii regreſſi ſunt a *Rothomago*. IX. Kal. Junii *Gemeticum Monaſterium* igne cremarunt. VIII. Kal. Junii redemptum eſt *Fontinellenſe Cœnobium* libris VI. V. Kal. Junii venerunt Monachi de S. Dionyſio, redemeruntqve captivos ſexaginta octo *libris viginti ſex*. Pridie Kal. Junii *Pagani* mare petierunt. Obviusqve illis factus eſt *Wlfardus* Regis homo cum populo. Sed *Pagani* minime ad pugnam ſe præparaverunt. *Chron. Fontanell.* ap. Du Chesne T. II. p. 387.

Pyratæ Danorum ab oceano Euripo devecti, *Rotumam* (c) irruentes, rapinis, ferro, igniqve bacchantes, urbem, monachos, reliqvumqve vulgum & cædibus & captivitate peſſumdederunt: & omnia Monaſteria, ſeu qvæcumqve loca flumini Seqvanæ adhærentia, aut depopulati ſunt, aut, multis acceptis pecuniis, territa relinqvunt. — *Lotharius* terga vertens & Aqvasgrani perveniens, *Saxones* ceterosqve confines reſtaurandi prælii gratia ſibi conciliare ſtudet: in tantum, ut *Saxonibus*, qvi *Stellinga* (d) appellantur, qvorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cujuscumqve legis, vel *antiqvorum Saxonum* conſvetudinis, utram eorum mallent, conceſſerit. Qvi ſemper ad mala proclives, magis ritum paganorum imitari, qvam chriſtianæ fidei ſacramenta tenere delegerunt. HERIOLDO, qvi cum ceteris *Danorum maritimis*, incommoda tanta ſui cauſa, ad patris injuriam, invexerat, *Gaula Cruſalia* (e), qvæ vicina loco, hujus meriti gratia in beneficium contulit. Dignum ſane omni deteſtatione facinus, ut, qvi mala chriſtianis intulerant, iidem chriſtianorum terris & populis Chriſtiqve Eccleſiis præferrentur: Ut *perſecutores fidei chriſtianæ* (f) domini chriſtianorum exiſterent, & *dæmonum cultoribus* chriſtiani populi deſervirent. *Annal. Bertin.* p. 198.

(b) Poſtea ſub An. 851. nominatur *Hoſeri*.

(*) *Ordericus Vit.* in Script. Norm. p. 367. hæc ad An. 842. refert: *Eodem Anno*, inqvit, *Normanni Rotomagum vaſtaverunt, & Monaſterium S. Audoeni Præſulis Idus Maji ſuccenderunt.* Sub eodem anno *Hugo Flaviniac.* ap. Labbeum T. I. p. 120. ſic habet: *Normanni, aqvilonares populi, vaſtaverunt Rotomagum.* Et Chr. Rothomag. ib. p. 365. *Translatio S. Audoeni, qvando Normanni vaſtaverunt Rothomagum, ſuccenderunt Monaſterium ejus Idibus Maji.*

(c) ɔ: *Rothomagum.* Conf. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 524.

(d) *Saxones*, a fœdere cum Francis recedentes, novo ſe nomine *Stellingas* vocarunt ɔ: *reſtitutos.*

(e) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 350. *Gaula Cruſalia* corruptum putat ex *Walaxaria* vel *Walacria*. Et ni fallor recte; nam ex antiqvis Annalibus mss. Hoſpit. S. Nic. prope Cuſam *Bollandus* & *Henſchenius* T. I. Febr. p. 399. probant, HARALDUM *Anno* 841. *a Lothario Walcheram ſeu Walacras in Selandia Belgica aliaque vicina loca in beneficium obtinuiſſe.*

(f) Auctor *Lotharii* Imp. iraſcitur, qvod HARALDO & *Danis* inter ſuos terras conceſſerit, putans, eos, qvia

Die 8. Septembris *S. Anscharius* ætatis ſuæ annum qvadrageſimum implet, qvadrageſimum primum ingreditur. *Annum Archiepiſcopatus ſui undecimum* a die 1. Junii inchoaverat.

An. 842.

HERIOLDUS ceteriqve, qvos *Lotharius* Imperator ad *Moſellam* (g) reliqverat, ut fratribus ſuis tranſitum prohiberent, timore perterriti, litore relicto, fugerunt. *Nithardus* ap. Du Chesne T. II. p. 375.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis qvadrageſimum primum finivit, qvadrageſimum ſecundum incipiens. A die 1. Junii *duodecimum Archiepiſcopatus annum* agens.

Ea tempeſtate [circa Kal. Octobr.] *Normannorum Claſſis* in Emporio, qvod *Qventovicus* (h) dicitur, repentino ſub lucem adventu, deprædationibus, captivitate, & nece ſexus utriusqve hominum adeo debacchati ſunt, ut nihil in eo, præter ædificia pretio redemta, relinqverent. *Annal. Bertin.* p. 199.

Nortmanni *Cotuuig* (i) deprædati ſunt, inibiqve, mari trajecto, *Hammuig* (k) & *Nodhummuig* (l) ſimiliter depopulati ſunt. *Nithardus* ap. Du Chesne T. II. p. 377.

Circa hæc tempora *S. Anscharius*, triennio anteqvam ad *Bremenſem* regendam invitaretur *Eccleſiam*, *Viſionem de b. Petro* habuit. *Rembert.* Cap. XXX.

An. 843.

Diviſione Imperii inter Ludovici Imp. filios facta, *Cella Turholt*, qvæ in partem *Caroli* ceſſerat, *Anschario* adimitur, & a *Carolo* Rege datur *Reginario* (m) Comiti, qvi inde pueros (n), militiæ ſacræ deſtinatos, ad ſuum ſervitium abstulit. Hinc *Anscharius* cum paucis fratribus in paupertate degit, reliqvis eum relinqventibus. *Rembert.* Cap. XVIII. XXX. *Adam. Brem.* L. I. c. 23.

Normanni

qvia *Normanni* erant, etiam chriſtianorum perſecutores eſſe, neqve diſtingvens in Normannos jam chriſtianos factos, & Normannos adhuc ethnicos dæmonumqve cultores. Hinc forte qvidam anſam nacti ſunt, HARALDUM utpote apoſtatam calumniandi. *Nithardus* etiam ap. Du Chesne T. II. p. 377. hujus rei ſic meminit: „*Lodharius Nortmannos* cauſa ſubſidii introduxerat, partemqve chriſtianorum illis ſubdide„rat: qvibus etiam, ut ceteros chriſtianos deprædarent, licentiam dabat. Igitur metuens *Lodhuwicus*, „ne iidem *Normanni*, nec non & *Sclavi*, propter affinitatem, *Saxonibus*, qvi ſe *Stellinga* nominaverant, „conjungerent, regnumqve ſibi vindicaturi invaderent, & chriſtianam religionem his in partibus annu„larent".

(g) Conf. *Annales Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 199.

(h) Teſte *Eckarto* Rer. Franc. T. II. p. 361. *Qventovicus* erat oppidum Ambianenſis diœceſeos ad *Qvantiam*, prope Stapulas olim ſitum. Hujus loci vaſtationem *Chron. Fontanell.* ap. Du Chesne T. II. p. 388. 390. non recte ad An. 844. retulit: *Qventawich portum miſerabili clade devaſtaverunt Normanni.* Locus hic ratione nominis non confundendus eſt cum *Cvantavic* ſive *Cwentawic* Angliæ, Cantii urbe primaria, alias *Cantvaraburh*, hodie *Canterbury* dicta, de qva ſupra ad An. 839.

(i) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 361. *Cotwig* in Francia qværit, eundum locum putans cum præcedenti *Qventovico.* Ego potius per *Cotwig* intelligendum volo *Catwick* ſive *Katwyck* Hollandiæ vicum maritimum, haud procul Leida urbe ſitum, de qva *Jo. a Leidis* Chron. Belg. p. 88. *Cluverii* Germ. Ant. p. m. 470. *Büſchings* Geogr. T. IV. p. 94.

(k) *Eckartus* l. c. pro *Hamwig* legendum vult *Santwig*, locumqve qværit in *Santvico* oppido litorali Angliæ. Credo autem eum falli, & malo locum aliqvem Hollandiæ maritimum, nobis jam ignotum. Et nonne in *Hamvig* lateat *Amſterdami* nomen?

(l) *Nodhunwig* etiam in Anglia jacuiſſe putat *Eckartus* l. c. corruptum a *Dunwig*, hodie *Kingsdovne.* Ad meam vero mentem legendum ſit *Nordhunwig.* Idem, ni fallor, Friſiæ pagus, qvi ap. *Alb. Stadenſ.* fol. 94. b. *Nordwige* appellatur. Cluverii Germ. Ant. p. 470. *Noortwyck*, etiam hodie *Nortwyck* dictus, *Büſchings* Geogr. T. IV. p. 94.

(m) Idem forte *Reginardus* Comes inter proceres Ludovici Pii, de qvo in *Vita ejus* ap. Du Chesne T. II. p. 317.

(n) De *pueris* iſtis, qvos S. Ansgarius ex *Danis* & *Slavis* emit, ac in *Cella Turholt* ad ſervitium Dei educandos poſuit, vide ſupra ad An. 833.

Normanni (o) ſub *Bier* (p), filio Regis *Danemarchiæ*, & Magiſtro ejus *Haſtingo* (q) Franciam infeſtant, & usqve *Pariſius* navigio veniunt. *Rad. de Diceto* ap. Twysden p. 450. *Jo. Brouton* ib. p. 804.

Menſe Junio, *Normannorum ferox natio* (r) numeroſa claſſe advecti, *Ligerim* fluvium, qvi inter novam Britanniam & ultimos Aqvitaniæ fines in occiduum mergitur oceanum, ingrediuntur. Demum, dato Claſſibus Zephiro, ad *Urbem Nametícam*, impiiſtimo *Lamberto* (s) crebro exploratore præcognitam, celeri carbaſorum volatu, pariter remorum impulſu, contendunt. Qvam mox navibus egreſſi undiqve vallant, & ſine mora, nullo propugnatore, capiunt, vaſtant, diripiunt. Alii qvippe ſcalis murum ſubeunt, alii oppilatum olim additum offendentes infringunt & penetrant. Porro civitatis Epiſcopus, vocabulo *Guihardus* (t), vir innocens, & omni pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis, qvi ex vicino Cœnobio, cujus vocabulum eſt *Antrum*, ad urbem copioſum Eccleſiæ theſaurum habentes confugerant, cumqve reliqva vulgi multitudine, qvos vel metus hoſtis incluſerat, vel *Præcurſoris*, qvæ inerat, *Nativitas* (*), non ſolum ex vicinis regionibus & vicis, ſed etiam ex procul poſitis urbibus

(o) *Normanni* illi, qvi cum *Bierio* & *Haſtingo* Galliam invadebant, dicuntur *Wiſigothi* in Fragm. Mirac. S. Bercharii ap. Mabill. Act. SS. Ben. T. II. p. 846. Du Chesne T. III. p. 436.

(p) Hæc de *Bierio* Dano ad An. 851. refertur in *Chron. Isr.* ap. Martene T. III. p. 1432. niſi forte duæ diverſæ fuerint expeditiones. In *Chron. Fontan.* ap. Du Chesne T. II. p. 390. *Berno* vocatur. *Willelm. Gemmet.* Script. Norm. p. 218. vocat eum *Bier Coſte ferreæ* cum ejus pædagogo *Haſtingo*, addens rationem cognominis: Ideo *Coſta ferrea* vocabatur, *qvia non ei clypeus objiceretur, ſed inermis in acie ſtans, armorum vim qvamcunqve ſperneret illæſus, vehementiſſimis matris ejus venenis infectus.* Orderico Vitali ib. p. 458. vitio librarii *Brier* dicitur cognomento *Coſta-ferrea*, filius *Lobroci* Regis Danorum, cum *Haſtingo* nutritio ſuo. Nobis *Biörn Jernſide*, Biorno ferrei lateris.

(q) Nomen *Haſtingi* apud vetuſtos Scriptores varie ſcribitur, *Aſtingus*, *Aſtannus*, *Alſtagnus*, *Anſtignus*, *Anſtinnus*, *Haſtenus*, *Hvaſten:* De hujus Herois Danici ſive Nortmannorum Ducis rebus in Gallia, Italia & Anglia geſtis, leg. *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 41. 55. *Du Chesne* Scriptor Franc. T. III. p. 260. 436. T. IV. p. 9. *Scriptor. Norman.* p. 24. 25. 32. 63. 65. 216. 221. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. II. p. 578. 666. 846. 957. *Martene* Theſaur. T. V. p. 1073. T. VI. p. 802. *Geſta Conſ. Andeg.* ap. Acherium T. III. p. 237. 239. *Alberici* Chron. P. II. p. 69. *Gibſon* Chron. Sax. p. 92. 93. 94. *Pontani* Hiſt. Dan. p. 105. *Pontop.* Geſt. Dan. T. I. p. 117. 212. ſqq. *Haſtingi* fortitudinem in oratione ad milites ſuos laudat Wilhelmus Conqveſtor, *Jo. Bromton* ap. Twisden p. 959. Videntur autem plures uno *Haſtingi* Seculo IX. floruiſſe, niſi primus ille ad ſummam ſenectutem venerit. Qvod alio nomine *Gurmundus* dictus ſit, teſtatur *vetus Chronicon* inter Scriptor. Norman. p. 32. *Chron. Tur.* ap. Martene T. V. p. 969.

(r) Qvi hoic *Normanni*, in Chron. Aqvit. ap. Labbeum T. I. p. 291. & Chron. Engolism. ib. p. 324. *Weſtfaldingi* nominantur, ſed in Chron. Malleac. ib. T. II. p. 197. lapſu forte calami aut typorum *Winfalaingi*. Forte *Normanni* hi fuerunt ex *Weſtfoldia* Norvegiæ. Et inqvirendum, anne *Weſfaldingi* commune aliqvid habeant cum *Weſterfalk*, de qvo ſupra ad An. 813. p. 505. Conf. *Hiſt. Mon. Salmur.* ap. Martene Tom. V. p. 1083. 1095.

(s) De *Lamberto* ſ. *Lamberto*, Comite Namnetenſi, qvo exploratore uſi ſunt *Normanni*, vid. *Lupi* Epiſt. p. 128. 130. 429. Conf. Capit. Reg. Franc. T. II. p. 733. *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 197. Chron. Andegav. ib. T. I. p. 284.

(t) *Fragm. Hiſt. Armor.* ap. Martene T. III. p. 831. Epiſcopum *Gunbardum* nominat. In Notis ſeqventibus *Gunbardus* & *Guruardus* vocatur. *Gurnardus* in Scriptor. Norm. p. 32.

(*) *Fragment.* ap. Du Chesne T. II. p. 336. & *Scriptor. Normann.* p. 32. ſic rem narrat: „Cooperuerunt *Dani* „ſuperficiem terræ ſicut locuſtæ, nec erat cuiqvam hominum eos facile prohibere. Igitur *die Natalis S.* „*Baptiſtæ Joannis* urbem *Nannetícam* adorſi concremant, & *Guruardum* Præſulem ſacra Miſſarum ſolennia peragentem ſuper aram Martyris Ferreoli, qvæ eſt ad lævam *ædis b. Petri apoſtoli* matris Eccleſiæ ejusdem Civitatis, obtruncant: Deniqve, urbe ſuccenſa ac depopulata, qvaſi tempeſtas valida cœperunt hac „illacqve diſcurrere, & omnia, per qvæ vagabantur, proſternere". Hæc *Namneris urbis vaſtatio* non confundenda eſt cum illa recentiori, qvæ poſtea Anno 853. Sabbato Paſchæ accidit, licet utraqve multum ſimilitudinis habeat. *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 198. Namnetenſem vaſtationem ad An. 864. perperam refert.

bibus attraxerat, cernentes intra mœnia hoſtem, certatim cuncti ad *Templum* Apoſtolorum *Petri & Pauli*, qvod in urbe nobilius & pulchrius erat, utpote ignari certaminis, concurrerunt, obſeratisqve oſtiis ædis, ſolum qvod ſupererat cœlitus auxilium anxie flagitabant. At gentiles, effractis oſtiis, feneſtrisqve propulſis, templum feraliter irrumpunt, imbellem pariter & inermem multitudinem gladio feriunt, tantaqve crudelitate in Chriſti ſæviunt grègem, ut præter qvos ſive captivandi ſive diſtrahendi gratia in naves transtulerunt, omnem multitudinem Sacerdotum, Clericorum atqve Laicorum, cum prædicto *Antiſtite*, intra Eccleſiam gladio ſternerent. — Poſt hæc, eraſis omnibus opibus, cum gregibus captivorum utriusqve ordinis & ætatis, ad naves remeant. Ad qvorum poſtmodum redemptionem plurimum a cladis ſuperſtitibus collatum eſt. Qvibus peractis, *Cœnobium Inſularum*, de qvibus ſupra, natalitio Apoſtolorum Petri & Pauli, ſcaphis adeunt, vaſtant, incendunt. *Fragm. de Bello Britan.* ap. Du Chesne T. II. p. 386. & ap. Martene T. III. p. 831. Con. *Vit. S. Maxim.* ap. Mabill. Act. SS. Bened. I. p. 602.

Cum iſti crudeliſſimi *Normanni Urbem Nameticam*, & territorium ejus, vicos & caſtella *Metallicæ regionis*, & *Theofalgiæ*, & *Herbadilla* diſſipaſſent, oneratis navibus ſuis plurima multitudine captivorum, atqve magna congerie auri & argenti & ornamenti per alveum *Ligeris* navigantes usqve *Herio inſula* regreſſi ſunt. Et capta illa, placuit eis ſuæ rapinæ congeſtum dividere: qva in præſentia majorum & juniorum ad ripam delata, illi, viſa immenſitate pecuniæ, omnis timoris ſui principatus obliti, ut canes ad carnes vorandas, cœperunt violenter abripere: unde inter eos magna ſeditione commota, in illa die perierunt multi, voluntate divina interfecti. Captivi vero, videntes hunc turbinem, per abdita inſulæ omnes fugerunt; attamen ex his fuit unus magnæ invaſionis audax, qvi *Bibliothecam* [ɔ: Biblia ſacra], qvæ usqve hodie in Eccleſia Nannetenſi habetur, in collo ſuo accipiens fugit. *Fragm. Hiſt. Armor.* ap. Martene T. III. p. 832.

Pyratæ Nordmannorum Urbem *Nannetum* adgreſſi, interfectis *Epiſcopo* (u) & multis clericorum atqve laicorum ſexusqve promiſcui, deprædata civitate, *inferioris Aqvitaniæ* partes depopulari adoriuntur. Ad poſtremum *Inſulam* qvandam ingreſſi, convectis a continenti domibus, hiemare, velut perpetuis ſedibus, ſtatuerunt. *Annal. Bertin.* p. 200. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 524.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvadrageſimum ſecundum implet, qvadrageſimum tertium ordiens. A die 1. Junii annum Archiepiſcopatus ſui decimum tertium incipit.

An. 844.

HLUDOVICUS (v) *Obodritos*, defectionem molientes, bello perdomuit, occiſo Rege eorum *Gozzomuil*, terramqve illorum & populum, ſibi divinitus ſubjugatum, per Duces ordinavit. *Annal. Fuldenſ.* p. 549. *Annal. Metenſ.* p. 302.

LOTHARIUS Imperator ſive, ut alii malunt, LUDOVICUS Germanicus, *Rugiacenſis Inſulæ Slavos* (x), cum *tota terra ejusdem Inſulæ*, Monaſterio *Novæ Corbeiæ*

(u) *Chron. Fontanell.* ap. Du Chesne T. II. p. 388. An. 843. *Nannetes Urbem depopulati ſunt, & Gunthardum Epiſcopum martyrizaverunt.* Conf. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 366. ubi hæc irruptio *die S. Joannis Baptiſtæ* facta narratur.

(v) *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 201. paulo aliter hoc factum exponit: „HLUDOVICUS Rex Ger„manorum populos *Sclavorum* & terras aggreſſus, qvosdam in deditionem cepit, qvosdam interfecit: om„nes pene illarum partium *Regulos* aut vi aut gratia ſubegit".

(x) *Chron. Corbei.* ap. Meibom. T. I. p. 755. hæc ita refert: *Domnus Lotharius Imperator tradidit Rugiam Inſu-*

lam

Corbeiæ in honorem *Sancti Viti* (y) confert. *Dipl. Lotharii* ap. Schaten. Annal. Paderb. p. 126. *Annal. Corbei.* in Miscell. Nov. Lipsi. Vol. X. p. 402. 418.

Nomenogius Britto Cenomannos usqve pervenit. Ubi, audita *Nordmannorum* in fines ejus irruptione, redire compulsus est. — *Nortmanni Britanniam* Insulam, ea qvam maxima parte, qvam *Angli-Saxones* incolunt, bello impetentes, triduo pugnando victores effecti, prædas, rapinas, neces passim facientes, terra pro libitu potiuntur. — *Nortmanni* per *Garondam Tolosam* usqve proficiscentes, prædas passim impuneqve perficiunt. Unde regressi qvidam, *Galliciam*qve (z) adgressi,

lam cum tota circumjacente provincia. Sic qvoqve *Annal. Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 297. „DCCCXLIV. „totam *insulam Rugasencem* ob victoriam, per intercessionem *S. Viti* martyris nostri impetratam, *Lotharius* „eidem *Sancto in Corbeia*, cum omnibus rebus suis, tradit in perpetuum". *Leibnitius* heic pro *Lotharius* legendum vult *Ludovicus*, qvod etiam *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 378. Sed forte in autographo stetit *L* sive *Hl*, qvod æqve *Ludovicum*, *Hludovicum*, ac *Lotharium* sive *Hlotharium* indicare potuit. *Diploma Lotharii* de donatione illa Rugiæ, qvod *Schatenius* loco supra citato & *Strangefol* Annal. Westph. L. II. p. 136. ediderunt, falsum qvidem & fictitium judicant *Eckart* l. c. *Heumannus* de Re Dipl. Imp. p. 318. & *Scheidius* in Not. ad Orig. Guelf. T. IV. p. 353. freti fide *Annalium Bertinianorum*, *Fuldensium* ac *Metensium*, qvi solo *Ludovico* hanc Slavicam expeditionem tribuunt. Qvum vero nullum ex silentio Scriptoris tuto sumi debeat argumentum, cum *Lotharius*, fratri *Ludovico* tunc reconciliatus, eidem expeditioni interesse partemqve suam devictæ terræ obtinuisse potuerit, & cum eandem Monasterio Corbeiensi, utpote a Patre suo fundato, ac totius Septentrionis seminario, offerre potuerit, licet illud sub dominio fratris jam esset. Ipsam qvidem *Rugiæ* donationem veram esse, vix dubitari potest, an vero *Lotharius* ejus auctor sit, id est, qvod disputatur. Vetustus interim & satis gravis Historicus, *Lambertus Schasnaburgensis* ap. Pistor. T. I. p. 154. prædictam expeditionem Slavicam An. 844. factam, *Lotharii* adscribit: *Luitharius Regem Sclavorum Gestimulum occidit.* Imo *Ditmarus Merseb.* ap. Leibnit. T. I. p. 403. [si modo locus ille genuinus sit] rem adhuc enodatius explicat: „*Lotharius* Imperator venit cum orientalibus Francis in *Sclavoniam*, „& eorum Regem *Gestimulum* occidit, ceterosqve subegit, & dedit *Ecclesiæ Corbeiensi*, ipso anno dedica„tionis ejus, ut *Chronica* testatur". Ultima autem verba haud bene constant. Conf. *Chron. Qvedlinb.* ap. Leibn. T. II. p. 278. *Helmoldus* L. II. c. 12. videtur donationem Rugianam *Ludovico Pio* Imp. adscribere velle, his usus verbis: „Tenuis fama commemorat, *Ludovicum* Karoli filium olim *Terram Rugianorum* „*obtulisse b. Vito in Corbeia*, eo qvod ipse fundator extiterit Cœnobii illius: Inde egressi Prædicatores, „gentem *Rugianorum* sive Ranorum ad fidem convertisse feruntur, illicqve oratorium fundasse in honorem „*Viti Martyris*, cujus veneration Provincia consignata est". Conf. L. I. c. 6. Hæc etiam confirmat vetustior Auctor *Zarabo* in Registro bonor. Corbei. ap. Falke p. 44. his verbis: *Rugiacensis insulæ Sclavi ad patrimonium S. Viti spectant, sed ob avaritiam & insolentiam villicorum nostrorum a fide defecerunt.* Minime vero rem tetigit *Saxo* noster, qvi p. 321. donationem illam ipsi *Carolo M.* tribuit, sic scribens: *Rugiani qvondam a Carolo Cæsare expugnati, Sanctumqve Vitum Corvegiensem, religiosa nece insignem, tributis colere jussi.*

(y) Ex *Sancto Vito*, cujus cultum cum Religione christiana *Monachi Corbeienses* in *Rugiam* insulam introduxisse feruntur, *Rugiani* postea sibi *Idolum* finxerunt, cujus nomen *Zuantevith* sive *Svantovitum* appellabant. Vid. *Saxo Gr.* p. 248. Schatenii Annal. Paderb. p. 111. *Leibnit.* Script. T. III. p. 300. *Paullini* Diss. Hist. p. 46. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. V. p. 525. *Grammii* Meurs. p. 262. Evidentissime autem omnium hæc persequitur *Helmoldus* Ed. Bang. p. 21. „Tradit veterum antiqva relatio, qvod temporibus *Ludovici II.* egressi „fuerint de *Corveia Monachi* sanctitate insignes, qvi *Slavorum* salutem sitientes, impenderunt se ipsos ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratisqve multis *Slavorum* provinciis, pervenerunt ad eos, qvi dicuntur *Rani* sive *Rugiani*, & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum, & sedes idololatriæ. Prædicantes itaqve verbum Dei cum omni fiducia, *omnem illam insulam lucrati sunt*, „ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi & in commemorationem *Sancti Viti*, qvi est *Patronus Corveiæ.* Postqvam autem, permittente Deo, mutatis rebus, „*Rani* a fide defecerunt, statim pulsis Sacerdotibus atqve Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam *Sanctum Vitum*, qvem nos Martyrem ac servum Christi confitemur, ipsi pro Deo veneran„tur. — Solo nomine *S. Viti* gloriantur, cui etiam Templum ac Simulacrum amplissimo cultu dedi„caverunt &c.". Juxta *Legationem*, etiam ad gentes *Slavorum*, *S. Anschario* a Summo Pontifice An. 832. injunctam, vix dubitari potest, *Anscharium* suum fecisse ad hanc *Monachorum Corbeiensium* Missionem ad *Rugianos*. Vid. supra p. 451. Not. (a). Conf. *Chron. Episc. Mind.* ap. Leibnit. T. II. p. 161. *Henschenius* Act. SS. Febr. T. I. p. 558. hanc Missionem *Remberto* tribuit.

(z) *Fragm. Hist. Armor.* ap. Martene T. III. p. 833. „Volentes inde ad regionem suam navigare, ventus vio„lentus

partim *baliſtariorum* occurſu, partim tempeſtate maris intercepti, diſpereunt. Sed & qvidam eorum ulterioris *Hiſpaniæ* partes adorſi, diu acriterqve cum *Sarracenis* dimicantes, tandem victi reſiliunt. *Annal. Bertin.* p. 201. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 524.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, annum ætatis ſuæ qvadrageſimum tertium egreditur, qvadrageſimum qvartum orditur. *Annus Archiepiſcopatus ejus decimus qvartus* a Kalendis Junii computatur.

An. 845.

Hoc anno, Indictione VIII. *Ragnerus* (a) Dux *Nortmannorum* cum *Claſſe* ſua usqve *Pariſios* accesſit, ac in Vigilia ſanctæ Paſchæ, id eſt, XV. Kalend. Aprilis (b), urbem intravit. *Chron. Fontan.* ap. Du Chesne T. II. p. 388. 391.

Normanni per *Seqvanam* usqve *Pariſius* navigio venerunt, regnumqve *Caroli* vaſtaverunt: & tam ab ipſo qvam ab incolis terræ *accepta pecunia copioſa*, cum pace diſceſſerunt. In *Freſia* qvoqve *tribus prœliis* (c) conflixerunt, & in primo qvidem victi ſunt, in aliis duobus ſuperiores effecti, magnam multitudinem proſtraverunt. *Caſtellum* etiam in *Saxonia*, nomine *Hamaburg* (d), populati, nec inulti reverſi ſunt. *Annal. Metenſ.* ap. Du Chesne T. III. p. 302. *Annal. Fuldenſ.* ib. T. II. p. 549.

Nordmannorum naves centum viginti, menſe Martio, per *Seqvanam* hinc & abinde cuncta vaſtantes, *Loticiam Pariſiorum*, nullo penitus obſiſtente, pervadunt. Qvibus cum *Carolus* occurrere moliretur, ſed prævalere ſuos nullatenus poſſe proſpiceret, qvibusdam pactionibus & munere *ſeptem millium librarum* eis exhibito, a progrediendo compeſcuit, ac redire perſvaſit. — *Nortmannorum Rex ORICUS ſexcentas naves* per *Albim* fluvium in *Germaniam* adverſus *Hludowicum* dirigit. Qvibus *Saxones* occurrentes, commiſſo prælio, Domini noſtri Jeſu Chriſti auxilio victores efficiuntur. Unde digreſſi, *Sclavorum* qvandam impetunt & capiunt *Civitatem* (e). Annal. Bertin. ap. Du Chesne T. III. p. 201.

Contigit ex improviſo, *Piratas* advenientes *Hammaburgenſem Civitatem* navigio circumdediſſe. Qvod cum inopinate & ſubitanee accidiſſet, ſpatium non fuit pagenſes congregandi, qvippe cum & Comes, qvi eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illuſtris vir *Bernarius* tunc deeſſet. Dominus vero *Epiſcopus* (f) ibi poſitus, cum

„lentus eos coactos *Galleciam* deduxit. *Gallecii* vero ſe ab eis in fortitudine magna defendentes, omnes, „exceptis triginta navibus, interfecerunt. Qvibus inde fugatis, ipſimet a Zephyro deducti redierunt *Burdegalam*. Qva devaſtata, navigaverunt usqve *Santonas*, ubiqve magnis rapinis captis, ad *ſuam* inde *patriam* valde deſideratam remeaverunt, ſatis ditiſſimis ſpoliis onerati".

(a) *Chron. Vezel.* ap. Labbeum T. I. p. 394. *Raynerius Normannus Pariſium invadit.* De hoc *Ragnero* ſive *Rageuario*, ejusqve miſerabili morte, lege infra ad An. 846. & ibid. Not. (z).

(b) Legendum *V. Kalend. Aprilis*, o: d. 28. Martii, nam Paſcha An. 845. in *diem* 29. *Martii* incidit: Tunc contigit in Monaſterio S. Germani Miraculum, de qvo infra ſub Anno 846.

(c) *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 383. putat, hæc *prœlia* cum *Normannis* in *Ditmarſia*, *Stormaria*, *Hadelenſi tractu* & confini *Friſia*, commiſſa eſſe, præcipue vero in *Ducatu Luneburgenſi*, ubi *Saxones* eos fudiſſe credibile eſt.

(d) Annal. Fuld. legunt *Hammaburg*. Rembertus Cap. XIII. *Hammaburgenſem Civitatem*. Conf. *Lambec.* Orig. Hamb. ap. Lindenbr. p. 8. *Adam. Brem.* L. I. c. 21. ita ſcribit: *Excidium Hammaburg Hiſtoria non tacet Francorum & Privilegia Romanorum.*

(e) *Hamburgum Civitatem*, qvam ceteri Annaliſtæ nominant, hic intelligendam eſſe, qvis dubitet. Aut igitur heic pro *Sclavorum* legendum eſt *Saxonum Civitatem*, aut Annaliſta noſter aliud non ſcivit, qvam *Hamburgum* in terra *Sclavorum* ſituatum fuiſſe. *Eckartus* qvidem Rer. Franc. T. II. p. 53. 384. probare voluit, *Hamburgum* in *Slavica Albis ripa* ſitum & *Slavorum Smeldingorum caput* fuiſſe, vix autem ſuccedere eam ſententiam, oſtenſum eſt ſupra ad An. 808. 809. 810. Sunt, qvi putant, Danos tunc, præter Hamburgum, *aliam* qvoqve ex *Civitatibus Slavorum* juxta Albim poſitis, occupaſſe, qvod tamen valde incertum eſt.

(f) *Anscharius* ſcilicet.

cum his, qvi aderant in urbe ipſa, vel in ſuburbio manentibus, primo qvidem audito adventu eorum, locum ipſum continere voluit, donec majus eis veniret auxilium. Sed impellentibus *paganis*, & Civitate jam obſeſſa, cum eis reſiſti non poſſe conſpexit, qvomodo pignora ſanctarum reliqviarum aſportarentur, præparavit, ſicqve ipſe Clericis ſuis huc illucqve fuga diſperſis, etiam ſine cappa ſua vix evaſit. Populi qvoqve a loco ipſo exeuntes, & hac illacqve palantes, plurimis aufugientibus, qvidam capti, pleriqve etiam perempti ſunt. Deniqve *hoſtes*, direpta civitate, & omnibus, qvæ in ea vel in *vico proximo* erant, ſpoliatis, cum veſpertino tempore eo adventaſſent, noctem ipſam cum ſeqventi die & nocte ibi conſederunt. Sicqve, ſuccenſis omnibus ac direptis, egreſſi ſunt. Ibi *Eccleſia* miro opere, magiſterio Domini *Epiſcopi* (g) conſtructa, una cum *Clauſtro Monaſterii* mirifice compoſito, igni ſuccenſa eſt. Ibi *Bibliotheca* (h), qvam Sereniſſimus *Imperator* eidem Patri noſtro contulerat, optime conſcripta, una cum *pluribus aliis libris* igni diſperiit. Sicqve omnia, qvæ inibi aut in Eccleſiaſticis Miniſteriis, aut in aliis theſauris & facultatibus habuerat, aut deprædatione, aut igne, aut hoſtili impetu direpta ſunt, ut qvaſi nudum eum dimiſerint. Qvippe cum pene nihil exinde prius elatum ſit, nec tunc qvidem aliqvid ſubvectum, niſi qvod qvisqve fugiens caſu arreptum forſan exportare potuit. *Rembert.* Cap. XIV. *Adam. Brem.* Ed. Lind. p. 7.

Nortmanni, alveo Seqvanæ remenſo, maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vaſtant, atqve incendiis concremant. Sed licet peccatis noſtris divinæ bonitatis æqvitas nimium offenſa taliter chriſtianorum terras & regna attriverit: ne tamen etiam *Pagani* improvidentiæ aut certe impotentiæ Dominum omnipotentiſſimum ac providentiſſimum impune diutius inſimularent, cum a qvodam Monaſterio, *Sithdiu* nomine, direpto incenſoqve, oneratis navibus, repedarent, ita divino judicio vel tenebris cœcati, & inſania ſunt perculſi, ut vix perpauci evaderent, qvi Dei omnipotentis iter ceteris nunciarent. Unde, ut fertur, commotus animo Rex ORICUS, ad *Hludowicum*, Regem Germanorum *Legatos* (i) pacis gratia deſtinat, captivos abſolvere, theſaurosqve paratos pro viribus reſtituere. — Dani, qvi anno præterito *Aqvitaniam* vaſtaverant, remeantes, *Sanctonas* (k) invadunt, confligentes ſuperant, qvietisqve ſedibus immorantur. *Annal. Bertin.* p. 202.

Eanwulfus

(g) Præter *Templum S. Mariæ*, qvod CAROLUS M. *Hamburgi* ſub primordiis urbis ſtrui & conſecrari fecit, de qvo ſupra ad An. 811, videmus hic, ab *Anscario*, poſtqvam An. 831. Archiepiſcopus factus eſſet, etiam *Eccleſiam* conſtructam eſſe. Qvænam autem ea fuit, ignoratur. Miror, *Lambecium* ad hunc locum non ſatis attendiſſe, dum in *Orig. Hamb.* ap. Lindenbr. p. 7. ſic ſcribit: *Templi tunc S. Petri neqve vola neqve veſtigium exiſtit, ſed unica in urbe erat Eccleſia S. Mariæ;* credidit enim, eandem a *Carolo M.* exſtructam Eccleſiam a *Ludovico Pio* auctam & ornatam fuiſſe. Qvod tamen *Rembertus* non dicit; nam ex verbis ejus non aliud colligi poteſt, qvam qvod *Anscharius* aliam ac novam ſuo tempore conſtruxerit Eccleſiam, qvæ cum Clauſtro a Danis ſuccenſa eſt. Et cum potuerit eſſe *Templum S. Petri*, cum *Sanctus Petrus* ex præcipuis S. Anſcharii Patronis etiam ab adoleſcentia fuiſſet, vid. *Rembert.* Cap. II. XXX. XXXIV.

(h) Forte per *Bibliothecam* heic intelligenda *Biblia Sacra*, qvo ſenſu vox ſæpius apud veteres occurrit. *Adamus Brem.* autem Cap. XXI. loqvens de *Bibliotheca ſummo ſtudio collecta*, vocem ſenſu ordinario de *libraria* ſive *librorum collectione* accepit.

(i) Annales Metenſ. p. 302. & *Fuldenſ.* p. 549. ita narrant: „In autumno, in *Saxonia*, in *Padrabrunno* Gene„rale Placitum habuit *Ludovicus*, ubi fratrum ſuorum, & *Nortmannorum*, *Sclavorum* qvoqve, & Bulgaro„rum *Legationes* ſuſcepit, audivit & abſolvit".

(k) *Chron. Aquitan.* ap. Labbeum T. I. p. 291. *Sigenus* Comes a *Nortmannis* capitur & occiditur, & *Santonas urbs* concrematur, theſauris ejus optimis exportatis. Conf. ad An. ſeqv. 846.

Eanwulfus Præfectus pugnavit cum Sumurſætenſibus, & *Ealchſtanus* Epiſcopus, ac *Osricus* Dux una cum Dorſætenſibus, prœliati ſunt ad *Pedridæ oſtium* cum *Danorum exercitu* (l), ibiqve magnam ſtragem fecerunt, & victoria potiti ſunt. *Gibſon* Chron. Saxon. p. 74. *Matth. Weſtmon.* p. 156. *Flor. Wigorn.* p. 582.

Norwegi diripuerunt & incenderunt *Clonmacnoiſam*, *Clonfertam*, *Loghram*, & *Tirdaglaſſam* (m). Porro circa eundem annum *Turgeſius* (n) *Melachlini* ſeu *Melſechlini* Regis Midiæ filiam deperiiſſe fertur. Rex ille, virus ſub pectore verſans, filiam ſuam illi concedens, ad inſulam qvandam Mediæ, ſcil. de *Loch-vair* (o), illam cum 15. puellis egregiis ei miſſurum ſe ſpopondit. Qvibus & *Turgeſius* gaviſus, cum totidem nobilioribus gentis ſuæ, ſtatuto die & loco obviam venit, & invenit in inſula 15. adoleſcentes imberbes, animoſos, & ad hoc electos, ſub habitu puellari dolum palliantes, cultellis, qvos occulte ſecum attulerunt. Statim inter amplexus *Turgeſius* cum ſuis occubuit (p). — Fama tum pernicibus alis totam ſtatim Inſulam pervolante, & rei eventum, ut aſſolet, divulgante, *Normegienſes* ubiqve truncantur, & in brevi, omnes omnino, ſeu vi, ſeu dolo, vel morti traduntur, vel iterum *Norwegiam* & *Inſulas*, unde venerant, navigio adire compelluntur (q). — Qvæſiverat autem a *Turgeſio* Midenſium Rex, & in dolo, qvonam tenore vel arte aves qvædam, in regnum nuper advectæ, terræ toti patriæqve peſtiferæ, deſtrui poſſent & deleri. Cumqve reſponſum accepiſſet, nidos eorum ubiqve deſtruendos, ſi jam forte nidificaſſent [de *Caſtellis Normegienſium* hoc interpretantes]. Mortuo *Turgeſio*, in eorum deſtructione *Hibernienſes* per totam inſulam unanimiter inſurrexerunt. *Annos* igitur *circiter* 30. *Normegienſium* pompa & *Turgeſii* tyrannis in *Hibernia* perduravit (r), & deinde *gens Hibernica*, ſervitute depulſa, & priſtinam libertatem recuperavit, & ad regni gubernacula denuo ſucceſſit. *Silv. Giraldi* Topogr. Hibern. ap. Camden. p. 748. 749. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 124. ſq. *Jo. Bromton* ap. Twisden p. 1074.

Gautbertus, *Sveonum Epiſcopus*, in conſpiratione populari, *Nithardo* nepote ejus gladio peremto, cum ceteris ſociis, ligatus, ſpoliatus, & e regno expulſus. Exinde *Sveonia* caruit ſeptennio ſacerdotali præſentia. Qvo tempore AMUNDUS regno pulſus, in chriſtianos movit perſecutionem. *Herigarius* vero *Bircæ* Præfectus chriſtianitatem ibi ſolus ſuſtentavit. *Remb.* Cap. XV. XVI. *Adam. Brem.* L. I. c. 21.

Anscharius, vaſtata Eccleſia ſua Hamburgenſi, exul Bremam venit, ex ea urbe a *Leuderico* Epiſcopo, qvi doctrinæ ac virtutibus ejus invidit, expellitur. *Ramesloa*, prædium in Epiſcopatu Ferdenſi tribus raſtis ab Hamburgo poſitum, ei ab *Ikia* pia matrona in ſolatium datur. *Adam. Brem.* L. I. c. 23. *Hiſt. Arch. Brem.* p. 70.

Hoc anno, die 24. aut. 25. Auguſti, ut puto, *Leudericus* Epiſcopus Bremenſis, anno *Ludovici Germanici* ſexto, Epiſcopatus ſui octavo, moritur, & *Eccleſia Bremenſis diu viduata permanſit.* Adam. Brem. L. I. c. 20. 22. 23.

Die

(l) Conf. *Matth. Weſtmonaſt.* p. 156. *Johannes* Abb. Petriburg. ap. Sparke p. 14. hæc ad Annum 847. refert.

(m) In Hibernia.

(n) *Turgeſii Norwegi* primus in Hiberniam adventus ad An. 815. refertur. Ille circa vel ante Annum 840. *Faranganum* Archiepiſcopum Armachanum ſede ſua expulit, *Waræi* Hib. Sacr. p. 8.

(o) Pro *ſcil. de Loclvair* Giraldus legit *in ſtagno ſcilicet Lochyreno*, Bromton vero *apud ſtagnum Lachermum.*

(p) Auctor Annalium Ultonienſium, de dolo eo tacens, *Turgeſium* a *Melachlino* Rege captum fuiſſe & in prædicto ſtagno ſubmerſum tradit, *Waræi* Ant. Hib. p. 124. *Rod. O Flaherty* Ogyg. p. 426. hoc ad An. 846. refert, dicens: *Turgeſius Danorum Dux in Hibernia ſubmerſus.*

(q) Proxime ſeqventibus annis & præcipue An. 848. Dani & Norvegi ab Hibernienſibus vincuntur & expelluntur.

(r) Si *Turgeſii* Dominium circiter triginta annos in Hibernia duraverit, neceſſe eſt, eum eo adventaſſe circa Annum 815. ut ſupra notatum eſt.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis qvadrageſimum qvartum implevit, qvadrageſimum qvintum ingreſſus. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus qvintum decimum* inceperat.

In *Concilio Paderbornenſi*, initio Decembris habito, *Ludovicus* Rex, ut *Anschario* ſolatium ſubſiſtendi facere poſſet, proponit qvæſtionem de *Bremenſi Eccleſia Anschario Hamburgenſi Archiepiſcopo* concedenda (s). *Rembert.* Cap. XIX.

In eodem *generali Placito Paderbornenſi* Ludovicus Rex, inter plures, Legationem etiam *Normannorum* ſuſcepit, audivit & abſolvit. *Annal. Fuldenſ.* p. 549. *Metenſ.* p. 302.

An. 846.

Pyratæ Danorum, *Freſiam* adeuntes, provincias & eccleſias vaſtaverunt, & populum in eis occiderunt. Qvod audientes *Flandrenſes*, vicinarumqve urbium Pontifices & Abbates, cum Sanctorum ſuorum reliqviis (t) ad *Sanctum* venerunt *Audomarum*, qvia muro valido & turribus atrium ejus divina providentia munitum erat. Iſti ſunt *Sancti*, qvi propter perſecutionem illam pervenerunt ad idem caſtrum: Sancti, *Bauo*, *Wandregiſilus*, *Ausbertus*, *Wlframnus*, *Waſulphus*, *Piatus*, *Baimus*, *Winnocus*, & *Auſtreberta* virgo, & qvadraginta annis eorum aliqvi ibi permanſerunt. Eodem anno *Northmanni Friſiam* adeuntes, recepto pro libitu *cenſu*, pugnando qvoqve victores effecti, provincia potiuntur. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. *Annal. Bertin.* p. 202.

Deddo, religioſus Pater, a *Werino* Abbate Corbeienſi, cum *Ailboldo* Monacho, ad *Northmannos* miſſus (u). *Annales Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 297.

Ludovicus Germaniæ Rex *Kobbonem* (v) aliosqve ad *Nortmannorum Principem* (x) HORICH *Legationis* (y) cauſa direxit. Illi tum audiverunt, qvomodo *Ragenarius* (z) Danorum Dux, qvi *Monaſterium S. Germani Pariſienſe* (a) infeſtaverant, de geſtis ſuis coram HORICHO Rege gloriatus eſt, ſed maximis cito tormentis

 afflictus,

(s) Hinc forte factum eſt, ut *Annales Corbei.* ap. Leibnit. T. II. p. 297. ad An. 845. hæc referant: *Anscharius ſimul ſit Epiſcopus Bremenſis*, licet primam tantum propoſitionem eo anno factam putem.

(t) *Jac. Meyeri* Annal. Flandr. p. 12. „*Corpora Sanctorum Bauonis & Phalaridis* Enkericus Abbas Gandenſis ac „Frangerus Prætor, *metu Normannorum*, transportaverunt ad Caſtrum Fani Audomari, qvod Sacellum Co„mitis appellabatur, nunc autem *Templum* eſt *dicti Donatieni* Brugenſis, *Sithiu* tunc dictum". Poſtea Laudunum translata, ib. ad An. 853.

(u) De hac *Deddonis ad Northmannos ſive Danos miſſione* nulla apud alium aliqvem Auctorem mihi mentio occurrit. Suſpicio autem mihi orta eſt, nonne pro *ad Normannos* legendum eſſet *ad Slavos*, *Rugianos* ſcilicet, ad qvos, ſupra ad An. 844. monſtratum eſt, *miſſos fuiſſe Monachos prædicatores ex Coenobio Corbeienſi*, & qvidem, ut haud improbabile eſt, inſtinctu *S. Anscharii*.

(v) *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 391. *Legationem hanc Cobbonis* ad Annum ſeqventem 847. refert ac forſan recte. *Cobbo* erat Dux Saxoniæ occidentalis, frater *Warini* Abbatis, filius *Eberti* Comitis & S. Idæ, idem qvi, una cum *Gautherto Sveonum Epiſcopo*, fuit *Adminiſtrator Epiſcopatus Osnabrugenſis*, vid. *Eckart* ibid. p. 261. 274. 362. 384. 398.

(x) Imo *Regem Danorum* ſive potius *Regem Jutiæ auſtralis ERICUM I.*

(y) Hanc *Cobbonis Comitis Legationem* Schatenius Annal. Paderb. p. 130. factam vult *in Gallias* ad *Roricum Nortmannorum Ducem* ibi exiſtentem, cum tamen textus hujus Anonymi clare loqvitur de *patria Horichi* & *Ragenarii*, videlicet *Dania*. Qvæ diſſenſio ex ſimilitudine nominum *Horich* & *Roric* orta videtur. Ap. *Aſtronomum* Edit. Freheri p. 476. pro *Horico* male legitur *Boricus*.

(z) Idem *Ragnerus*, de qvo ſupra ad Annum 845. Qvis hic fuerit, incertum eſt. HORICI Danorum Regis Vaſallus & Propinqvus procul dubio fuit. *Fratrem Horici* illum fuiſſe ſuſpicatur *Henſchenius* Act. SS. Febr. T. I. p. 399. qvod nec *Grammio* in Not. ad Meurſ. p. 122. improbabile erat. Minime idem fuit cum juniore *Regnero Lothbrok*, qvod opinatur *Pontopp.* Veſtig. Dan. T. I. p. 229. Ille enim diu poſt vixit, nec in Dania nec tali mortis genere occubuit, ut docent Scriptores veteres tam Angli qvam Islandi. De alio Dano Principe *Reginario* nomine, vid. ſupra ad An. 836.

(a) Infeſtatio illa anno ſuperiore 845. facta eſt.

afflictus, miserrimo mortis genere consumtus est. Ceteri etiam in *patria* morbis perculsi perierunt, præter eos, qvos HORICH postea jussit occidi; timens enim ipse, ejusqve Optimates, & populus pariter universus, hujusmodi morte pessima damnari, præcepit omnes, qvi residui erant, exceptis paucis fuga lapsis, decollari, eorumqve capita, veluti satisfaciens morbo, christiano, qvi captivus illic erat, populo tradi. Insuper jussit, cunctos captivos, qvi christianitatis vocabulo censerentur, in regno suo perqviri, eosqve cum libertate & honore in suam patriam reverti. *Fragm. de Norm.* ap. Du Chesne T. II. p. 656. sq. *Aimoinus* de Mirac. S. Germ. ap. Mabill. Act. SS. Ben. T. IV. p. 108. sq.

Nortmanni, mense Julio, *Herio Insulam* (b) succendunt. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 292.

Siguinus Comes (c) Burdegalensis & Santonicensis a *Nortmannis* captus & occisus est, & *Santonas* urbs a *Normannis* concremata est, thesauris ejus optimis exportatis. *Ademarus* ap. Labbeum T. II. p. 161.

Ex Gallia validæ Classes [Normannorum] per hæc tempora missæ, maritimas *Hispaniæ* (+) urbes omni injuria belli vexarunt, ac primum *Galæciæ* oram universam infestam reddentes, & ad *Brigantinum portum* appulsi, *Ramiri* armis victi prælio, atqve ad mare rejecti sunt, *septuaginta naves* qva captæ, qva submersæ in navali pugna. Auctor *Rodericus* Præsul. Numerus vix fidem facit. Nam qvi cladi superfuerunt, *Nerio* (d) *promontorio* superato, ad *Tagi ostium* invecti, *Olisponem* urbem, qvæ ad *Maurorum* ditionem redierat, omni belli injuria fatigarunt. *Jo. Mariana* in Hisp. Illustr. T. II. p. 416.

Hoc anno mortuus creditur notissimus *Danorum Rex HARALDUS KLAK* (*), qvi Moguntiæ baptizatus erat, qvod ex vetustioribus Annalibus annotarunt *Petrus Olai* supra p. 172. *Hvitfeldius* p. 29. Conf. *Grammii* Meurs. p. 115. *Torfæi* Ser. p. 416. & infra ad An. 850.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ qvadragesimum qvintum absolvit, qvadragesimum sextum inchoavit. A Kalendis Junii *annum Archiepiscopatus decimum sextum* ingressus.

Hoc anno, ut puto, & qvidem circa finem anni, aut minimum ineunte anno seqvente, LUDOVICUS Rex, Hamburgensis Ecclesiæ desolationem miseratus, *Anshario* diu resistenti donavit *Episcopatum Bremensem.* Præfuerat tum Archiepiscopatui XVI. annos, & vixit postea XVIII. annis. *Adam. Brem.* L. I. c. 25.

S. Anscha-

(b) *Chron. Rich. Pictav.* ap. Martene T. V. p. 1165. hæc ita narrat: „*Normanni Herio Insulam*, qvæ est in pago „Pictavensi, facta per mare irruptione, succendunt, qvæ destituta est a generali monachorum habitatione. „Ibi enim Domnus *Carolus* Imp. fecerat Monasterium S. Philiberti. Unde his temporibus corpus S. Phi„liberti *Normannorum* infestatione de *Herio Insula* effoditur VIII. Idus Julii, & in Burgundiam a Mona„chis defertur". *Hanc Insulam* Normanni sive Dani sæpius hostiliter invisserunt, vid. supra ad An. 830. 835. & Anno seqv. 847.

(c) *Lupi Epist.* ed. Baluzii p. 64. de his ita: „Qvidam de *Aqvitania* venientes, *Nortmannos* inter *Burdegalam* & „*Santones* his diebus fecisse retulerunt, & nostros, pedestri cum eis prælio congressos, & miserabiliter, „nisi qvos fuga eripere potuit, peremptos. In qvo bello comprehensum Ducem Vasconum *Siguinum* & „peremptum, etiam jurando testati sunt". *Chron. Rich. Pictav.* ap. Martene T. V. p. 1165. *Burdegalensem* & *Xantonensem* duos Comites facit, qvod minus rectum videtur.

(+) Conf. *Petri de Marka* Marca Hispanica p. 327.

(d) Nescio, an ex hoc promontorii nomine *Nerio* veteres Septentrionales, in Mare Mediterraneum navigantes, mutuati sint nomen illud *Norva* sive *Niorva Sund*, qvo *Fretum Gaditanum* nuncupaverunt.

(*) *HARALDUM morbo decessisse*, perhibet Auctor Vit. Ol. Trygg. vid. *Torfæi* Ser. p. 405.

S. Anscharius in supradicto prædio *Rameslоa* (e) Cœnobium constituit, ubi gregem sacrum, Hamburgo profugum, collegit, reliqviasqve Sanctorum locavit, cui rei *Waldgarius* Episcopus Ferdensis admodum contrarius extitit. *Adam. Brem.* L. I. c. 23. 29. *Herm. Corner.* ap. Eccard. T. II. p. 458. *Nicolai Bulla* de An. 858. ap. Staphorst p. 55.

An. 847.

In *Conventu Marsnensi* (f), a tribus Fratribus, LOTHARIO Imperatore, LUDOVICO & CAROLO Regibus, habito, Articulo XI. statutum est: *Ut ad Regem Nordmannorum Legati mittantur* (g), *qvi eum contestentur, qvod aut pacem servare studebit, aut communiter eos infensos habebit.* Capit. Reg. Franc. T. II. p. 42.

Northmanni IV. Kal. Aprilis *Deas Monasterium* succendunt. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 291.

Sergius II. Papa, paucis ante obitum diebus, mense Aprili, *S. Anschario* jura Archiepiscopatus Hamburgensis, Legationem gentium septentrionalium, & usum *Pallii* confirmat, *Mitram* (i) simul deferendam & *Crucem* ante se portandam concedens. *Sergii Bulla* ap. Staphorst T. I. p. 38.

Anscharius ex Ramesloa Cœnobio, ubi cum sociis suis jam morabatur, hoc & seqventibus annis, *Ecclesiam* suam *Hamburgensem* visitavit, *Nordalbingos* in fide reformavit, qvos ante persecutio turbavit. Tunc qvoqve *Prædicatores in Daniam misit.* Adam. Brem. L. I. c. 23.

Dani (k) partem inferioris Galliæ, qvam *Britones* incolunt, adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant. *Nomenogius*qve (l) victus, cum suis fugit. Dein per Legatos *muneribus* a suis eos sedibus amovit. — *Scotti* (m) a *Normannis* per annos plurimos impetiti, tributarii efficiuntur: *Insulis circumqvaqve positis*, nullo resistente, *immorantes.* HLOTARIUS, HLODOWICUS, & CAROLUS, *Legatos* (n) ad ORIC *Danorum Regem* destinant, mandantes, ut suos christianorum infestationibus cohiberet, sin alias, bello se impetendum nullatenus dubitaret. — *Dani Aqvitaniam maritimam* impetunt & prædantur, urbemqve *Burdegalam* diu oppugnant. Alii qvoqve *Danorum* (o) Emporium, qvod *Dorostadum* dicitur, & *Insulam Batavam* occupant atqve obtinent. *Annal. Bertin.* p. 203.

Nortmanni

(e) *De Eccles. Saxon.* ap. Leibnit. T. I. p. 261. *An.* 846. *Sanctus Ansgarius Episcopus Hamburgensis Ecclesiam Rameslaw fundavit.*

(f) Conventus ille habitus est in loco *Marsna* prope Trajectum An. 847. mense Februario, hebdomade secunda Qvadragesimæ, *Lupi* Epist. Ed. Baluz. p. 101. 392.

(g) Hos Legatos ad *Regem Danorum* aliqvanto post missos fuisse, testatur non modo *Annalista Bertin.* ad An. 847. sed etiam hæc *Ludovici Annuntiatio* Capit. Reg. Franc. T. II. p. 43. *Sciatis, qvia communiter Missos nostros ad Nordmannos pro pace accipienda mittimus.*

(h) *Chron. Rich. Pictav.* ap. Martene T. V. p. 1165. hoc *Monasterium de Oias Insula* vocat.

(i) *Mitræ* usus cuivis Episcopo citra privilegium olim non fuit licitus. *Mitram* alii *Cidarim*, alii *Laminam* vocant, vid. *Pagi* Breviar. T. II. p. 70.

(k) *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. hæc ad An. 846. refert.

(l) *Nomenogius* s. *Nomenoius* erat Dux Britannorum, qvi An. 843. a Karolo Francorum Rege defecerat, & a suis *Rex* salutatus est. A Synodo Turonensi ap. Lupum Epist. LXXXIV. *Prior gentis Britannicæ* dicitur, *Sirmondi* Opera T. III. p. 38.

(m) Hæc in *Chron. Normann.* l. c. ad Annum 846. referuntur.

(n) *Eckhrtus* Rer. Franc. T. II. p. 391. & forsan recte, hanc eandem putat fuisse *Kollonis Comitis Legationem*, de qva supra ad An. 846.

(o) *Annal. Fuld.* ap. Du Chesne T. II. p. 549. *Nordmanni Dorestatum incendentes vastaverunt.*

Nortmanni Herio Insulam (p) menſe Junio concremarunt. Et his temporibus diffuſi ſunt per *Aqvitaniam;* qvia Duces ejus inter ſe bellis ceciderant, nec erat, qvi eis reſiſteret, & maxime, qvia *noſtri Claſſem non habebant ad tutelam oræ maritimæ.* Et concrematus ab eis menſe Majo *Luciomus* (*), & menſe Junio *S. Florentii Monaſterium.* Deinde concrematæ ſunt ab eis *Nametenſis Civitas, Monaſterium Deas, Burdegala, Santonis, Egolisma, Lemovicas, Pariſius, Turonis, Belvagus, Noviomagus, Aurelianis, Pictavis,* & innumera *Monaſteria* & *Caſtella* deſtructa. *Ademari* Chron. ap. Labbeum T. II. p. 161. *Chron. Malleac.* ib. p. 198.

Aucti Claſſe & viribus [Normanni], *Hiſpalim* obſederunt. *Gaditanos agros* & *Aſſidoniæ* fines vaſtarunt, hominum & pecorum prædæ abactæ. Mauri tribus præliis magno numero cæſi. Ad extremum, cum diutius iis in locis conſediſſent, nunciatumqve eſſet, *Abderrahmanum* Regem (q) novam Claſſem comparare, magna gloria parta, ſpoliisqve onuſti, ex *Hiſpania* deceſſerunt. *Jo. Mariana* in Hiſp. Illuſtr. T. II. p. 416.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, anno ætatis ſuæ qvadrageſimo ſexto finito, qvadrageſimum ſeptimum exorditur, ſed a Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus decimum ſeptimum* ingreſſus.

Initio menſis Octobris, in *Concilio Moguntienſi primo*, deliberatum eſt (r) ſed non omnino diffinitum de unitione *Bremenſis* & *Hamburgenſis* Eccleſiarum. Rembert. Cap. XIX.

In eo provinciali Concilio ipſe *Anscharius*, ut deſignatus Epiſcopus Bremenſis, una cum *Ebbone* tum Epiſcopo Hildesheimenſi & ceteris Coëpiſcopis, præſens aderat. *Binii* Concil. T. III. P. I. p. 372. *Falkenſtein* Cod. Dipl. Nordgav. Append. p. 26.

An. 848.

CAROLUS Rex cum Francis Aqvitaniam ingreſſus, ſuper fluvium *Dordona novem naves Danorum* cepit, interfectis pyratis earum, in diebus Qvadrageſimæ. Eodem anno *Nortmanni Burdegalim* urbem ceperunt, & Ducem ejusdem *Guilhelmum* noctu. *Chron. Fontan.* ap. Du Chesne T. II. p. 388. 390.

CAROLUS *Normannorum*, *Burdegalam* oppugnantium, partem aggreſſus, viriliter ſuperat. *Dani Burdegalam* Aqvitaniæ, *Judæis* prodentibus, captam depopulatamqve incendunt. — *Nortmanni Metallum* (s) vicum populantes, incendio tradunt. *Scotti* (t) ſuper *Normannos* irruentes, auxilio Domini noſtri Jeſu Chriſti victores, eos a ſuis finibus propellunt. *Annal. Bertin.* p. 203. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525.

Prælium

(p) Iteratam ac diverſam hanc fuiſſe hujus Inſulæ vaſtationem ab illa prioris anni, liqvet ex *Chron. Rich. Pictav.* ap. Martene T. V. p. 1165. ubi res ita deſcribitur: „His temporibus *Normanni* diffuſi ſunt per *Aqvitaniam*, qvia Duces ejus regionis inter ſe bellum deciderant, nec erat, qvi eis reſiſtere poſſet. Ideo concrematæ ſunt ab eis iterum *Herio Inſula*, & Monaſterium *de Oias Inſula*, *Burdegala*, *Xantonas*, *Engolisma*, *Lemovicas*, *Pictavis*, *Andegavis*, *Turonis*, *Aurelianis*, *Pariſius*, *Belvagus*, *Noviomus*, & innumera *Monaſteria* & *Caſtella* deſtructa". Conf. ad An. 846.

(*) *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 292. hæc ad An. 853. refert.

(q) *Abdirhaman* Rex Sarracenorum nominatur ad An. 847. in *Annal. Bertin.* ap. Du Chesne T. III. p. 202.

(r) Negotium hoc jam Anno 845. in Concilio Paderbornenſi propoſitum, & Anno 846. Anschарium a Ludovico Rege deſignatum eſſe Epiſcopum Bremenſem, opinor.

(s) *Metallus* vicus alias *Metullus* ſive *Medolus*, nunc *Melle* dictus, in Comitatu Pictavienſi jacet, ibi tempore *Caroli M.* plures Nummi cuſi ſunt, vid. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 396.

(t) Per *Scotos* intelligi *Hibernos*, docet *Uſſerius* Antiqv. Eccl. Brit. p. 447. De Hibernorum victoriis, a Danis reportatis, vid. qvæ ex *Waræo* allegantur.

Prælium inter *Melachlinum* Regem Hiberniæ & *Danos*, *Fouræ* commiſſum eſt, in qvo 700. Danis occiſis, victoria *Melachlino* cesſit. In prælio itidem ad Scianaght, ab *Olcobaro*, Rege Caſſeliæ (u), & *Lorcano* filio *Kellachi*, Rege Lageniæ, cæſi ſunt e *Danis* 1200. ac in duabus aliis pugnis, ante finem anni, ceciderunt circiter 1700 (v).

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvadrageſimum ſeptimum egreditur, qvadrageſimum octavum incipiens. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus decimum octavum* ingreditur.

Circa Kalendas Octobris LUDOVICUS generale Placitum habuit apud *Mogontiacum*, in qvo *Legatos* Fratrum ſuorum & *Nordmannorum* Sclavorumqve ſuſcepit, audivit & abſolvit. *Annal. Fuld.* ap. Du Chesne T. II. 550.

Initio Octobris, in hoc *Concilio Moguntienſi altero* (x), unitio *Bremenſis* cum *Hamburgenſi* Eccleſia, conſenſu Regis & Epiſcoporum, ac placato Epiſcopo Ferdenſi, approbata eſt. *Rembert.* Cap. XIX.

Hoc anno, ex mea computatione, *Fridburgis* matrona Svæca emit vinum ad ultimum viaticum. *Rembert.* Cap. XVII.

An. 849.

Menſe Martio, *Leo IV.* Papa *S. Anscharii* Legationem Septentrionalem, uſum Pallii, Mitram, Crucem, & alia Archiepiſcopatus Hamburgenſis jura confirmat. *Leonis Bulla* ap. Lindenbr. p. 127. & Staphorſt T. I. p. 39.

S. Anscharius, anno LUDOVICI Regis IX, vernali forte tempore, per Legatos Regios, *Aldricum* Clericum & *Reginbaldum* Comitem, ducitur in Epiſcopatum Bremenſem. *Adam. Brem.* L. I. Cap. XXIV.

Anscharius, ſuſcepta Bremenſi Eccleſia, iterum cœpit ſpiritu fervere ad opus ſacræ *Miſſionis Danicæ*. Rembert. Cap. XXI.

Nortmanni (y) *Petrocorium*, Aqvitaniæ civitatem, populantes incendunt, atqve impune ad naves remeant. *Annal. Bertin.* p. 204.

Auxiliares copiæ, e *Dania* & *Norwegia* 140. navibus, in *Hiberniam* appellentes, bellum, magno Hibernorum damno, redintegrarunt. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 126.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, anno ætatis ſuæ qvadrageſimo octavo abſoluto, qvadrageſimum nonum ingreditur. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus decimum nonum* agens.

An. 850.

In *Aſturibus* prope *Balobrigam* in mari oceano reſederunt *Naves Normannorum*, qvæ precibus *Gundiſalvi Sancti*, Epiſcopi Mindonienſis vel Balobrigenſis, *ſubmerſæ ſunt* Anno 850. *Luitprandi* Fragm. p. 17.

Burdigala (z) a *Nortmannis* capitur & concrematur. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum. T. I. p. 292.

Melachlinus Rex Hiberniæ, jam bello civili implicatus, pace ad tempus *Danis* ſtabilita, *eorum auxilio* hoſtes magna ſtrage profligavit. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 126.

(u) *Abbatem Imelacenſem* appellat Liber Cœnobii Inisfallenſis, *Warei* Antiqv. Hibern. p. 125.

(v) Victoriæ illæ *Hibernorum* eædem ſunt, qvas *Annal. Bertin.* ſupra *Scottis* tribuunt.

(x) De *Concilio Moguntienſi primo*, vide ad An. 847.

(y) *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. hoc ad An. 848. refert.

(z) *Burdigala* etiam Anno 848. incenſa erat, niſi dicere velis, utroqve loco de una eademqve vaſtatione mentionem fieri.

ANUNDUS *Rex Sveonum*, regno ante ejectus & apud *Danos* exul, hoc anno, ut opinor, ope & navibus *Danorum* adjutus, regnum recuperat, & apud *Birchenſes* reſidet. Abfuit tum longius BIORNO Rex, forte in *expeditione Curlandica* (a). *Dani* à *Birca* recedentes, *Civitatem* qvandam *Slavorum* (b) occupant & ſpoliant. *Rembert.* Cap. XVI.

ORICH (c) *Rex Normannorum*, impugnantibus ſeſe *duobus Nepotibus* ſuis, bello impetitur. Qvibus *partitione Regni* pacatis, *Rorich Nepos* (d) HERIOLDI, qvi nuper a *Lothario* defecerat, aſſumptis *Nortmannorum* exercitibus (e), cum multitudine navium, *Freſiam* & *Batavum Inſulam*, aliaqve vicina loca per Rhenum & Vahalem devaſtat. Qvem *Lotharius*, cum comprimere neqviret, in fidem recepit, eiqve *Doreſtadum* (f) & *alios Comitatus* largitur. Ceterorum vero pars *Menapios*, *Tarviſios*, aliosqve maritimos deprædantur: pars *Britanniam Inſulam Anglos*qve impetentes, ab eis auxilio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuperantur (g). *Annal Bertin.* p. 204.

Roruc, natione *Nordmannus*, qvi temporibus HLUDOUVICI Imperatoris (h), cum *fratre* (i) HARIOLDO, vicum *Doreſtadum* jure beneficii tenuit, poſt obitum Imperatoris, *defuncto fratre* (k), apud HLOTHARIUM, qvi Patri ſucceſſit in regno, proditionis crimine falſo, ut fama eſt, inſimulatus, tentus, & in cuſtodiam miſſus eſt. Unde fuga lapſus, in fidem HLUDOUVICI Regis orientalium Francorum veniens, cum per annos aliqvot ibi moraretur, & inter *Saxones*, *qvi confines Nordmannis ſunt* (l), manſitaret, collecta *Danigenarum* non modica manu, cœpit piraticam exercere, & loca *regni Lotharii* (m), ſeptentrionalis oceani littoribus contigua, vaſtare. Venitqve per oſtia Rheni fluminis *Doreſtadum* (n), & occupavit eam atqve poſſedit. Et cum a *Lothario* Principe ſine periculo ſuorum non poſſet expelli, cum conſilio Senatus, Legatis mediantibus, in fidem receptus eſt, ea conditione, ut tributis ceterisqve negotiis, ad Regis ærarium pertinentibus, fideliter inſerviret, &

piraticis

(a) Crederem, hoc anno Sveonum principatui ſubjectos fuiſſe *Choros*, qvi paulo poſt defecerunt, ſed profligatis Anno 853. Danis, tandem Anno 854. cum Svecis iterum fœdus inierunt. *Rembert.* Cap. XXVII. Conf. ſupra p. 459.

(b) Qvænam illa *Slavorum Civitas* fuerit, ignoratur. Conjici qvidem potuit, fuiſſe *Jumnem* ſive *Jumnetam*, qvæ forte per errorem *Vinneta* ſcribitur, poſtea a noſtris *Jomsburgum* dictam. Vide ſupra p. 461. Not. (v).

(c) *Ericus I.* Rex Danorum ſive Jutiæ auſtralis.

(d) *Roricus*, qvi infra in *Annalibus Fuldenſ.* vocatur *Frater* Haraldi, dicitur heic *Nepos* ejus, qvod forte rectius.

(e) De his *Chron. Fontanel.* ap. Du Chesne T. II. p. 389. ita: „Dum hæc in Britannicis finibus geruntur, *Claſ-*„*ſis Danorum* in regnum CLOTHARII appulit, ducibus *Rorico* & *Godefrido*. Nec mora de *Walo* fluvio „recedentes absqve ulla præda, *Flandrenſem* adorſi *regionem*, variis deprædationibus populati ſunt".

(f) Ex infra allato loco apparet, *Roricum* ante defectionem ſuam, & jam a *Ludovico Pio*, *Doreſtadum* jure beneficii habuiſſe.

(g) Heic forte reſpicitur ad victorias illas, qvas *Angli* ex *Danis* Anno ſeqventi 851. reportarunt, de qvibus vide *Gibſon Chron. Sax.* p. 74.

(h) Teſtimonium evidens de *Rorico* & *Haraldo* Doreſtadum a *Ludovico Pio* jure beneficii habentibus.

(i) *Roricus*, qvi hic *Frater* Herioldi nominatur, vocatur in Annal. Bertin. *Nepos* ejus ſc. ex fratre, qvod rectius duco. Conf. ſupra p. 412. 420. in Notis ad Nigellum.

(k) Locus hic diſerte teſtatur, HARALDUM Regem obiiſſe ante Annum 850. & poſt obitum Ludovici Pii An. 840. Qvo verum anno, apud coævos non reperitur. Donec igitur melius edocti fuerimus, contenti ſimus teſtimoniis *Hvitfeldii* noſtri & *Petri Olai*, qvi ex Annalibus vetuſtioribus *mortem Haraldi* ad Annum 846. referunt. Conf. ſupra ad An. 846. & *Grammii* Meurſ. p. 115.

(l) Sine dubio *Roricus* jam, conſenſu Regis *Ludovici*, morabatur in *Beneficio illo Holſatico ultra Albiam*, qvod HARALDO Regi baptizato LUDOVICUS PIUS conceſſerat, ut ſupra probabile factum eſt.

(m) Annales Metenſes ita legunt: *Loca regni Lotharii, qvæ ſibi erant viciniora, vaſtare.*

(n) LOTHARIUS *Rorico Doreſtadum*, ab ipſo jam occupatum & antea poſſeſſum, cum aliis Comitatibus iterum largitur. Conf. locum ex *Annal. Bertin.* adductum.

piraticis Danorum incursionibus obviando resisteret. *Nordmanni*, *Godafrido* Duce, per Sequanam ascendentes, regnum *Karli* prædantur. Ad qvorum expulsionem *Lotharius* in auxilium vocatus, cum sibi pugnandum esse cum hoste putaret, *Karlus* clam mutato consilio *Godafridum* cum suis *in societatem Regni suscepit*, & terram (o) eis ad inhabitandum delegavit. *Lotharius* vero, adventum suum illo supervacuum videns, ad propria reversus est. Annal. Fuld. p. 550 (p).

Post prædictam *partitionem Regni Danici* sive potius *Jutici* inter ORICUM & *duos Nepotes* ejus, conjicere licebit, pugnam subito eodem anno recruduisse, in qva *uterque Nepos regni æmulus* cæsus sit. Post qvorum necem, ORICUS sive ERICUS I. *Monarchiam regni Danorum* (q) assecutus est. *Anscharius* tum denuo in *Daniam* Legationem suam incepit, ERICUM Regem adiit, ejusqve gratiam & amicitiam sibi conciliavit. *Rembert.* Cap. XXI.

Hoc circiter anno, consecrato ad Ecclesiam Coloniensem, qvæ diu vacaverat & cui Bremensis suffraganea erat, *Gunthario* Præsuli *S. Anscharius* suggerere studuit, ut sua qvoqve auctoritate Bremensis Ecclesiæ cum Hamburgensi unitionem firmaret. Cui rei ipse admodum contrarius extitit. *Rembert.* Cap. XX.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ qvadragesimum nonum implevit, qvinqvagesimum incipiens. A die 1. Junii *annum Archiepiscopatus vicesimum* ingressus est.

An. 851.

Die 20. Martii obiit *Ebbo*, Rhemensis olim Archiepiscopus, jam Episcopus Hildesheimensis, *primus Danorum Apostolus* & ad Gentes Septentrionales Legatus sacer, qvi, qvoad vixit, *Anscharium*, Collegam suum & amicum intimum, consiliis ac solatio adjuvit. *Frodoardus* L. III. c. 2. *Hincmari* Opera T. II. p. 313. *Rembert.* Cap. XXIV. *Adam. Brem.* L. I. c. 22.

ERICUS Rex Danorum multo *Anscharium* affectu veneratur, & libenter ejus consilio, etiam in secretis Regni negotiis, utitur. Qva familiaritate potitus *Anscharius*, Regi persvasit, ut *fieret christianus* (*). Rex concessit, *Ecclesiam* in regno suo fabricari, data pariter licentia, ut, qvicunqve in Regno vellet, fieret christianus. *Anscharius Ecclesiam S. Mariæ Slesvici*, Regis auctoritate, exstrui fecit, ibiqve Presbyterum constituit. *Rembert.* Cap. XXI. *Adam. Brem.* L. I. c. 25.

Ardgarius Eremita in *Sveciam*, fere septem annis (r) Pastore destitutam, ab *Anschario* mittitur, ibiqve *Herigarii* suggestione ac *Regis* (s) jussu & licentia mysteria Dei celebrat. *Rembert.* Cap. XVI. *Adam. Brem.* L. I. c. 23.

Pyratæ Danorum (t) *Fresiam* & *Batavos* populantur. Sed & usqve ad *Monasterium S. Bauonis*, qvod *Gant* dicunt, debacchantes, idem Monasterium incendunt.

Venientes-

(o) Qvænam illa terra in Gallia, qvæ a *Carolo* Rege ad inhabitandum data sit *Godefrido* suisqve *Normannis* sive *Danis*? Nonne fuerit *Neustria* vel ejus provinciæ pars? De *Godefrido*, vid. infra ad An. 852. 853. 855.

(p) Hæc eadem, paucissimis mutatis, tenent *Annales Metenses* ap. Du Chesne T. II. p. 303.

(q) Potius *partis regni Danorum* sive *Jutiæ*.

(*) Tunc, puto, ERICUM Regem a *S. Anschario* baptizatum esse. Vid. supra p. 469. Not. (i).

(r) A tempore scil. *Gautberti* Episcopi, qvi An. 845. e regno Sveciæ expulsus erat.

(s) Sine dubio *Anundi*, a superiori anno *Bircæ* residentis, qvi, ut videtur, in exilio suo Danico, religioni christianæ favere cœperat.

(t) Idem hisce verbis, sed sub Anno 850, narrat *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. „*Northmanni* „Fresiam & Batavos populantur, & in *oppido Gandavo* venientes, *S. Bauonis Monasterium* incendunt. De„inde *Rotumum* & usqve *Beluacum* pedestri itinere pervenerunt &c.“. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 12. b.

Venientesqve urbem *Rotumum*, usqve ad *Beluacum* pedestri gradu perveniunt. Qva incensa, cum redirent, a nostris intercepti, & aliqva ex parte profligati sunt. *Annal. Bertin.* p. 205. *Mirac. S. Bauonis* ap. Mabill. Act. SS. Ben. T. II. p. 409. 415.

Venit *Bierius* (u) *Danus*, cum *Hastingo* (v) Magistro tempore *Caroli Simplicis.* Chron. Lyrens. ap. Martene T. III. p. 1432.

Ceorlus Præfectus, una cum Devonensium Comitatu, pugnavit cum *pagano exercitu* apud *Wicganbeorche*, & ibi magnam stragem fecerunt, victoriamqve sunt adepti. Eodem anno (x) *Æthelstanus* Rex & *Ealcherus* Dux prælium navale commiserunt, & *magnum exercitum* prostraverunt apud *Sondwic* in Cantio, IX. enim naves ceperunt, & reliqvas fugarunt. *Pagani* etiam in *Tenet* primum in hibernis consederunt. Et eodem anno venerunt *ter centum naves cum dimidio* (y) in Tamisis ostium, atqve in terram conscenderunt, expugnabantqve *Cantwaraburh* & *Lundenburh*, ac fugabant *Beorthwulfum* (z) Merciorum Regem, cum illius exercitu. Progressi deinde sunt austrum versus trans Tamesim in *Suthrige*, atqve contra eos pugnabant *Æthelwulfus* (a) Rex ejusqve filius *Æthelbaldus* apud *Acleam*, cum occidentalium Saxonum exercitu. Ibi autem majorem stragem fecerunt in *pagano exercitu*, qvam fama accepimus factam fuisse in hunc diem, ibiqve victoriam adepti sunt. *Gibson* Chron. Sax. p. 75. *Asserii* Annal. ap. Gale T. I. p. 155. edit. F. Wise p. 5. 6. *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 120. 138. *Flor. Wigorn.* p. 582.

Inter *Danos*, Dublinio & regiuncula vicina Fingallia potitos, & alios ejusdem gentis, hoc anno atrox commissum est prælium, in qvo *Dani Dublinienses* (b) profligati sunt, & *Dublinium* a victoribus direptum. Atqvi fuga non pauci elapsi, in *patriam*

DCCCLI. Normanni Gandavum, cum Cœnobiis Gandensi, Blandiniensi, ac Tronchiniensi, ferro & igne evastaverunt.

(u) *Wilh. Gemmet.* inter Script. Norman. p. 216. 218. 221. „*Pagani* cum LOTHROCI Regis filio *Bier Costæ* „qvidem *ferreæ*, procurante ejus expeditionem *Hastingo* —— a *Noricis* seu *Danicis finibus* eructuantes". *Saxo Gram.* p. 174. *Biornus*, qvod integer hosti cladem ingesserat, tanqvam a *ferrei lateris firmitate* sempiternum usurpavit *agnomen.*

(v) *Chron. S. Mich.* ap. Labbeum T. I. p. 348. *An.* 851. *venit Hastingus in Regnum Francorum. Hastingus* ille Danorum Dux a populo *Gurmundus* vocabatur, *Chron. Turon.* ap. Martene T. V. p. 969. Conf. Chron. vet. in Scriptor. Normann. p. 32. Videndum autem, anne hæc eadem *Biornonis* & *Hastingi* expeditio sit, qvæ supra facta narratur Anno 843.

(x) *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 120. hoc ad An. 852. refert. Matth. Westmon. p. 156. hæc sub An. 846. narrat, & pro *Æthelstano Rege* habet *Æthelstanum Episcopum.*

(y) Conf. *Matth. Westmon.* p. 157. Est sine dubio hæc Danorum ac forte Norvegorum expeditio, qvam *Joh. de Fordun* Scotichron. p. 305. sic describit: „*Kennethi* Regis anno XIII. *classes diversæ Paganorum* portus „Angliæ piraticis irruptionibus sæpius invadentes, tandem *Londoniæ Civitatem* ceperunt, fregerunt, ac de„populati sunt". Et p. 306. 307. idem Auctor pergit: „Suo [Constantini Regis Scotiæ] & omni tempore „suorum Prædecessorum, Patris [Kennethi] & Patrui [Donaldi], *magna classis ab oriente paganorum, Da„norum, Norguigencium*, & *Frisonum*, emergens, totum Mare Britannicum atqve Belgicum turbavit; „Nam anno Monarchiæ Patris sui decimo tertio [Kennethus Monarcha factus An. 839. ib. p. 281.] per „*Thamensem fluvium* Angliam impetentes, *Londoniæ Civitatem* vi ceperunt, asportatis secum spoliis & gazis „qvibusqve preciosis. Et sic continue multis diebus utrumqve regnum, *Scociam* & *Angliam*, nunc hic, „nunc illic, ut ventis agebantur, irrumpentes, subito pluribus incommodis affecerunt".

(z) *Berrulfus* Merciorum Rex Abbati Monachisqve Croylandiæ gratias reddit pro pecunia, qva ipsum, *a Danis fugientem*, refoverunt, *Epist. ap. Ingulphum* edit. Oxon. p. 12.

(a) Victoriam de *Danis* reportatam *Ædilulfo* Anglorum Regi gratulatnr *Lupus* Abbas Ferrar. edit. Baluz. p. 32.

(b) *Danos* sive *Ostmannos Dublinienses* intelligit procul dubio *Vitæ S. Coemgeni* s. *Keivini* Scriptor, cum de *Dublinio* ejusqve Civibus ita loqvatur: *Civitas Ath-Cliath* est in Aqvilonali Laginiensium plaga, super fretum maris posita, & id Scotice dicitur *Dub-lein*, qvod sonat Latine *nigra therma*: Et ipsa Civitas potens & belligera est, in qva semper habitant *viri asperrimi in præliis & peritissimi in classibus*, Waræi Ant. Hib. p. 126.

patriam confugerunt, unde anno inſeqvente, auxiliaribus copiis reverſi, hoſtibus victis, Dublinium recuperarunt & reſtaurarunt. *Waræi* Antiqv. Hib. p. 126.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum complevit, qvinqvageſimum primum ingreſſus. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus vigeſimum primum* agit.

Claſſis Nortmannorum fluvium *Seqvanam* (e) ingreſſa eſt ipſo die tertio Idus Octobris, duce *Hoſcri*, qvi aliqvot ante annos (d) *Rothomagum* urbem depopularat, ac incendio cremarat, id eſt, Anno Dominicæ incarn. DCCCXLI. & per annos undecim multas regiones latrocinando occuparat. Inter qvas & urbem *Burdigalim* munitiſſimam, caput regionis Novempopulanæ, — primitus *Fontinellam* Monaſterium aggreſſi, cuncta ejus depopularunt. Ad extremum etiam, poſt dies ingreſſus ſui Seqvanam LXXXIX. ipſo die V. Idus Januarii (e) ad ſolum usqve cremaverunt. — *Belloacus* interea urbem cremarunt & *Flaviacum* Monaſterium. De qva cum reverterentur, in loco, nuncupato *Wardera*, a Francis excepti, plurimi interfecti ſunt, reliqvi ſilvis ſe occuluerunt. Sicqve noctu aliqvi ad naves reverſi ſunt. Fuerunt autem in *Seqvana*, a tertio Idus Octobris usqve Nonis Junii (f), dies ducentos octoginta ſeptem. Sicqve onuſtis navibus ad Burdegalim reverſi ſunt. *Chron. Fontanell.* ap. Du Chesne T. II. p. 389.

An. 852.

Circa initia hujus anni, *Herigarius*, Circæ Præfectus & chriſtianismi in Svecia protector, moritur. Haud diu poſt obiit etiam Matrona religioſa *Fridburgis*, communione ſacra ab *Ardgario* percepta, cujus filia *Cathle*, ex matris teſtamento, peregrinationem ſacram *Doreſtadum* verſus ſuſcipit. *Rembert.* Cap. XVI. XVII. XVIII.

Ipſa Paſchatis die, *Armacha* a *Danis* ethnicis denuo devaſtata eſt, unde *Diermitius* (g) Archiepiſcopus ægritudine & moerore contabeſcens, anno nondum circumacto extinctus eſt. *Waræi* Hibern. Sacr. p. 8. *Ejusd.* Antiqv. Hib. p. 126. Conf. *Uſſerii* Eccl. Brit. Ant. p. 447.

Æſtivo tempore, *Ardgarius* Anachoreta Sveciam relinqvit, conſvetam ſuam ſolitudinem qværens. *Rembert.* Cap. XVIII.

Anscharius cum ERICO *Rege Danorum*, & deinde cum *Gautberto* Epiſcopo, de *nova Legatione Svecica* conſulit. *Anscharius* & *Gautbertus* LUDOVICUM Regem Germanicum adeunt. Ille *Anschario*, renuente ob ſatis graves cauſas *Gautberto*, hanc Legationem injungit, mandata ſua ad *Sveonum Regem* ei committens. *Anscharius* ſe ad *iter Svecicum* præparat. *Rembert.* XXII. *Adam. Brem.* L. I. c. 26.

Herioldus (h) Normannus, qvi ſuperioribus annis iram Domini ſui HORUC *Danorum Regis* fugiens, ad Regem HLUDOUUICUM ſe contulit, ab eo benigne

 ſuſceptus,

(c) *Chron. Rothom.* ap. Labbeum T. I. p. 369. *An.* 851. *venerunt Normanni in Seqvanam, & iterum venerunt alii Normanni.*

(d) Vid. ſupra ad An. 841. ubi Dux ille Normannorum *Oſcheri* ſcribitur.

(e) Anno nempe ſeqventi 852.

(f) p: a d. 13. Octobris 851. usqve ad d. 5. Junii 852.

(g) *Dermitium* Annales Hibernici *ſapientiſſimum omnium Doctorum Europæ* appellant, *Waræi* Antiq. Hib. p. 127.

(h) Sic nomen recte legit *Codex Vienn.* ap. *Kollar.* Annal. Vindob. T. I. p. 506, non autem *Henaldus* nec *Genaldus*, ut alii Annales male & vitio librariorum habent. *Herioldus* hic junior eſt & alius ab illo ſeniore HARALDO, *Klak* cognominato, *Danorum Rege*, qvi ſub *Ludovico Pio* Moguntiæ baptizatus erat, qviqve, ut ſupra obſervatum eſt, circa Annum 846. mortuus eſt. Hic autem *Herioldus* procul dubio HARALDI KLAK Regis ex fratre *Hemmingo* Nepos, vel alius ejus Propinqvus, qvi forte, cæſis Anno 850. *duobus ERICI I. Nepotibus*, cum qvibus regnum partitus fuerat, partem eorum regni affectaverat, ac ea-

propter

ſuſceptus, baptizatus, ac fidei ſacramentis imbutus eſt: Cum per plures annos honorifice inter *Francos* haberetur, tandem *Principibus borealium partium* & *Cuſtodibus Danici Limitis*, qvaſi lubricæ fidei & molimine proditionis, cœpit eſſe ſuſpectus, unde & ab eis occiſus eſt. *Annal. Fuldenſ.* p. 552. *Herm. Contract.* ap. Caniſ. T. III. p. 248.

Godefridus (*), *HERIOLDI Dani* filius, qvi qvondam ſub Imperatore LUDOVICO *Moguntiaci* fuerat baptizatus, a LOTHARIO deficiens, ad *ſuos* ſe confert. Unde, conrogata manu valida, *Freſiam* (i) aggreditur. Deinde vicina *Scaldis* fluminis ad poſtremum ingreditur. Qvo occurrentibus *Lothario* & *Carolo*, cum omni ſuo exercitu utramqve ripam ejùsdem fluminis obſident. In qva obſidione Dominicæ nativitatis feſtivitatem celebrant. Sed nolentibus, qvi ex parte *Caroli* erant, inire bellum, absqve utilitate receſſum eſt. *Annal. Bertin.* p. 206.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum primum implevit, qvinqvageſimum ſecundum inchoavit. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus ſui viceſimum ſecundum* incepit.

Clasſis *Sydroc* & *Godefridi*, Ducum *Danorum*, VII. Idus Octobris *Seqvanam* ingreditur, & usqve *Auguſtodunas* accedit. Contrá qvos *Clotharius* & *Carolus*, Reges glorioſi, obſidiones ponunt. Sed *Nortmanni*, aqva freti, deputatam ſibi hicmem exegerunt in loco, qvi vocatur *Ghiuoldi foſſa*, & in menſe Junio (··) recedunt, mare petentes. *Chron. Fontan.* ap. Du Chesne T. II. p. 389.

Rammulfus Pictavenſis ac *Raino* propinqvus ejus pridie Nonas Novembris in *Briliaco* villa cum *Nortmannis* dimicant (k). *Chron. Norman.* ap. Martene T. III. p. 1449. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 292. *Chron. Malleac.* ib. T. II. p. 198.

An. 853.

CAROLUS *Godefridum* qvibusdam pactionibus ſibi conciliat. Ceteri *Danorum* usqve ad menſem Martium inibi absqve ulla formidine reſident, cuncta eo furioſius qvo liberius diripiunt, cremant, atqve captivant. — *Dani* (l) menſe Julio, relicta *Seqvana*, *Ligerim* adeuntes, *Nannetim* urbem, & *Monaſterium S. Florentii*, ac vicina loca populantur. — *Pyratæ Danorum*, a *Nannetibus* ſuperiora petentes, menſe Novembri, VI. videlicet Idus, urbem *Turonum* impune adeunt, atqve incendunt, cum *Eccleſia S. Martini* & ceteris adjacentibus locis. *Ann. Bert.* p. 206. 207.

Nortmanni Britannicum mare navigio girantes, oſtia Ligeris fluminis occupaverunt, & repentina irruptione *Civitatem Nannetis* invadunt (m). Omniaqve cædibus,

propter in iram ejus inciderat, jam vero poſt Annum 852. ob ſuſpicionem a Francis occiſus. Et, ſi recte conjicio, *Herioldus* hic ille eſt, qvem *Gotfr. Viterb.* ap. Piſtor. T. II. p. 465. cum uxore & filio ſub *Lothario* Imp. baptizatum perhibet. Si vero ita ſit, qvod mihi jam magis probatur, erravi ſupra p. 413. ubi teſtimonium *Gotfridi Viterbienſis*, qvaſi de HARALDO KLAK ſeniore ſcriptum, allegavi. *Herioldus* hic junior mihi ille fuiſſe videtur, qvi Islandis dicitur *Klak-Harald*, Comes Jutiæ ſive partis Holſatiæ, & fuit pater inclytæ Danorum Reginæ *Thyræ Danebod.* De illo narratur, qvod patriam reliqverit, & chriſtianam religionem apud Francos amplexus ſit, vid. *Ol. Trygg. Sag.* T. I. p. 72-78.

(*) De *Godefrido*, vid. ſupra ad An. 850. & infra ad An. 853. 855.

(i) *Annal. Bertin.* & *Chron. Norman.* ad Annum 852. ita habent: *Normanni CCLII. navibus Freſiam adeunt, acceptisqve multis, prout ipſi ſtatuerunt, ad alia divertunt.*

(··) Scil. ſeqventi Anno 853.

(k) *Chron. Ademari* ap. Labbeum T. II. p. 162. addit: *& victi fuga liberantur.*

(l) *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. pro *Dani* legitur *Northmanni.*

(m) Hæc *Namneris Civitatis* a Normannis Anno 853. facta vaſtatio non confundi debet cum illa, qvæ ſub An. 843. occurrit, *Epiſcopus* enim *Namnetenſis* tunc exiſtens *die S. Johannis Baptiſtæ* occiſus eſt, hic vero *Pontifex*

dibus, incendiis ac rapinis depopulantes, *Pontificem* Civitatis ipso die *Sabbato Sancto Paschæ*, cum baptismum ex more celebraret, in Basilica interficiunt, clerumqve trucidant. Omnemqve circumqvaqve regionem devastantes, primum *Andegavensem*, deinde *Turonicam* occupant *urbem*, ac velut immanis tempestas cuncta consumunt. *Templum* etiam præcellentissimi Pontificis *Martini* incendio cremaverunt (n). Tunc primo *Nortmannorum Classis*, ut ajunt, *Ligeris* littora attigit. *Annal. Metens.* ap. Du Chesne T. III. p. 304. *Regino* ap. Pistor. T. I. p. 41.

Sanctus Gujardus (o) trucidatus est a *Normannis* in *civitate Nammetica*. Postqvam isti *Normanni civitatem Nammeticam* ceperunt, non parvo tempore in ea habitavere, & exinde egressi, proximas regiones vastando prædaverunt. Superveniens vero alia *classis Normannica*, ubi audivit eos in civitate ipsa residere, omnesqve provincias circumqvaqve qvasi in proprium jus vindicasse, misit nuncios suos ad *Erispoium* (p) Britannicum Principem, mandans ei, ut congregato exercitu veniret, junctiqve simul supradictos *Normannos* a civitate expellerent. *Herispoius* hæc audiens, *Nammetum* pergens, &, adjuvantibus sibi *Normannis jam dictæ Classis*, civitatem obsedit. Illis autem deintus haud segniter se defendentibus, pugna gravis usqve ad noctem deducitur, sauciatusqve est in illo certamine *Sidric* (q) *Comes præfatæ Classis*. Nocte vero seqvente pacem fecerunt inter se *Normanni* cum *Insulanis*. Insulanos ideo dico, qvia in Insula qvadam, *Becia* nomine, sub *civitate Nammetica* sua magalia exstructa habebant. Mane autem facto, mare ingressi, per *Sequanam* fluvium superiores Franciæ partes agere cupientes petierunt: Sed nefandissimi eorum conatus omnino frustrati sunt; Nam a *Carolo Calvo* (·.·) ibi congressi, & usqve ad internecionem omnes deleti sunt. *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 200.

Aqvitanorum Legati *Ludovicum* Regem crebris supplicationibus sollicitant, ut aut ipse super eos regnum susciperet, aut filium suum mitteret, qvi eos a *Karli* Regis tyrannide liberaret: ne forte ab *extraneis & inimicis fidei* (r), cum periculo christianitatis, qværere cogerentur auxilia, qvæ ab orthodoxis & legitimis dominis invenire neqvirent. *Annal. Fuldens.* ap. Du Chesne T. II. p. 552.

Ansclarius

sifex in *Sabbato Paschatis* interfectus. Interim utraqve expeditio & hæc & illa multum similitudinis habet. De utraqve, ut diversa, *Chron. Turon.* in Scriptor. Norman. p. 25.

(n) Vid. *Baronii Annal.* T. X. p. 30. & 97. de *Hastingo* An. 853. *Turonensem civitatem* obsidente, ex *Oddone Abbate*. De hisce *Revelat. Audradi* ap. Du Chesne T. II. p. 393. sic tenent: „Eodem anno *Nortmanni* „per *Ligerim* alveum ascendentes, *Monasterium S. Martini Turonense* & *Basilicam* ejus toto orbe venerabi„lem, nullo obstante, mense IX. incendunt. *Corpus* autem b. Domini *Martini* Clerici ejus inde fugien„tes secum portaverunt in Monasterium Monachorum, qvod dicitur *Cormaricus*, eidem Sancto subjectum". Conf. *Annal. Fuld.* p. 552. Inde ad *Civitatem Aurelianorum* transportatum est, *Chron. Norman.* ib. p. 525.

(o) Si hæc *Namnetis urbis vastatio*, ut videtur, est alia & diversa ab illa, qvæ sub Anno 843. occurrit, habemus hic *alterum Namnetensem Episcopum* a Normannis trucidatum. *Nomen* autem *Episcopi* in utroqve loco rem dubiam ac disputabilem facere videtur. *Chron. Malleac.* hæc sub An. 844. perperam narrat: Tunc autem *Erispous* gubernacula nondum obtinuerat.

(p) *Erispoius* Britanniæ Princeps Anno 851. patri suo *Nomenoio* successit, An. 855. interfectus.

(q) Idem forte, qvi infra in Historia Hibernica *Sytharacus* nominatur, vel qvi supra sub An. 852. & infra 855. 856. *Sydroc* dicitur. De hac autem *Sidrici expeditione* lege omnino longe plura, qvæ scribit *Anonymus coævus* de Gestis Convoionis, in Mabill. Act. SS. Bened. T. VI. p. 221. sq. *Sidrici classis* erat *centum qvinqve navium*. Insula, qvam tenuerunt conterranei ejus; alii *Normanni*, *Betia* scribitur, Argentræo *l'isle de Biere*.

(·.·) Tunc *Torquatius* Venator *Karolum Calvum* contra *Danos* viriliter adjuvabat. Chron. Turon. in Script. Norman. p. 25.

(r) *Danis* scilicet sive *Normannis*.

Anscharius in *Sveciam*, una cum *Eriberto*, *Gautberti* nepote, ſecundo proficiſcitur, *Legatum & Signum ERICI I. Regis Danorum*, præter mandata LUDOVICI, ſecum habens. OLAVUM *Regem* (s) *Bircæ* invenit, & populum nimio errore confuſum, ERICUM (t) enim qvondam *Regem* ſuum in numerum Deorum retulerant, ejusqve honori & *Templum* & *Sacrificia* ſtatuerant. *Anscharius* ad partes ſuas OLAVUM traxit, qvi tandem, unanimo populi tam *Gothici* qvam *Svecici* conſenſu decrevit, ut apud eos & Eccleſiæ fabricarentur, & Sacerdotes adeſſent, & qvicunqve vellet, chriſtianus fieret. *Rembert.* Cap. XXIII. XXIV. XXV. *Adam. Brem.* L. I. c. 26.

Dani, ſcientes, *Anschariam* in *Sveoniam* adveniſſe, expeditionem navalem, ſed infelici ſucceſſu, in *Curlandiam*, Regnum qvinqve Civitates habens, ſuſcipiunt. *Rembert.* Cap. XXVII.

Ealherus cum Cantwaris, & *Huda* cum Suthrigenſibus, depugnabant in *Tenet* (*) cum *pagano exercitu* (u), & primitus victoria potiti ſunt: Multi autem ibi fuerunt occiſi & aqvis demerſi ex utraqve parte, atqve Dux uterqve periit. *Gibſon* Chr. Saxon. p. 76. *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 120. *Aſſerii* Annal. ed. F. Wiſe p. 7.

Amlavus ſ. *Amelaus* magna *Danorum* & *Norwegorum* claſſe in *Hiberniam* appulit, eiqve omnes *Dani*, in Hibernia tum degentes, ſe ſubmiſerunt. De his *Silv. Giraldus* (v) L. III. c. 43. ita ſcribit: „Non multo poſt tempore (x) iterum de „ *Norwagiæ & Inſularum Borealium* partibus, qvaſi de reliqviis gentis prioris, & „ qvia vel oculata fide, vel parentum relatione, terram optimam noverant, non in „ bellica claſſe, ſed ſub pacis obtentu, & qvaſi *mercaturæ exercendæ* prætextu, in in„ ſulam qvidam advenerunt: Qvi & *maritimos Hiberniæ portus* ſtatim occupantes, „ tandem de aſſenſu *Principum terræ Civitates* in ipſis varias conſtruxerunt. Qvoni„ am enim innatæ ocioſitatis vitio *Gens Hibernica* nec maria luſtrare, nec *mercaturæ* „ indulgere aliqvatenus voluerat, de communi totius Regni conſilio perutile videbatur, „ ut gens aliqva, cujus opera *aliarum regionum commercia*, qvibus hæc terra carue„ rat, huc advehi poſſent, in aliqvibus Regni partibus admitterentur. Fuerunt au„ tem Duces eorum tres fratres, *Amelacus* (y), *Sytaracus* (z), & *Yuorus* (a). Con„ ſtructis itaqve primo civitatibus tribus, *Dublinia* (b), *Gwaterfordia*, *Limirico*, „ Dubliniæ principatus ceſſit *Amelao*, Gwaterfordiæ *Sytaraco*, Limirici *Yuoro:* & „ ex iis paulatim ad alias *Hiberniæ Civitates* conſtruendas proceſſu temporis ſunt de„ rivati.

(s) De *Olavo* Sveonum Rege, vid. ſupra p. 447. 473.

(t) De *Erico* Sveonum Rege, Deorum in numerum adſcripto, vid. ſupra p. 474.

(*) Inſula illa Saxonice dicitur *Tenet*, Britannice *Ruim*, Flor. Wigorn. p. 583.

(u) *Danorum* ſcilicet.

(v) *Camdeni* Anglica, Hibernica p. 749.

(x) Scil. poſt mortem *Turgeſii*, de qva ſupra ad An. 845.

(y) *Amlavus* ille putatur eſſe *Olavus Hvite* ſ. *Albus*, qvi nominatur a *Snorrone Sturl.* T. I. p. 98. cujus uxor *Audura Diupaudga* ſ. *Prædives* videtur ex nomine deſcendiſſe a vetuſtiori illa *Audura Prædivite*, qvæ fuit filia IVARI VIDFADMI & mater HARALDI HYLDETANI Regum Daniæ inclytorum, vid. ſupra p. 5. 6. *Amlavus* autem ſ. *Olavus Hvite* Rex Dubliniæ & fratres ejus procul dubio fuere *Principes Norvegi*, vid. *Schonings* Norges R. Hiſt. T. I. p. 507. 519. 521. niſi malis eos ex *familia Lodbrochidum* derivare.

(z) An idem, qvi paulo ſupra *Sidric* nominatur.

(a) Ex hiſce tribus fratribus *Ainlaiph* & *Ivar* vixere adhuc 871. qvo anno cum *ducentis navibus* ex Albania venientes maximam prædam *Dubliniam* advexerunt, ut ex *Annal. Ulton.* teſtatur *Uſſerius* Ant. Eccl. Brit. p. 375.

(b) *Jocelinus* in Vit. S. Patric. ita de origine *Dubliniæ* ſcribit: *Hæc a convenis Norwagiæ & Inſularum populis, exercitio peritiſſimis, omni armatura munitis, bello fortibus, dapſilibus pace, omni regno neceſſariis, in favorem Regis Hiberniæ ſub Regina filia Regis Norwagiæ initiata; in poſterum, per varias rerum vices, modo rebellis, modo fœderata regno Hiberniæ extitit.*

„rivati. Gens igitur hæc, qvæ nunc *Oſtmannica Gens* vocatur, in primis terræ iſtius „*Regibus* ſatis tractabiles fuerant & pacifici. Sed ex qvo in immenſum generis nu„merositate jam excreverant, & Civitates foſſatis & muris optime cinxerant, antiqvas „inimicitias alta mente repoſitas, nunnunqvam renovare, & acriter rebellare ſolebant. „Dicti ſunt autem *Oſtmanni* lingva ipſorum, corrupto qvodam Saxonico, qvaſi *ori*„*entales homines.* Reſpectu namqve terræ iſtius ab *orientalibus* huc *partibus* unde„cunqve advecti ſunt. Ex hoc igitur & *priorum Norwagienſium* adventu, de qvibus „parum ſecuri fuerant, uſum ſecurum contraxerunt, & malitiam, qvam ipſi ab aliis „ſuſceperant, æmula malorum doctrina in alios multoties transfuderunt". *Waræi* Antiqv. Hibern. p. 227.

Hoc anno *Nithardus* Abbas & Comes maritimæ Franciæ bello peremptus eſt, cum *Dani Sveviqve*, qvos Theotiſci *Nortman*, id eſt *Aquilonares* appellant, ſuæ habitationis finibus egreſſi, jam per viginti annos omnem oram maritimam, incendiis, rapinis, omniqve crudelitatis genere afficerent. Ex *Hariulfo* Du Chesnius T. II. p. 356.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum ſecundum complevit, qvinqvageſimum tertium exorſus. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus vigeſimum tertium* incepit.

Hoc anno, ut plurimi opinantur, vel circiter, magnus ille Norvegiæ Monarcha HARALDUS HAARFAGER natus eſt (c). *Annal. Isl.* mss. *Torfæi* Ser. Reg. p. 433.

Menſe Novembri LOTHARIUS & CAROLUS ad *Valentinianas* convenerunt, & de regnorum ſuorum qviete & pace conſervanda conſultarunt. *Commune ibi contra Normannos adjutorium* decretum eſt. *Capit. Reg. Franc.* Baluz. T. II. p. 62.

An. 854.

Anſcharius, vere ineunte, *Eribertum* Regi Sveciæ commendat, cui Rex Atrium in Vico *Birca* ad fabricandum Oratorium dedit: *Anſcharius* autem Presbytero domum emit, ſicqve, omnibus in Svecia bene peractis, ad ſua reverſus eſt. *Remb.* Cap. XXV. *Adam. Brem.* L. I. c. 26.

OLAVUS Rex & populus Sveciæ, audientes *Danorum* ſuperiori anno in *Curlandia* ſtragem, volentes ſibi nomen acqvirere, cum innumerabili exercitu in *Curlandiam* trajiciunt, victoriam & prædam, agnito Chriſti auxilio, reportantes. Poſthac *Eribertus* libere apud *Svecos*, qvæ Dei ſunt, agere cœpit. *Rembert.* Cap. XXVII.

Dani in *Ligere* conſiſtentes, usqve ad *Bliſium Caſtrum* veniunt, ipſumqve incendunt. Volentes inde *Aurelianis* pervenire, eadem patraturi. Præparantibus vero adverſus eos navigia & bellatores Epiſcopis Aurelianenſium *Agio* & Carnutum *Burdiardo*, ab intentione deſiſtunt, & inferiora *Ligeris* repetunt. Alii qvoqve *Pyratæ Danorum Freſiam*, Saxoniæ adjacentem, populantur. — *Dani* (d), inteſtino inter ſe prælio dimicantes, adeo *tridui concertatione obſtinatisſima* bacchati ſunt, ut, ORICO Rege & ceteris cum eo interfectis *Regibus*, pene omnis *Nobilitas* interierit. *Pyratæ Nordmannorum*, Ligere inſiſtentes, denuo *Civitatem Andegavorum* incendio concremant. *Annal. Bertin.* p. 207.

(c) Alii HARALDUM Anno 854. natum volunt. *Veuſti Islandorum Annales* nonnulli nativitatem ejus ad An. 852. alii ad An. 848. alii ad alios annos referunt. Vid. *Schoningii* Orig. Norveg. Append. p. 17. 24. 84. *Ejusd.* Norg. R. Hiſt. T. I. p. 431.

(d) *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. hæc, vitio forte librarii, ſub An. 853. refert, ibiqve pro *Dani* legitur *Northmanni.*

Piratarum infestatione ORICUS Rex, qvibusdam *Propinqvis ejus Regnum ipsius invadere conantibus*, bello interemptus est. Cum qvo omnes *Primores terræ*, qvi *Anschario* familiares & amici erant, gladio interierunt. *Rembert.* Cap. XXVIII.

Nordmanni, qvi continuis XX. annis Regni Francorum fines per loca navibus accessibilia cædibus & incendiis atqve rapinis crudeliter vastabant, congregati de regionibus (e), per qvas prædandi cupiditate dispersi fuerant, in *patriam suam* reversi sunt. Ibiqve inter HORUC *Regem Danorum* & *Gudurm* (f) *filium fratris ejus*, qvi eatenus ab eo regno pulsus piratico more vixit, orta contentione, ita se mutua cæde mactaverunt, ut vulgus qvidem promiscuum innumerabile caderet, de *stirpe* vero *Regia nisi* (g) *unus puer* nullus remaneret: Domino sanctorum virorum suorum injurias ulciscente, & adversariis digna factis retribuente. *Annal. Fuldens.* p. 552. *Metens.* p. 304.

ORICO *Seniori* Rege cæso ORICUS *Junior*, in Annalibus nostris ERICUS PUER dictus, in regno Jutiæ succedit. Qvidam eorum, qvos ille tunc Principes habebat, & qvi minus *Anschario* cogniti fuerant, persvadere Regi cœperunt, ut Ecclesia apud eos facta destrueretur, & Religio christianitatis ibi cœpta annullaretur (h). *Hovi*, Comes vici *Sliesvic*, *Ecclesiam* ibi factam jussit claudi, Religionemqve christianitatis ibidem prohibuit observari. *Presbyter*, qvi ibi erat, persecutione compulsus, inde recessit. *Rembert.* Cap. XXVIII. Conf. *Adam. Brem.* L. I. c. 28.

Pagani viri (i) primum in *Sceapige* (k) in hibernis (l) confederunt. *Gibson Chron. Saxon.* p. 76.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* anno ætatis suæ qvinqvagesimo tertio egreditur, qvinqvagesimum qvartum iniens. A Kalendis Junii *annum Archiepiscopatus sui vicesimum qvartum* exorsus est.

An. 855.

Anno nativitatis Elfridi Regis VII. *magnus paganorum exercitus* tota hieme in insula *Sceapege*, id est, *Insula Ovium*, hiemarunt (m). *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 121. 140. *Asserii* Annal. ed. F. Wise p. 8.

Hovi, Comes Slesvici, iram ERICI Regis meritus, de eo vico expellitur. Mox ERICUS ad *Anscharium* Legatum dirigit, mandans, ut *Sacerdotem* suum ad propriam remitteret Ecclesiam, seqve non minus, qvam *ERICUM Seniorem*, Christi gratiam ac Episcopi amicitiam velle promereri. *Anscharius*, adjutorio Comitis *Burchardi*

(e) Annal. Metens. legunt *nationibus.*

(f) *Gutburm* in Annal. Metens. *Saxo Gram.* p. 177. hunc *Guthormum Haraldi filium* nominat. *Chron. Erici* supra p. 157. *Guthormum* male *Regem Norwegiæ* vocat. *Adam. Brem.* L. I. c. 28. sic rem narrat: „ Contendentibus ad invicem *Gudurm* Principe Nordmannorum cum Patruo suo HORICO Rege Danorum, „ tanta cæde utriqve mactati sunt, ut vulgus omne caderet: De *Stirpe* autem *Regia* nemo omnium remaneret, præter *Puerum unum*, nomine HORICUM ". Scriptores Islandi *Guthormum* Erici aut ex fratre nepotem aut avunculum faciunt, vid. *Torfæi* Ser. p. 405.

(g) Annal. Metens. *non nisi unus puer remaneret.* Memorabilem hanc pugnam Auctor Hist. Ol. Trygg. male ad Annum 852. trahit, vid. *Torfæi* Ser. p. 405.

(h) Qvæ heic *Rembertus* de persecutione christianæ religionis Ministris Regiis adscribit, de ipso Rege ERICO juniore *Adamus Brem.* L. I. c. 28. tradit, injuste illum vocans *crudelem tyrannum*, *ingenito furore super christicolas efferatum.*

(i) ɔ: *Dani*, qvi iis temporibus *Angliam* infestabant. Hæc *Flor. Wigorn.* p. 583. ad An. 855. refert.

(k) ɔ: *Ovium Insula.* Nomen scribitur etiam *Sceapege*, *Scepeya*, *Scapeia.* Est insula agri Cantiani in Anglia, hodie *Scheppe Island.*

(l) Ibi tota hieme manserunt, vid. An. seqv. 855.

(m) Huc Danorum Classis in autumno superioris anni appulerat.

chardi (n), utriusqve Regis Propinqvi, ad Regem accedit, tanta ab eo gratia ſuſceptus, ut non ſolum ei *Rex* omnia, qvæ Anteceſſor ejus cauſa chriſtianitatis (*) permiſerat, ſed etiam, ut *campana* in *Eccleſia Slesvicenſi* haberetur, concederet. *Ripis* qvoqve locum, ubi *Eccleſia* exſtrueretur, tribuit Rex ERICUS, &, ut ibi *Sacerdos* eſſet, licentiam dedit. *Rembert.* Cap. XXVIII. *Adam. Brem.* L. I. c. 28.

Gautbertus Epiſcopus, tunc procul dubio Adminiſtrator Osnabrugenſis, adhuc curam *Svconum* gerens, *Ansfridum Danum* Presbyterum in *Sveciam* mittit. *Eribertus* (o) ex *Svecia* revertitur. *Rembert.* Cap. XXIX.

LOTHARIUS totam *Freſiam* filio ſuo *Lothario* donat. Unde *Roric* & *Godefridus* patriam, id eſt, *Daniam*, repedant, ſpe poteſtatis Regiæ nanciſcendæ (p). — *Nordmanni Burdegalam* Aqvitaniæ civitatem invadunt, & hac illacqve pro libitu pervagantur. — Nortmanni Ligerim ingreſſi, relictis navibus, pedeſtri itinere *urbem Pictavorum* (q) adire moliuntur. Sed occurrentibus *Aqvitanis*, adeo profligati ſunt, ut ultra trecentos pauci evaſerint. *Roric* & *Godefridus*, neqvaqvam arridentibus ſibi ſucceſsibus, *Doreſtado* ſe continent, & parte maxima *Freſiæ* potiuntur (*·*). *Annal. Bertin.* p. 208.

Pippinum (r), ut regnum ſuum *ope Normannorum* recuperaret, *barbaris hiſce ſociatum*, *Toloſam* obſediſſe, ſed *Normannos*, aliqvot diebus fruſtra obſidioni inſumtis, prædа, ut poterant, facta, cum conductore ſuo receſsiſſe, teſtatur *Aimoinus* L. II. de Tranſl. S. Vinc. ap. Mabill. Sec. IV. Bened. P. I. p. 768.

Die XV. Kal. Auguſti, *maxima Claſsis Danorum* fluvium *Seqvanæ* occupat, duce *Sydroc* (s). Die XV. Kal. Septembris *Berno* (t) *Nortmannus* cum valida Claſſe ingreſſus eſt. Deinde cunctis viribus usqve *Particum Saltum* plurimam ſtragem ac depopulationem fecerunt. Qvo in loco CAROLUS eis cum exercitu occurrens, maxima eos ſtrage percuſsit. *Chron. Fontanel.* ap. Du Chesne T. II. p. 390.

Die

(n) Haud multum a vero abludunt *Annales Bertiol.* ſupra p. 335. qvi *Burchardum*, Comite *Hovio* expulſo, *Comitem Slesvici* factum eſſe aſſerunt.

(*) Auctor Hiſt. Ol. Trygg. in *Torfæi* Ser. p. 405. ERICUM hunc juniorem ab Anschario baptizatum tradit. Si vero ita, longe hoc ſerius factum ſit. Conf. ſupra *Remberti* Cap. 28. Not. (t). Idem Auctor Hiſt. Ol. Trygg. l. c. perhibet, ERICUM, poſt mortem S. Anscharii fidem chriſtianam abjeciſſe ac paulo poſt mortuum eſſe: qva vero fide, ipſe videat.

(o) *Eribertus* cum Anschario An. 853. in Sveciam venerat.

(p) Scil. ad famam celebris illius prælii, qvod ſuperiori anno tot Regii ſanguinis Principes abſumpſerat, & qvum ERICUS Rex admodum juvenis eſſet, ſperabant, ſe eo facilius regimen in patria obtenturos.

(q) *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. hæc eadem habet. *Chron. Mallenc.* ap. Labbeum T. II. p. 193. ita: *An. DCCCLV. Normanni milliario prope Pictavim interfecti ſunt.*

(·*·) Ab eo tempore procul dubio factum eſt, ut ea pars *Friſiæ* & *Hollandiæ*, qvæ in *Danorum* poſſeſsione ac poteſtate erat, ab hiſce novis colonis nomen *Denemarcæ* ſortita ſit, qvo eam *Regino* ap. Piſtor. T. I. p. 61. appellat. Situs hujus *Denemarkæ Hollandicæ*, qvæ adhuc nomen idem retinet, partim in agro Trajectino partim in agro Amſtelodamenſi qværendus eſt, ut docent *Douſa* in Annal. Batav. & Holl. p. 330. 335. *Eyndius* in Chron. Zeland. p. 168. *Voſſius* in Annal. Holl. p. 7. Conf. *Gebhardi* Dän. Geſch. p. 389. 392.

(r) *Pipinus II.* Rex Aqvitaniæ, *Normannis* fœdere junctus, erat filius *Pipini I.* Regis Aqvitaniæ & *Ludovici Pii* nepos.

(s) *Sidroc* ſ. *Sidric* Princeps Danicus nominatur ante ſub An. 852. 853.

(t) Incertum, an idem, qvi ſupra ad An. 843. 851. *Bier* dicitur, *Lodbrochi* filius, nobis *Biorn.* Imo diverſus fuiſſe videtur, & potuit eſſe *Biorno* ille, Biörnonis Jernſide ſenioris Nepos, qvi ſupra p. 447. ex Herv. Saga c. XX. nominatur, ad regimen in patria non admiſſus, ſed in exteris ut Rex maritimus & Pirata mortuus.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum qvartum implevit, qvinqvageſimum qvintum incipiens. A die 1. Junii *annus Archiepiſcopatus ejus vigeſimus qvintus* inceperat.

An. 856.

Sydroc egreditur de fluvio *Seqvana*. *Berno* in qvadam *Inſula Caſtrum* ædificat, ubi a CAROLO navali obſidione obſeſſus eſt Anno 859. ſed factione LUDOVICI fratris & qvorundam ſeditioſorum ab eo expellitur. *Chron. Fontanell.* ap. Du Chesne T. II. p. 390.

Pyratæ Danorum (u) XIV. Kalend. Maji Civitatem *Aurelianis* adeunt, prædantur, & impune revertuntur. — Iterum *Pyratæ Danorum* alii, mediante Auguſto, *Seqvanam* ingrediuntur, & vaſtatis direptisqve ex utraqve fluminis parte Civitatibus, etiam procul poſitis Monaſteriis atqve villis, locum, qvi dicitur *Foſſa Giualdi* (v) *Seqvanæ* contiguum, ſtationiqve munitisſimum, deligunt, ubi hiemem qvieti transigunt. *Annal. Bertin.* p. 208.

Inter *Melachlinum* Hiberniæ Regem & *Danos* atrox ortum eſt bellum, qvo multi utrinqve ceciderunt. *Waræi* Ant. Hibern. p. 128.

Anscharius Eccleſiam Ripis exſtructam, qvæ in Dania ſecunda fuit, *Remberto* Presbytero commendat. *Adam. Brem.* ap. Lindenbr. p. 9.

Anscharius ex Dania Hamburgum reverſus, *Nordalbingos* de venditione chriſtianorum correxit. *Rembert.* Cap. XXXII. *Adam. Brem.* p. 9.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, anno ætatis qvinqvageſimo qvinto expleto, qvinqvageſimum ſextum orditur. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus viceſimum ſextum* inchoavit.

Dani cum *Nordtmannis* claſſem ſuam (*) *Hollandiæ* partibus applicarunt, ubi cladem inauditam cum tyrannide crudeliſima commiſerunt, deſtruentes *Doreſtadum*, vulgariter *Duerſteden* dictum, vicum nominatiſſimum totius patriæ, in qvo LV. parochiales Eccleſiæ (x) fuiſſe dicuntur. Demum iidem *Dani* vallaverunt *urbem Trajectenſem* per circuitum, devaſtantes cives ſagittis & fundibulis per aſſultum creberrimum, donec tandem egregiam civitatem bellanti manu caperent, nihilominus & caſtri præſidium armipotenter invaderent. Et ecce cruenti prædones univerſum populum, & totum pene clerum, proh dolor, occiderunt. Qvinimo turres, antemuralia, portas, & propugnacula civitatis & caſtri funditus devaſtarunt, ita qvod *Hunigerus* Antiſtes ſolus cum paucis Canonicis ægre diffugerit, & ad præſentiam *Lotharii* (y) Regis in Prumicenſe Monaſterium ſe receperit. *Lotharius* vero motus miſericordia bonitatis Regiæ, contulit Canonicis Trajectenſis Eccleſiæ *Monaſterium Montis Odiliæ*, qvatenus ibidem ab incurſione *Danorum* qviete reſiderent. His itaqve geſtis,

Dani

(u) Pro *Pyratæ Danorum* legitur *Northmanni* in *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. ubi hæc, incuriâ forte Scriptoris, ſub An. 855. referuntur. Hoc anno 856. *in excubiis contra Normannorum infeſtationem degebant*, teſtante *Hincmaro* ap. Flodoard. p. 395.

(v) Ad hunc etiam locum *Dani* Anno 852. appulerunt, ſeqventem hyemem ibi transacturi.

(*) *Joh. de Leydis* in Chron. Egmundano p. 5. hanc expeditionem paulo aliter narrat, addens ejusdem duces, ſcil. *Gillandum* cum Danis & *Rollandum* cum Nortwegianis.

(x) Hoc inter Luciani veras narrationes referendum. Ne omnes qvidem harum provinciarum parochiales Eccleſiæ eum numerum effeciſſent. Tantum abeſt, ut unum oppidum, non ita celebre, tot eſſet ornatum, qvot ne qvidem *Trajectum* caput religionis & Sedes Epiſcopi habebat, *Buthelii* Not. ad Jo. de Beka p. 29. Conf. Willi. Heda p. 48. & ſupra p. 438. 462.

(y) Hic non intelligitur *Lotharius* Imperator, qvi An. 855. obierat, ſed ejus filius & ſucceſſor in regno Lotharingiæ *Lotharius* junior Rex. Hujus literæ donationis Monaſterii Montis Odiliæ, datæ d. 2. Jan. 858, leguntur ap. *Wilh. Hedam* p. 57. & *Miræi Op. Dipl.* T. I. p. 499.

Dani cum *Nordtmannis* omnes Hollandiæ populos nimis acriter affligentes, devenerunt ad *Kenemariam*, ubi ſancti Confeſſoris *Adelberti* dilapidaverunt Eccleſiam; beatum *Jeronem* Presbyterum in *Noertich*, ut traditur, capite truncantes, & caſtrum munitiſſimum *Aurindulii* qvondam Regis prope *Voerburch*, *Vorenburg* deſtruentes. *Hollandenſes* autem incolæ prendiderunt e contra confeſtim arma bellica, committentes in diverſis pagis multa prælia, ſed *Dani*, Deo permittente, prævalentes, *Thietboldum* & *Gerolfum*, egregios Eqvites, cum infinitis Hollandinis, cruenter necaverunt, ac mulieres cum parvulis captivos ad exteras partes & provincias abduxerunt. *Chron. Joh. de Beka* p. 28.

An. 857.

In *Conventu Wormatienſi*, tempore Qvadrageſimæ (z) celebrato, cui ipſe *Anſcharius* interfuit, præſentibus duobus Regibus LUDOVICO & LOTHARIO, controverſia inter *Guntharium* Colonienſem, qvi diu contrarius fuerat, & *Anſcharium* Hamburgenſem Archiepiſcopos de *Epiſcopatu Bremenſi* compoſita eſt. LUDOVICUS Conſtantienſem Epiſcopum *Salomonem* (*) & *Anſcharius* Presbyterum *Nordfridum* Legatos (a) *Romam* mittunt ad impetrandam Summi Pontificis confirmationem. *Rembert.* Cap. XX. *Adam. Brem.* p. 9. *Nicolai Bulla* ap. Staphorſt p. 42.

In eodem *Conventu Wormatienſi* controverſia inter *Waldgarium* Ferdenſem Epiſcopum & *Anſcharium* Hamburgenſem Archiepiſcopum de *Monaſterii Rameſloa* terminata eſt. *Ludov. Dipl.* ap. Pfeffinger Vr. Lün. Hiſt. T. II. p. 76. *Nicolai Bulla* ap. Staphorſt p. 55.

In æſtate hujus anni, ut puto, *Anſcharius*, viſitans *Freſiam*, populum die dominico laborantem caſtigat. *Rembert.* Cap. XXX. *Adam. Brem.* p. 9.

Roruc (b) *Normannus*, qvi præerat *Dorſtado*, cum conſenſu Domini ſui LOTHARII Regis junioris, Claſſem duxit in fines *Danorum*, & conſentiente HORICO *Danorum Rege*, *partem Regni*, *qvæ eſt inter Mare & Egidoram* (c), cum ſociis ſuis poſſedit. *Annal. Metenſ.* p. 305. *Fuldenſ.* p. 553.

(z) Vid. *Annal. Fuldenſ.* p. 553. *Vet. Schol.* (7) *Adami* Ed. Lindenbr. p. 9. ita habet: *Concilium unienis factum eſt Wormatiæ, præſente Cæſare* [ſic Ludovicum Regem nominat] *cum Epiſcopis, ſicut Privilegium teſtatur.*

(*) Videtur mihi *Salomon* ex parte LUDOVICI *duas Legationes ad Papam* obiiſſe, *unam* hac vice An. 857. & 858, de qva *Rembertus*, *Adamus*, & ipſius *Nicolai Bulla* indubie teſtantur: *alteram* circa Annum 864. de qva *Capitula Reſponſionum Nicolai Papæ ad Legationem Salomonis Ep. miſſi a Rege Hludovico Germanico*, in Baluzii Miſcell. T. V. p. 479. clare ſatis teſtantur; Ea enim Capitula loqvuntur de rebus, qvæ primum Annis 861. 863. acciderunt, ergo hæc legatio neceſſario poſt 863. facta ac recentior priori illa ſit, vide infra ad An. 864.

(a) *Eckartus* Rer. Franc. Tom. II. p. 457. 459. putat, hanc Legationem in *Synodo Moguntina* hoc anno 857. menſe Octobri decretam, ſed non ante ſeqventem annum 858. ſuſceptam eſſe. Hoc autem *Remberto* contrariatur, qvi eam ſtatim ex *Wormatienſibus Comitiis* Romam deſtinatam fuiſſe ſcribit, nec Synodi Moguntinæ mentionem facit. Et cur non eodem anno Legati Romam abirent? Qvod autem illi usqve in ſeqventem annum Romæ impediti fuerint, in cauſa eſſe potuit, præter multa alia ac gravia negotia, *Benedicti* Papæ morbus & mors incidens in d. 8. April. 858. & *Nicolai* conſecratio d. 24. Aprilis facta, poſt qvam demum menſe Majo Bulla confirmatoria expedita eſt.

(b) Annal. Fuld. habent *Ruoruc.* Alias *Hrorik*, *Roric*, *Roricus* dicitur. De eo ſæpius ſupra actum eſt. Nonnulli eum *Fratrem* Regis HARALDI KLAK nominant, alii rectius HARALDI *Neporem ex fratre* eum faciunt. Eſt ille Princeps Danicus, qvi, cum Haraldo An. 826. baptizatus, *beneficium in Friſia* a *Ludovico* Imp. accepit. Vide ſupra p. 412. 420.

(c) Videntur tunc primum *Littora occidentalia & Inſulæ Jutiæ auſtralis* ſive *hodierni Ducatus Sleſvicenſis* incolis ex *Friſiorum gente* eſſe frequentata. Unde poſtea regio illa, *colonis Friſicis* habitata, dicta eſt *Friſia minor.* Potuit autem etiam evenisſe, ut diu ante & inde a temporibus GODEFRIDI Regis, per iteratas multoties *Danorum in Freſiam expeditiones*, novi coloni inde huc advecti fuerint; Legimus enim in præcedentibus, noſtros olim, præter aliam prædam, *homines cum mulieribus & liberis* ſæpius ex *Friſia* abduxiſſe.

Cathaldus Albus in Hibernia, dum res novas moliretur, ab *Amlavo* & *Ivaro* (d) prælio profligatus eſt in *Momonia*. *Waræi* Ant. Hib. p. 128.

Rex KAROLUS cum præfato tyranno (e) fœdus pepigit, & hoſtem, qvem ferro neqvibat, auro compeſcuit. Qvo fœdere ſecurus *Alſtagnus* a *Francorum terra* per oceanum pelagus *Italiam* tendens, *Lunæ* portum attigit, & ipſam urbem (f) continuo cepit. Qva potitus, per numeroſa annorum curricula ibidem deguit, Regiqve familiaris poſtmodum factus eſt ex inimico amicus. Verum iſte *Alſtagnus* vulgo *Gurmundus*, verſo nomine, ſolet nominari. *Chron. Mon. Floriac.* inter Script. Norman. p. 32.

His calamitatum malis Galliis per XXX. fere annorum ſpatium lugubre detritis, *Haſtingus* Dominum ſuum (g) ad altiora cupiens provehere, de *Imperiali Diadimate* cum agmine complicum cœpit attentius tractare. Poſtremo inito conſilio, velivolum permeantes mare, *Romam* deliberant clandeſtina irruptione obtinere. Sed nimia exorta tempeſtate, ad urbem *Lunis* devolvuntur. — Cives tanta attoniti Claſſe, Civitatis repagula portis inducunt, propugnacula & jaculis muniunt, atqve ſemetipſos hortantur ad reſiſtendum. Qvorum audaciam *Haſtingus* ut comperit, ratus hanc *Romam* fore, omni conatu cœpit attentare, qvo pacto posſit eam dolo invadere. Deniqve *Epiſcopo* & *Comiti* ſuæ perfidiæ miniſtros dirigit, mandans, non ſua ſponte illuc appuliſſe, ſed ſuam repetere patriam voluiſſe: pacificos ſe eſſe, pacem deinceps qværere, & ſe letali preſſum langvore, ab eis chriſtianum fieri ſupplici prece depoſcere. His Epiſcopus & Comes auditis, gaudio exhilarati, pacem cum nefandiſſimo pacis inimico firmant, ſitqve communis utriqve populo urbis ingreſſus. Tandem ſceleſtus ad Eccleſiam fertur *Haſtingus*, *ſacro baptismo mergitur*. — Qvem ad ſui perniciem *a fonte excipiunt Epiſcopus & Comes*, hincqve bajulorum manibus refertur ad navim, crismate delibutus. Poſt hoc, intempeſto noctis medio, loricatus locatur in feretro, innuens ceteris, ut ſuas induerent loricas ſub tunicis. Proinde fit intolerabilis luctus per exercitum, *Haſtingum obiiſſe neophytum*. Reſonat maris littus tanti Ducis exceſſu. Dehinc navi effertur; ad Eccleſiam bajulatur. Sacra veſtitur *Antiſtes* indumenta, ſacroſactam pro defuncto mactaturus hoſtiam. Fit commendatio animæ, ut corpus tradatur ſepulturæ (h). Sed ecce, proſilit de feretro, *Epiſcopum*qve & *Comitem* obtruncat gladio. Dehinc lupina rabie cum ſuis graſſatur in plebe. His a funeſto perpetratis, theatrum efficitur Dei domus, jugulantur juvenes, trucidantur ſenes, depopulatur civitas, diruuntur a fundamentis mœnia. Hujus itaqve peracta urbis ſubverſione, comperientes *Pagani*, ſe *Romam* nullatenus cepiſſe, veriti, ne ulterius qvicqvam proficerent, inito conſilio de regreſſu disponunt. Nam BIER, totius excidii ſignifer, exercituumqve Rex, dum nativum ſolum [*Danamarcam*] repeteret, naufragium paſſus, vix apud *Anglos* portum obtinuit, qvampluribus de ſuis navibus ſubmerſis. Indeqve *Friſiam* repetens, ibidem obiit mortem. *Haſtingus* vero KAROLUM Francorum Regem adiens, pacem petiit, qvam adipiſcens, *Urbem Carnotenſem*

(d) De his fratribus vid. ſupra ad An. 853.

(e) Scil. *Alſtagno* Duce Danorum, qvi alias *Haſtingus* dicitur. De eo ſupra ad An. 843.

(f) *Muratorii* Antiq. Ital. T. I. p. 25. *Anno* 857. *Lunæ civitas in Italia a Nortmannis dolo capta* &c. Dolum & ſtratagema, qvo *Lunam* Civitatem, qvam *Romam* eſſe putabant, occuparunt *Haſtingus* & *Dani*, prolixe deſcribit *Dudo* in Script. Norm. p. 64. ſq.

(g) Scil. *Bier* ſive *Biornonem Jernſide* juniorem, Regis LODBROKI junioris filium, de qvo paulo infra, & ſupra ad An. 843. 851. Diverſus videtur a *Bernone*, qvi ſe in Seqvana muniverat, de qvo ad An. 855. 856. 858.

(h) Stratagema illud ſive fictus proceſſus exſeqvialis *Haſtingi* late deſcribitur a *Dudone* Script. Norm. p. 65.

ſem (*) ſtipendii munere ab ipſo accepit. *Wilhelm. Gemmetic.* inter Script. Norman. p. 220. ſq.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum ſextum implens, qvinqvageſimum ſeptimum ingreditur. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus viceſimum ſeptimum* incepit.

Piratæ Danorum (h) V. Kalend. Januarias *Loticiam Pariſiorum* invadunt atqve incendio tradunt. Hi vero, qvi apud inferiora *Ligeris* morabantur, *Turones*, & omnia circumqvaqve loca usqve ad *Bliſum* [Blois] *Caſtrum* deprædantur. — *Pippinus* (i) *Danorum pyratis ſociatur*, *Pictavorum Civitatem* devaſtat, & multa alia *Aqvitaniæ* loca depopulat. — *Dani Seqvanæ* inſiſtentes, cuncta libere vaſtant, *Lutetiam Pariſiorum* adgreſſi, *Baſilicam b. Petri & Genovefæ* incendunt, & ceteras omnes, præter *Domum S. Stephani* & *Eccleſiam S. Vincentii* atqve *Germani*, præterqve *Eccleſiam S. Dionyſii*. Pro qvibus, tantummodo, ne incenderentur, *multa ſolidorum ſumma* ſoluta eſt (k). *Alii Danorum* Emporium, qvod *Doreſtatum* dicitur, vi capiunt (l), totamqve *Batavorum Inſulam*, & cetera loca contermina diripiunt. — *Frotbaldus* (m) Epiſcopus Carnotum, inſiſtentibus ſibi *Danis*, in eadem civitate, pedibus fugiens, fluviumqve *Auduram* natatu petens, aqvis interceptus, moritur. *Annal. Bertin.* p. 209.

An. 858.

Hoc anno, ut opinor, *Gautbertus* Sveonum & Osnabrugenſium Epiſcopus moritur. Cujus morte audita, *Ansfridus*, tribus aut eo amplius annis in *Svecia* demoratus, exinde revertitur, & paulo poſt ex vita decedit. *Anscharius* Presbyterum ſuum *Ragembertum* in Sveciam mittere vult, ille autem, in via ad *portum Slesvic*, ſpoliatus a latronibus Danis, die 15. Auguſti occumbit. *Rembert.* Cap. XXIX.

Nicolaus Papa die 31. Maji, in gratiam *Anscharii*, per *Salomonem* Epiſcop. *Legatum* ſuperiori anno Romam miſſum, plenariam *Hamburgenſis & Bremenſis Eccleſiarum conjunctionem* confirmat (n). *Rembert.* Cap. XX. *Nicolai Bulla* in Act. SS. Febr. T. I. p. 406. ap. Staphorſt p. 41.

Nicolaus

(*) *Haſtingus* poſtea, dolo *Teroldi* Comitis deceptus, ipſi *Carnotenam urbem* vendidit, &, diſtractis omnibus, peregre profectus, diſparuit, *Wilh. Gemmet.* p. 228. *Teobaldi* abnepes Comes *Theobaldus* An. 1037. *Carnotum* adhuc tenuit, *Alberici* Chron. P. II. p. 69. *Glaber Rodulphus* ap. Pithoeum p. 8. *Haſtingum* non Danum aut Normannum origine, ſed Gallum, fuiſſe vult. Si verum eſt, qvod *Auctor Transl. S. Aigulfi* ap. Mabill. Act. SS. Ben. T. II. p. 666. narrat, *Haſtingum in bello contra Rodulfum Francorum Regem gladio percuſum eſſe*, qvod circa An. 936. factum ſit, *Haſtingus* ad ſummam pervenerit ſenectutem; niſi duos velis *Haſtingos* ſtatuere.

(h) Pro *Pyratæ Danorum* legitur *Northmanni* in Chron. Norman. ap. Du Chesne T. II. p. 525. *Chron. Turon.* in Script. Norman. p. 25. hæc ad An. 856. refert: *Anno Lotharii XVI. Dani per Flandriam venientes, Sanctum Quintinum & urbem Sueſſionis, & Pariſius cum adjacenti terra deſtruxerunt* &c.

(i) De *Pipini* Aqvitaniæ Regis cum *Normannis* ſocietate, vid. ſupra ad An. 855.

(k) *Chron. Norman.* l. c. heic addit: *Ludovicum Abbatem S. Dionyſii capiunt.*

(l) *Roricus* Danus, qvi *Doreſtadum* in beneficio habuit, tunc, ut ſupra dictum eſt, ad patriam ſuam profectus erat. Videndum autem, anne hæc eadem ſit *Doreſtadi* invaſio, de qva ſupra ad An. 856.

(m) *Mabill.* Vet. Analecta p. 230. hoc ad An. 858. & forſan recte referunt, his verbis: *Anno octingenteſimo qvinqvageſimo octavo*, Indictione ſexta, a *Paganis Seqvanenſibus* facta eſt magna cædes *Carnotis*, in qva interempti ſunt, *Frotboldus* Epiſcopus, *Stephanus* Presbyter, — & cetera multitudo, pro qvibus exorate Dominum.

(n) Hoc *Nicolai Privilegium* tempore *Adami* adhuc in Eccleſia Bremenſi conſervatum fuiſſe, & notare *Annum Domini* 858, qvi eſt ab *ordinatione Anscharii* 28, ipſe teſtis eſt *Adam. Brem.* L. I. c. 27. Idem *Adamus* ib. Cap. XXX. alio modo Annum 858. deſignat, his verbis: *Supervixit S. Ansgarius poſt illam plenariam Hammaburg*

Nicolaus Papa, eodem forte anno & die, & per eundem Legatum Salomonem Ep. Conſtant. *Anſcharío* & Archiepiſcopatui Hamburgenſi *Monaſterium Rameslo* confirmat. *Nicolai Bulla* (o) ap. Lindenbr. p. 128. & Staphorſt. p. 54.

Nicolaus Papa (*), per *Salomonem* Epiſc. Conſtant. *ERICO Regi Danorum* pro miſſis muneribus gratias agit, Regemqve ad perſeverantiam in fide chriſtiana, &, ut videtur, ad ſacrum baptismum percipiendum, exhortatur. *Lit. Nicolai* in Act. SS. Febr. T. I. p. 407. & ap. Staphorſt p. 52.

LUDOVICUS Rex (p), *Francofurti* die 7. Junii, *Anſcharío* & Archiepiſcopatui Hamburgenſi poſſeſſionem *Monaſterii Rameslo* confirmat. *Ludovici Dipl.* (q) in *Letzeneri* Chron. Lud. Pii p. 72. *Pfeffingeri* Vr. Lün. Hiſt. T. I. p. 76.

Berno, dux partis *Pyratarum*, *Seqvanæ* inſiſtentium, ad KARLUM Regem in *Vermeria Palatio* venit, ejusqve ſe manibus dedens, *fidelitatem ſtatim jurat.* Pars altera eorundem *Pyratarum Ludoicum* Abbatem Monaſterii S. Dionyſii, cum fratre ipſius *Gvazleno*, capiunt, eisqve redemptionis ſuæ graviſſimam *multam* imponunt, ob qvam multi theſaurorum Eccleſiarum Dei ex regno KARLI, ipſo jubente, exhauſti ſunt. Sed his minime ſufficientibus, ab eodem Rege, & omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ceterisqve viris potentibus, multæ ad ſuppletionem prædictæ ſummæ certatim conlata ſunt. — *Dani Saxoniam* (r) adgrediuntur, ſed repelluntur. — KARLUS Rex Inſulam Seqvanæ, vocabulo *Oſcellum*, *Danos in ea commorantes obſeſſurus*, menſe Julio adgreditur. LOTHARIUS etiam Rex ad eandem Inſulam menſe Auguſto properat, avunculo adjutorium conlaturus. Ubi usqve IX. Kalendas Octobris absqve profectu obſidionis demorantes, tandem ad propria remeant. *Annal. Bertin.* p. 210.

Menſe

maburg & Bremæ copulationem annos ſeptem. Jam ab An. 858. d. 31. Maji ad d. 3. Febr. 865. currunt anni ſeptem, ſcil. ſeptimo ex more computationis veterum non completo.

(o) Hæc Bulla, vitio forte exſcriptorum, & in Textu & in Datis valde depravata habetur, unde eam, neſcio qvam juſte, falſam & ſuppoſititiam profitetur *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 587. Ego nihilominus in ea ſum ſententia, rem ſe recte habere & ipſam Bullam veram eſſe, modo a mendis & interpolationibus purgetur. Hoc autem mihi dubietatem movet, ad qvem annum illam referam; Si enim diem conſidero, ſcil. *Kal. Junii*, convenit cum altera Nicolai Bulla, qvæ data eſt *prid. Kal. Junii* An. 858. &, æqve ac hæc, per Salomonem remiſſa. Sin vero *Indictio XII.* eſt genuina lectio, Bulla hæc de Rameslon data ſit Anno 864, qvo anno *Salomon* procul dubio iterum tanqvam Legatus Romæ fuit, ut ex *Capitulis Reſponſionum* in Baluzii Miſcell. T. V. p. 479. concludere licet.

(*) Qvia *Salomon* Epiſc. Conſtant. qvi An. 858. Romæ Legatus fuit, munera ERICI Danorum Regis Summo Pontifici obtulit, ideo *Epiſtolam Nicolai Papæ ad Regem* ad hunc annum refero. Niſi malis Annum 864, qvo iterum *Salomon*, ut ſupra obſervavi, in Legatione Romana fuit.

(p) Circa eadem tempora, ut credo, LUDOVICUS etiam *Hamburgenſis & Bremenſis Eccleſiarum unitionem* ſuo Diplomate roboravit, qvod tempore *Adami* cum aliis Privilegiis in Eccleſia Bremenſi adhuc conſervatum fuit, poſtea vero forſan deperditum. De eo *Adam. Brem.* L. I. c. 17. obſcure ſatis ita loqvitur: *Igitur Bremenſis atqve Hammaburgenſis parochiæ coadunatio facta eſt ultimo S. Anſcharii tempore: Vita ejus annum non ponit; PRÆCEPTUM autem REGIS ponit ANNUM REGNI XXI.* Si heic in numero nullus ſit error, referatur illud Privilegium ad Annum 861. aut 862. Hoc autem tam diu poſt unitionem factum eſſe, mirum videtur.

(q) *Ludovici Diploma*, qvod a Letznero, Vorburgio, & Pfeffingero editum eſt, innumeris vitiis & in textu & in Anno ac clauſula ſcatet. Ex *Indictione Sexta* patet, illud ad hunc Annum 858. pertinere debere. At ex incuria aut ignorantia aut erronea mente librarii ad falſitatem ſtatim Diplomatis argumentari, præcipitatum nimis ac injuſtum duco. Et ſic de qvamplurimis aliis Diplomatibus, qvæ docti viri falſa, ſpuria ac fictitia declararunt. Religio mihi ſemper fuit, ipſa Diplomata, qvæ falſi aliqvid oſtendunt, condemnare; danda autem eſt opera, interpolationes &, qvi vitioſa lectione irrepſerunt, errores diſcernere & qvantum fieri poteſt, emendare.

(r) *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. hoc ad An. 857. refert.

Menſe Julio Legati ab occidente ad LUDOVICUM veniunt, poſtulantes eum, ut populo periclitanti præſentia ſua ſubveniret. Qvod niſi celeriter fieret, a *Paganis* cum periculo chriſtianitatis qværere deberent defenſionem, qvam a legittimis dominis invenire non poſſent. Tyrannidem enim KAROLI ſe diutius ferre non poſſe teſtati ſunt, qvia, qvod eis Pagani extrinſecus, nemine reſiſtente aut ſcutum opponente, prædando, captivando, occidendo, atqve vendendo, reliqviſſent, ille intrinſecus ſubdole ſæviendo diſperderet. — Mediante menſe Auguſto venit in Galliam ad villam Regiam, qvæ vocatur *Ponticona*, ubi occurrerunt ei fere omnes Primates partium illarum, exceptis eis, qvos tunc KARLUS ſecum in præſidio habuit, pugnans contra *Nordmannos* ſupra *Ligerim* fluvium. Qvi, ut audivit, LUDOVICUM eſſe intra terminos regni ſui, *dimiſſa obſidione*, cum exercitu occurrit. *Annal. Fuldenſ.* ap. Du Chesne T. II. p. 554.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum ſeptimum complevit, qvinqvageſimum octavum orditur. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus ſui viceſimum octavum* inchoavit.

An. 859.

Anscharius *Rimbertum* (s) *Danum* Epiſcopum Sveonibus ordinat, qvi eo perveniens, benigne a Rege & populo ſuſceptus eſt, & ibi diu, etiam poſt obitum *S. Anſcharii*, divina myſteria libere celebravit. *Rembert.* Cap. XXIX.

Anlavus & *Ivarus* cum magno exercitu in *Midiam* profecti ſunt. De ſucceſſu tacent Annales Hibernici. Sub eo vero tempore, ut videtur, induciæ inter *Melachlinum* & *Danos* ſunt pactæ. *Waræi* Ant. Hibern. p. 128.

Dani loca ultra *Scaldem* populantur. Vulgus promiſcuum inter *Sequanam* & *Ligerim* inter ſe conjurans adverſus *Danos* in *Sequana* conſiſtentes fortiter reſiſtit. Sed qvia incaute ſuſcepta eſt eorum conjuratio, a potentioribus noſtris facile interficiuntur. — *Pyratæ Danorum* longo maris circuitu, inter *Hiſpanias* videlicet & *Africam* navigantes, *Rhodanum* ingrediuntur, depopulatisqve qvibusdam civitatibus ac monaſteriis, in Inſula, qvæ *Camarias* dicitur, ſe diſponunt. — *Dani* noviter advenientes *Monaſterium S. Walarici* & *Samarobricam* Ambianorum Civitatem, aliaqve circumqvaqve loca rapinis & incendiis vaſtant. Alii qvoqve eorum Inſulam Rheni *Batavum* ſimili furore invadunt. Hi vero, qvi in *Sequana* morantur, *Noviomum* (t) Civitatem noctu adgreſſi, *Immonem* (u) Epiſcopum, cum aliis nobilibus tam clericis qvam laicis, capiunt, vaſtataqve civitate ſecum abducunt, atqve in itinere interficiunt. Qvi etiam ante duos menſes *Ermenfridum* Belvagorum in qvadam villa interfecerant. Sed & anno præterito *Blatfridum* Bajocaſſium Epiſcopum necaverant. Oſſa beatorum martyrum *Dionyſii*, *Ruſtici*, & *Eleutherii*, metu eorundem *Danorum* in pagum Mauripenſem, in villam ſui juris *Novientum* devecta ſunt. *Annal. Bertin.* p. 209. 210. *Chron. Normann.* ap. Du Chesne T. II. p. 525. ſq.

(s) *Rembertus* hic, qvi An. 859. factus eſt *Sveonum Epiſcopus*, in *Vita S. Anſcharii* Cap. XXIX. aperte diſtingvitur a *S. Remberto* Archiepiſcopo Hamburgenſi, eo qvod ille natione *Danus* fuit & adhuc in Svecia docens cum *S. Rembertus* Vitam Anſchariana ſcripſerit: Præterea hic procul dubio gente *Flander* fuit, ut indicat *Vita ejus* Cap. III.

(t) *Chron. Elnon.* ap. Martene T. III. p. 1394. hoc ad An. 858. refert. Conf. *Lupi* Op. edit. Baluz. p. 389.

(u) De *Immone* Epiſc. ita habet *Jac. Meyerus* Annal. Flandr. fol. 12. b. *Emino Epiſcopus Noviomagenſis occiditur a Normannis in urbis direptione: Hic aliis vocatur Omnio.* Apud *Dudonem* Script. Norm. p. 63. ſic legitur: *Enno Noviomacenſis Epiſcopus cum ſuis Diaconibus IV. Kalend. Maji peremptus eſt.* Alii necem *Emmonis* Tornacenſis Epiſcopi & depopulationem *Tornaci* per *Normannos* ad An. 860. referunt, vid. *Narrat. de Abbas. Tornac.* in Spicil. Acherii T. II. p. 903.

Normanni Piratæ his temporibus ad noſtra litora pervenerunt. Deinde *Hiſpaniam* perrexerunt, omnem ejus maritimam gladio igneqve prædando diſſipaverunt. Deinde mari transvecti *Nacchor* civitatem *Mauritaniæ* invaſerunt, ibiqve multitudinem *Chaldæorum* interfecerunt. Deinde *Majoricam*, *Formenteram* & *Minoricam* inſulas aggreſſi, gladio depopulaverunt. Poſt *Græciam* advecti, poſt triennium in patriam ſunt reverſi. *Sebaſt. Salmantic. Epiſc.* ap. Petr. de Marca in Marc. Hiſp. p. 327. & 328.

Anno regni Arabum 241. *LX. naves a Normannia* advenerunt, & *Gelzirat*, *Alhadra*, & *Mezqvitas*, undiqve deductis ſpoliis, cæde & incendio conſumpſerunt. Deinde in *Africam* proceſſerunt, ubi exterminia gravia exercuerunt, & reverſi, in *maritimis Hiſpaniæ* hyemarunt, & in vere ad propria redierunt. *Roder. Toletan.* in Hiſp. Illuſtr. T. II. p. 276.

Die 8. Septembris *S. Anscharius*, completo anno ætatis ſuæ qvinqvageſimo octavo, qvinqvageſimum nonum inchoat. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus ſui viceſimum nonum* exorditur.

An. 860.

Rimbertus (v) noſter ſit *Paſtor* in *Ripen*. Annal. Corbei. ap. Leibnit. T. II. p. 298. & in Paullini Syntagm. p. 372.

Dani Piratæ Tarvanenſem pagum devaſtant. Chron. Elnon. ap. Martene T. III. p. 1394.

KARLUS Rex, inani *Danorum in Seqvana conſiſtentium* pollicitatione pellectus, exactionem de theſauris Eccleſiarum, & omnibus manſis, ac negotiatoribus etiam paupertinis, ita ut etiam domus eorum & omnia utenſilia adpreciarentur, & inde *ſtatutus cenſus* exigeretur, fieri jubet. Nam idem *Dani* promiſerant, ut, ſi eis *tria millia librarum argenti pondere examinato* tribueret, ſe adverſus eos *Danos*, qvi in *Seqvana* verſabantur, ituros, eosqve inde aut expulſuros, aut interfecturos. — *Dani*, in *Somma* conſiſtentes, cum eis non daretur ſupradictus *cenſus*, receptis obſidibus, ad *Anglo-Saxones* navigant, a qvibus profligati (x) atqve repulſi, alias partes petunt. Hi vero *Dani*, qvi in *Rhodano* morabantur, usqve ad *Valentiam* civitatem vaſtando perveniunt. Unde direptis, qvæ circa erant, omnibus, revertentes, ad Inſulam (y), in qva ſedes poſuerant, redeunt. — *Dani*, qvi in *Rhodano* fuerant, *Italiam* petunt, & *Piſas* civitatem (z) aliasqve capiunt, deprædantur, atqve devaſtant. *Annal. Bert.* p. 211. 212. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 526.

Æthelbaldus Rex deceſſit, *Æthelbryhtus* ejus frater totum regnum capeſſit. Ejus tempore advenit de mari *magnus navalis exercitus* (a), & expugnavit *Wintanceaſter*.

(v) *Rembertus* hic, qvi An. 859. factus eſt *Paſtor Ripenſis*, & qvem Monachi Corbeienſes in Annalibus ſuis ap. Leibnit. T. II. p. 298. *noſtrum* vocant, vix alius eſſe poteſt, qvam *S. Rembertus* Archiepiſcopus Hamburgenſis, S. Anscharii Succeſſor ejusqve Vitæ Auctor. Illum iidem Annales Corbei. paulo infra iterum *noſtrum* nominant his verbis: *Rembertus noſter fit Epiſcopus & ſuccedit Ansgario noſtro*, & ſic tertio ad Annum 888. de eodem ſcribunt: *Rembertus noſter Epiſc. Brem. & Hammab. obit.* Hoc etiam *Hoitfeldius* noſter Chr. Epiſc. in fol. p. 3. bene obſervavit, ſic ſcribens: *Primus doctor Eccleſiæ Ripenſis dicitur fuiſſe S. Rimbertus, S. Ansgarii diſcipulus, cui Ansgarius dictam Eccleſiam commendavit, qvi etiam erat Diaconus & Præceptoris ſui Ansgarii in Epiſcopatu Succeſſor, Anno* 888. *mortuus.* Cumqve per *Paſtorem* veteres ſæpius intellexerint *Epiſcopum*, qvo ſenſu ipſe Rembertus *Anscharium Paſtorem* vocat, nemini abſurdum videbitur, ſumme venerab. *Pontoppidanum* Annal. Eccl. Dan. T. I. p. 144. *Sanctum Rembertum*, licet eum cum *Rimberto* Sveonum Epiſcopo confundat, *primum Ripenſium Epiſcopum* habere. Conf. ſupra p. 432. Not. (y).

(x) Iidem ſcil. Dani, qvi infra in Anglia cæſi narrantur.

(y) Nempe *Camaria*, Rhodani inſula, qvam Anno 859. occuparunt, ut ſupra dictum eſt.

(z) Conf. *Muratorii* Antiqv. Ital. T. I. p. 29.

ceaſter. Cum iſto vero exercitu depugnabant *Osricus* Dux cum Hamtonſcyre, & *Æthelwulfus* Dux cum Bearwuefcyre, eumqve fugabant, & loci, ubi facta eſt ſtrages, poteſtatem obtinebant. *Gibſon Chron. Sax.* p. 78. *Aſſer. Menev.* ed. F. Wiſe p. 14. *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 121. *Flor. Wigorn.* p. 584.

Waregi ab altera parte maris in *Ruſſiam* venerunt, tributum annuum a *Slavis, Merenis & Krivizis*, Ruſtiæ incolis, poſtulantes. *Chron. Theodoſ. Kiov.* in Saml. Ruſſ. Geſch. T. I. p. 9.

Die 8. Septembris *S. Anſcharius* annum ætatis ſuæ qvinqvageſimum nonum conficit, ſexageſimum ingrediens. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus trigeſimum* incepit.

Hoc anno, & ſeqventibus, *Anſcharius* videtur maximam temporis partem Bremæ reſediſſe, rebusqve & inſtitutis ſacris operam dediſſe.

An. 861.

Dani (b) menſe Januario *Lutetiam Pariſiorum*, & *Eccleſiam S. Vincentii* martyris & *S. Germani* confeſſoris, incendio tradunt. *Negotiatores* qvoqve, per *Sequanam* navigio ſurſum verſus fugientes, inſeqvuntur & capiunt. Alii qvoqve *Danorum Pyratæ* Tarvanenſem pagum adeunt & devaſtant. — *Dani*, qvi pridem *Morinum* civitatem incenderant, de *Anglis* (c) revertentes, duce *Vuelando*, cum *ducentis & eo amplius navibus* per *Sequanam* aſcendunt, & Caſtellum, in Inſula, qvæ *Oscellus* (d) dicitur, a *Nortmannis* conſtructum, & eosdem *Nortmannos* obſident. Ad qvorum obſidentium videlicet locarium (e) *qvinqve millia libras argenti*, cum *animalium* atqve annonæ ſumma non modica, de regno ſuo, ne deprædaretur, exigi KAROLUS præcepit. — Interea *Danorum* pars altera cum *ſexaginta navibus* per *Sequanam* in fluvium *Tellas* aſcendunt, indeqve ad obſidentes Caſtellum perveniunt, & eorum ſocietate junguntur. Obſeſſi autem, famis inedia & miſeria omni ſqvalore compulſi, *ſex millia libras inter aurum & argentum* obſidentibus donant, eisqve ſociantur, & ſic per *Sequanam* usqve ad mare deſcendunt. Qvos imminens hyems ingredi mare prohibuit. Unde ſe per ſingulos portus ab ipſo loco *Pariſius* usqve ſecundum *ſuas ſodalitates* dividunt. *Vuelandus* autem per *Sequanam* usqve ad Caſtrum *Milidunum* cum ſociis ſuis aſcendit. Caſtellani vero cum *Vuelando* filio *Foſſatis* Monaſterium occupant. — KAROLUS contra Nortmannos a qvibusdam invitatus &c. *Annal. Bertin.* p. 212.

Tempore *Hugonis* Abbatis (f), *Normanni*, qvi de Francia in *patriam ſuam reverſi*, *invicem bellis inteſtinis ſe colliſerant* (g), nunc invicem pacificati, & reſumtis viribus adunati, *Franciam* repetunt, & amica ſibi fraude, pecunia avidi, rapina famelici,

(a) Idem videlicet *Danorum exercitus*, qvi, ut ſupra dictum eſt, in Somna fluvio reſederat, unde, receptis in Gallia obſidibus, ad *Anglo-Saxones* navigaverat. Qvod ex Anglia in Galliam reverſus ſit, vid. Annum ſeqventem. *Matth. Weſtmon.* hoc ſub Anno 861. narrat.

(b) Conf. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 526.

(c) Qvod hi *Dani* in Anglia repulſi ſint, vid. An. 860.

(d) De hac Inſula, vide *Lupi Epiſt.* ed. Baluz. p. 180. *Aimoinus* de Mirac. S. Germ. de eadem ita: *Nortmanni apud eundem locum, qvi dicitur Oſcellus, in qvadam Sequanæ Inſula reſidentes, Pariſius ſæpe, dum prorſus placebat, navali excurſu veniebant.*

(e) Edictum *Caroli Calvi* Cariſienſe de Conjecto & ad navium compoſitionem & *Nortmannis pro regni ſalvamento dando*, editum An. 861. Vid. *Capit. Reg. Franc.* T. II. p. 151. *Sirmondi Op.* T. III. p. 226.

(f) Abbatis Monaſterii Sithivenſis S. Bertini.

(g) Forte *Roricus* & ſocii ejus, qvi An. 857. in patria Dania ab HORICO Rege partem regni obtinuerant, jam vero iterum inqvieti facti.

famelici, toto niſu per mare velivolantes, ad has partes applicuerunt, in ſinibus *Menapum* (h), in ſinu, qvi vocatur *Iſerd-portus*, ibiqve proſilientes e navibus, incendiis & ferro cuncta vaſtantes, ad hunc locum pauſationis Chriſti confeſſorum Audomari & Bertini properant aviditate furripiendorum theſaurorum, ſabbatoqve Pentecoſtes hebdomadæ huc advenerunt Anno Domini DCCCLXI. ſed proviſione tutantis Dei nullos ex fratribus noſtris præter qvatuor invenerunt; reliqvi vero, qvia villa fortalitio firmata non erat, ad loca tutiora confugerant. Hac igitur vice prima Monaſterium hoc deſtruxerunt & prædaverunt: Qvatuor autem Monachi antedicti, qvi ſe Deo devoverant, a Monaſterio non receſſuros, ſed magis animam pro Deo & ſancta religione poſituros, *Worardus* ſcil. & *Winedbaldus*, *Gerwaldus* & *Begenardus* diaconi, ab iis Danis diverſis mactati cruciatibus, martyrio coronantur. *Joh. Iperii Chron.* ap. Martene T. III. p. 518.

Ob tam furibundas Septentrionalium Barbarorum incurſiones *Flandri* in ſuis pagis caſtellisqve munitiones facere cœperunt. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 12. b.

Ruſſos tributum negantes *Waregi* armata manu adoriuntur. Diſſidentium inter ſe Principum Ruſſorum pars *Waregis* ſe ſociat. Tres *Waregorum* Principes, fratres, *Ruricus* (*), *Sineus* & *Trumor*, ad regimen populi Ruſſici eliguntur. Poſt biennium duobus ultimis ex hac vita diſcedentibus, ſolus *Ruricus* imperium Ruſſicum adeptus, civitatem *Novogardiam*, cujus veteres coloni ex *Waregis* ſive gentibus ſeptentrionalibus oriundi erant, Sedem ſibi adoptavit, eandemqve novis ac melioribus ornavit ædificiis. Ex ea totam *Ruſſiam* Waregi *Novogardiam* nuncuparunt. Cum *Rurico* Waregorum Duce duo Principes advenerant, *Scold* & *Dir* nominati, qvi *Kiowiam* & partem magnam *Poloniæ* occuparunt, *Principatum Kiowienſem* conſtituentes. *Chron. Theodoſ. Kiow.* in Saml. Ruſſ. Geſch. T. I. p. 9. ſq. *Stepenna Kniga* in Actis Boruſſ. T. I. p. 882. ſq.

Circa hæc tempora, & forte hoc anno, *Islandia* inſula a *Norvegis* primum inventa eſt ac poſtea ſenſim habitari coepta. *Landnama Saga* p. 1. 2.

Hoc anno, translato per *Anscharium* corpore *S. Willehadi* ab auſtrali Oratorio in Eccleſiam b. Petri, ad ſepulcrum ejus Miracula fieri incipiunt. *Adam. Brem.* L. I. c. 30.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ ſexageſimum implevit, ſexageſimum primum ingreſſus. A die 1. Junii *annum Archiepiſcopatus ſui trigeſimum primum* incepit.

An. 862.

KAROLUS Silvanecti dum moraretur, exſpectans, ut ad eum populus conveniret, qvatenus aciebus diſpoſitis ex utrisqve ſuis ripis, ſingulæ aqvæ *Iſara*, *Matrona*, & *Seqvana*, cuſtodirentur, ne *Normanni* in prædam ire valerent: nuncium accepit, qvia *Danorum* electi de his, qvi in *Foſſatis* reſederant, cum parvis navibus *Meldenſium* Civitatem (·.·) adirent. Ipſe autem cum ſuis, qvos ſecum habuit, illo pergere

(h) *Eckartus* Rer. Franc. T. II. p. 472. ex Auctore Mirac. S. Bertini L. II. ſub An. 860. rem ſic narrat: „Veniunt *qvidam Normannorum* navibus in finibus *Monapiorum*, in ſinu, qvi tunc vocabatur *Iſaræ Portus*, „nunc *Neoportus*, applicant, omniaqve incendiis & cædibus vicina loca infeſtant: In Sabbatho Pentecoſtes in *Sithivenſe S. Bertini Monaſterium* irrumpunt, ſed Monachos jam inde profugos non reperiunt &c.“. Conf. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. III. p. 125.

(*) *Mich. Lomonoſſow* in ſua veteri Hiſt. Ruſſ. *Rurik* Principem *Boruſſum*, nullo autem modo *Danum* aut *Svecum*, fuiſſe contendit, cum tamen ipſum nomen hominem ex noſtro Septentrione oriundum prodat. Minime tamen cum Ill. *Dalino* Hiſt. Svec. T. I. p. 538. *Roricum* pro *Erico* Biornonis Regis Sveciæ filio venditare auſim.

(·.·) De *Meldenſium civitate* per *Normannos* viſitata, leg. *S. Faronis Vit.* ap. Mabill. Act. SS. Ben. T. II. p. 624. ſq.

pergere maturavit. Et qvoniam, pontibus a *Nortmannis* deſtructis, & navibus occupatis, eos adire non poterat, neceſſario uſus conſilio, pontem ad inſulam ſecus *Trajectum* reſicit, & *Nortmannis* deſcendendi aditum intercludit. Scaras nihilominus ex utraqve ripa *Matronæ* ad cuſtodiam deputat (i). Qva de re *Normanni* valde conſtricti obſides electos, & CAROLO miſſos, ea conditione donant, ut omnes captivos, qvos ceperant, poſtqvam *Matronam* intraverant, ſine mora aliqva redderent, & aut cum aliis *Nortmannis* conſtituto die Placiti a Seqvana recedentes, mare peterent: aut ſi alii cum eis redire non vellent, una cum exercitu CAROLI retractantes ire bello appeterent. Sicqve, datis decem obſidibus, ſunt ad ſuos redire permiſſi. Et poſt viginti circiter dies ipſe *Welandus* ad CAROLUM veniens, illi ſe commendavit, & *ſacramenta cum eis*, qvos ſecum habuit, ſtatim *præbuit*. Indeqve ad naves regreſſus, cum omni *Danorum* navigio usqve ad *Gemeticum*, ubi illorum naves ſtatuerunt reficere, & vernale æqvinoctium exſpectare, deſcendit. Refectis navibus, *Dani* mare petentes, per plures claſſes ſe dividunt, & prout cuiqve viſum eſt, in diverſa velificant. Major autem pars *Britannos*, qvi *Salomone* duce habitant in *Niuſtria*, petit. Qvibus & illi junguntur, qvi in *Hiſpania* fuerant. De qvibus *Rodbertus* duodecim naves, qvas *Salomon* in contrarietatem ejus locario jure conduxerat, in fluvio *Ligeri* capit: omnesqve, qvi in illo fuere navigio, interfecit, præter paucos, qvi fuga lapſi delituerunt. *Rodbertus* autem *Salomonem* ſuſtinere non valens, cum præfatis *Nortmannis*, qvi de *Seqvana* exierunt, anteqvam illos *Salomon* ſibi adverſus eum adſciſceret, datis utrimqve obſidibus, in ſex millibus argenti contra eundem *Salomonem* convenit. *Welandus*, cum *uxore*, & *filiis*, ad CAROLUM venit, & *chriſtianus cum ſuis efficitur*. — CAROLUS Seqvana munitiones conſtruens, aſcendendi vel deſcendendi navibus propter *Nortmannos* aditum intercludit. — *Dani* magnam regni LUDOVICI partem cæde & igni vaſtantes, prædantur. *Annal. Bertin.* p. 213. 214.

Nicolaus Papa CAROLUM CALVUM hortatur, ut *Baldvinum*, qvi filiam ejus in uxorem rapuerat, in gratiam recipiat, ne propter iram Regis *Normannis* ſe conjungat. *Du Chesne* Script. Franc. T. III. p. 829. *Miræi* Op. Dipl. T. I. p. 132.

Hincmarus Archiep. Rem. *Iſaaco* Lingonenſi Epiſcopo, pro qvodam Regio Milite (k), ab ipſo excommunicato, ſvadet, ut mitius erga eum ageret, propter inſtantem de *infeſtatione paganorum* neceſſitatem. *Frodoardus* ed. Duac. p. 477.

Hincmarus Archiepiſcopus *Hungarium* Epiſcopum Trajectenſem hortatur, ut admoneat *Roricum Normannum* (l), *nuper ad fidem Chriſti converſum*, ne recipiat *Baldvinum*, neqve præſidium ferat: Sed &, ſi ceteri *Nortmanni* per ejus conſilium, ut audierat, poſt converſionem ipſius iſtud regnum deprædati fuiſſent, hoc digna pœnitentia emendare ſtuderet. *Frodoardus* p. 478.

Hincmarus ſcribit *Rorico Normanno*, *ad fidem Chriſti converſo*, ut in Dei voluntate & mandatorum illius obſervatione proficiat, ſicut & eum velle & facere per multos audiebat, & ut nemo ei perſvadere valeat, qvo contra chriſtianos *paganis* aut conſilium aut adjutorium præſtet, qvia nihil ei proderit, *baptismum chriſtianitatis accepiſſe*, ſi contra chriſtianos, vel per ſe, aut per alios qvoscunqve perverſa vel adverſa fuerit machinatus. — Monens etiam, ut *Balduinum* anathematizatum nullo

(i) Hæc CAROLI contra *Normannos* expeditio in menſe Januario ſuſcepta eſt, vid. *Eckart.* Rer. Franc. T. II. p. 489. ſq.

(k) *Baldvino* procul dubio, qvi poſtea factus eſt Comes Flandriæ.

(l) *Roricus* ille *Normannus*, qvi An. 862. dicitur *nuper ad fidem converſus*, alius ſine dubio & diverſus videtur fuiſſe a *Rorico*, Regis HARALDI KLAK nepote, qvi cum eo An. 826. Moguntiæ baptizatus erat, & de qvo in præcedentibus ſæpius.

modo reciperet, neqve ſolatium vel refugium aliqvod apud ſe habere permitteret &c. *Frodoardus* p. 521.

Defuncto *Melachlino* Rege Hiberniæ, *Lorcanus* filius Cathaldi & *Cornelius* filius Dermitii *Regnum Midiæ* inter ſe partiti ſunt. Iis vero ab *Edano* cognomento *Finliat*, *Danorum auxilio*, poſtea captis, *Edanus* Rex Hiberniæ ſalutatur. *Lorcanum* ab *Edano* tunc oculis orbatum, & *Cornelium* ab *Amlavo* (m) Clonardæ ſubmerſum ferunt. *Waræi* Ant. Hib. p. 129.

Hoc anno, ut opinor, *Anscharius* Vitam & Miracula *S. Willehadi* inſigni libro & fideli ſtilo deſcribit. In eadem deſcriptione ſeipſum hoc titulo nominat: *Dono omnipotentis Dei*, *Anscharius Bremenſis Eccleſiæ* Præſul. Vid. ſupra p. 353. *Adam. Brem.* L. I. c. 11. 30.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis ſuæ ſexageſimum primum complevit, ſexageſimum ſecundum inchoavit. A Kalendis Junii *annum Archiepiſcopatus ſui triceſimum ſecundum* agens.

An. 863.

Dani (n) menſe Januario per Rhenum verſus *Coloniam* navigio aſcendunt, & depopulato emporio, qvod *Doreſtatus* dicitur, ſed & villam *Nommodocam* (o), ad qvam *Friſii* confugerant, occiſis multis *Friſiorum negotiatoribus*, & capta non modica populi multitudine, usqve ad qvandam *inſulam* ſecus Caſtellum *Noueſium* perveniunt. Qvibus LOTHARIUS ex una parte Rheni cum ſuis, & *Saxones* ex alia parte, aggrediuntur, & usqve circa Kalendas Aprilis conſident. Unde iidem *Dani*, conſilio *Rorici*, ſicut acceſſerant, & recedunt. — Duo *Nortmanni*, qvi nuper cum *Vuelando* (p) chriſtianitatem dolo, ut tunc dicebatur, & poſt claruit, poſtulantes, de navibus exierunt, ſuper eum infidelitatem miſerunt. Qvorum unus, *ſecundum gentis ſuæ morem*, cum eo negante armis coram Rege contendens, illum in certamine interfecit. Interea triſti nuncio *Carolus* Rex comperit, qvod *Nortmanni Pictavis* (q) venerant, & ſub redemptione civitate ſervata, *Eccleſiam S. Hilarii* incenderant. *Ann. Bertin.* p. 215. 218.

Turpio Engolismenſium Comes cum *Normannis* congreditur, & occidens eorum Regem, nomine *Maurum*, ab eo ipſe occiditur. *Chron. Aqvitan.* ap. Labbeum T. I. p. 292. Conf. *Baluz.* in Lupi Epiſt. p. 434.

Baldvinus in Regis verba jurat, totam regionem, Scalde, Somona, & oceano terminatam, dotalem ab eo accipit, appellatur Comes Regni, in hoc maxime, ut *adverſum Danos omnemqve Septentrionis barbariem* perpetuus foret Regni Galliarum propugnator. — Eodem anno CAROLUS Rex, qvo plures haberet, qvos *Danis Normannisqve tam efferis hoſtibus* opponeret, *Hollandiam* qvoqve, Batavorum olim celebrem inſulam, Comitatus honore decoravit, *Theodorico* primo inſtituto Comite. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 13.

Hoc & ſeqventi anno, regnante *Michaele* Græcorum Imperatore, *Scold* (*) & *Dir*, Waregi Principes Kiovienſium, expeditionem in *Conſtantinopolim* fecerunt, cum

(m) De *Amlavo* Rege Oſtmannorum in Hibernia: vide ſupra ad An. 853. 857. 859.

(n) *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 526. hæc ad An. 863. refert.

(o) *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 495. *Nouiomagum* hic intelligi putat.

(p) De *Welando* vid. ſupra ad An. 861, 862.

(q) *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 198. ad h. a. *Pictavis a paganis vaſtata eſt, & Baſilica S. Hilarii igne cremata eſt.*

(*) *Oſkold* rectius ſcribitur a *Lomonoſſow* Hiſt. Ruſſ. p. 68. Conjecturæ *Dalini* in Hiſt. Svec. T. I. p. 523 539. de hac expeditione & de his Principibus, ſunt nimium audaces.

cum ducentis navibus civitatem obsidentes. Exorta tandem vehementissima tempestas classem dispersit navesqve fregit, ita ut pauci Russorum evaserint, qvi sacro se baptismate perfundi cupiebant, & religionem christianam amplexi sunt. *Chr. Theodos. Kiov.* collat. cum Græcis eorum temporum Scriptoribus, *Mullers* Saml. Russ. Gesch. T. I. p. 11. 28. sq.

LUDOVICUS Rex Germaniæ restituit *Egiberto* Episcopo Osnabrugensi decimas & res Ecclesiæ suæ, direptas a *Cobbone* Comite & *Gosberto* (r) *Sveonum Episcopo*, dum eorum tuitioni ea Ecclesia commissa fuerat. *Ludovici Dipl.* dat. Mogunt. 10 Novembr. 863.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ sexagesimum secundum absolvit, sexagesimum tertium inivit. A die 1. Junii *annum Archiepiscopatus sui tricesimum tertium* incepit.

Hoc anno HARALDUS HAARFAGER, decem annos natus, factus est Rex Norvegiæ, testantibus optimis *Islandorum Annalibus* (s).

Circa hæc tempora, & post, GORMO GRANDÆVUS Danorum Rex debellandis provinciarum Regulis & Monarchiam Regni stabiliendo occupatus erat, cujus exemplum *Haraldus Haarfager* postea imitatus est. *Torfæi* Hist. Norv. T. I. p. 410.

An. 864.

CAROLUS Aqvitanos hostiliter contra *Nortmannos*, qvi *Ecclesiam S. Hilarii* incenderunt, dispositio exercitu, ire præcipiens, filium & æqvivocum suum CAROLUM secum ducens, Compendium rediit. *Nortmanni Arvernum* Civitatem petunt, ubi *Stephanum* (t) *Hugonis filium* cum paucis suorum interfectum, impune ad suas naves redeunt. *Pippinus*, Pippini filius, ex monacho laicus & apostata factus, se *Normannis* conjungit, & *ritum eorum* servat. — LOTHARIUS, Lotharii filius, de omni regno suo *qvatuor denarios* ex omni manso colligens, *summam denariorum*, cum multa *pensione farinæ*, atqve *pecorum*, nec non *vini* ac *siceræ*, *Rodulfo Nortmanno*, HERIOLDI filio, ac suis, *locarii* nomine tribuit. — *Nortmanni*, qvi cum plurimo navigio in *Flandris* appulerunt, resistentibus sibi pagensibus, per Rhenum ascendunt, & vicina regnorum LOTHARII & HLUDOVICI ex utraqve ripa ipsius fluminis vastant. — CAROLUS firmitates in Seqvana, ne *Nortmanni* per eundem fluvium possint ascendere, ibidem fieri jubet. — *Pippinus* apostata a *Nortmannorum* collegio ab *Aqvitanis* ingenio capitur, in *Placito Pistensi* præsentatur, & a regni Primoribus, ut patriæ & christianitatis proditor, & demum generaliter ab omnibus ad mortem dijudicatur, & in *Silvanectis* artissima custodia religatur. — *Rodbertus* Comes Andegavensis rediens, duos cuneos de *Nortmannis*, qvi in Ligeri fluvio residebant, unum qvidem, exceptis paucis evadentibus, interfecit, & altero majore retro superveniente, vulneratur. Unde paucis suorum amissis, sibi secessu consuluit, & post paucos dies convaluit. *Annal. Bertin.* p. 218. 221. 222.

Obtinente regnum Francorum CAROLO Rege, filio Ludovici Magni Imp. grassata ingens persecutio in Ecclesia Christi in regionibus *Aqvitaniæ* seu *Gasconiæ*. Siqvidem *Paganorum barbaries*, qvos usitato sermone *Danos* seu *Normannos* appellant,

(r) De *Gosberto*, qvi idem est ac *Gautbertus* Sveonum Episcopus, vid. supra p. 454.

(s) Codex Annal. Island. scriptus An. 1313. de qvo supra p. 2. sic ad Annum 863. habet: *Vpphaf Rikis Haralldz Harfagra*, o: Initium Regni Haraldi Pulchricomi. Idem legitur in alio egregio *Annalium Islandicorum* Codice membraneo, circa Annum 1306. scripto, sed sub Anno 858.

(t) *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 198. *Anno* 864. *Stephanus Comes Arvernorum a Danis interfectus est.*

lant, a ſuis ſedibus cum innumerabili exeuntes navali geſtamine, ad *Sanctonicam* ſive *Burdegalenſem* urbes ſunt advecti. Indeqve pasſim in præfatis diſcurrentes provinciis, depopulando Monaſteria, Eccleſias, nec non & cunctas hominum ædes igne cremantes, non parvas hominum ſtrages occidendo dederunt. — *Arnaldus*, Dux Gaſconum, ſæpius cum præfatis *Barbaris* ob defenſionem ſanctæ Eccleſiæ præliando certaverat, & multos ex tetra illa atqve ſpurciſima natione interficiens, maximam ad ultimum ſui nobiliſſimi exercitus partem amiſerat. Erat autem tunc in pago *Lemovicino* a præfatis *Paganis* incenſum Monaſterium, qvod *Solempniacum* (*) more antiqvo vocant. *Fragm. Lemov.* ap. Du Chesne T. II. p. 400.

In Junio celebrantur *Comitia Piſtenſia*, qvo Regem & Proceres traxerat generalis neceſſitas *inſtituendi munitiones contra Normannos*. In iisdem Comitiis *plures adverſus Normannos cautiones* adhibitæ ſunt. *Acherii Spicil.* T. I. p. 600. *Capit. Reg. Franc.* T. II. p. 173. ſqq. *Eckart* Rer. Franc. T. II. p. 502.

In Edicto Piſtenſi, qvod de defenſione patriæ contra *Nortmannos* editum eſt, ita Capite XXV. conſtituitur, ut, qvicunqve poſt proximas Kalendas Julii *Nortmannis*, qvocunqve ingenio, vel pro redemptione, vel pro aliqvo pretio, *bruniam*, vel qvæcunqve *arma*, aut *caballum*, donaverit, ſicut proditor patriæ & expoſitor chriſtianitatis ad perditionem gentilitati ſine ulla retractatione vel redemptione de vita componat. *Capit. Reg. Franc.* T. II. p. 186.

Nicolaus Papa Romam citat Epiſcopos Galliarum ad Synodum: Illi autem ſe *propter Normannorum* excurſiones excuſant. *Nicolai Lit.* ad Ludov. & Carol. Reges ap. Du Chesne T. III. p. 834. Conf. *Hincmari Epiſt.* ad Nicol. in Opp. Hincmari T. II. p. 249.

Hoc anno *Salomon* Epiſc. Conſtant. juſſu *Ludovici* Regis alteram Legationem (u) Romanam obiiſſe videtur. Reſponſiones, qvas tum a Papa obtinuit, inter alios hos continent articulos: (1) „Ut *Epiſcopus Bremenſis*, licet a *Gunthario* hæc non potuerit „dari licentia, nec ab eo tale qvid peti debuerit, tamen pro amore *Domini Regis*, „qvia pia eſt ejus petitio, cum noſtra auctoritate in prædicto loco *Bremon* poteſtatem „& honorem *Archiepiſcopatus* (v) *ſuper Danos & Suevos* habeat, & ſimili modo „*ſui Succeſſores* per tempora futura perpetualiter teneant atqve poſſideant". (2) „Pro „*Rege Danorum* (x), *qui vovit votum Deo & ſancto Petro*, gratias agimus eidem „Deo, deprecantes pariter, ut, qvod nobis de Cornelio Centurione refertur, faciat „qvoqve clementer de hoc in proximo nos audire. Cui orationes & eleemoſynæ etſi

„*ante*

(*) *Monaſterium Solemniacenſe* a *Nortmannis* direptum & incendio conſumptum, patet ex Privilegio ap. Sirmond. Concil. Gall. T. III. qvod Patres Synodi Sueſſionenſis *Bernardo* Abbati An. 866. contulerunt, qvoniam, *Nortmannorum crudelitate graſſante, priora inſtrumenta incendio fuerant* concremata. *Mabill.* Act. SS. Bened. T. VI. p. 73.

(u) Primam *Salomonis* Legationem Romanam puto inceptam Anno 857. finitam Anno 858. fuiſſe, vide ſupra ad hos annos. Altera autem ejus Legatio poſt Annum 863. neceſſario facta ſit; nam *Capitula Reſponſionum Nicolai Papæ*, qvæ in Baluzii Miſcell. T. V. p. 479. ſq. leguntur, res qvasdam continent, qvæ hoc anno contigerunt. Niſi velis utramqve Legationem in unam eandemqve contrahere, qvæ demum Anno 864. ſuſcepta ſit; qvod tamen vix concedere poſſum.

(v) Hinc apparet, Legationem hanc ab illa Anni 858. diverſam eſſe; in priori enim *Nicolaus* Papa Hamburgenſem & Bremenſem dioceſes deinceps non duas ſed unam eſſe & vocari ſubdiqve *Eccleſiæ Archiepiſcopali Hamburgenſi* jubet: In hac vero poſteriori Legatione idem Papa *Archiepiſcopalem poteſtatem ac honorem ſuper Danos & Svecos* transfert ad *Eccleſiæ Bremenſis Epiſcopum ejusqve Succeſſores*; qvod etiam *Rembertus* Vit. S. Ansch. Cap. XX. circa finem ſuboſcure videtur indicare.

(x) An ad hunc annum trahatur *Nicolai Papæ ad Ericum II. Regem Danorum Epiſtola*, de qva ad Annum 858. ſupra, incertus ſum. Crederem, & in prima & in ſecunda Salomonis Legatione apud Nicolaum Papam factam fuiſſe *Regis Danorum* mentionem.

„ *ante Baptismum* non profuerunt, tamen ad cognoscendam veracissimam pietatem". *Capit. Respons.* ap. Baluz. T. V. p. 479. 482. 484.

Die 8. Septembris *S. Anscharius* annum ætatis suæ sexagesimum tertium complevit, sexagesimum qvartum ingressus. A Kalendis Junii *annum Archiepiscopatus sui tricesimum qvartum* incepit.

Circa exitum mensis Septembris aut initio Octobris, *S. Anscharius*, anno ætatis suæ sexagesimo qvarto, Archiepiscopatus vero tricesimo qvarto, gravi dysenteriæ morbo laborare cœpit, qvo per qvatuor menses & eo amplius, usqve ad obitum suum, tenebatur. *Rembert.* Cap. XXXIII.

S. Anscharius, ante mortem, res Diœceseos suæ sollicite disponit. *Privilegia Apostolicæ Sedis*, qvæ erant de *Legatione* ipsius facta, in *multis libellis* jussit describere & per omnes pene LUDOVICI Regis Germaniæ Episcopos destinare. Ipsi qvoqve Regi LUDOVICO ejusqve filio *Ludovico* hoc ipsum opus dirigit, addens & sui nominis *literas* (y), qvibus eis, fundata jam apud *Danos* ac *Sveones* Ecclesia, *Legationem Septentrionalem* intime commendat. *Rembert.* Cap. XXIV. *Anscharii Lit.* ap. Staphorst T. I. p. 59.

An. 865.

Cum jam *S. Anscharius* per *tres continuos menses* morbo laborasset, & *Epiphania Domini* transisset, optare cœpit, qvod in *Purificatione S. Mariæ* ad cœlestem gloriam assumeretur, seqve ad beatam mortem præparavit. *Rembert.* Cap. XXXIV.

In *Vigilia Purificationis b. Mariæ*, ɔ: d. 1. Februarii, tres magnos cereos ante se in Ecclesiam ferri fecit. Illucescente *ipso dictæ Festivitatis die*, ɔ: d. 2. Febr. Missas pro eo Sacerdotes celebrarunt. Eo die Clero & Pauperibus convivium præparari fecit, suos ad divinum animans servitium. Maxima tamen ejus cura & sollicitudo de sua fuit *Legatione ad Gentes*. *Noctem seqventem* in talibus admonitionibus piisqve meditationibus pene duxit continuam. *Mane vero facta*, ɔ: d. 3. Februarii, percepta corporis & sangvinis Domini communione, intentis in cœlum oculis spiritum vitæ exhalavit. Morienti *S. Anschario* familiarissimus illi *Rembertus* assidue adstitit. Eodem die corpus ejus ex more thuratum, feretroqve impositum, ad Ecclesiam defertur & terræ mandatur. *Rembert.* Cap. XXXIV. *Vit. S. Remb.* Cap. 9.

Supervixit *S. Anscharius* post plenariam Hammaburg & Bremæ copulationem annos septem (z). Sedit autem omnes annos XXXIIII (a). Cujus depositio summa veneratione colitur *III. Nonas Februarii* (b). Obiit ergo Anno Domini DCCCLXV. Indictione XIII. qvi est LUTHEWICI SECUNDI XXVI (c), sepultusqve est in *Basilica S. Petri* ante altare S. Dei genitricis Mariæ. *Ad. Brem.* L. I. c. 31.

S. Anscharius, sicut triduo ante mortem *S. Remberto* prædixerat, qvod sibi in Archiepiscopatu (d) succederet, ita moribundus eum astantibus singulari elogio commendavit. Ipso etiam mox die, qvo *S. Anscharius* terræ mandatus est, *Rembertum*

(y) Plures Epistolas de *Legatione sua Septentrionali* scripsisse *S. Anscharium*, qvæ adhuc Seculo XI. extiterunt, testatur *Adamus Bremensis* L. I. c. 21. „Episcopos tam voce, qvam *literis*, ut vigilarent super dominicum gregem, hos arguit, illos obsecravit. At vero *Romanorum Regibus pro sua Legatione, Regibus Danorum pro christiana fide crebro mandavit. Extant Epistolæ ejus plures hujusmodi*".

(z) Septimo scilicet non completo, vid. supra ad An. 858.

(a) Ultimo non completo; *tricesimum qvartum* enim *Archiepiscopatus annum* a Kalendis Junii superioris anni inchoaverat.

(b) Eodem enim die, qvo mortuus, sepultus est, scil. *die* 3. *Februarii*. S. Anscharius *Bremæ* moritur.

(c) Scil. primo anno & ultimo non completo, ut computarunt veteres.

(d) Imo longe ante prædixit illum suæ virtutis æmulum & *in Cathedra Pontificali succedere*, ut scribit *Adamus Brem.* L. I. c. 20.

Diaconum ejus Clerus & Populus concorditer elegerunt. Poſtea hic a *Theodorico* Epiſcopo Mindenſi & *Adelgario* Abbate Corbeienſi ad LUDOVICUM Regem adducitur, a qvo Pontificalem baculum ſuſcipit. Juſſu Regis ducitur *Moguntiam*, ubi a *Luidberto* Archiepiſcopo conſecratus, venit *Corbeiam*, veſtemqve ſuſcepit cum profeſſione Monaſtica. Circa finem anni Pallium Pontificale ſuſcepit a Papa *Nicolao*. *Vita S. Remberti* Cap. 11. 12. *Adam. Brem.* L. I. c. 31. 32.

Eodem forte anno, aut non diu poſt, *Anſcharius* noſter *Sanctorum Catalogo* adſcriptus creditur. Num vero, ut tum moris erat, a Succeſſore ejus *Remberto* hoc actum ſit, an ab alio, approbante poſt Summo Pontifice, nullibi legimus.

Nortmanni ſecunda irruptione *Aurelianos* aggreſſi, urbem ambuſtione concremant, parsqve illorum, duce *Bareto* (e), cum *qvadraginta navibus*, *Monaſterium S. Benedicti* (f) expetunt, qvod ab urbe Aurelianenſi decem & octo diſtant millibus. Illud deniqve vacuum habitatoribus reperientes, cunctis vero mortalium temporaneis refertum commodis, more ſibi familiari prædantur, diſſipant, ad poſtremum vero igni immiſſo adurunt. Aberat jam tunc corpus ſacratiſſimum Confeſſoris Chriſti *Benedicti* &c. *Adrevaldus* Auctor coævus ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. II. p. 388.

Nortmanni (g) reſidentes in *Ligeri*, cum maximo impetu, faciente divino judicio, ſecundo vento per eundem fluvium usqve ad Monaſterium S. Benedicti, qvod *Floriacus* dicitur, navigant, & idem monaſterium incendunt, & in redeundo *Aurelianis* civitatem, & monaſteria ibidem & circum circa conſiſtentia igne cremant, præter *Eccleſiam S. Crucis*, qvam flamma, cum inde multum laboratum a *Nortmannis* fuerit, vorare non potuit. Sicqve per amnis alveum deſcendentes, & vicina qvæqve depopulantes, ad ſtationem ſuam reverſi ſunt. — *Carolus* ab *Attiniaco* contra *Nortmannos*, qvi cum navibus qvinqvaginta in Seqvanam venerant, hoſtiliter pergit. — *Nortmanni* vero, reſidentes in *Ligeri*, libere *Pictavum* (h) civitatem pedeſtri ordine pergunt, eandemqve civitatem incendunt, & impune ad naves ſuas reveniunt. *Rodbertus* autem de eisdem *Nortmannis*, qvi ſedebant in *Ligeri*, amplius qvam qvingentos ſine damno ſuorum occidens, *vexilla* & *arma Nortmannica* Carolo mittit. *Carolus* autem perveniens usqve ad locum, qvi dicitur *Piſtis*, ubi immorabantur *Nortmanni*, fidelium ſuorum conſilio pontes ſuper Iſaram & Matronam refici curat, in locis, qvi dicuntur Aluernis & Carenton: qvoniam ab incolis, qvi ex antiqvo ipſos pontes fecerant, propter infeſtationem *Nortmannorum* refici non valebant &c. Ipſi autem *Nortmanni*, qvoniam adhuc citra Seqvanam cuſtodes non venerant, ex ſe circiter ducentos *Pariſius* mittunt. Ubi, qvod qvæſierant, *vinum* non invenientes, ad ſuos, qvi eos miſerant, ſine indemnitate ſui reveniunt. Indeqve amplius qvam qvingenti ultra Seqvanam usqve ad Carnotum prædatum ire diſponentes, a Cuſtodibus ripæ ipſius fluminis impetuntur: & qvibusdam ſuorum amiſſis, qvibusdam etiam vulneratis, ad naves regrediuntur. — *Carolo* nunciatur, qvia *Nortmanni* XIII. Kal. Novembris Monaſterium S. Dionyſii intraverunt. Ubi viginti circiter diebus immorantes, & qvotidie prædam exinde ad ſuas naves ducentes, poſt multam deprædationem ſine contradictione cujusqvam ad caſtra ſua non longe ab eodem monaſterio ſunt reverſi. Interea *Nortmanni*, reſidentes in Ligeri, commixti cum Britonibus, Cinomannis civitatem petunt, & impune deprædantes eam, ad ſuas naves revertuntur. *Aqvitani* confligentes cum *Nortmannis*, qvi in Carento, *Sigefrido* duce, reſident, qvadrin-

(e) Nonne legendum ſit *Harecus.*
(f) Monaſterium Floriacenſe.
(g) Conf. *Chron. Norman.* ap. Du Chesne T. II. p. 526.
(h) Conf. *Chron. Malleac.* ap. Labbeum T. II. p. 198.

qvadringentos circiter ex eis occiderunt. Ceteri autem fugientes ad naves ſuas redierunt. *Carolus Adalardo*, cui cuſtodiam contra *Nortmannos* commiſerat, ſed & ſuis propinqvis *Hugoni & Berengario*, qvia nihil utilitatis contra *Nortmannos* egerant, collatos honores tollit. *Nortmanni*, qvi præfatum monaſterium deprædati ſunt, vario modo infirmantur, & qvidam in rabiem verſi, qvidam autem ſcabie correpti, qvidam inteſtina cum aqvaliculo per anum emittentes, moriuntur. *Carolus*, dimiſſis Cuſtodibus contra eosdem Nortmannos, Silvanectis revertitur. *Annal. Bertin.* p. 222. 223. 224.

Pagamus exercitus (i) in hibernis deſedit in *Tenet*, & fœdus pepigit cum Cantwaris; Cantwari enim iis pecunias promiſerunt, modo pacem ferirent. Sub prætextu vero iſtius pacis & pecuniæ promiſſæ, exercitus noctu ſe clam caſtris ſubduxit, & devaſtavit totum Cantium ex parte orientali. *Gibſon* Chron. Sax. p. 78. *Aſſer. Menev.* Ed. F. Wiſe p. 15.

865. Balduinus Princeps *Burgum*, hoc eſt, *Caſtrum Brugis* muniviſſe traditur *adverſus Danos*. *Meyeri* Annal. Flandr. fol. 13. b. Conf. *Iperii* Chron. ap. Martene T. III. p. 520.

(i) *Sim. Dunelm.* ap. Twysden p. 122. hoc ad An. 864. refert, ſic & *Flor. Wigorn.* p. 585. ſed *Matth. Weſtm.* p. 160. ad An. 863.

XXXII.

Gvaldonis Poëma de Vita S. Anscharii Archiepiſcopi Hamburgenſis.

Gvaldonis Poëma, qvod, excepta Præfatione, eſt mera paraphraſis *Vitæ S. Anscharii* a *Remberto* conſcriptæ, primus ex antiqviſſimo Codice Corbeienſi Lutetiæ deſcribendum curavit *Petrus Lambecius*, oculisqve omnium ac judiciis exhibuit. „Multa, inqvit Cel. ille „Editor, paſſim in eo occurrunt barbara, ſoloeca multa, multa nove, inepte & contra ipſos „etiam proſodaicos canones poſita: Qvæ omnia tamen conſulto præterii, qvippe cum neqve „fas neqve opus eſſe crediderim, qvidqvam eorum corrigere & immutare, qvæ in Archetypo „inveniſſem. Præterea neminem exiſtimo fore tam iniqvum, qvi a barbari Seculi Scriptore „puritatem & elegantiam Virgilii deſideret, aut mihi vitio vertat, qvod barbarum illum potius, „qvam pro lubitu a me correctum ediderim". Hanc *Lambecii Editionem* Arrhenius ac reliqvi omnes, qvi *S. Anscharii vitam* publici juris fecerunt, iterarunt. Lectiones variantes, qvæ in omnibus exſtant editionibus, curioſe collegit *Staphorſtius* in Tomo I. Hiſtoriæ ſuæ Eccl. Hamb. Ego præcipuas ſolum variantes in Notis ſubjunxi; illos, qvi plures deſiderant, ad Editionem Staphorſtianam ablegans. *Ætatem Gvaldonis* indicat Præfatio, qvæ ſcripta eſt ad *Adelbertum*, decimum tertium Hamburgenſem Archiepiſcopum, qvi huic & Bremenſi Eccleſiis ab Anno 1043. usqve ad An. 1072. præfuit. *Auctorem* fuiſſe Monachum Corbeiæ veteris in Gallia, & hoc ſuum Poëma circa Annum 1065. ſcripſiſſe, ipſe in eadem Præfatione haud obſcure prodit. Unde patet, metricam hanc vitam ſupra ſeptingentos abhinc annos eſſe compoſitam, Auctoremqve ejus *Gvaldonem* celeberrimo illi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Hamburgenſis Archiepiſcopatus & Septentrionis Scriptori *Adamo Bremenſi* ſynchronum fuiſſe. Qvo autem *Gvaldo* antiqvior, eo felicius confirmat, *Vitam illam S. Anscharii*, qvam habemus, ducentis ante eum annis a *Remberto* conſcriptam, qvamqve ipſe Paraphraſi metrica illuſtravit, genuinam, veram & integram eſſe.

Præfatio.

Dulce tuis, *Alberte* (a), decus, jubar ignivaporum,
Eccleſiæ turris, regni diadema decorum,
Gloria Pontificum, Regum (b) venerabile numen!
Qvod tibi *mater* init *Corbeia* (c), ſume volumen.
Id tamen ante tui ſibi direxere priores,
Sed non illa ſuos acuit ſcriptura tenores:
Per planam diſcurrit iter ſermone pedeſtri,
Non ſe per tumulos moderamine flectit eqveſtri.
Scanditur hoc ſenis pedibus modulante Thalia,
Qvam petimus, ne veſtra velit reprobare ſophia.
Hæc pro pigneribus collatis dona rependit,
Cujus ab uberibus felix puer ille pependit,
Qvi lac ſalvificum Scythico ſtillavit in orbe,
Primus & in *veſtra* ſurrexit *Epiſcopus urbe* (d).
Qvam ſpecioſa fuit tua mater, ſancta juventus,
Cujus adhuc vernat jam canis ſparſa ſenectus.
Qvalis eras cum Regis opes *Adalardus* (e) & aulas
Reſpuit, atqve tuas albo cum vellere caulas
Ingrediens, primo gradu ſurrexit ab uno.
Hic tibi *Ratbertum* (f) genuit, ſapientia cujus
Guttura ditavit dociles ingreſſa receſſus,
Contra Catholicos ne ſibilet impius angvis.
Verus in altari Chriſti de corpore ſangvis
Stillat, & occiſi pro mundo carnibus agni
Veſcimur in terra, per qvod revocamur ad aſtra,
Fitqve per hoc epulum Domini mens noſtra ſepulchrum.
Hanc ſcriptura fidem tenuit, qva condidit idem
Matris Corbeiæ rector *Paſchaſius* ipſe.
Tertius a primo decimus, ſed qvartus ab ipſo,
Qvi dedit Auſoniis leges & fœdus in armis,
Regni præſidium, lux mundi, gloria Regum.
Et pater & cuſtos *Adelardus* nobilis heros.

Hic

(a) *Gvaldo* librum ſuum dedicavit *Alberto* ſive *Adelberto* Hamburgenſi Archiepiſcopo & Bremenſi Epiſcopo, qvi temporibus Imp. *Henr. III.* & *IV.* floruit, & decesſit An. 1072. Vitam ejus ac res geſtas fuſe deſcripſerunt *Adamus Bremenſis* & *Lambertus Schaffnaburgenſis*, illorum temporum Scriptores.

(b) Scil. *Henrici III.* & *IV.* vid. *Adam. Brem.* L. III. c. 6. *Lamb. Schaffnab.* ad An. 1063. 1072.

(c) *Gvaldo* fuit Monachus *Veteris Corbejæ* in Gallia, qvam ubiqve *Matrem* vocat ratione *filiæ* ſive *Novæ Corbejæ* in Saxonia; hanc enim *Corbejam juniorem* poſtea appellat.

(d) *Hamburgi* ſcilicet, ubi *S. Anſcharius* primus erat Archiepiſcopus, *Adelbertus* autem decimus tertius.

(e) *S. Adalardus*, Corbejæ veteris Abbas, Conſangvineus *Caroli M.* & frater *Walæ* Comitis, qvi poſt ipſum Abbas fuit. Hujus vitam conſcripſit paulo infra laudatus *Paſchaſius Ratbertus*, qvartus ab ipſo Abbas Corbejenſis, qvi diſcipulus ejus fuit & tempore *Caroli Calvi* floruit. *Hincmarus* Epiſt. 14. c. 12. *Adelhardum ſenem & ſapientem*, qvem in Adoleſcentia ſua viderat, laudat. Conf. *Du Chesne* Hiſt. Franc. T. II. p. 652.

(f) *Paſchaſius Radbertus*, cujus Opera Pariſiis An. 1618. edita ſunt, *Abbas Scriptis clariſſimus* audit *Mabillonio* Act. SS. Bened. T. II. p. 1042. Idem T. VI. p. 124. de eodem ita: „Anno 831. *Paſchaſius Radbertus* Abbas Corbeienſis in Gallia a LUDOVICO in *Saxoniam* cauſa ſacræ, ut puto, expeditionis, qvæ per *Anſcharium* in *populos Septentrionales*, procurante Imperatore, tum fiebat, legatus eſt, ex Lib. de *Vita Walæ* Cap. 8.“

Hic tuus, *Anschari*, bonitate magiſter in omni (*)
Extitit; hoc dulces hauſiſti fonte liqvores,
Qveîs inroraſti *Slavos*, *Danos*qve rigaſti
His aqvilone rigens, chorisqve nivalibus arens
Tota madet guttis, fœcundaqve fruge ſalutis.
Erroris lolium contrivit humus *Sveonum*
In via terrarum rivis portantur aqvarum.
Stagnat enim fluviis eremus prius uſta pruinis,
Per deſerta rubent incultis ſentibus uvæ;
Cum myrtho redolet lignum felicis olivæ,
Cedrus odora, comis abies, ſublimis & ulmus
Collibus incubuere, venuſtat humillima buxus,
Qvæ neſcit labi convalles fronde virenti.
Fontibus irriguis divini gratia roris
Exprimitur, per qvam reparatur langvidus Adam,
Per torrentis aqvas fidei doctrina redundas
Rite figuratur, eremi ſitus unde rigatur:
Spina manum lacerat, doctrinis lingva cruentat
Cor delinqventis verbi mucrone potentis.
Qvas Deus infundit, qvas mens liqvefacta refundit
De lacrymis animæ pendent in ſentibus uvæ
Contuſæ myrthus, qvæ corporis alligat artus
Exprimit afflictis affectum compatientis
Myrthus membra fovet, compaſſio triſtia mulcet,
Pectore propellit curas animumqve reducit.
Et qvid elemoſynæ ſpeciem niſi fructus olivæ
Innuit hac flammas aſſumit ab arbore lampas,
Et dum diffuſis opibus miſeretur egenis
Fructus elemoſinæ ſpeciem niſi fructus olivæ
Emicat ante Dei faciem ſplendore perenni.
Qvæ cariem neſcit, qvæ nulla labe putreſcit.
Qvos virtus celebrat ſua cedrus odora figurat.
Horum tota Dei domus halat odore ſvavi.
Qvi meritis operum per ſigna potentia rerum
Chriſti pace vigent, nullaqve putredine lucent,
Hyrta comis abies ſublimi vertice nubes
Excreſcendo petit, cœlumqve cacumine tangit:
Qvis tenet hanc ſpeciem, niſi qvis trans æthera mentem
Vibrat & in terris poſitus, caput inſerit aſtris.
Ulmus apocat humum, per frondea brachia fructum
Non habet ipſa tamen, portat cum germine vitem
Divitiis mentes ut frondibus exuberantes
Ex mundi culmo portendi remur ab ulmo

(*) *Gerardus* Mon. Corb. in Vita S. Adalhardi ap. Mabill. Act. SS. Bened. T. V. p. 345. hæc confirmat: „*S. An-*
„*schарius*, qvi a *Walone*, *S. Adalardi* fratre, in Gorbeia fuit electus, ut a Rege LUDOVICO cum HE-
„RIOLDO *Danorum Rege* ad prædicationem *Danorum* mitteretur, qviqve poſtea pro fide Chriſti multis
„poenis ab eisdem affectus, tandem in *Bremia* Archiepiſcopatu ſuo reqvievit, *Sancti Adalardi auditor fuit*
„*& nutritius.*

Sed qvamvis terræ famulantes germina ferre
Virtutum neqveunt, juſtus umbracula fiunt,
Qvos dum ſuſtentant botrum cum palmite portant,
Buxus nec fructum profert, neqve creſcit in altum
Eſt tamen hyrtarum fœcunda virore comarum:
Imbecilla per hanc ſpeciem prætenditur ætas,
Qvæ ſi cum fructu non tollit ad alta cacumen,
Sed tamen æternum fidei tenet ipſa virorem.
Qvid virgulta per hæc discurrit ſermo Poetæ?
Qvid ne per exceſſum perſtringit verba Prophetæ,
Rite ſub arboribus ripi cum paradigma ciemus.
Namqve per *Anscharium* Dominum plantaſſe videmur
In *Danis* hortum virtutis odore refertum.
Cum cedro ſpinam, cum myrtho ſevit olivam,
Hæc flagrat, hæc pungit, micat hæc ea membra (g),
Nam redolet virtus, ſit enim hæc correctio clavus,
Fit medicina dolens, miſerans jubar, & liqvor ungens.
Alta petens abies, ulmus frondoſa vireſcens,
Buxus ut accumulent horti ſpecioſa cohærent
Hac theoria nidet, hac vitis ab arbore pendet
Hac viret alma fides, qvæ nec ſubſidere canis
Æſtuat hyberno nec marcet frigore tauri.
Ergo per *Anscharium* glacialis & invia tellus
Danorum Domini frondeſcit uti paradyſus
Occidit umbra nocens ferclis ſylva comantes
Ramos depoſuit luti cecidere vacantes
Uſibus errorum: latebræ patuere magorum
Excesſit cultura Deorum polluta cruentis
Officiis pecudum, jam non furit augur in extis
Omnis in Eccleſiæ populus ſacramenta cucurrit.
Repulit omne nefas, Chriſto ſua colla ſubegit,
Imperat in terris Deus, exulat invidus angvis
At qvi barbariem domuit, qvi propulit hoſtem
Signifer & Domini procurſor in *urbe Bremenſi*
*Trans*qve *Albim* (h) regnat, ſed Gallica rura ſerenat.
Pignoribusqve ſuis ditat (i) cunabula matris.

Unde

(g) Deeſt hic verbum *perungit* aut ſimile.

(h) Nempe *Hamburgi*, ubi primus fuit Archiepiſcopus.

(i) Hinc colligitur, partem aliqvam *Reliqviarum S. Anschatii* ab Archiepiſcopo *Adelberto* Monaſterio Corbejæ veteris donatam fuiſſe, qvod & infra circa finem hujus præfationis confirmatur. De his ita *Steph. Baluzius* in Not. ad Capit. Reg. Franc. T. II. p. 1116. „Ex Epiſtola *Adalberti* ad Fulconem confirmatur con„jectura Petri Lambecii, qvi ex nonnullis *Gvaldonis* verſibus collegit, partem aliqvam *Reliqviarum corpo*„*ris S. Anscharii* Monaſterio Corbeiæ veteris donatam fuiſſe ab Archiepiſcopo *Adalberto*, eaqve occaſione „*Gvaldonem ad illum ſcripſiſſe Poëma de vita Anscharii*". Epiſtola illa *Adalberti* legitur ibid. p. 1554. De eisdem *Mabillonius* Act. SS. Bened. T. VI. p. 120. ſic ſcribit: „In Corbeienſi Monaſterio Gallicano Os bra„chii S. Anscharii adſervatur, ſcrinio argenteo incluſum, qvod *Fulconi* Abbati *Adalbertus* Bremenſis cum „*Epiſtola* inferius edita dono transmiſit circiter Annum 1048. De hoc *brachii oſſe* intelligenda videntur, „qvæ in Martyrologio mss. Corbeiæ Gallicæ leguntur: *Kal. Martii exceptio Reliqviarum Sancti Anscharii*

Hamma-

Unde pater digne grates, *Alberte*, referre
Non tibi ſufficimus meditari, qvippe neqvimus
Qvid de te primum ſit nobis commemorandum.
Si genus occurrit, Regum de ſangvine prodit (k)
Stirpis origo tuæ, ſed nobilitatis opimæ
Fultus apex titulis transcenditur indole mentis
Præminet imperio ditione Hierarchicus ordo,
Altior officii gradus eſt diademate regni,
Qvamvis per Regem conſcendit honoris ad arcem
Infula Pontificis plus eſt qvam purpura Regis,
Nil tibi detractum, nihil eſt, *Alberte*, negatum:
Gloria, nobilitas, ſpecies, decus, ampla facultas,
Progenies, qvæ prima putat mortalis & ambit.
Omnia ſufficiunt tibi, nil fortuna reliqvit.
Qvo poſſit niti, qvo poſſit opinio tendi
Qvæ partim conferre ſolet natura, qvibusqve
Dona ſuæ cumulavit opis locupletius in te.
Corporis eſt habitudo decens, jucunda ſenectus,
Cor prudens, mens ſancta, fluens dulcedine pectus.
Aſpectu frons læta ſuo, vox blanda loqventis,
Gratior in ſermone favi dulcere loqventis,
Affectu miſeris pietas effuſa benigno,
Larga manus nulli vultu contracta retorto.
Ergo, qvid, alme pater, reparati corporis Isrel.
Currus & auriga Chriſti libamen & ara,
Tene levem dicam nubem reſidemve columbam,
Nil defraudabo tibi nomen utrumqve vocabo,
Tu terris cedens animo, celeſtibus hærens,
Abdita rimaris, hominum dum pectora guttis
Doctrinæ in roras: qvaſi nubes æthera tranas;
Cum vero refugis per turpia lucra rotari,
Nec cohibes oculos per devia qvæqve vagari,
Cum mitis placidus non exardeſcis in ira,
Ad propriam reſides ſine felle columba feneſtram.
Hæc ſuper *urbs Romana* tibi ſacravit honorem,
Legatum terram qvem fecit in ulteriorem
Sedis Apoſtolicæ primæqve Vicarius urbis,
Caſtra Dei metator habes in finibus urbis
Si tua majeſtas adeoqve potentia crevit
Ut rerum Dominæ, qvæ mundi regna ſubegit,
De ſolio Romæ confidat Epiſcopus in te,
Qvi cœlos reſerat, qvi vincula cuncta reſolvit,

Auſpiciis

„ *Hammaburgenſis Archiepiſcopi.* In Corbeia Saxonica nonnullæ *Reliqviarum Anſcharii* particulæ, qvas *Vi-*
„ *celinus* Bremenſis Canonicus, cum conſenſu *Fritherici* Epiſcopi ſui, Monachis contulit, procedente Se-
„ culo XII, ut ad Vitam S. Willehadi obſervatum ". Conf. paulo infra Not. (o).

(k) *Adamo Brem.* L. 3. c. 3. Adalbertus dicitur *genere nobiliſſimus.* Abblandiuntur autem ei Gvaldo & Scriptores coævi.

Auſpiciis, *Patriarcha* (l), tuis ad tegmina ſurgit,
Ergo tuæ, petimus, memor eſto ſenilis alumnæ,
Ne titubet, ſis turris ei, roburqve columnæ,
Qva nihil in terris fuit excellentius unqvam.
Extulit hanc *Batildis* (m) humo Regina puellam,
Fecit ei thalamum genetrix pulcherrima Regum
Pulchra ſubornavit gemmis *Simoni*qve dicavit,
Cum thalamo ſponſam *Petrus* illi contulit arrham
Libertatis opem, ſibi ne manus æmula dotem
Auferret per vim, vel eam ſubverteret olim.
Nupta ſemel ſoli poſt ſe non nuberet ulli.
Nec ſibi rivalis *Præſul* foret *Ambianenſis*,
Neve bona ſponſæ præſumeret improbus eſſe.
Talibus auſpiciis *centum qvater* hactenus *annis* (n)
Altrix *Anſcharii*, conjux *Corbeia* Petri,
Qvamvis pertulerit diſcrimen, libera manſit.
Verum qvæ qvondam viguit qvaſi libana cedrus,
Jam ſenio marcens dependet ut arida qvercus
Sed tamen hæret humo, nec turbine flectitur ullo.
Ergo manum prætende, libenter *Epiſcopus urbis*
Romanæ, decernet ei, qvodcunqve rogabis.
Talem ſe lætetur avus genuiſſe nepotem,
Qvo tutante ſuam conſervet libera dotem.
Maternis laribus ſacro de corpore pignus (o)
Transmiſſum per te, fœdus renovavit utrinqve.
Qvod Deus æternet nobis, omniqve gubernet
Tempore, te mortis, pater, eripiendo periclis,
Contra naturam qvem compulit eſſe Poëtam (p)
Gualdo tibi fidus, ſanctiſſime Præſul, amicus:
Te ne forte ſcaber ſtilus informisve character
Irruget naves doctas, aut differat aures.
Corrigere transductis abolens errata lituris.

Incipit

(l) Cogitavit *Adalbertus* de *Patriarchatu Hamburgi* inſtituendo; ideoqve ſe *Patriarcham* appellari ſivit, vid. *Ad. Brem.* L. 3. c. 34. 41.

(m) *Batildis*, Clodovei ſ. Ludovici II. Francorum Regis uxor, circa An. 665. Monaſterium Corbejæ veteris exſtruxit, & S. Petro conſecravit. Poſt mortem Sanctarum Catalogo adſcripta.

(n) Ergo circa Annum 1065. *Gvaldo* hæc ſcripſit, ſive octavo ante mortem *Adalberti* anno.

(o) De *Reliqviis S. Anſcharii* ab Adelberto Archiep. Brem. ad Monaſterium Corbeiæ veteris transmiſſis, vid. paulo ſupra Not. (i). Plures *S. Anſcharii Reliqviæ* aliis in locis olim ſervatæ inveniuntur. Ex. gr. Apud Fratres Minores *Roſkildiæ* de *Oſſibus S. Anſcharii*, de *Digito S. Anſcharii*. *Hamburgi Caput b. Anſcharii cum Corona deargentatum*, Staphorſt T. I. p. 465. *Dens de S. Anſcharo*, Epiſcopo Mindenſi An. 1183. ab Abbate Corbeienſi miſſus, Paullini Chron. Mind. p. 22. 65. Anno 1603. *Altare portatile, qvo S. Anſcharius uti ſolebat*, e Saxonia Moguntiam allatum fuiſſe, tradit Nic. Serarius Rer. Mogunt. L. 3. Not. 23. De *ſpectro S. Anſcharii* An. 1095. in Bibliotheca Corbeienſi viſo, leg. *Annal. Corbei.* ap. Paullini p. 390.

(p) *Lambecius* in Prolegomenis ad Vitam S. Anſcharii putat, inter hunc & proxime ſeqventem Verſum librarii culpa omiſſum eſſe talem forte Verſum:

Anſcharii meritis ſemper devota voluntas.

Incipit Narratio Vitæ S. Anscharii.

Præſulis Anscharii tenet actus iſte libellus,
Qvaliter altrici qvondam tellure profectus
Sidus uti rutilans, qvod noctis nubila pellit,
Diſponente Deo, *Danorum regna petivit.*
In tenebris mortis *gens illa* ſedebat & umbra,
Mors erat errorum populi caligo profunda:
Barbara ſacrilego cultu portenta colebant,
Horrendumqve nefas vice Religionis habebant,
Nondum juſtitiæ ſol luxerat in regione:
Nullus adhuc liqvidis baptismi merſus in undis,
Per ſacramenta piæ fidei deterſerat in ſe
Aut labem propriam, vel qvæ pater intulit Adam.
Ergo Dei penitus leges miſerabile vulgus
Ignorans ſacris operam dabat impietatis.
Aſt opifex hominum, qvi librat pondera rerum,
Te, pater *Anschari*, Deus illum miſit in orbem,
Ut per te populi diſſolveret impietatem.
Ergo, beate Pater, ſtellanti ſede recepte,
In terra poſitis fer opem fidentibus in te.
Adde pauca tuis amor eſt Epigrammata geſtis,
Vela damus pelago, votis, Pater alme, faveto.

Cap. I.

Libri principia lachrymas & gaudia miſcet.

Corbeia Patres in primis rite ſalutant.
Diſcipuli Patris *Anscharii* gemitumqve freqventant
In partes animi fluctu pietatis aguntur,
Et nunc ad lachrymas, ad gaudia nunc rapiuntur,
Qvod pater occubuit, qvod mortis debita ſoluit
Plangunt & lugent; petit qvia ſidera gaudent,
Ut ſit in exemplum lecturis vita per ævum;
Tradunt notitiæ, bona qvanta peregerit ipſe.

Cap. II.

Arguit infantem levitatis virgo vacantem.

Virtutem meritis primis excrevit ab annis.
Luſtrum ferme puer compleverat, & ſua mater
Ceſſerat humanis thalamis illata ſupernis.
Tradiderat natum pater artibus erudiendum
Cum ſociis pueri pariter proclive vagantis
Arguit errantem per ſomnum viſio mentem.
Lubricus & lini locus humens labe tenaci
Infantem qvadam ſopitum nocte tenebat
Ut vix inde ſuum poſſet convertere greſſum.

Sed via propter erat, mulier ſpecioſa per illam
Ibat, eam multas vultu formaqve venuſtas
Vidit pone ſeqvi, matremqve ſuam comitiſſam (q)
Ut tener agnus ovem cupiebat adire parentem,
Sed palus obſtabat, greſſumqve movere neqvibat.
At mulier, ſanctam qvam credidit eſſe *Mariam*,
Dixit ei: Fili, vis eſſe comes genitrici?
Otia mundanæ levitatis lubrica ſperne.
Sperne voluptatem, gravitatis habeto rigorem.
Nullus enim noſtri poterit collega videri.
Captus ludibrio, qvod nos horremus. Ab illo
Tempore ſe totum puer immutavit in actum,
Ut vitæ ſpecies ſociis mirabilis eſſet.

Cap. III.

Principis interitus Monachi deterruit actus.

Cæſariem tonſus poſt hæc monachumqve profeſſus.
Cœperat in ſtudiis ſancti torpere rigoris,
Cum ſubito Regem CAROLUM cognovit obiſſe,
Et vitæ ſceptrisqve modum ſimul impoſuiſſe.
Regis deceſſu gravis illum terruit horror,
Rurſus & in totis canduit oſſibus ardor,
Rurſus amore Dei cœpit langveſcere juſtus;
Prorſus cœpit ei florens areſcere mundus.
Venerat ergo dies omni pietate celebris,
In qvo diſcipulos qvondam ſacer imbuit ignis.
Nox erat & ſomnus langventes ſolverat artus,
Cum ſubito ſeſe morituram cernit, & ipſe,
Horreſcens mortem *Petrum* vocat atqve *Joannem*.

Cap. IV.

Occurrunt hilares animæ Petrus atqve Joannes.

Jamqve exceſſum de corpore raptus abibat,
Splendidiorqve virum ſpecies & vultus obibat,
Ecce repente viri forma cultuqve verendi
Apparent: unus cano planoqve capillo,
Jam ſenior, miti vultu facieqve rubenti,
Veſte coloratus, habitu brevis & moderatus.
Indicio formæ *Petrum* cognovit adeſſe.
Alter erat longus, juvenis macer, ore ſerenus,
Fuſca cæſarie, criſpus, barbatus, habensqve
Purpuream veſtem, qvem credidit eſſe *Joannem*.
Hi circumſtantes animam per luminis auram
Ad qvemdam duxere locum, qvi torridus igne

Flammi-

(q) Al. *comitari*. *Comitiſſa* hic dignitatis nomen non eſt, ſed ſimpliciter *comitem* ſeu *comitantem* ſignificat.

Flammivomo, vere ſibi *purgatorius* eſſe
Conſtiterat, nullo narrante, qvid eſſet. In illo
Demiſſus tot ſuſtinuit tormenta malorum
Inter preſſuras denſosqve globos tenebrarum,
Immemor ut mundi vix ſufficeret meditari
Qvi tam difficilis potuiſſet poena parari.

Cap. V.

Offertur Domino productus ab igne vaporo.

At cum per viſum triduo pateretur in umbris,
Qvod ſibi mille fuit ſpatium prolixius annis,
Ecce iterum rediere viri ſat ſplendidiores,
Qvi circumſtantes immobiliterqve meantes,
Per calles incorporeos in lumine puro
Ducebant animam, ſeu retulit ipſe: Videbam,
Inqvit, Sanctorum cœtis orientis in orbe
Longe diverſos, qvosdam vicinius eſſe,
Hos procul aſtantes, omnes tamen aſpicientes
Auroram manibus tenſis orientis ad ortus.
Iſti ſummisſis, reſupinis vultibus illi
Numen adorabant, qvod ſolis ab axe micabat.
Jam locus auroræ nos accipiebat, & ecce:
Luminis ante fores ſecus introitum ſeniores.
Qvatuor atqve qvater qvini totidem reverentur.
Effulti ſoliis reſonabant cantica laudis.
Dulcis erat laus illa qvidem carmenqve ſuave,
Redditus at terris ea non potui retinere.

Cap. VI.

In ſplendore Dei non eſt modus aſpicientis.

Lucis inacceſſæ ſplendore mirabilis illic
Sed vincebat idem jubar in ſpatio *Zoroontem* (r)
Ut nec principium, nec finem cernere poſſem,
Purpurei ſplendoris erat color atqve ſerenus,
Inde pias animas ſatiebat grata voluptas
Sed per circuitum qvamvis aciem oculorum
Iret & in partes diverſas volveret orbes,
Qvod tamen intus erat, viſu penetrare neqvibam.
Exteriora videns intrinſecus eſſe putabam.
Luminis auctorem, lux inde profunda ruebat,
Qva per circuitum chorus ille ſacer radiabat.
In cunctis Deus unus erat, manus omnis in ipſo

Sancto-

(r) Al. *in ſpatiis Horizontem.*

Sanctorum, ſupra qvam (s) Deus intus & extra
Omnia girabat Deus, idem cuncta regebat.
Non polus aut tellus, non Cynthia, ſed neqve Phœbus
Hæc in parte mihi penitus potuere videri,
Nil ibi corporeum, nil materiale videndum,
Lux radiis aciem non impediebat ibidem.

Cap. VII.

Vox de martyrio ſonat, & non paret imago.

Qvamvis ergo ſenes fulciri ſede putarent,
Attamen absqve throno chorus ille ſedebat in ipſo,
A qvo lux rutilans qvia fons manabat inundans,
Cujus erat ſpecies, ut in arcu ſplendida nubes.
Cumqve per immenſam divini luminis auram
Luminis ad fontem deductus forte fuiſſem,
Omnipotentis ubi majeſtas eſſe videri
Aqve viri mecum ſummisſis vultibus illud
Numen adoraſſent; tonuit fragor altus ibidem
Vocis clariſonæ, qvæ verbum pertulit ad me:
Huc cum martyrio (t) *victor rediturus abito*,
Hic chorus obticuit, vox altera ſilentia fecit;
Nec vidi formam, qvæ vocem protulit illam.

Cap. VIII.

Digreſſu luget, reditus ſolamine gaudet.

Hinc ergo digrediens, nimium triſtatus abibam,
Sed de ſpe reditus ſolamina concipiebam,
Porro viri placide fixis obtutibus in me;
Me deducebant, & tam pie reſpiciebant,
Qvo vultu tenere mater blanditur alumno;
Nil redeundo mihi nil prorſus eundo locuti.
Corporis his ducibus ſic ſum per membra refuſus
Hoc in progreſſu verum tamen atqve regreſſu
Nec labor ullus erat, mora nec nos ulla tenebat.
Qvo tendebamus, qvoniam properanter eramus,
Et licet tanta videar dulcedine pauca
Enarraſſe, tamen rerum depromere partem,
Qvas animus ſentit, carnalis lingva neqvivit,
Nec mens ipſa capit, nec enim vis corporis haurit
Auris, cor, oculus, ſplendorem luminis hujus:
Hæc juſti mentem ſummæ virtutis ad arcem
Viſio promovit, cœpitqve beatior eſſe,
Inqve dies Domino ſe mortificando litare,

Martyr

(s) Deeſt verbum forte *aderat.*
(t) Vid. ſupra p. 434.

Martyr uti roſeam poſſet contingere palmam.
Qvam licet hoſtili non ille dicaverit enſi,
Per crucis meritum martyr fuit absqve cruore.

Cap. IX.

Orat, Chriſtus adeſt, gemit, ille piacula delet.
Inde magiſtratus regimen præceptor adeptus,
Cum *Sanctum* peteret *Petrum*, clauſtrumve rediret,
Greſſum figebat, *Sanctiqve Joannis* adibat
Privatis aptum precibus lachrymisqve *Sacellum*
Illius ut ſacram clam ſe mactaret ad aram,
Et jam bis tropicum ſol volverat aureus annum,
Ex qvo per viſum raptus fuit in paradiſum.
Se procumbentem precibus cum juſtus eodem
Qvadam nocte videt; ſed cum diſcedere vellet,
Ecce per introitum veniebat vir venerandus
Schemate judaica, procerus & ore coruſcus,
Cujus ab aſpectu ſplendor ſtillabat ut ignis.
Luminis indicio facies erat omnipotentis,
Intuitus vultum, Chriſtum fore credidit ipſum,
Et nil cunctatus pedibus provolvitur ejus.
Cumqve jaceret humi, proſtratum ſurgere juſſit.
Cum ſtaret Domino coram reverentius ergo,
Ejus & ardentem conſpectum ferre neqviret,
Dixit ei blande: Tua nunc delicta fatere,
Juſtificeris uti. Non eſt opus, omnia noſti,
Ille refert; te nulla latent. Mihi cuncta pateſcunt,
Inqvit, eoqve mihi volo mortales profiteri
Qvatenus abſolvi valeant, veniamqve mereri.
Ergo repente viro cum ſimplicitate profeſſo
Omne qvod a primis ſcelerum commiſerat annis:
Ne vereare, tuas ego ſum, qvi deleo culpas.
Hæc ubi vox ſonuit, vir ſplendidus ille receſſit,
At Domini ſervus ſomni torpore ſolutus.
Exultare ſibi venia peccata remitti.

Cap. X.

Cælica qvo penetrat radio terrena tenebat;
Sic prælectus homo cœli ſecreta videndo,
Crebrius in ſomnis proceſſit eo bonitatis,
Ut ſimul ignitum jubar & ſplendore coruſcum
Abſcondi gremio modii non poſſet opaco
Hoc ignorantes cauſam fortaſſe movebit.
Matrem Corbeiam qva conditione reliqvit,
Cum perſiſtendi ſacramentum fecerit illi.

Cap. XI.

Albo martyrii puerum vidit attitulari,

Contigit hæc inter, puerum qvod perculit alter
In caput e tabula, mortis comitante ruina,
Qvi percuſſus erat, *Philibertus* (u) nomen habebat.
Hic pater *Anſcharius* ſomno mœrore ſolutus.
Illius angelicis animam vectarier ulnis
Vidit ad æternam reqviem cœloqve receptam
Martyribus Chriſti feliciter annumerari,
Et didicit, qvoniam meruit patientia palmam.
Sic prælectus homo cœli ſecreta videndo,
Crebrius in ſomnis proceſſit eo bonitatis,
Ut ſimul ignitum jubar & ſplendore coruſcum
Abſcondi gremio modii non poſſet opaco.
Hoc ignorantes, cauſam fortaſſe movebit
Matrem Corbeiam qva conditione reliqvit,
Cum perſiſtendi ſacramentum fecerit illis.
Cœlica qvo penetrat radio, terrena terebat.
Sed ne præcipites evertat qvæſtio mentes.
Haud levitas hominem rapuit, nec religionis
Fregit propoſitum, patriis digreſſus ab oris.
Cœnobium qvoddam, nomen dixere moderni
Corbeiam dictum de nomine *matris* eorum,
Saxonum in terris, qvas *Viſcera* (v) proluit amnis,
Regum progenies, & Regum nobilis hæres,
Exilio remeans (x) *Adalardus* condidit Abbas.
Illuc *Anſcharium* direxit ad erudiendum
Pignora prima ſuæ *Corbeia mater* alumnæ,
Qvo turbis crebro verbum Domini faciendo,
Undiqve cum ruerent & templi ſepta replerent.
Ad Chriſti cultum formam dedit & documentum
Nobilis ipſe pater populi, lociqve magiſter.

Cap. XII.

Regni primatus recipit Rex fonte renatus.

Regibus interea *Danis* ineuntibus arma,
Privatus ſceptris HERIOLDUS (y) fraude paternis,
Supplex Auguſtum Rex expetiit LUDOVICUM,
Ejus uti per opem regni repararet honorem,

Regem

(u) Al. *Fylbertus.* In Vita S. Anſcharii vocatur *Fulbertus*, vid. ſupra p. 435.

(v) Fluvius ille Saxoniæ vetuſtis auctoribus *Viſurgis* nuncupatur, Medii Ævi Scriptoribus *Viſcera*, *Wiſura*, *Wiſuracha*, *Wirracha* & *Wirra*, nunc vulgo Veſeren, die Weſer.

(x) *Adalardus* Abbas Corbeienſis An. 817. cum Bernhardo in Ludovicum Pium conſpirat. An. 818. in Aqvitaniam proſcribitur. An. 821. ab exilio revocatur. An. 822. fundamenta jecit Monaſterii *Corbejæ Novæ* ad Viſurgim, vid. *Lamb. Schaffnab.*

(y) De *Herioldo* ſive *Haraldo* Danorum Rege, vid. ſupra *Rembertum* Cap. VI. p. 436. & qvæ ad *Nigellum* p. 404. annotata ſunt.

Regem magnifice detentum Cæſar apud ſe
Cœpit adhortari ſuſcepto nomine Chriſti
Fonte perennis aqvæ lavachrum novitatis inire,
Sic ope *Francorum* citius ſubveniendum,
Si foret in populis communio religionis.
Tandem mollitus divino numine *Danus*
Credidit, & liqvidas fontis deſcendit in undas;
Qvem Cæſar *niveis*, ut mos eſt, induit *Albis* (z)
Et pater (a) in lavacri natalibus extitit illi.

Cap. XIII.

Mittere qvem poſſit Cæſar cum Rege, reqvirit.

Auſpiciis opibusqve ſuis altricibus oris
Cæſar item profugum miſſurus ſceptra receptum,
Ut direpta ſibi, ſollerter qværere cœpit,
Sicubi ſorte virum ſibi qvis reperiret honeſtum,
Ac pietate gravem, verbi virtute potentem,
Qvi cum *Rege* libens prodiret, eiqve cohærens,
In ſermone Dei ſupereſſet jure magiſtri,
Ingrueretqve ſuis in dogmate religionis.
Unde ſacerdotes ſuper hac aliosqve fideles
In cœtu procerum reconveniendo ſuorum,
Cæſar huic operi ſibi qvemlibet inſinuari
Orabat, dignum ſimul & procedere promptum,
Æternæ populis lumen proferre ſalutis.

Cap. XIV.

Prodendo monachum Walo lætificat Ludovicum.

Omnibus ergo virum ſe ſcire negantibus eſſe.
Qvemlibet, hoc pondus qvi vellet ſponte ſubire,
Exul ut externis *Regem* ſeqveretur in oris,
Abbas Corbeiæ veteris Walo proſilit ante,
Eſſe ſibi *Monachum* faſſus perferre paratum,
Si contingat ei, mortem pro nomine Chriſti.
Vitam, propoſitum, mores, animi qvoqve votum
Cum laudaviſſet, docuit, qvod idoneus eſſet
Clangere ſigna Dei, vexillum tollere Chriſti,
Se neſcire tamen, num ſponte migraret in orbem,
Non tolerando moram Cæſar, præcepit ad aulam
Acciri *Monachum*, cui proviaus *Abba* qvid actum,
Aut dictum foret, expoſuit, retulitqve vocari

Cæſaris

(z) Conf. ſupra p. 412. 470. *Dudo* in Script. Norman. p. 64. de *Haſtingo* nuper baptizato ita: *Deportatus ad navim, corpore dealbatus totus.*

(a) Hæc omnino exprimunt illam phraſin Danicam: Han ſtod Fadder til hannem.

Cæſaris ad ſolium, qvæ cauſa coëgerit illum:
Anscharius ſeſe facturum naviter eſſe
Cuncta refert injuncta ſibi pro nomine Chriſti.

Cap. XV.

Sanctus ineſſe ſibi votum profitetur eundi.

Hinc vir ab Auguſto coram productus abire
Vellet utrum cum *Rege* rogatus ad ultima terræ
Per verbum Domini *Danos* evellere morti?
Hanc, ait, aggrediar conſtanti pectore pugnam,
Abbas, inqvit, ego non te hoc faſce gravabo:
Qvod ſi ſponte ſubis, fas noſtri juris habebis
Arbitrium de te gratum mihi noveris eſſe.
Ille nihil Domini præponens inſit amori:
Omnibus ultro modis ego me ſuppono labori.

Cap. XVI.

Exilio Monachi graviter turbantur amici.

Res ubi percrebuit vulgiqve per ora cucurrit,
Isqve clientelæ discurrens rumor ubiqve
Claruit Abbatis, multis inopina ſtupori
Cauſa fuit, patriis qvod cedere vellet ab oris.
Qvod ſibi poſthabitis conſangvinitate propinqvis,
Dulcia fraternæ linqvens conſortia turmæ,
Barbariem ſævam peteret gentemqve profanam.
Pluribus opprobriis qvidam ſimul & maledictis
Deterrendo virum tentabant frangere votum.
Ille nihil motus nec duris cedere pronus,
Fixior hærebat cœptis annixa voluntas.
Flecti non poterat, ſed cum properaret ad aulam,
Abbas, ipſe domi turba ſemotus ab omni
Contiguum qvoddam vinetum ſolus adibat.
Illic orabat latitando, librisqve vacabat.

Cap. XVII.

Autbertus fratrem, dum tentat, adhæret eidem.

His erat *Autbertus* frater cum patre diebus,
Qvi cum crebro virum latebræ captare receſſum,
Et nimis attentum curisqve ingentibus ægrum
Cerneret, auferri cœtu, cum nemine fari,
Rem miſerando, die qvadam devenit, ubi ipſe
Vineti vacua ſecretus agebat in umbra,
Præmiſſoqve vale: viridi conſedit in herba,
Tum percunctari cœpit, qvid mentis haberet,

Utrumqve

Utrumqve pro Domino *Danos* peregrinus adiret?
Ille dolis falli metuens, id qværere noli,
Nevè meam ſuper his mentem turbaveris, inqvit,
Non tibi decipulæ laqveus prætenditur a me,
Ille refert: de te ſed certius omnia noſſe,
An tibi ſit cordi via gentis pande volenti,
Tunc Heros alacris pro ſedulitate rogantis
Intulit, an vellem paganis ferre ſalutem,
Eſt mihi propoſitum: placet, idqve refellere verbum
Horreo, qvin ſanctæ rapior pietatis amore
Gentibus ire ſalus, errorum ſolvere nexus,
Nec valet inde meam mentem pervertere qvisqvam.
Tunc *Autbertus* ei, non, inqvit, ſolus abibis,
Hoc ego in Domino tecum luctamen inibo,
A paſtore mihi ſi copia fiat eundi.

Cap. XVIII.

Conformes patri veniunt in fœdere Chriſti.
Vinxit ut ergo fides amborum fœdere mentes,
Obvius Abbati fuit ipſe domum redeunti,
Inſinuatqve viæ collegam ſe reperiſſe,
Fidum, concivem, ſubiturum ſponte laborem,
Nomen perſonæ cum qværeret ejus; & ipſe
Diceret *Autbertum*, ſibi mira relatio multum
Intulit horroris, ſtupuit ſtudium novitatis
Affectare virum, qvem nobilitaret origo
Proſapiæ veteris titulus & ſangvine longo,
Gratior in rebus ſibi qvi popularibus eſſet,
*Proviſor*qve *Domus* poſt ſe prima loca teneret.
An tamen ire velit, rogat, ille fatetur amicum
Se non poſſe pati patria decedere ſolum;
Æterni ſeſe compelli Regis amore
Eſſe viri comitem, pro poſſe ferendo juvamen,
Si comitetur eum ſua vel permiſſio fratrum.
Abbas reſpondit: Si mavis ire, licebit;
Attamen ex famulis ego nullum deputo veſtris
Obſeqviis qvemqvam, nec enim procedere cogam
Invitum vobis, niſi qvemlibet inveniatis,
Qvi velit ire ſimul, fieri peregrinus & exul.
Qvo foret averſus, non ſic eſt inde locutus
Nobilis ille pater, ſed eo qvia flagitioſum
Cogere nolentem tunc temporis eſſe colonum
Inter paganos erat & nimis invidioſum.

Cap. XIX.

Qvæ ſunt apta viæ Cæſar legavit utriqve.

Cæſaris oblati poſt hæc obtutibus ambo
Athletæ Chriſti, conjurant fœdere ſacro
Contra fana Deum ſeſe committere bellum,
Eminus emisſis Reges urgere ſagittis,
Cominus enſe Dei prærumpere pectora vulgi.
Cæſar agens grates Divûm locupletius hoſtes
Ornat, & in tanto qvæ credit idonea bello,
Armis Eccleſiæ munitos juſſit abire
Poſt Regem, liqvidis qvem nuper merſerat undis,
Eſſe ſui memores monet arcus inter & enſes,
Et triplicem fidei clypeum prætendere Regi,
Confirmare ſuos noviter hæc caſtra ſecutos.
Ne minus inſtructis hoc in certamine martis
Æmula vulnificam manus intorqvendo ſagittam,
Falleret incautam funeſtis fraudibus alam.

Cap. XX.

Nullus amicorum comes voluit eſſe virorum.

Cæſare digreſſis igitur Regemqve ſecutis
Nullus in obſeqvium comitum fuit aut famulorum
Nemo ſeqvi voluit, nullum pater ire coëgit.
Rex erat ignarus, rudis utpote pignoris hujus,
Qvem deferre Dei famulis deberet honorem,
Porro ſuis, qvi diſſimili ratione priorem
Duxiſſent vitam, prætendere ſedulitatem
Affectus neqve cura freqvens erat, unde profectis
Difficilis fuit & munii via plena laboris,
Ut tuta tandem ſtatione *Colonia* claſſem
Excepit, monachis compaſſus Epiſcopus urbis
Hildeboldus (b) opem tulit, attribuendo biremen,
In qva vectari deberent, vaſa reponi,
Firmis exſtructum compagibus & ſatis aptam.
Duplicibus tectis illectus ſchemate navis
Rex elegit ea vehier, frueretur ut una
Ipſe domo, monachis eſſet pars altera navis.
Inter eos ita crevit amor & reverentia ſanctis
Officium majus famulantium cultior uſus.
Hinc per *Dorſtadum* (c) *Freſonum* prætereuntes,
Proxima *Danorum* ſiſtunt in littore naves.
Ergo qvod interdum Regem conſiſtere tutum,

In

(b) *Remberto* Cap. VII. legitur *Hadeboldus*, qvod rectius: *Hildeboldus* autem erat ejus Anteceſſor, vid. ſupra p. 438.

(c) Al. male *Dorſtratum*. De eo oppido vide ſupra p. 438.

In ſolio Regni prohibeat motio belli,
Fixit ei certum *trans Albim* Cæſar aſylum (d).

Cap. XXI.

Fructificante fide, moritur ſocius logotheta.

Hic aliqvando viri loca per diverſa ſecuti
Regem, gentiles inter Chriſtumqve colentes,
Ut diſcurſus erat ſibi, promulgando ſalutis
Dogmata, nonnullos rapiebant ore draconis.
Qvotqve diebus erant, fidei qvos rete trahebat
Sicqve novus in domino fœcunda ab alvo
Eccleſiæ fœtus fontis currebat ad ortus.
Ipſi autem ſacri ſpiraminis imbre refuſi,
Uberius ſacræ pro Religionis amore,
Cœperunt iuguli ſtudio curaqve freqventi
Qværere, *qvos emerent pueros* (e), Chriſtoqve dicarent,
Nec non ex propriis aliqvot *Rex* tradidit ipſis,
Qvos ad militiam nutrirent omnipotentis.
Unde brevi ſenos ſchola bis collegit ephebos.
Aſcitis etiam ſociis hinc inde qvibusdam,
Cum fructu late ſibi crevit opinio famæ.
Sol bis ſigniferi ſpatium luſtraverat orbis
Hoc in gymnaſio cum deſudantibus ipſis
Mors, qvæ cuncta metit, fœdus ſociale dirimit.
Contigit *Autberti* valetudine membra gravari,
Pro qvo *Corbeiæ juniori* (f) ductus, ut ante
Præſcierat, tritus multis langvore diebus,
Ceſſit naturæ ſolemni tempore Paſchæ
Trans exutus ictu felici carnis amictu.

Cap. XXII.

Miſſurus Byrcam Monachus revocatur ad aulam.

Gentis Barbaricæ *Sveonum* contigit inde
Legatos qvosdam veniſſe ad *Cæſaris* aulam.
Qvi cum mandatis habitis de rebus agendis
Induperatori (g) dixerunt, fonte renaſci
Velle ſuæ gentis qvosdam, dominoqve dicari,
Eſſe ſuum *Regem* promptum ſatis ad pietatem,
Præcones tantum mereantur habere per ipſum.
Cæſar ad omne bonum promptiſſimus, experimentum

Ex

(d) *Rembertus* Cap. VII. ſupra p. 439. *Dedit ei Auguſtus ultra Alpina Beneficium* &c.
(e) Vide ſupra p. 441.
(f) i: Corbeiæ Novæ, Saxonicæ.
(g) i: *Imperatori*, vid. ſupra p. 399. 405.

Ex re qvi caperent, missum decernit, ut idem.
Si foret in populo devotio credulitatis,
Inciperent normam sibi tradere Religionis.
Corbeiæ pro qvo Rector consultus ab ipso
Iterum si qvem monachum sibi prodere posset,
Aut qvi regna libens *Sveonum* visere vellet,
Vel potius cum *Rege* maneret, ut in regionem
Anscharius rerum Domini Legatus abiret.
Ergo Dei propere famulus revocatur, & ante,
Qvam veniens oculis assisteret imperitantis,
Attondere comam prohibetur, radere barbam.

Cap. XXIII.

Principis ad nutum subit ultro negotia rerum.

Militis invicti mens præscia se revocari,
Ad studium pugnæ Christi flagrabat amore,
Omne bonum ratus invigilare lucris animarum.
Proposuit patienter homo proferre periclum,
Hæc si forte sibi via qvid peperisset acerbi,
Neve per anfractus raperet dubitatio pectus,
Fundarat certam spem cordi visio qvædam.
Incoleret primævus adhuc qvo tempore cunas
Matris Corbeiæ solitus ventura videre,
Intuitu mentis per somnia plena figuris.
Lumine conspicuam per somnum venit in aulam:
Interius vero doctorum plurimus ordo,
Stabat ad officium verbi prodire paratus.
In facie qvorum subita vertigine raptus,
Se radiis Phœbi vallatum fulgidiori
Æthere delapso splendere videbat ab alto.
Deficiens oculis tanta vibramine lucis
Dum stupet insonuit vox ferme simillima voci,
Qvam prius audierat summi patris ante tribunal.
Dicens: Scito tuum me deleviſſe reatum.
Qvid vis, afflatus divini flaminis aura
Ille refert, ut agam? vox inqvit; gentibus insta
In sermone Dei. Qvam rem vir ille tenaci
Petractans animo, Domino plaudebat, eo qvod
Qvæ prædicta forent, partim completa videret.
Et qvia virtutis meritum tritura laboris
Accumulat, populis *Sveonum* Præco salutis,
Ardebat fieri sua qværere lucra tonanti.
Ergo ubi venit ad *Augustum*, consultus ad id ne.
Egrederetur iter? facturum noveris esse.
Qvicqvid pro Domino mandaveris, inqvit, ut ultro.

Cap. XXIV.

Pertulit insidias, rapuit pirata carinas.

Dum nutu Domini Pastor venerabilis illi
Invenit socium, *Witmarum* nomine, sanctum
Insignemqve virum, te *Gislemare*, probatum,
Athletam Christi voluit cum *Rege* morari.
Cæsaris imperio *Sveonum* partibus ergo.
Delegatur, uti missorum dicta probaret,
Illius terræ gens utrum credere vellet.
Qvas autem salebras obitum, qvantumve pericli
Pertulerit, vacat in lepido sermone revolvi.
Witmarus novit mala, qvæ pariter toleravit.
Ut medium tenuere rates iter æqvoris alti
Piratæ hominum genus insatiabile lucri
Incurrerê, fugæ spes non fuit, insonuerê,
A clamore poli, fremit bellona; priori
Concursu pugnæ summo conamine nautæ
Se defensantes, victos repulerê latrones.
Congressu vero manus impacata (h) secundo
Prævaluit, prædæ patuerunt omnia, vixqve
Diffugiendo viri pedibus per littora nudi
Evaserê, rapax renuit pirata carinas.
Obtinuit gazam, libros, & regia qvædam
Munera, nil victis ex omni merce reliqvit,
Id præter, qvod dum fugeret, sibi qvisqve recondit.
Turbine dejecti plures statuerê reverti,
Ulterius qvidam procedere, non tamen usqvam
Militis electi potuit sententia flecti,
Arbitrio potius committens omnipotentis,
Qvicqvid in adversis posset contingere causis,
Proposuit retro non ante reflectere gressum
Vomere, qvam verbi sulcasset agros *Sveonum*.

Cap. XXV.

Auget oves Domini libertas, forma loqvendi.

Præcepto pelagi procursu, calle pedestri
Explicuerê viam per dura per aspera longam
Inter fusa locis naulo conducta biremis
Æqvora transmisit, tandem se *Byrca* (i) recepit;
Qvo portu Regem *Bern* (k) invenerê morantem.
Cur veniant, qvi sint, Regi legatio pandit.
Rex per consultum decernit, qvid sit agendum.

(h) ɔ: *impedita.*
(i) De *Birca* Sveciæ lege supra p. 444. sq.
(k) De *Bern* Rege Svecorum, vid. supra p. 417.

Una fuit procerum ſententia, par qvoqve votum;
Sanctis permitti jus inter eos habitandi;
Jus indicendi cœlorum regna volenti;
Eſſe facultatem monitis, vitalibus aurem
Inclinare ſuam, novitatis diſcere formam.
Ut licuit tandem populis proferre ſalutem
Inſpirante Deo, fidei nova crevit origo.
Et verbum Domini cum multis eſſet amori
Indigenis terræ, tum qvos retinebat apud ſe
Captio Chriſticolis erat exultatio cordis,
Participando ſibi demum myſteria Chriſti,
Poſt longam eſuriem cœli contingere panem.
Indiciis rerum tenuit labor experimentum.
Qvicqvid ad Auguſtum tulerat legatio, verum
Conſtitit, & Chriſto plures in carne renati,
Fonte perennis aqvæ uteris contagia vitæ
Depoſuerê, novam nacti pietatis abollam,
Credidit inter eos *Herigarius* inclitus heros,
Præfectus vici, Regis Conſultor, & illi
Fidus, qvi lavacri profuſus rore perenni,
Erexit mentem ſummæ virtutis ad arcem,
Eſſet ut indicio fidei, qvam rure paterno
Condidit Eccleſiam, ſicut & miracula qvædam,
Qvæ Deus oſtendit per eum, qvem glorificavit.

Cap. XXVI.

Tripudiat reditu Legati Cæſar & acta.

Gentibus ergo viri vitalis ſemina verbi
Per ſenos menſes Chriſto fulcante ſerentes,
Ut ſibi judicium facit experientia certum,
Ut mos eſt terræ, qvas Rex inſcripſerat ipſe,
Cum chartis redeunt & limina fauſta reviſunt
Cæſaris officii totius honore recepti,
Qvid feciſſet ei Dominus, qvi finibus illis
Sit pateſacta fides, qvid verbi vomere gentes
Excultæ duplicem referant ex ſemine frugem
Inſinuant, animo Cæſar rumore ſecundo.
Exultans alacri, cum grates omnipotenti
Redderet, in *Danis* recolendo jubar Deitatis
Exortum qvondam noctem vacuaſſe profundam.
Cura ſolerti qværebat, *Pontificalis*
Poſſet ut inſtitui *Sedes Aqvilonis in oris*,
Finis ut Imperii præcluſus limite tali,
Principium fieret regni, qvod fine careret,
Cujus ut Eccleſiæ rectorem crebrius ire
In partes illas compelleret ipſa facultas,

Ex qvo doctrinæ leviori fracta ligone
Effera barbaries fructus daret uberiores.

Cap. XXVII.

Qvod Rex proposuit, suspensum morte reliqvit.

Rex autem CAROLUS, qvando compescuit omnem
Saxoniam ferro, lavit baptismate gentem,
Pontificesqve suos populis statuendo qvibusqve,
Qvi sunt *trans Albim*, sub Præsule noluit esse.
Decernebat enim Princeps in finibus illis
Poni Pontificem, qvi summi culmen honoris
Scilicet *Ecclesiam* regeret *Metropolitanam*,
Ex qva flante Deo fidei stillaret origo
In reliqvas gentes in terras ulteriores.
Ecclesiam, qvæ prima locis adolevit in illis,
Sanxit Amalharius, Gallorum Præsul ab oris,
Pontificum vero nulli sub jure redactam
Augustus *Heridac* commisit Paroechiam,
Qvem simul ad culmen summi promôsset honoris,
Ni citius rueret præventus tempore mortis.

Cap. XXVIII.

Urbs qvo flat Boreus (l) *sit mundi climate Primas.*

Ast ubi post mortem patris LUDOVICUS ad arcem
Regni surrexit, primam qvæ *trans*jacet *Albim*
A qvisdam monitus binos per Pontificatus.
Distribuit, qvid enim Pater ejus senserit olim.
Ponere Pontificem qvod noluit in regionem,
Terrarum domitor non comperit *Induperator*,
Hac in *Danorum* regionibus & *Sueorum*
Sorte salutiferi cum sensim gratia Christi
Vitam spirantem jam fructificasset odorem.
Ut concepta fide spes esset firmior ex re,
Ac Patris affectus per se prodiret in actus,
Orbis Romani Rector, Lux aurea mundi,
Victor magnificus, Cultorqve Dei, LUDOVICUS,
Ut coram multis ageret consultius, inde
Hammaburgensi Synodum (m) *collegit in urbe*,
Collegit Proceres, regni venerê Priores,

Arbitrio

(l) Al. *Boreas.*

(m) *Gvaldo* hic, male intellecta *Remberti* narratione Cap. XI. de *Synodo Hamburgi habita* omnino hallucinatur. Errore suo ad idem affirmandum viros doctos seduxit. *Rembertus* qvidem de *Synodi conventu* loqvens, minime dicit, eundem *Hamburgi* celebratum fuisse; potius *Conventus* ille aut *Aqvisgrani*, aut *Ingelhemii*, aut etiam in *Theodonis villa* habitus est, vid. supra Not. ad Rembertum p. 448. 450.

Arbitrio qvorum per Pontificum ſynodalem
Cenſuram fluvium *trans Albim* in finibus urbem
Saxoniæ poſitam matrem caput atqve tribunal
Nordalbingorum fore cenſuit Eccleſiarum,
Omnibus terris ſimul & *populis aqvilonis*
Et prælata foret, *Sedes*qve *Metropolis* eſſet.
Presbyter & mittendus Epiſcopus omnis ut illis
Finibus egrederetur ab hujus Præſule ſedis.

Cap. XXIX.

Ex qvo pingveſcit caput, infula rore madeſcit.

Hanc igitur, tota Synodi plaudente corona,
Primum Pontificem reverenter *Ebone* Remenſi
Aſſiſtentibus *Otgario*qve Moguntiacenſi
Cum medius *Hettis* fulciret eos Trevirenſis,
Archimandritam ſacrari *Cæſar* ad aram
Anscharium fecit, qvem circa juſta peregit
Drogo Palatinæ tum forte Jerarcha Capellæ
Drogo vir illuſtris Metenſis Epiſcopus urbis
Patribus imperii, qvos culmen in orbe coëgit,
Inter *Helingaudus* fuit, & Coëpiſcopus ejus
Vulgericus (n), eam qvi pridem Parochiam
Per dispertitum tenuerunt Pontificatum,
Rem confirmando, patris caput illiniendo
Ungventis Hermon, qveis barba flagravit Aaron.
Sed ne Barbaricis incurſibus hæc dioceſis
Ad nihilum redigi poſſet, pro ſorte pericli
Cæſar ad hæc Cellam *Turholt* (o) ſolatia partam
Ceſpite Gallorum, qvod devitando tumultum
Præſul, ubi fremeret rabies, ſecedere poſſet,
Contulit Eccleſiæ ſervitum tempus in omne.

Cap. XXX.

Decreto Papæ Scythico legatur in orbe.

Hoc ut præceptum firmum foret omne per ævum,
Gregorio Papæ multo comitatus honore
Qvi ſanciret idem *Romam* legatus ad urbem
Perrexere duo, pariter comitante *Geroldo*
Conſule, *Radoldus* ductores & *Bernoldus*
Chriſti cultorum Rectores Eccleſiarum,
Sedis Apoſtolicæ decretis hæc ſolidare.
Papa beatificus Regis mandata probavit,
Et *pallæ* (p) tribuendo decus, munimine ſanxit

Juris

(n) Apud *Rembertum* Cap. XI. legitur recte *Wildericus*. Apud Adamum *Willericus*.
(o) De *Turholt*, vid. ſupra p. 450.
(p) ↄ: Pallæ decus ↄ: *Pallium*, vid. ſupra p. 451.

Juris Apoſtolici, ſtatuens, ut Epiſcopus orbi,
Barbara *Danorum* qvem gens colit & *Sueonum*,
Qvemqve colunt *gentes boreæ glacialis* ad arces.
Cum Domino, terræ cui ſors obvenerat ante,
Eſſet Romanæ Sedis Legatus *Ebone*.
Conceſſaqve palam ſibi libertate docendi
Ante locum, veneranda ſacrat qvem gleba beati
Corporis ante tuam, Paradiſi Janitor, arcam.
Addidit edictum ſuper hoc anathema tremendum,
Qvo ſe nectendum ſciret cum Principe mortis,
Hoc qvicunqve bonum ſubvertet ariete fraudis,
Cæſaris aut ſtudiis occurreret invidus hoſtis.

Cap. XXXI.

Verba Dei Danis prior intulit Ebbo Remenſis.

Porro, qvod anterius calmus contexuit, hujus
Officii ſortem tulerat gentisqve vocamen,
Nomine *Paſchalis* Papæ, prius *Ebbo* Remenſis (q),
Qvippe vir angelicus, mitis, ſine felle columba.
Credere, qvod fas eſt, interni flaminis aura
Com foret afflatus, cupiens inferre ſalutem,
Cœlitus æternum populis infundere lumen,
Pro *Danis*, qvos implicitos errore videbat,
Cæſaris arma ſeqvi, lugubri corde dolebat,
Et tanqvam lampas accenſo pectore flagrans,
Ardebat deſiderio ſuccurrere merſis
Gentibus horrenda caligine perditionis
Pro Chriſto penitus ſeqve & ſua tradere promptus.
Auguſtus *Welani* (r) *trans Albim* ceſſerat illi
Fundum, cum peteret patriam, qvo degere poſſet.
Ergo locum crebro viſebat Epiſcopus *Ebbo*,
Plurima diſpenſans, animarum lucra freqventans,
Confirmando fide lotos baptismatis imbre.

Cap. XXXII.

Jure miniſterii Simon (s) *eſt ſuffectus Eboni.*

At pater *Anscharius* feliciter urbe regreſſus,
His compellanti ſeſe de rebus *Eboni*
Pontificem terræ ſacrandum cenſuit eſſe,
Qvi præſens populis feret in ſtudio Deitatis,
Jure miniſterii conceſſus Apoſtolus orbi,
Et legem Domino ſtatuendo Vicarius ipſi;

(q) De *Ebbonis* in Eccleſiam Danicam meritis, lege ſupra p. 401. 452.
(r) De *Welanao* ſ. *Welna* ad Itzehoam in Holſatia, vid. ſupra p. 452.
(s) *Gautbertus* Sveonum Epiſcopus, in conſecratione *Simon* appellatus, vid. ſupra p. 454.

Namqve locis ſolus non poſſet adeſſe duobus.
Ergo favente pio ſibi *Cæſare* nobilis *Ebbo*
Lumbos *Gautberti* cujusdam Pontificali
Zona præcinxit, caput ejus rore rigavit,
Qvi ſuper arva Sion ſtillat de collibus Hermon.
Contulit ornatus, qvibus Eccleſiaſticus uſus
Indiget, atqve viæ ſumptus explevit abunde
Ubertate ſui, dono ſimul Imperiali,
Direxitqve virum pro ſe populis *Sueonum.*
Ut commiſſa ſibi legatio crederet illi,
Officiumqve vicis exerceret in orbe.

Cap. XXXIII.

Dogmate Gautberti caligo fugatur averni.

Poſt hæc Auguſti clementia contulit illi
Cellam Welani, primo qvam ceſſit *Eboni.*
Id pater ille ſuo tamen impetravit alumno,
Qvod ſibi perpetuum certæ ſtationis aſylum
Eſſet, & ipſius locus ille vacaret in uſus
Rex autem *Simonem* [dedit hoc ſibi gratia nomen
Ordinis] & terræ populus ſuſcepit honeſte;
Et qvi corda regit hominum, qvi tempora ponit
Rebus & æterno circumdat ſecula vallo,
Auſpicibus terræ primis & *Rege* favente
Eccleſiam Domino fundamine cœpit ab ipſo
Ædificare, palam credendi tradere formam.
Chriſticolas illic poſitos gaudere videres,
Gentiles haurire Dei de fonte liqvores,
Creſcere credentum per qvot momenta dierum,
Agmen, & Ægypti currus in gurgite mergi,
Israel dulciſonis modulari carmina pſalmis.

Cap. XXXIV.

Multos erudiit pueros, qvos ipſe redemit.

Anscharius vero jus paſtoralis agendo
Naviter officii pater propria dioceſi,
Inde per exemplum vitæ, tum per documentum
Lucrari domino, plures *pueros coëmendo*,
Qvosdam *Sclavorum*, qvosdam de gente *Danorum*,
Qvosdam *captivos* ad opus Deitatis alendos;
Non nullos qvorum retinens in dogmate ſecum,
Qvosdam prædictæ direxit ad ubera Cellæ.
Sed comites habuit, ſibi qvos *Corbeia* miſit,
Sanctorum genetrix monachorum Cella beatrix,

Hamma-

Hammaburgenſis Schola (t) qveis edocta magiſtris
Crevit, & ad florem perducta refudit odorem.

Cap. XXXV.

Effugit urbe pater, rapit illam barbarus ater.

Ergo Deo digne gereret cum Præſul uterqve,
Hammaburgenſem piratas contigit *urbem*
Ex improviſo multo vallaſſe liburno.
Ad propugnandum cogi manus indigenarum
Plurima non potuit, ſpatium properantia rupit,
Iſtis terrifico valentis mœnia giro.
Non erat obſeſſis arcere pericula mortis
Virtus, cum Præſes *Bernarius* urbis abeſſet.
Urbe Pater poſitus primi terrore tumultus
Tentavit retinere locum, ſed barbara murum
Ut vis irrupit, formido ſuperna coëgit
Cedere; vix tantum rapiens ſacra pignora ſecum
Integer evaſit, *cappam* (u) tamen hoſtis ademit.
Ceſſit uti laicus fugiendo per avia clerus.
Et qvidam capti, pleriqve fuere peremti.
At fera barbaries totam diffuſa per urbem,
Poſtqvam congeſſit gazam, biduumqve peregit,
Ædibus incenſis, diſceſſit onuſta rapinis.
Hoc *domus Eccleſiæ Clauſtrum*qve flagravit ab igne,
Et cultus alii, flammis arſere libelli,
Non tamen idcirco pater ingemuit, licet illo
Turbine perdiderit, qvæcunqve paraverat illic,
In rerum damnis viguit patientia fortis.

Cap. XXXVI.

Pellitur e terris Simon æger morte nepotis.

Preſſuris igitur cum multis afficeretur,
Ac per circuitum manus errabunda ſuorum
Pignora deferret, nusqvamve qvieſcere poſſet
Contra *Gautbertum* fremuit rabies *Sueonum*,
Et face pars populi qvædam ſuccenſa furoris
Præſulis hoſpitium circumvallando, *Nithardum*
Perculit inſontem mucronis more nepotem,
Ejus martyrium pro Chriſti nomine nactum
At vero comites alios ipſumqve ligantes,
Ejecerê ſuis ſpoliatos turpiter oris.
Sed qvi cuncta videt momenta latentia rerum,

Hoc

(t) Qvorum qvosdam *hic* ſecum retinuit, inqvit *Rembertus* ſupra p. 455.
(u) Vide ſupra p. 456.

Hoc transire nefas Deus eſt non paſſus inultum.
Impia namqve manus paucis punita diebus
Pertulit exitium diverſa ſorte malorum.
Unius cladem pro cunctis ſcribimus autem.

Cap. XXXVII.

Poenituit ſceleris poenæ terrore ſeqventis.

Vir fuit in terra qvidem ditisſimus illa,
Hujus in hac rabie conſenſit filius, atqve
De ſpoliis partem patris portavit ad ædem
Morte repentina ſed mox defecit, & una,
Interiit conjux, ſimul alter filius ejus.
Ut videt orbatum ſeſe miſer eſſe Deorum
Credidit offenſam, qvæſivit ab augure cauſam,
Augur agens ſortes; ſibi divos eſſe faventes
Aſſerit, in Chriſtum factum docet eſſe reatum.
Sed neqve placari Chriſtum, nec poſſe repelli
Vim morbi penitus, dum res poſſederit ejus.
Ergo per augurium tremefactus barbarus ille,
Evertendo domum, librum res inter apud ſe
Repperit; hanc plebem rem promulgando per omnem.
Cum, qvi ſuſciperet, nullum reperire valeret,
Nam miſeranda lues hominum formidine mentes
Terruerat, rurſum proprii ſub culmine tecti
Barbarus horreſcens ſanctum retinere libellum,
Ne prorſus clades deleret iniqva penates,
Vicinis coram ſepem ſuſpendit ad unam.
Poſt ex plebe ſibi nullo ſpirante reniti,
Indicio cujus patuit vindicta reatus,
Qvidam cultorum Chriſti tulit inde libellum.

Cap. XXXVIII.

Mittitur ad populos qveis deeſt Eremita ſacerdos.

Taliter afflictis ferali peſte profanis,
Non fuit in ſeptem poſt annis Rector ibidem.
Auscharius pro qvo tactus moerore profundo,
Ardgarium qvendam direxit eis Eremitam;
Hunc *Herigarius* multo ſuſcepit honore,
Filius Anscharii (x), nec plebs correpta timore
Obſtitit, opprobriis hominem cum crebro protervis
Ante redargueret, qvod nullum numen haberet,
Sed ſua jam miris radiarat opinio ſignis.

(x) Vide ſupra p. 458.

Cap.

Cap. XXXIX.

Turba madet pluviis æger viget, ingruit hoſtis.

Qvadam forte die turbis coëuntibus ipſe,
Idola cum vulgus Chriſto præferret, agamus,
Inqvit, judicium de religione Deorum.
Plurimus ecce ſuper nos eſt in nubibus imber.
Si qvis in hac turba pluviam non ſenſerit, illum
Sit manifeſta fides ſummæ Deitatis amicum.
Fecerat arboribus cæſis umbracula vulgus:
Cum puero longe ſolus confederat ille,
Verum cum tantus ſtillaſſet ab æthere nimbus,
Ut penitus ſcenas torrens ſtraviſſet inundans,
Ac veluti mediis populus maduiſſet in undis,
Nec pluviæ ſtillam ſenſit *Herigarius* unam.
Hoc qvoqve provenit, qvod crus aliqvando doleret,
Viribus ut propriis ſeſe removere neqviret
Verum paganis ſvadentibus, idola votis
Ut placaret homo dives de more litando,
Sprevit, & Eccleſiæ ferri ſe fecit, ibiqve
Orans cum lachrymis, aſtantibus undiqve turbis,
Promeruit celerem Chriſto medicante ſalutem
In domum ſanus Domini cum laude reverſus,
Auxit propoſitum vulgus reprimendo profanum.
Regno privatus *Sueonum* Rex *Avoundus* (y)
Collectis *Danis*, prædæqve cupidine ductis,
Appulit ad *Byrcam* (z), populo metuente rapinam,
Ludibrium, cædem, cum nulla repellere Regem
Eſſet eis virtus, placuit depoſcere fœdus.
Rex petit argenti ſibi libras adnumerari
Centum pro vico, miſſo pro pace tributo.
Diſplicuit *Danis* vehementer pactio Regis,
Ire ſuper plebem, ſubvertere funditus urbem,
Compulerat vulgus qvo transmigrare tumultus
Disponunt, miſeri ſola formidine victi,
Qvod neqveunt armis, tutantur mœnia votis.
At *Herigarius* Chriſti munimine fiſus,
Cives corripuit, ſacris qvid inanibus, inqvit,
Pauperiem vobis & pernitiem cumulatis?
Idola qvid proſunt? nulli ſuccurrere poſſunt;
Eſt Deus in cœlis, cujus ſi corde petatis
Auxilium, vere vos conſervabit ab hoſte.
Conſilium placuit, Chriſto plebs munera vovit.

(y) Potius *Anoundus*, *Aundus* ſive *Amundus*, vid. Rembert. cap. XVI. ſupra p. 459.
(z) De *Birca* ſupra p. 444. ſq.

Cap. XL.

Parcitur obſesſis, urbs provenit altera Danis.

At Rex per ſortem qvæſivit, ſi locus idem
Pro voto *Danis* in prædam cederet ipſis.
Sors aliam Regem proficiſci juſſit ad urbem,
Qva propere *Dani* nullo prohibente potiti,
In ſua cum multis alacres rediere rapinis;
Argentum vero totum Rex reddidit ultro.
Tunc *Herigarius*, Chriſti qvæ maxima virtus
Eſſet, prodigiis populum docuit manifeſtis;
Poſt hæc decubuit pacisqve ſopore qvievit.

Cap. XLI.

Fortis amore Dei fit compos fœmina voti.

His qvoqve temporibus qvædam matrona fidelis
Firmiter inter eos cultum tenuit pietatis,
Barbara tempeſtas, qvam nec mortalis egeſtas
Flectere prævaluit, Chriſto ſed ſemper adhæſit.
Propoſitumqve piæ fidei ſervavit ad usqve
Extremum tempus, qvæ cum ruinoſa ſenectus
Urgeret, *vini* modicum ſibi vaſe recondi
Fecit, uti moriens Sacramenti non foret expers.
Qvod cum jam ferme tribus annis eſſet apud ſe,
Contigit *Ardgarium* Domini veniſſe miniſtrum,
De cujus manibus percepto corpore Chriſti,
Eructata (a) carne gravi ſedes petiit paradiſi.

Cap. XLII.

In vacuis virgo loculis ſtupet ære reperto.

Hæc autem *Cathle* vivens præceperat ante,
Chriſti pauperibus proprios expendere cenſus.
Filia præceptis cupiens parere parentis,
Mater ut occubuit, *Dorſtadum* (b) prompta petivit.
Illic perſonis ſociata fidelibus, ipſam,
Qvam ſecum tulerat, loca per ſacratiſſima gazam
Tradidit. Ergo die qvadam confecta labore,
Qvatuor ad vinum nummos ſibi miſit emendum;
Viribus aſſumptis poſt hæc rebusqve peractis,
Venit ad hoſpitium, congeſta pecunia ſaccum
Qvo fuerat, poſuit procul, explicitumqve reliqvit,
Argento plenum ſubito ſed reperit ipſum.
Fæmina prodigio ſtupuit perterrita tanto,
Et cum presbyteris cauſam retuliſſet, ab ipſis,
Hoc didicit verbum, cœlum penetraſſe profundum,

Qvas

(a) Al. *Eruta.*
(b) De *Dorſtado* vide ſupra p. 438.

Qvas diſperſit opes, qvos pertulit ipſa labores
Matris ad imperium; qva propter fæmina Chriſtum
Crederet exhauſtam rurſus cumulaſſe crumenam.

Cap. XLIII.

Terræ caret ſacris, Eremita recedit ab oris.

Ut *Herigarius* mortales exuit artus,
Ceſſit & terris *Frideburg* matrona fidelis,
Ardgarius cultor eremi Chriſtiqve ſacerdos
Advertit mentem vitam reparare priorem,
Egreſſusqve locum rediit, qvo venerat, ipſum.
Sicqve ſacerdotis benedictio partibus illis
Rurſus defecit, ſacer ut Eremita receſſit.

Cap. XLIV.

Rex obit, ad damnum venit in divortia regnum.

Interea mundi Sidus concidit LUDOVICUS,
Regis poſt obitum ſecuit partitio Regnum,
Qvod patris *Anſcharii* rem maxime debilitavit.
In partes Regni Carolus, cui *Francia* ceſſit,
Pontificis Cellam *Turholt* (c) de jure removit,
Qvam pater ante ſuus legarat ei LUDOVICUS.
Nec fratrum monitis potuit ſententia Regis
Flecti, cumqve virum premeret penuria rerum,
Adverſis fracti ſe deſeruerê miniſtri,
Perſtitit ipſe tamen vice Chriſti Paſtor ibidem.

Cap. XLV.

Fit Rector Bremiæ, proprimqve recepit (d) *ovile.*

Sed qvi corda regit Regum Deus inſtimulavit
Rectoris regni ſuper hoc animum LUDOVICI,
Rebus ut attritis ſuccurreret; Ergo *Bremenſis*
Eccleſiæ Sedem Cæſar Rectore carentem
Auxit Pontifici, ſed judicio Synodali.
Ac ne jacturam *Ferdenſis Epiſcopus* ullam
Ferret, in hoc Synodus diſtingvit Pontificatus.
Hoc eſt, *Ferdenſem* percenſuit atqve *Bremenſem*,
Qva ratione prius diſcrêrat eos LUDOVICUS.
His ita diſpoſitis, regimen tulit ipſe *Bremenſis*,
Porro *Walgarius* Ferdenſis Epiſcopus ejus
Trans Albim poſitam ſuſcepit Paroëchiam.
Rurſus Pontifices Synodum de rebus agentes,
Decreverê ſibi juſtum non poſſe videri,
Qva fuit ipſe pater ſacratus Epiſcopus, alter

Ut

(c) De *Turholt*, vid. ſupra p. 450.
(d) Al. *receptat.*

Ut teneat ſedem, cum jam Romanus eundem
Sanxerit eſſe *locum* Præſul *Metropolitanum*.
Ergo pari voto Rex, & celeberrimus ordo
Pontificum ſedem Patri ſtatuerê priorem;
Walgarius ceſſit, ſic res pacata qvievit.

Cap. XLVI.

Præſul ei cedit, Romam Legatio tendit.

Urbs autem Rectore *Colonia* forte vacabat
Iisdem temporibus, qvod rem nimis impediebat.
Namqve *Bremenſis* ad hanc eſſet cum ſubdita Sedem,
Præſulis illius poſcebat cauſa favorem.
Urbis *Guntharius* tandem moderamen adeptus,
Hoc ut firmaret, cum Dominus eum monuiſſet
Anscharius, valde contrarius extitit. Unde
Wormacio geminis poſt Regibus urbe coactis,
Hoc eſt, LOTHARIO, magnoqve ſimul LUDOVICO,
Pontifices Regni rem contigit ante referri,
Hoc actum juſte cunctis profitentibus, ipſe
Contra multiplici cœpit ratione reniti
Guntharius, ſeſe commiſſæ ſedis honore
Privari dicendo bonum non eſſe nec æqvum.
Pontificum monitis, poſtremo rogantibus ipſis
Regibus, & tota Synodi ſvadente corona,
Annuit, & ſeſe promiſit legibus eſſe
Ceſſurum, canonem ſi *Papa* probaret eundem
Rex augere ſuum cupiens opus atqve paternum,
Romam Pontificem *Salomonem* miſit eam rem
Auribus inferri ſancti Papæ *Nicolai*;
Anscharius pro ſe *Nordfridum* juſſit abire.

Cap. XLVII.

Verbum Papa probat, rem ſanxit, & inde perorat.

Qvo cultu decuit, Legatos *Papa* recepit,
Qvorum mandatis vigilante corde volutis,
Hoc fore catholicum decernens & pie cautum.
Ferre manum populis errorum nocte ſepultis,
Regis firmavit votum canonemqve probavit.
Eſſe bonum cujus hic ponere verba putamus,
Ut lector paucis aucto qvicunqve citatis
Scire velit ſeriem citet hoc in nobile (e) carmen.
Ut qvantum libuit præmiſſa recenſuit, infit,
Pagina *Romanæ* ſignata notamine *Bullæ*:
Ad nos pervenit hoc omne, qvod inſinuavit
Miſſus ab Auguſto Præſul *Salomon* LUDOVICO,
Nobis explanans, qvod ſit conceſſa poteſtas
Anschario,

(e) Al. *ignobile* pro *in nobile*.

Anschario, *Scythicis* (f) ut ſit Legatus in *oris*,
Sedis Romanæ pallii redimitus honore,
Et nos *Gregorii* ſeqvimur veſtigia noſtri
Prædeceſſoris, Regumqve favendo benignis
Votis magnorum, canonem firmamus, & ipſum
Anscharium ſacræ legis decernimus eſſe
Latorem populis, qvi ſunt in finibus illis,
Ut fidei lumen, ſi perluſtraverit orbem,
Prædicet armatus gladio, cui ſpiritus almus
Eſt acies, per qvem ſqvamoſum ſtrangulet angvem.
Eccleſiam vero, cui mundi præſidet ipſe
Salvator, qvem virgo ſuo ſacravit honore,
Nordalbingorum Sedem decernimus eſſe,
Ut *domus* ipſa prothos Pontificalis & archos.
Et cum naturæ fœdus diſſolverit eſſe,
Succeſſor dignus virgam ſibi vindicet ejus.

Cap. XLVIII.

In jus Eccleſiæ Rex urbem amplat utrimqve.

At qvoniam frater LUDOVICI, filius alter
Auguſti CAROLUS Ludovici, qvem pater ejus
Præſulem & ad Clerum cultuqve ciboqve fovendum
Hammaburg tribuit *Turholt*, vehementer ademit.
Qvod poſtqvam Regnum ſecuit partitio fratrum,
Cellam continuit, qvam Rex in parte recepit
Francia; deciduas mundi qvæ vergit ad oras,
Altaris ſacri cuſtodes atqve miniſtri
Demigrare loco victu cœperê negato.
His igitur cauſis ſiluit legatio gentis,
Deſiit ipſa prope ſedes Metropolis eſſe.
Interea carnis *Bremenſis Epiſcopus* urbis
Clauſit iter raptus prorſus de turbine mundi.
Hæc urbs *Eccleſiæ* vicina *Metropolitanæ*
Cum foret, orbatam Rex eſſe, perire novellam,
Immo Barbarie populari prorſus utramqve,
Proſpiciens, ſedes uniri ſanxit & urbes;
Hammaburgenſem ſupplens ſubdendo *Bremenſem.*
Hoc per Pontificem nobis patuit *Salomonem*
Juris Apoſtolici firmandum robore noſtri.
Diſcuſſa juſte cauſa perpendimus eſſe
Proficuam populis erroribus eripiendis,
Cum fieri liceat, qvod non in lege repugnat,
Ac magis Eccleſiam ſit fas augere novellam,
Qvæ ſolet ancipiti caſu plerumqve moveri.

(f) 2: *In gentibus Sveonum, Danorum, & Slavorum*, vid. ſupra p. 467.

Cap. XLIX.

Roborat edictum ſubdens anathema tremendum.

Hinc, auctore Deo, qvod Rex petit, indice Petro
Hammaburgenſem decernimus atqve *Bremenſem*
Non debere duas jam dici Paroëchias,
Et locus alter ut jam non erit unus & alter,
Sed qvaſi corpus idem, fiet thronus unus & idem.
Archipræſul erit, ſedem qvicunqve tenebit,
Ut jam *Gregorius* decrevit Papa beatus,
Qvod tamen Eccleſiæ ſublatum creditur eſſe
Antea *Ferdenſi*, referat de jure *Bremenſi*
Urbs vero qvemcunqve *Colonia* Pontificatu
Extulerit, nullo premat Eccleſiam dominatu.
Inſuper ipſe ſimulqve Deum qvicunqve verentur,
Subveniendo rogamus ut ipſis auxilientur,
Sorte miniſterii Chriſto qvibus auſpice fungi
Contigerit, pro qvo cumulatior in paradiſo
Fiat eis merces, qvi gentes evocat omnes,
Qvem recipit qvisqvam recepit qvos dirigit ipſe
Ad pietatis opus. Qvapropter Rex LUDOVICUS
Qvicqvid devovit, Chriſto qvæcunqve dicavit,
Robore firmamus, qvo Petri jura tenemus.
Et qvia nos rerum discrimina præteritarum
Cogunt, ſollicite qvæ ſunt ventura cavere,
His oblatrantem ſtudiis anathematis omnem
Perſonam gladio jugulamus & igne vaporo
Arſuram ſathanæ damnamus ſorte gehennæ.

Cap. L.

Eccleſiam Danis inſtaurat munere Regis.

Ergo modo tali ſuſcepta *Sede Bremenſi*,
Anscharius Danis iterum mandata ſalutis
Tradere fervebat, Regemqve ferventer adibat.
Hoc regnum ſolus tunc forte tenebat HORICUS.
Et nunc obſeqviis, nunc illum flectere donis
Cœpit, ut in populum cœli fas pandere Regnum
Eſſet, & inferri terræ myſteria Chriſti.
Crebrius ergo virum Regni pro fœdere miſſum,
Rex inter primos venerari cœpit amicos.
Cujus tanta fides erat, ut decernere Reges
Si qvid deberent, mediator Epiſcopus eſſet.
Sic in amicitiis admiſſus Præſul eundem.
Chriſticolam fieri ſvadebat ſedulo Regem.
Ille favebat ei, captus dulcedine verbi;
Chriſti præſidium faſſus ſe velle mereri.
Tunc ſuggesſit ei Chriſto nil gratius eſſe

In

In ditione ſui, qvam ſi permitteret ipſe,
Regiminis *Eccleſiam* fundari qvolibet unam;
Ille pio favit nutu, portuqve *Sleaswik*
Eccleſiam fieri permiſit, & eſſe volenti
Converti liqvidam fas currere fontis ad undam.

Cap. LI.

Floro novo fidei ſeges exuberat paradiſi.

Hoc pietatis opus pater ergo licenter adeptus,
Nec mora ſubrepſit, qvod avebat, rite peregit.
Chriſti Presbyterium populis ſacramenta daturum
Ut locus accepit, fidei nova gloria crevit,
Vici primores baptismatis ante liqvores
Qvidam contigerant; multi qvoqve percipiebant
Sexus uterqve ſacris mergi properabat in undis.
Jam tuto portum nautis adeuntibus ipſum.
Cunctarum ſuperabat eis opulentia rerum,
Sed cum poſt undam lavachri ſupereſſe qvibusdam
Contigerit, *niveis* pars multa migravit in *Albis* (g),
Percipiendo qvidem *crucis* admirabile *ſignum* (h).
Eſſe bonum differre ſibi baptismatis uſum
Credebant vitæ ſupremum tempus ad usqve;
Ut mox in Domino vitali fonte renati
Felices animas efflarent immaculati.
Multi langventes ipſa formidine mortis
Seſe perfundi faciebant rore perenni
Mox divina ſalus ægros diffuſa per artus
Incolumes morbis homines reddebat ab actis;
Sic tua, Chriſte, loco ſoboles adolevit in illo.

Cap. LII.

Qvo Simon ire negat, paſtor Sveonibus inſtat.

Pro populis etiam *Sueonum* Paſtor habendo
Curam qvod nullus foret in regione ſacerdos,
Regem præfatum depoſcere cœpit HORICUM,
Ut ſibi ferret opem, qvo poſſet viſere gentes.
Paruit oranti Rex auxiliumqve ſpopondit.
Intulit ad *Simonem Gautbertum* Præſul eam rem,
Eſſe bonum populi mentes iterato probari,
Ne per neglectum fidei plantatio peſſum
Iret, qvæ pridem ſtillaverat in regionem.

Propul-

(g) Vid. ſupra p. 412. 470. & *Lambecii* Not. ad Gvaldonem ap. Lindenbr. p. 141.

(h) Vid. ſupra p. 471. de ritu illo antebaptismali *Cruceſignationis*, qvam majores noſtri at primſignes dixerunt. De hoc vetuſtus Legendarum Svecicarum Codex membran. mihi ab amico meo Illuſtri *Lagerbringio* communicatus ſeqventem explicationem perhibet: *Catecumenus, thet thydher brynſignader* [leg. Primſignader] *ok ey döpter*, ɔ: Catechumenus ſignificat *Cruceſignatum* & *non baptizatum*.

Propulſum ſeſe *Gautbertus* Epiſcopus inde
Non audere locum regredi profitetur ad illum,
Plebs iterum recidiva ſibi ne bella moveret;
Hoc ipſum potius luctamen inire deceret,
Qvi prius ad gentes tulerat mandata ſaluis,
Et nihil adverſi fuerat perpeſſus ab ipſis.
Se non poſſe ſuum tamen allegare nepotem,
Qvi ſacramenta Dei populis aperiret eisdem
Inter eos habitans, tenebris ſi forte remotis
Lumen Evangelii radios infunderet orbi.
Hoc ita propoſito rem *Cæſaris* auribus ambo
Inſinuant, Rex in Domino laudabilis illud
Approbat, & Chriſti præconem dirigit illuc
Ad Regem terræ, Genitor qvod fecerat ante,
Dans privatarum rerum mandata ſeorſum.

Cap. LIII.

Spicula ſollicitæ menti ſunt dicta Prophetæ.

Ut ſuper *Anscharium* legatio tota pependit,
Ardor eum divinus ad hoc impellere cœpit.
Accelerare viam ſvadebat viſio qvædam
Propter iter dubium curarum turbine preſſum.
Deveniſſe locum ſe viderat, ordo domorum
In qvo multiformis erat, multiqve receſſus,
Vir procurrit ubi qvidam ſibi, parce vereri
Dicens, neve via te ſollicitaverit iſta;
Hic etenim qvendam tibi noveris eſſe profectum (i),
Menti ne qva tuæ dubitatio poſſit ineſſe,
Hoc animadvertens qvondam clariſſimus Abbas
A Domino miſſus tibi vates eſt *Adalardus* (k)
Ille refert, ubinam dic qvæſo videbo Prophetam?
Per te reperies, inqvit, fas prodere non eſt.

Cap. LIV.

Circuit & dubitat coram venit ille Propheta.

Veſtigando virum girabat in orbe domorum,
Hoc volvens animo, vatem ſic eſſe probabo,
Si ſecreta meæ mentis patefecerit ipſe,
Cum ſubito qvandam jucundi luminis aulam
Ingrediendo ſenem vidit ſublime ſedentem,
Agnovitqve virum, qvi ſic eſt orſus ad illum:
Inſulæ & populi, procul hoc attendite verbum;
Te Deus ex utero matrisqve vocavit ab alvo,
Os dedit, ut frameam manuum te fovit in umbra,
Te velut electam pharetra condendo ſagittam,

Servus,

(i) Al. *propheram.*
(k) De *S. Adalardo* Abbate Corbeienſi, vid. ſupra ad Præfationem p. 562.

Servus, ait, meus es, qvia per te glorificabor.
Hoc dicendo, manum protendit, & intulit, & nunc
Gentibus in lucem Dominus Deus inqve ſalutem
Te dedit extremæ fines telluris ad usqve,
Spectabunt in te Reges coramqve Toparchæ
Surgent, atqve colent Dominum te glorificantem.
Hoc igitur verbum cum viderit ante profectum,
Afflatum ſeſe credebat cœlitus eſſe,
Iret ut ad populos aqvilonis in orbe remotos,
Palma martyrii ſperans ſe poſſe beari.

Cap. LV.

Qvanto viro virtus ſit Olef commendat Horicus.

Ergo viæ tandem pater aggrediendo laborem,
Secum prædicti Legatum Regis HORICI,
Deduxit pariter, qvi Regi diceret OLEF:
Rex ſervum Domini LUDOVICUS dirigit ad te,
Qvem per cuncta mihi ſpectatum noveris eſſe,
Moribus inſignem ſanctumqve virumqve fidelem.
Hunc ego, nam virtus homines ſupereminet omnes,
Regni Danorum populis inducere cultum
Catholicæ fidei permiſi: qvæſo, qvod ipſum
In ditione tui posſit diſponere Regni.

Cap. LVI.

Præveniendo ſenem ſathanas everterat orbem.

Exactis igitur bis denis ferme diebus,
Appulit ad *Byrcam*, Regem populiqve catervam
Dæmonis impulſu nimio fervere tumultu
Repperit errorum. Prævenerat ergo beatum
Forte virum qvidam, qvi terræ Numina qvendam
Diceret inter ſe conventum conſtituiſſe,
A divis ipſum populis noteſcere miſſum.
Hactenus a nobis in pace plagam tenuiſtis;
Felices vobis fuimus dum nos coluiſtis,
Sed cadit a vobis nunc rarior hoſtia nobis,
Idqve qvod eſt gravius, nobis inducitur unus
Ecce Deus, ſacris noſtris inimicus & aris.
Qvod ſi forte parum nobis impendere cultum
Eſt vobis, veſtrum Regem cum ſcimus HORICUM (l),
In cœtu noſtro Deus iſte domeſticus, ergo
Illum nosqve ſimul votis placate, ſed illud
Æternum numen veſtrum non intret in orbem.

Cap. LVII.

Vulgus eum terret, plaudit Rex & bene ſpondet.

Hic igitur populos adeo perverterat error, Vota

(l) De apotheoſi *Horici* ſ. *Erici* Sveonum Regis, vid. *Rembertum* ſupra p. 474.

Vota qvod offerrent, qvod thurificando litarent
Defuncto Regi, posito fundamine *Templi;*
At Pater antiqvos super hoc convenit amicos,
Qvi dixere virum frustra venisse, nec illum
Ni redimat sese, vivum decedere posse.
Se nihil ille refert mortis terrore daturum,
Pro Christo potius tormenta subire paratum.
His nuper afflictus diverso turbine mentis,
Cœpit consilium, *Regem* sibi nectere donis;
Convocat hospitio; mensam proponit & offert
Munera, tum demum qvid vellet apertius infert.
Alloqvio dulci Patris obseqvioqve freqventi
Illectus, plane sibi *Rex* mandata placere
Asserit, ante tamen populi per seditionem
Non jussu Regis fore de regionibus illis
Propulsos qvosdam, nunc se decernere causam
Solum non posse, nisi numina consulat ante.
Sed tuus interfit præsenti nuncius, inqvit,
Si vis in placito mecum populumqve rogato
Sortibus arcanum scrutabor velle Deorum
Et tu qvod qværis, si Diis fautoribus ipsis
Vulgus laudarit, tua res tranqvilla manebit,
Verum qvicqvid erit, tibi nuncius insinuabit.

Cap. LVIII.

Cessurum præscit sibi cœlitus omne qvod ambit.

Accepto *Regis* responso præco salutis
Christi præsidium tutumqve petivit asylum,
Esurit & vigilat, flet, humi sua membra volutat.
Volveret ergo virum cum tanta molestia rerum.
Jamqve propinqva dies placiti foret, accidit inter
Cœlestem mensam, dum forte litaret ad aram
Presbyter, infundi sanctum spiramine Christi.
Concipiens eqvidem divinum pectore rorem
Novit, ut vellet sibi res cessura qvod esset.
Inde sacerdotem monuit, ne forte timeret,
Cum sibi pro certo virtus divina faveret,
Qvod fratri patuit, qvia multis ante probavit
Indiciis rerum solari cœlitus illum.
Fit Patris ergo fides rata, Rex nam scilicet OLEF.
Primo principibus mandata recensuit ejus,
Qværere per sortem Divum statuerê favorem.
Protinus in campum, veluti mos poscit eorum,
Egressi, missis viderunt sortibus illis,
Velle Deum, qvod vera fides adoleret in oris.
Res ea Pontifici statim defertur, amici
Indicio se confortet, soletur agatqve

Pectore conſtanti, qvoniam Deus annuit illi;
Exilit angelicus Pater hoc ſolamine fultus.

Cap. LIX.

Turba fremit, ſenior verbum facit, & ſilet error.

Lux ubi proceſſit placiti, *Rex* ipſe coëgit
In *Byrca* populum, tum morem præco ſecundum,
Qvid velit antistes, cœtum promulgat ad omnem.
Exoritur mixtus clamor, creberqve tumultus.
Infidum vulgus qverulum facit error iniqvus,
Murmure confuſis, fremituqve ſtrepentibus illis,
Surgens in medio qvidam provectior ævo,
Sic eſt ad Regem populumqve locutus eundem:
Hujus jure Dei cultura probabilis, inqvit,
Eſt, in ſe cum præſidio ſperantibus adſit.
Qvam rem ſupremis experti ſæpe periclis
Ex noſtris qvidam, *Dorſtati* ſponte lituram
Chrismatis, & ſacrum jam perceperê lavachrum.
Qværere qvam libuit procul ad nos gratia venit,
Et nunc in manibus ſpem libertatis habemus.
Utile conſilium, cur ergo repellimus iſtum,
Res probat eſſe Deum, qvi ſummovit omne periclum (m).
Inter nos hujus ſervos habitare ſinamus,
Et dii neqveunt, vel ſi ſuccurrere nolint,
In qvo certa ſalus, hunc nobis conciliemus.

Cap. LX.

Cœtus abit, cauſæ pars conſonat altera terra.

Talibus oranti plauſit collectio vulgi.
Ut Chriſti Domini cultores atqve miniſtri
Inter eos habitent, & munia ſacra freqventent.
Conventum ſolvit *Rex* & noteſcere fecit
Anschario verbum, ſe vero cedere nondum
Poſſe licenter, ait, donec *pars altera Regni*,
Ad qvam deferret cauſam, conſulta probaret,
Ergo die placiti, cum rurſus in agmine vulgi
Rex per præconem rem declaraſſet eandem,
Totius turbæ ſonuerunt ora favore.

Cap. LXI.

Rex ſtat & unda fluit, ſtat presbyter, ille recedit.

At ubi, qvæ voluit, populo plaudente peregit,
Advocat ad ſeſe ſanctum Rex, *Eccleſias*qve
Dat libertatem fabricandi per regionem;
Eſſe Sacerdotes ſecum decernit & omnes,

Qvi

(m) Hic deſunt Verſus aliqvot, ut patet ex collatione cum Remberto.

Qvi vellent liqvidis merſare licenter in undis.
Præſul *Heribertum*, qvem diximus eſſe propinqvum
Gautberti, manibus *Regis* commiſit, ut ejus
Myſtica præſidio ſacra protegeretur agendo.
In vico fundum qvo conderet ille ſacellum,
Rex dedit ære domum, Pater ipſe coëmit & hortum,
Inde ſacerdoti qvoniam deferret honorem,
Rege ſibi ſpondente, ſuam remeavit ad urbem.

Cap. LXII.

Obviat (n) *in ſomnis ſua Chriſti terga flagellis.*

Hunc pater angorem, mentisqve viæqve laborem
Præſcivit longe, navim qvem ſolveret ante.
Viderat in ſomnis vinctum cæſumqve flagellis
Ut qvondam Chriſtum tormenta crucis ſubiturum,
Jeru forte ſalem ſeſe præſente per urbem
Herodi duci, rurſum ſub præſide ſiſti,
Paſſim militibus Domini laniantibus artus
Cum colaphis gemeret cervix faciesqve maderet
Immaculata ſputis, ſeſe prorupit & ipſis
Flagris oppoſitus plagas excepit & ictus.
Tergo procumbens igitur, lateriqve cohærens.
Cætera cum prorſus tegeret loca corporis ejus
Nam ſibi præſtabat, caput obvelare neqvibat.
Hæc Domini miles, qvid viſio ſignificaret,
Non intellexit primo, ſed ubi inde redivit
Tractanti ſecum, per qvot diſcrimina rerum
Transierit, qvantum fuerit deriſus in illum,
Evomuerê viri convitia qvanta profani,
Claruit hæc in ſe Chriſtum maledicta tuliſſe.
Sed Chriſti caput eſt Deus, ejus membra fideles,
In qvibus affectus patitur pietatis agones.

Cap. LXIII.

Diro bella chori committunt omine Dani.

Qvanta ſalus Chriſtum ſit credere, barbara demum
Natio cum timuit bellorum ſorte probavit.
Qvædam, dicta *Chori* (o), *Scithici gens incola mundi*,
Cum foret imperio *Sveonum* ſubdita, rupto
Fœdere diſſenſit, pactumqve fidemqve revulſit;
Nec latuit *Danos* ea res ad bella protervos,
Ergo manu valida cum multa claſſe coacta
Fluctibus emenſis (p), appulſi ad littora gentis,
Inſiſtunt bello, dominandi tanta libido
Prædæ tanta fames; at Regni *qvinqve* per *urbes*

Diviſus

(n) Al. *Objicit.*
(o) Vide ſupra p. 478.
(p) Al. *expenſis.*

Diviſus populus tanti terrore tumultus
Una convenit, totisqve reſiſtere cœpit
Viribus, & *Danis* ingenti cæde ſubactis,
Ad mediam partem protritum perculit hoſtem.
Pars abit infauſtæ clasſis, pars (q) altera prædæ.
At manus argentum victrix pervaſit ad aurum,
Vaſa virum, veſtes, clypeos, ſua tela, bipennes.

Cap. LXIV.

Occupat & delet Segeburg Exercitus Olef.

Caſu *Danorum* comperto, Rex *Sueonum*
OLEF collegit naves, totamqve coëgit
Imperii gentem, cupiens acqvirere nomen.
Si victor *Danis* animo præſtaret & armis.
Ac fieret terræ Rex & Dominator, ut ante.
Æqvore transvectis igitur portuqve receptis
Navibus in tuto glomerantur, & impetu facto
Illius regni qvandam properanter adorſi
Munitam ſeptem pugnantum millibus urbem,
Expugnaverunt *Segeburg* igniqve dederunt.

Cap. LXV.

Imminet Appuliæ, mars arma cruentat utrinqve.

Inde viri primo ſucceſſu robore ſumpto.
Puppibus eductis pelago portuqve relictis,
Per terram pedibus discurrunt qvinqve diebus,
Ter qvinis celebrem bellantum millibus urbem
Appuliam, ſpoliis armis opibusqve potentem,
Aggere circumdant, & muros ariete pulſant.
Turribus e ſummis cives pugnando reſiſtunt.
Miſſilibus, ſaxisqve viros ſudibusqve repellunt,
Atræ grandinis inſtar; utrinqve volatile ferrum
Errat, & incautis infert lachrymabile fatum,
Traxerat ambiguis bellum labor octo diebus:
Nulla qvies intra, creberrimus impetus extra.
Et ſine ſpe palmæ fragor hinc concurſus ab urbe.
Plaga, dolor, gemitus, ſangvis, furor, ira, tumultus
Par erat excluſis, par valli robore clauſis.

Cap. LXVI.

Miſſa ſorte gemunt, qvod caſtris numina deſunt.

Nona dies pugnæ *Sueonum* pectora fregit,
Cæde manus tremuerê, ſuus vigor oſſa reliqvit.
Decernunt, qvid agant, redeunt urbemve relinqvant?
Sed procul eſt clasſis, via longa, graviſſimus hoſtis,
Imminet a tergo mors, eſt ſibi ſæva cupido.

(q) Al. *patet* pro *pars*.

Ecce mori metuunt, & bello cedere nolunt,
An urbem vincant armis, ſanive recedant,
More ſuo miſſis inqvirunt ſortibus illis,
Aſt qvia præſidium Dii nolunt ferre repertum,
Dicitur in caſtris ubi diræ miſſio ſortis.
Invaſit nimius horror miſerabile vulgus.
Flent, lugent, ululant, gemitu planctuqve cruentant
Pectora, ſe moeſtis incuſat turba qverelis:
O miſeranda manus! gens perdita! qvo fugiemus?
Nulla fugæ ſpes, nulla viæ; nos deſeruerê
Numina: caſtra Dei nolunt infauſta tueri,
Sunt procul inde rates, cedendo ſeqvetur eúntes
Hoſtis, & ut pecudes ferro ſternemur inertes.

Cap. LXVII.

Miſſa ſorte gemunt, qvod caſtris numina deſunt.

Jam ſine cæde viris ſola formidine fractis,
Dogmatis *Anſcharii* memores terrore pericli.
Qvidam nautarum Chriſtum ſenſerê probandum
Sortibus, offerri ſibi munera, vota voveri,
Utrum vellet eis iter hic aperire ſalutis,
Qvi Deus adverſos retro committere caſus
Et valet, & miſeros ſolet exaudire rogatus.
Mittitur ergo ducum (r) monitu, populiqve precatu
Sors, & felici caſu canit auxiliari
Velle ſibi Chriſtum; qvod ut eſt in caſtra relatum,
Clamor lætitiæ ſummo ferit aſtra fragore,
Robur & ingenitus juvenum vigor induit artus,
Concurrunt alacres animis virtute potentes
Funditus everſis urbem reſcindere muris:
Qvid formidandum jam nobis, qvidve timendum?
Exclamant, Deus omnipotens hæc caſtra tuetur.
In manibus noſtris victoria certa tenetur.

Cap. LXVIII.

Civis fœdus init, pubes armata reſiſtit.

Jam circum muros acies directa ſub armis
Stabat, & eductis gladiis horrebat & haſtis,
Urbis concluſæ cum proclamatur ab arce,
Ut cum *Rege* ſibi ſit copia concionandi,
Cedit & aſſultum cohibet *Rex* atqve tumultum,
Cives continuant, & ſic de pace perorant:
Parcite jam nobis, potior concordia bellis
Eſt, in hoc fœdus vobiscum percutiemus:
Bello navali *Danis* æſtate priori
Qvicqvid in argento tulimus, qvoqve qvicqvid in auro,

Arma,

(r) Al. *Divum.*

Arma, rates, vobis dabimus pro pignore pacis,
Pro maribus noſtris, qvos continet ambitus urbis,
Argenti mediam capitum per ſingula libram.
Vectigal ſolitum ſuper hoc reddemus in annum,
Obſidibusqve datis in fœdere conditionis,
Subjicimur veſtræ ditioni, ſicut & ante.
Hæc mollire tamen juvenum promiſſa feroces
Non poterant animos, ira belloqve frementes
Conſpirant ferro flammisqve regalibus urbem
Perdere, captivam terris abducere gentem.

Cap. LXIX.

Rex pacem ſtatuit, datur obſes, & urbe recedit.

At *Rex* & primi procerum de pace locuti
Congreſſu pugnæ pactum ſibi tutius eſſe,
Iram fregerunt juvenum, dextrasqve dederunt.
Ter denos vades igitur pro pignore cives
Tradunt: argenti numerari ſumma vel auri
Non potuit, numerum ſuperavit copia rerum.
Legibus impoſitis terræ de pace colonis
Solvitur, obſidio. *Sveones* marte ſecundo
Gaviſi, repetunt naves, patriamqve reviſunt,
Confeſſi Chriſtum, per qvem meruere ſalutem,
In virtute Deos ſuper omnes eſſe potentem.
Inqvirunt, qvid agant illi, qvæ vota rependant,
Auspice qvo tanti ſibi ſit data palma triumphi.

Cap. LXX.

Nauticus in votis favor eſt in laude tonantis.

Qvidam de nautis, qvi Chriſti nomen haberent,
Edocuerê viros, ipſi qvæ vota voverent.
Scilicet appulſis ratibus felicibus undis
Ad patrium littus, cum ſeptem luna diebus
Cederet auroræ lucis hebetatâ rubore
Jejunando dies ſeptem, non tangere carnes.
Inde qvaterdenis epulatos carne diebus
Continuare qvaterdecies jejunia rurſus.
Omni complacuit populo votumqve peregit.
Sobria catholico ritu jejunia multi
Inter eos duxere dehinc in nomine Chriſti
Et qvia didicerant Chriſto nil gratius eſſe
Mendicos fulcire bonis cœperê benigne.
Heribertus eos inter ſic dogma ſacerdos
Catholicæ fidei pandebat plebe favente.

Cap.

Cap. LXXI.

Rex interficitur, gens ſævit, terra movetur.

Contigit hæc inter piratas inſidiari
Regno *Danorum*, certamen & inde moveri,
In qvo confoſſus qvoqve Rex defecit HORICUS (s)
Decubuerê (t) Duces terræ ſimul atqve Tribuni
Rerum Pontificis fautores ejus amici.
Regni primatum *junior* ſuſcepit HORICUS.
Alteritas (u) Regum fuit immutatio rerum.
Conſilium Regni proceres verterê moderni,
Cum qvibus *Anscharius*, *ſenior* dum vixit HORICUS,
Fœdus amicitiæ nullum devinxerat ante.
Unde novum Regem ſvaſerê, juberet, ut ædem
Funditus Eccleſiæ ſubverti ſtantis apud ſe,
Et terra pelli penitus myſteria Chriſti.
Se mala perpeſſos, offenſaqve numina dicunt,
Induci Regno qvod barbara ſacra tulerunt.
His permovetur *Hovih* Vice-Comes (v) *Scleaswich*,
Sacrilegæ mentis vir, Chriſti legibus hoſtis,
Eccleſiam claudi juſſit, cultumqve relinqvi
Legis divinæ; compulſus presbyter inde
Diſcesſit profugus tanti terrore tumultus.

Cap. LXXII.

Mens præſaga ſenis fit certa vocamine Regis.

Fecerat *Anscharium* cum ſollicitudine triſtem
Res ea, qvod veterum nullum cum Rege fidelem,
Qvi ſibi præſidium conferret, habebat amicum.
Humana privatus, opem ſibi more petivit
Divinam ſolito, nec eum ſpes illa fefellit.
Namqve ſuperna viri mentem ſolatio certam
Reddidit, ut ſciret rabiem nil poſſe malignam,
Qvod fidei lumen tenebris operiret ibidem
Nubes erroris pallens caligine mortis.
Exitus edocuit, qvod mens præſaga futurum
Viderat: ad *Regem* qvoniam pro rebus iturum
Nuncius ante diem *Regis* prævenit eundem,
Presbyterum mandantis ad Eccleſiam debere remitti,
Velle patrociniis ſeſe committere Chriſti,
Nil in amicitiis a ſe minus eſſe colendum.
Pontificem, coluiſſe *ſenem* qvam ſciret HORICUM.

Cap.

(s) De memorabili hoc prælio, vide ſupra p. 480.
(t) Al. *Occubuerê.*
(u) i. Alternitas, Alternatio, per vices ſucceſſio.
(v) A Remberto ſupra p. 481. Hovi dicitur *Comes Vici* Slieswic, unde forte per incuriam a Poëta noſtro *Vice-Comes* factus eſt.

Cap. LXXIII.

Pontificem donat Rex & jus omne reformat.

Ergo Pater ſuper his cum Regem ſanctus adiſſet,
Et coram *Burchardus* cum Comes exhibuiſſet,
Nobilis & magnus *Regi* vir utriqve propinqvus.
Qvo fautore *ſenem* ſibi conciliarat HORICUM,
Senſerat & fidum per cuncta negotia rerum.
Rex gratanter eum ſummoqve recepit honore,
Reſtituitqve libens regali jura favore,
Jam collata ſibi dono *ſenioris HORICI.*
Eccleſiæqve *Nolam* (x) trabibus permiſit ab altis
Appendi, qvod grande nefas erat ante profanis.
Ceſſit & in portu Regni, qvi *Rippa* vocatur,
Ut *domus Eccleſiæ* Chriſto nova conſtrueretur.

Cap. LXXIV.

Is venit, hic migrat, redit hic & febre laborat.

Auſridum qvendam nutrirat Epiſcopus *Ebbo*
Ordine presbyterum, ſed carnis origine *Danum*,
Qvi per tempus idem *Sveonum* miſſus in orbem,
Manſit apud populos; præfatus & inde ſacerdos
Venit *Erimbertus*, cum vero presbyter idem,
Gente favente ſibi, tribus annis eſſet ibidem,
Præſulis audito *Gaudberti* fine, receſſit.
Inde dies aliqvot poſt vitæ tempora clauſit
Ultima correptus febre carnis morte ſolutus.

Cap. LXXV.

Presbyterum ſpoliat latro, nudum Chriſtus adoptat.

Anscharius, ne forte fides ibi coepta periret
Anxius, ad populum, cœli qvi rore rigaret
Corda, *Regimbertum* ſatis hoc operamine dignum
Mittere diſpoſuit, ſed presbyter iſte *Sleaswich*,
Qvo portu puppes ſtabant, & nautica pubes,
Cum peteret, captum manus impacata latronum
Detinuit, res diripuit, nudumqve reliqvit.
Hic ad nos rediens felici morte beatus
Tranſit ad ſuperos torris pro parte retentus,
Qvo mundi Regina die de carne migravit,
Et regni ſolium ſuper aſtra Maria locavit.

Cap. LXXVI.

Tota ſacerdoti gens eſt cum Rege favori,

Impatiens animi Paſtor turbatus in hac re.
Impoſitus alium manibus ſacravit, eumqve

(x) o: Campanam. Remberto ſupra p. 481. *Clocca* habetur.

Miſit; ut in populis impleret opus Deitatis.
Illi *Remberto* nomen, natalis origo
Et *genus ex Danis* erat; hunc *Rex* totaqve gentis
Excepit digne facies; habuitqve benigne
Huic etenim Pater ille pius legarat, ut omnem
Turpis avaritiæ vellet contemnere labem,
Neve qvid a populo peteret manuumqve labore
Tegminis & victus uſum ſibi qværeret ipſe.
Sic, inter gentes ſtatuit qvos eſſe miniſtros,
Omnes commonuit, qvod ſi qvid propter amicos
Lucrandus dandum foret, a ſe ſanxit habendum.

Cap. LXXVII.

In fervore ſenis cor ſpiritus urit Ebbonis.

Qvamvis ſemper eum per tot diſcrimina rerum
Vinxerit interius divini gratia roris,
Ne torpore pii curam laxaret agonis,
Hoc tamen in ſtudio vehementer Epiſcopus *Ebbo*,
Cui fuit imprimis Legatio credita gentis,
Illius mentem verbis amantibus ignem
Inflammarat, ut in populis mandata ſalutis
Promulgaret; & intrepidus luctaminis hujus
Curreret in ſtadio. Pro gentibus ille vocandis
Cœlitus æterni flammis flagrabat amoris,
Cujus adhortatu Pater hic pro nomine Chriſti
Bella gerens, nullo potuit terrore moveri.

Cap. LXXVIII.

Qvod labor in Domino fructum ferat aſſerit Ebbo.

Multis qvippe virum monitis formaverat *Ebbo*,
Sed tamen illius nunqvam de pectore ſermo,
Inter eos habitus ſupremo afflamine prorſus
Evelli potuit, nec præſulis ore receſſit,
Nam, qvas paſſus erat, cum domnus Epiſcopus illi
Ærumnas retuliſſet, eumqve rogaret, ut ipſe,
Qvid ſuper hoc eſſet ſibi viſum, dicere vellet.
Tunc velut afflatus divini numinis aura,
Reſponſum dedit: Eſt nil ſpe mihi certius iſta,
Fructificante Deo, qvam qvod labor iſte maniplos
Colliget, & fructum dabit; At ſi qvando procellam
Humani ſceleris tempeſtas moverit ullam,
Non tamen arebit penitus ſed fructificabit
Fruge ſalutari, nomen laudabile Chriſti
Finibus externis dum dilatabitur orbis.

Cap.

Cap. LXXIX.

Fregit nulla virum vis, aut populatio rerum.

Hinc deſiderium ſuccenderat ardor eorum
Tanta fides animi direxit ad extera mundi
Regna viros ſacræ pro religionis amore,
Adverſus Zabulum (y) Chriſti ſic arma tulerunt,
A qvo non dubiam palmam ſudoris habebunt.
Hæc pietas, hic verus amor, hæc gratia nunqvam
Ceſſit ab *Anſchario*, genus implacabile qvanqvam
Piratæ raperent famulos, terrasqve gravarent
Eccleſiæ crebris incurſibus, ille beatus,
Ille pius, mitis, patiens, pater atqve benignus
Orabat Dominum ſemper, nec verteret illis
Hoc in peccatum, qvod gens intenta rapinis,
Qvam deluſiſſet ſathanas erroribus, eſſet
Ignorando Deum rebus damnoſa piorum.
Hoc adeo viguit mentis fervore per omne
Tempus, qvod ſummo poſitus langoris agone
Non tamen ante ſuæ disponere ſortis omiſit
Munia, qvam moriens oris ſpiramina clauſit.
In qvo propoſito perventum (z) credere fas eſt,
De tumulis, hominum caro mortua qvando reſurget,
Multis *Danorum* comitantibus & *Sueonum*
Qvos ſalvavit, eum conſcendere regna polorum.

Cap. LXXX.

Ut parco victu, ſcabro ſe mulctat amictu.

Ferbuerat ſane conſtat pro gentibus ipſe
Qvantum ſalvandis, ſupereſt evolvere, qvalis
Extiterit, ſanctam qvo duxerit ordine vitam.
Qvantus *Corbeiæ* fuerit, noverê priores,
Sicut fama refert, mirandus apud ſeniores
Vixit adhuc juvenis nimii fervore rigoris.
Jam vero promotus ad arcem Pontificatus,
Augmentum capiendo pios excrevit in actus.
Cum Zelando patres vitam ſeqveretur eorum,
Martinum ſanxit ſpecialius eſſe ſeqvendum.
Silicio ſubtus nudos obvolverat artus,
Uſu noctturno, non tantum dico diurno.
In verbo Domini populis prodeſſe ſtudebat.
Liber ab officiis aliqvando remotus agebat,
Ad qvod opus cellam ſibi vir fabricaverat aptam.
Nomen ei *placidus locus & mæroris amicus.*

Otia

(y) ɔ: *diabolum.*
(z) Al. *prævensum.*

Otia duxit in hoc remoratus dogmata ſecum
Cum paucis, qvotiens ſiluerê negotia rerum
Eccleſiæqve tamen ſibi prætulit utilitatem.
Dum viguit corpus, dum rexit membra juventus
Dimenſos latices, appenſos pondere panes
Degere cum licuit ſolum, ſæpisſime ſumpſit:
Gloria vana viri qvo tempore cor tenebravit.

Cap. LXXXI.

Qvis foret agnovit, dum vana mente ſuperbit.

Cœperat ergo ſibi vir maximus eſſe videri,
Qvi ſic tabe famis tenuaſſet viſcera carnis;
Senſit ut interius peſtis crudeſcere virus,
Sollicitus pro re precibus ſibi conſulit ipſe.
Nocte ſoporifera torpebat langvida membra,
Reppulerat carnis ſomnum vigilantia mentis,
Se ſuper aſtra rapi, faucesqve dehiſcere mundi
Vidit ut horrendæ vallis baratrum, tamen inde
Felices animas conſurgere lucis ad auras
Angelico ductu; ſed in ipſo vallis hiatu
Qvædam ſementis ſpecies apparuit illi,
Unde genus hominum carnis prorumpit in ortum.
Aspiciendo ſtupor totum pervaſit & horror,
Horruit aspectu ſuper hoc mirabile viſu;
Audiit & vocem ſe pertractare jubentem
Præſentis vitæ qvo proceſsisſet in eſſe
Principio, dictumqve ſibi fuit; Ergo videto
Unde ſuperbit homo modo, qvem ſic exilis origo
Et cum peccatis parit in convalle doloris,
Et ſi qvid bonitatis habet, non accipit a ſe
Luminis eſt a patre bonum qvo ducitur omne
Ortus ergo tui primordia commemorabis,
Si cor ulterius turbabit improba peſtis,
Et tibi ſubveniat Deus & vis illa recedet.

Cap. LXXXII.

Escas non potus auxit ruinoſa ſenectus.

At ubi conſenuit, non ſic jejunia duxit,
Sed tamen hauſit aqvam ſemper, licet auxerit eſcam
Ni qvia, vitando vanæ contagia laudis,
Qvas bibiturus erat, modicum ſtillabat in undis.
De potu tenuem nihil indulcando ſaporem
Indulgere cibis ſi compulit ægra ſenectus,
Sparſit opes fuditqve preces, operatio virtus
Virtutum radix, & earum ſedula nutrix
Captivos de ſervitio plerosqve redemit
In libertatem qvorum ſub jure redegit
Chriſti nonnullos divinis uſibus aptos.

Cap.

Cap. LXXXIII.

Langvet amore, ſitit lachrymas & habendo profudit.

Qvam fervens in amore Dei fuit & ſtudioſus,
Indicio *Libros*, qvos ipſe notavit, habemus,
In qvibus omnipotentis laus æterna reſultat,
Tum delinqventum correptio crimina mulctat:
Laus qvoqve perpetuæ lucis, terrorqve gehennæ,
Id qvod lamentum producit, corda legentum
Et mollit lachrymis, ſtimulis & pungit amoris.
Hoc deſiderium ſenis inſatiabile fratrum
Multis *Corbejæ veteris*, plerisqve *novellæ*
Notuit, his libris aliqvid conferre rogatis.
Sed lachrymas acuens, & luctu pectora ſcindens,
Pagina nulla ſibi poterat ſatis eſſe volenti
Perpetuo moerore ſuam perducere vitam.
Nam licet aſſiduo lachrymarum rore maderet,
Cor tamen ardebat, cum mens liqvefacta ſitiret,
Tandem ſupremo Dominus ſibi præſtitit anno
Ætatis, vellet qvotiens ut flere valeret.

Cap. LXXXIV.

Conterit in pſalmis pigmentum nectare mellis.

Et ſacris collecta libris oramina pſalmis
Aptavit qvædam qvoqve cordis alentia flammam,
Qvod genus orandi placuit *pigmenta* vocari,
Qvod ſibi tota per hæc modulatio dulcior eſſet
Qvæ non verborum phaleris, ſterilive lepore
Texuit, interno permiſcuit illâ ſapore.
Et nunc judicium collaudat cunctipotentis,
Glorificatqve pios; modo fontes luget in illis,
Omnibus eſſe tamen ſe judicat inferiorem.
Decantando qvidem pſalmos in fine ſilebat,
Et tacitus pſallente choro *pigmenta* terebat (a).
Pandere nolenti qvidam cum poſſet apud ſe
Vix precibus multis extorſit, qvæ tamen ipſe
Scripta ſibi vivente viro non prodidit ulli.
Expoſuit vero poſt mortem ſcire volenti.
Inter pſallendum contexere rete ſolebat,
Non lingvam, non ipſe manus torpere ſinebat.

Cap. LXXXV.

Nox, aurora ſuos habet ara, cubatio pſalmos.

Diſpoſuit pſalmos qvos in nocte recitaret
Qvos redeunte die, qvos dum libare pararet,
Qvos jam diſcinctus dum lecto poneret artus.

(a) Al. *tenebat.*

At cum mane ſibi velamina circumferret,
Muniret pedes, oculosqve lavaret,
Os litaniæ cantu reſonabat & inde
Ibat ad Eccleſiam; tum tres aut qvatuor aſtans
Miſſas rite ſibi faciebat concelebrari.
Tempore legitimo miſſæ ſolennis agebat
Ipſe miniſterium, ſi non audire volebat.

Cap. LXXXVI.

In ſumptus inopum decimat pecus atqve metallum.

Jam vero qvam pauperibus pie prodigus iſte
Vir fuerit, qvantum dederit, comprehendere mente
Non opus eſt. In amore Dei diſcrimina pasſis
Subveniendo ferebat opem pro poſſe, nec illis,
Indigenas terræ tantum qvos noverat eſſe
Longinqva poſitis ſumptus dabat in regione.
In *Brema* ſtabulum (b) ſpeciale dicavit egenis.
Hoc de contiguis *decimas* conducere villis
Conſtituit, qvibus æger, inops, peregrinus & hoſpes.
Eſſet habendo cibos recreato corpore ſoſpes.
At *pecudum decimas* ex omni pontificatu
Ad ſe ſpectantes, inopum dirimebat in uſus,
Nec minus argenti cenſum decimabat in anno,
Rurſus ab integro decimans animalia qvinto,
Omne caput decimum manibus tradebat egentum.
Porro monaſteriis qvod cederet in ratione
Argenti qvartam partem diſcrevit in hac re:

Cap. LXXXVII.

Extulit in omnes (c), *ne pauper abiret inanis.*

Ergo ſuper viduas, pupillos, anachoretas
Maxima curá ſibi paſci, munuſcula mitti,
Corpora ſubſidiis recreari, pectora verbis.
In Zona propria ſemper pendente crumena
Ibat cum nummis, pauper ſi qvando veniret,
Nec forte oeconomus præſens, ut munus haberet,
Illud Job ſtuduit de ſe complere, qvod inqvit:
Nec faceret viduæ cunctari lumina; ſicqve
Orbis erat cœco, claudo pes, tutor egeno.

Cap. LXXXVIII.

Corporis ima lavat, pauper ſedet, ille miniſtrat.

Omni vero die ſacrati temporis, in ſe
Qvod qvater & decies currit, faciebat egentes
Qvatuor induci ſexus utriusqve *Bremenſi*

Hoſpitio,

(b) Qvod hic *Stabulum*, a Remberto ſupra p. 487. *Hoſpitale pauperum in Brema* vocatur.
(c) Al. *Æs tulit in Zonis* pro *Extulit in omnes.*

Hoſpitio, maribusqve pedes pater ipſe lavabat;
Hoc qvædam Dominum metuens reverenter agebat,
Pro ſe fæmineis incumbens fæmina plantis.
Si per Epiſcopii trans aliqvando migraret
Primum pauperibus, domum ad qvamcunqve veniret,
Poneret ut menſam, ſibi deſudabat in eſcam:
In qvibus obſeqviis adeo fore promptus, ut imbres
Funderet in manibus, miſceret pocula, panes
Inferret menſæ, ſi demum accumberet ipſe,
Hoſpitibus ſecum concitis (d) ad comedendum.

Cap. LXXXIX.

Moeſta probavit anus, qvantum fuit ille benignus.

Fas eſt exemplis cujus fuerit pietatis
Promere: nunc verſu qvod claruit indice viſu
Expediam: Viduæ cujusdam captus ab hoſte
Filius in regnum ductus fuerat *Sueonum*,
Præſul eum juvenem, deſcendens in regionem,
Exilio ſolvit pretio ſecumqve reduxit
In patriam, mater qvem cum gemebunda videret,
Immaduit lachrymis animo gaudente profuſis,
Res inopina boni pectus muliebre reſolvit,
Nec minus undanti fletu pater ora rigavit,
Et juvenem viduæ comitem permiſit abire.
Liber abit ſervus lachrymis auroqve redemptus,
Accepit fletum pietas, qvæ præbuit aurum,
Et tamen ingemuit, pareret cum gaudia, flevit.

Cap. LXXXX.

Omnia præſcivit, nec eum res ulla fefellit.

Ergo beatus homo, qvia civis erat Paradiſi,
Crebrius æternis ſplendoribus irradiari
In terris meruit, vel cum ſopor oſſa rigaret,
In ſomnis arcana videns, aut cum vigilaret,
Sive per exceſſum, vel mente per interiorem
Intuitum fere rem venturam noverat omnem,
Si foret interdum magnum qvid forte gerendum,
Nil inconſulte ſtatuens, optabat habere
Tempus tractandi ſecum, dum cœlitus illi
Gratia ſuggereret Domini, qvid rectius eſſet,
Sic animo certus cauſam fidenter agebat,
Jamqve Sion mentem trepidatio nulla movebat.
Sed qvæcunqve ſibi locupletius enituerunt
In ſomnis, adeo myſteria certa fuerunt,
Ut neqveat falſi qvid eum vidiſſe probari.

Argu-

(d) Al. *conſciris.*

Argumenta fidem faciunt in rebus opertis,
Viſus & auditus dijudicat in manifeſtis.

Cap. LXXXXI.

Per viſum terræ Paſtor decernitur eſſe.

Ergo prius *Bremam* qvam proceſsiſſet ad urbem,
Præſul ut eſſet ibi, devenerat in regionem
Qvandam per viſum, peragrans ea Tempe, beatum
Introitum vitæ qvi pandit in æthere, *Petrum*
Repperit, & valde mirari cœpit; & ecce!
Advenere viri qvidam de gente petentes,
Ut præceptorem legaret Apoſtolus illis.
Vobis paſtor erit, coram qvem cernitis, inqvit,
Hic vir ut *Anſcharium* promovit, tum ſibi viſum
Eſt, magno terram motu tremuiſſe, ruinam
Perpeſſam terræ, vocem veniſſe ſuper ſe,
Qvæ pluit in mentem tantæ dulcedinis imbrem,
Ut ſe perfundi flatus aſpergine ſacri
Sentiret totum Chriſti novitate refertum.
Vox delapſa fuit benedictio; poſtea vidit
Prædictos iterare viros, ut qvemlibet illis
Doctorem legaret Apoſtolus; ille moleſtis
Reſpondit veluti dedignans, nonne ego dixi,
Qvod vobis iſte deberet Epiſcopus eſſe,
Ideirco ſuper hoc audiſtis ab æthere vocem
Adveniſſe ſacri ſpiraminis, opilionem
Ut ſacraret eum vobis. Hic excita ſomnum,
Ut ſolet, excusſit ſibi mens, & viſio ceſſit.
Poſt tamen annalem ſol ter circumtulit orbem,
Qvam *Bremenſis* ad *Eccleſiæ* conſurgeret arcem,
Qvolibet ob Dominum cum ſe præſciret iturum.

Cap. LXXXXII.

Qvod ſopor involvit, plebis diſſenſio ſolvit.

Imperio Regis tandem directus ad urbem
Ætheris Eccleſiam tibi Claviger eſſe dicatam
Repperit, ac qvosdam cum diſſentire videtur.
Ex re cognovit, qvod viſio ſignificaſſet.
Sic urbis dictæ conſenſit Epiſcopus eſſe,
Ante qvod omnino renuebat. Tempore vero,
Qvo *Turholt* tenuit, *qvosdam de gente coëmit*
Sclavorum pueros, qvos legibus erudiendos
Catholicis, Cella Pater educabat in illa.
Horum nonnullos *Rainarius* expulit inde,
Qvam ſibi Cellam CAROLUS conceſsit, eosqve
Rex tibi Chriſte tulit, homini ſervire coëgit.

Cap.

Cap. LXXXXIII.

Dux furit, ultor adeſt, tremit ille, nec irrita vox eſt.

Cum ſuper hoc pateretur Epiſcopus anxietatem,
Immodicam veniſſe domum ſe vidit in unam,
In qva Rex CAROLUS ſimul & *Rainarius* ipſe
Inveniebantur, qvos ille redarguit inde,
Qvod pueros, nutrire Deo qvos diſpoſuiſſet,
Uſibus hoſce ſuis *Rainarius* applicuiſſet.
Concitus ille furore, pedem ſurrexit, ut ejus
Tunderet os, ſibi viſus adeſt aſſiſtere Chriſtus,
Et ſic ad Regem dixiſſe virumqve rebellem:
Qvi vos eſtis, ait, qvi ſic innobilitatis
Alterius ſervum, licet illum non timeatis,
Servus habet dominum, qvod non impune feretis
Hoc ſermone viri tremuerunt, ille ſopori
Eripitur, nec ſe deluſit viſio; nempe
Pœna mali vindex fuit hujus Oromatis index.
Poſt paulo tantam ſiqvidem *Rainarius* iram
Principis incurrit, qvod eum placare neqvivit,
Ultra ſed cellam cum rebus perdidit ipſam.

Cap. LXXXXIV.

Clemens, facundus, lenis fuit & verecundus.

Hanc etiam partem decurrat inepta Poëſis,
In paſtorali fuerit moderamine qvalis.
Id qvod dixiſti, ſanctiſſime Papa *Gregori*,
In ſpecie vigilum, Chriſti qvibus angelus ortum,
Didicit (e) Eccleſiæ, pater hunc vigilem meruiſſe
Vallari ſplendore Dei videre cohortes,
Angelicas ſuper excubias gregis opiliones.
His vigilanter oves, Chriſtus qvas morte redemit,
Pavit, & ad vitæ fontes & paſcua duxit,
Promeruitqve frui divini luminis aura,
Mente videre Deum, myſteria noſſe ſuprema.
Agnoverê ſui, qvoniam comes extitit illi
Ut Dux in rebus faciendis cœlica virtus.
Gratia qvippe Dei radiabat in ore venuſto;
Dulcior inde favi redolentis nectare ſermo
Emanans erat horribilis tamen & metuendus,
Blandimenta metus conſperſerat, unde modeſtus,
Terror blanditiis influxerat, unde moleſtus,
Et fera terrebat pater, & pia corda fovebat,
In qvo judicii jam qvædam forma futuri
Præcedebat, ubi judex erit ille ſeverus
Et blandus juſtis, & iniqvis intolerandus.

(e) Al. *Tradidit.*

Cap. LXXXXV.

Prata virûm Freſiæ flammeſcunt ætheris igne.

Hæc erat in verbis igitur vultuqve docentis
Gratia, terribilem, qvod eum locuplesqve potensqve
Aſpiceret; tremeretqve procax; at pauper inopsqve
Ut patrem coleret, fratrem mediocris amaret
Qværere nolenti, virtutum ſigna caventi,
Ne qva pruriret mens, ex virtute periret,
Non tamen hæc aberant, qvoniam prolata neqvibant
Illius ore viri Domini mandata reſolvi.
Hoc autem, *Freſiæ* qvod contigit in regione,
Cœlum conſpexit, tellus exuſta probavit.
Forte dies ſolemnis erat, lux prima dierum,
Qvæ nomen trahit a Domino, qvi rupit avernum,
Præſul in *Oſtargo* verbum de more ſalutis
Fecerat ad populum terræ, prohibendo colonis,
Exerceret opus feſtis ut nemo diebus,
At qvidam de plebe truces hominesqve baburri,
Ut redierê domum, cœli cum ſuda ſereni
Rideret facies, nec læderet aëra nubes,
Prata petunt, fœni cumulos faciunt; ſed acervos,
Veſper ut advenit, combuſit cœlitus ignis,
Stulta die cumularat eo qvotqvot manus: acti
Anteriore tamen non ſunt incendia paſſi.
At per circuitum populi conſurgere fumum,
Et procul ignivomas ferri per inane favillas
Cernentes. Valde timuere, putando, ſuper ſe
Hoſtilem veniſſe manum: diſcuſſa ſuperbam
Res docuit mentem flammis cœleſtibus ultam.

Cap. LXXXXVI.

Flagitio populi moeret, mens deficit illi.

Nordalbingorum facinus reor eſſe notandum,
Qvove modo Præſul crimen correxerit illud.
Captivi qvidam de terris Chriſticolarum,
Cum deveniſſent ad barbara Regna malorum,
Ponderibus fracti properabant inde reverti.
Sed nihil horriſonas miſeris rupiſſe catenas
Proderat, aut oneri pede conſuluiſſe fugaci,
Nordalbingorum qvoniam gens forte locorum,
Proxima paganis, profugos conſtringere vinclis,
Cum coleret (f) Chriſtum, paganis vendere rurſum.
Vendere Chriſticolis emptoribus impietatis
Proh dolor audebat, vel eosdem jure tenebat
Servitii, lugubre nefas. Qvod ut attigit aures

Præſulis,

(f) Al. *colerent.*

Præſulis, indoluit rem commiſiſſe fideles
Illicitam populos, eſſet qvibus ipſe ſacerdos.
Sed cum participes ſceleris fore nobiliores
Audiſſet populi, vulnus reſerare volenti
Conſilium pro re non ſufficiebat apud ſe.

Cap. LXXXXVII.

Proſeqvitur Dominum cor tollit gloria rerum.

Cum ſuper hoc igitur fluctu qvateretur & æſtu
Curarum, ſolitam meruit ſolaminis auram.
Alta qvies noctis feſſis diffuſa medullis
Obruerat corpus, ſed cor erexerat intus,
Viſio proceſſit, qvæ mentis nubila terſit.
Vidit in hoc fuit ut qvondam Deus orbe qvod eſſet,
Cum populis documenta dedit, viditqve qvod eſſet
Sanctorum multa circumvallante caterva,
Qvorum ſe comitem progreſſu ſenſit eodem
Exultare, ſibi qvoniam nihil eſſe moleſti,
Tantus erat terror tumidis illatus & horror.
Cœlitus at fieri nullo ſpirante reniti,
Libertas captis, optata redemptio vinctis.

Cap. LXXXXVIII.

Corrigitur facinus, rapitur de carcere vinctus.

Hæc patris in Domino firmavit viſio mentem,
Iret ut ereptum miſeros, compeſcere ſontem
Flagitio populum, facinus damnare nefandum.
Movit iter petiitqve viros, ubi gratia Chriſti
Sic prævenit eum, qvod nemo reſiſteret illi.
In primis opibus tum nobilitate potentes
Poenituit feciſſe malum, timuere minores.
Compedibus vincti vulgo ſcrutantur, & ante
Producti malunt, ubicunqve ſinuntur abire.
Pactum conſtituunt nullum jurando tueri
Oppoſitum crimen, ſed vis examine Chriſti
Hanc adeo pater ergo viam feliciter egit,
Eſſet ut indicio, Dominum feciſſe, qvod inqvit:
En ego vobiscum ſum temporis omne per ævum.
Porro viæ comites, alacres ex proſperitate,
In tam felici ſe nunqvam calle fuiſſe
Aſſeruerê, palam dicentes: ergo videmus,
Qvod Dominus vere noſtros direxerit actus.

Cap. LXXXXIX.

Exul & affinis tulit æger dona ſalutis.

Dicere nemo valet, qvantos orando ſaluti
Reddidit, ægra fovens *olei* medicamine *ſacri*

Membra, qvod experti pasſim vulgando celebrem,
In virtute virum terram fecerê per omnem.
Non modo finitimos longinqvis rumor ab oris.
Svaſerat infirmos ad dona venire ſalutis,
Occultare tamen qvam divulgare volentem,
Gratia qvanta foret in virtute medenti.
Hoc uni dixiſſe ferunt aliqvando ſuorum,
Cum fieret coram ſe mentio prodigiorum,
Qvem Deus audiret, ſi ſcirem me fore dignum,
Jam peterem mihi, vellet uti concedere ſignum,
Ut faceret de me, qvo poſſem vir bonus eſſe.

Cap. C.

Piis formido virum torſit jus lingva malorum.

Sed tamen illius morbi violentia corpus
Urgebat, fortis cum ſic in robore mentis
Eſſet, vita qvidem fere pertulit omnis agonem
Martyrii, flammis duri decocta laboris.
Plurima bella pati, qværendo negotia Chriſti,
Contigit, exterius metus, & labor extitit intus,
Propter barbariem prædas violenter agentem.
Pondera tanta viri contraveniendo maligni
Auxerunt linqvis, ſpirantes virus ut angvis.
Id præter proprii cruciatio corporis illi
Qvid niſi martyrium fuit & cœleſte trophæum.
Dulcia qvæ cecinit rerum monumenta piarum,
Cogitur ad lachrymas luctu confuſa voluptas.
Reſtat in accubitu lugubri plaudere verſum,
Luctificum Muſæ, ſed nollent carmen inire.
Sed licet ora riget fletus, creberqve fatiget
Guttura ſingultus, contundat pectora planctus
Patris ad exeqvias tamen invitabo camoenas
Qvatuor ad *ſextum decies* cumulaverat *annum*,
Tot rota totius vitæ fuit acta diebus.

Cap. CI.

In langvore gemit, qvod Chriſti victima non ſit.

At vero *decimum ter* Epiſcopus egerat *annum*
Qvatuor adjectis, qvo tempore lurida peſtis,
Qvam *diſſenteriam* dicunt, in carne ruinam
Intulit, exhauſit vires, vitalia torſit
Jugi digerie bis bino paſſio menſe
Tabuerat corpus, labor attenuaverat artus,
Senſerat urgeri ſeſe glaucomate lethi.
Inde Deo grates cum redderet uberiores,
Dicebat ſcelerum merito minus eſſe flagellum.
Illud proclamans, illud Job ſæpe freqventans:

Si Domini tulimus bona, qvare non toleremus
Et mala; Moeror erat tamen inde gravisſimus illi.
Qvod ſe martyrio non hoc discrimine ſolvi
Rebatur, veluti per ſomnum viderat olim,
Ergo ſenex animo ſibimet reputabat amaro,
Extorrem palmæ fructum victricis honore,
Ipſum laurigera ſe defraudaſſe corona
Per vitium culpæ, ſpem ſangvinis evacuaſſe
Cantans cum gemitu, qvod ait Pſalmiſta: Deus tu
Juſtus es, & recte cauſam decernis & æqve.

Cap. CII.

Carnis lingva ſilet, vox cœli pectora mulcet.

Hanc animi tandem cum panderet anxietatem,
Diſcipulo (g), qvi fidus erat, qvi cætera norat
Interiora ſenis, vitæ prope conſcius omnis,
Isqve laboriferum cordis lenire tumultum
Et conſolari cupiens, cum diceret ipſi,
Non fore permiſſum, ſe vel fornace cremandum
Aut obtruncandum gladio, fluctuve necandum,
Sed neqve diſſectum ferris, aut rupibus actum,
Caſu felici ſcanſurum culmina cœli,
Sed cum martyrii palma debere reverti,
Se propter Chriſtum diverſa pericula paſſum,
In ſtadio fidei palmam meruiſſe triumphi.
Si nihil adverſi vita toleraſſet in omni,
Accumulare tamen juguli felicis honorem,
Lethalis morbi poterat labor ultimus illi.
Attamen attolli ſolamine dulcis amici
Non potuit ſenior, conceptus pectore moeror
Dulcorem mentis potarat felle doloris,
At Domini pietas, cui ſemper prona facultas
Moeſtos ſolari, contritos corde mederi,
Moeroris nebulam terſit, pacando procellam
Sollicitæ mentis ſuperi medicamina roris,
Corripuitqve ſenem, ſtillans vigilantis in auram
Vocem ſenſificam: nunqvam ſopor ingerit umbram,
In ſomnis animæ cum torpent membra ſopore.

Cap. CIII.

Spes redit, ancipitem ſolidat correctio mentem.

Ergo die qvadam cum myſtica fercula menſam
Ornarent Domini ſacri de carnibus agni,
Æget & ante ſacram reſideret Epiſcopus aram,
Sollicitusqve nimis ſubito libramine mentis
Raptus in exceſſu, carnisqve reductus ab æſtu

(g) *Remberto* ſcil. auctori vitæ S. Anſcharii.

Ereptusqve ſibi, venientis ab æthere verbi
Voce redarguitur vehementer, qvod qvateretur
Mentis arundineæ ventoſis motibus ipſe,
Qvi de promisſis dubitaſſet cunctipotentis;
Seu vjs ulla mali Dominum pervertere posſit,
Aut aliqvod facinus bonitatem ſubruat ejus:
Indubitanter, ait, credas, utrumqve ſalutis
Auctor perficiet tibi, nam peccata remittet
Qvæ modo te torqvent, modo qvæ te cura remordet,
Et tibi promisſi cumulabit gaudia voti,
Fiet & optatam pariet tibi viſio palmam.
Vox ſiluit, pater intremuit, mentemqve recepit.
Mentem compoſitam, mentem moerore piatam
Melliflui mentem ſolaminis imbre madentem.

Cap. CIV.

Unit Pontifices, monet ejus Epiſtola Reges.

Inde Dei famulus vigilanter Pontificatus,
Qvantum prævaluit, librare negotia cœpit.
Regni Pontifices paſſim mittenda per omnes
Sedis Apoſtolicæ fecit decreta notare
Pluribus in foliis Boreæ glacialis in oris,
Qvæ ſibi pro populis fuerant legata vocandis.
Hoc etiam terræ dominis & gregibus æqve,
Ut genus alternum ſic nomen habentibus unum,
Cum foret ille pater, foret illi filius alter,
Commendans proprios apices, direxit & ambos
Communiit curæ jus Religionis habere;
Hujus propoſiti pro Regis amore ſuperni
Ut memores eſſent, & uti pro tempore ferrent
Præſidium ſeſe Domini comitante favore,
Qvatinus in gentes legatio fructificaret.

Cap. CV.

Clerus inops prandet, lichnis ſacraria lucent.

Menſibus ergo tribus cum jam violentia corpus
Peſtis tabificæ torſiſſet, eoqve labore
Viribus exhauſtis raperet vicinia mortis
Ad ſuprema virum celeberrimus ille dierum,
Sideris indicio qvi duxit ab orbe remoto
Gentes ad Chriſti præſepe refulſerat orbi
Egreſſus tropici de finibus Ægocerotis,
Phœbus ad imbrifluam currum raptaverat urnam,
Inſtabatqve dies *Hypapante* (h) dictus Achivis,
Feſtus in Eccleſia pro partu virginitatis,

Qvo

(h) i: *Feſtum Purificationis* S. Mariæ, vid. *Rembert.* c. XXXIV. *Albertus Stad.* fol. 57. b. *Anno Domini DXLI. Hypapante Domini ſumpſit initium apud Byzantium.* Conf. *Lambecii* Not. ad Gvaldonem ap. Lindenbr. p. 143.

Qvo coram Domino verbum patris innuba virgo
Intulit in templum velamine carnis opertum,
Obſervans legem, cum nil deberet eidem;
Qvæ non in partu muliebri tabuit actu,
Concipiendo qvidem non perdidit integritatem.
Hoc in ſolemni cupiens homo corpore ſolvi
Sanctus, ut ad Dominum procederet in paradiſum,
Lux ubi lætitiæ jam proxima cœpit adeſſe,
Pauperibus Chriſti pariter, cleroqve parari
Solemnes epulas fecit, juſſit qvoqve ternas,
Candelas fieri ſibi de cera ſpeciali.
Accendi primam qvarum præcepit ad aram
Virginis, æternæ peperit qvæ gaudia vitæ,
Qvæ réſerando polum mortis concluſit abyſſum,
Stella Maria maris, mater jus omne tenentis.
Qvi cœli portum pandis tibi *Petre* ſecundam
Obtulit, ad Domini *Baptiſtam* tertia ceſſit.
Hoc erat in votis, ut eum vos ſuſciperetis
Eductum carni clariſſima lumina mundi,
In viſu qvondam qvem judicis ante tribunal,
Ut jam retulimus, ſolis duxiſtis ad ortus.

Cap. CVI.

Urbs ſibi tota litat, prægustat & inde perorat.

Et jam decoctis diro langvore medullis,
Aruerat penitus qvaſi teſta ſolubile corpus
Lurida conſumptis extabant carnibus oſſa,
Nervis vincta (i) ſuis, & amictu pellis operta.
Attamen in Domini mens integra laude vigebat;
Spiritui mox membra ſenex moritura dicabat,
Jamqve die tenebris inluceſcente remotis,
Multa ſacerdotum manus adventarat ad urbem,
Proqve ſalute viri miſſas celebrando per omnem
Eccleſiam, corpus Chriſti, tum ſangvinis hauſtus
Obtulerant oculis ſolemniter omnipotentis.
Ad populum vero qvo debitus ordine ſermo
Promulgaretur, digeſſit Epiſcopus illud,
Affirmando cibum penitus ſe tangere nullum,
Omnibus officiis dum *publica miſſa* peractis
Finem feciſſet; qvæ poſtqvam dicta fuiſſet
Langventem pavit ſtomachum, modiceqve rigavit
Guttur, & inde diem vitæ præcepta per omnem
Inculcando ſuis verbi virtute potentis
Ad Chriſti cultum mentes animavit eorum.

Cap.

(i) Al. *juncta.*

Cap. CVII.

Clerus adeſt pſalmis, vox tota reſultat & ignis (k).
Sed tamen inprimis commiſſa vocatio gentis
Sollicitum tenuit, noctem qvoqve taliter egit.
Ejus in egreſſum jam ſancta freqventia fratrum,
Qvæ circumſtabat, *pſalmos de more canebat.*
Qvos pater angelicum monuit modularier hymnum,
Qvo *Te laudamus Deus*, in qvo te profitemur,
*Catholicam*qve *fidem*, qvam compoſuiſſe beatus
Fertur *Athanaſius.* Roſea jam lampade Phœbus
Terras luſtrabat, tenebras aurora fugarat.

Cap. CVIII.

Libat & obdormit, plebs glebam mœſta recumbit.
Presbyteris pro ſe miſſas celebrantibus, ipſe
Corporis ut fragmen ſumpſit, ſacriqve liqvorem
Sangvinis, erexit dextram, dominumqve rogavit,
Ut qvicunqve modo læſiſſet qvilibet illum,
Indulgeret ei venia delendo reatum.
Crebrius hoc iterans, & ſuſpirando freqventans:
Juſta qvod ſoli tibi jus Deus eſt miſereri
Gratuita parcendo mei bonitate memento,
Et peccatori mihi tu placabilis eſto;
Me manibus commendo tuis; a principe mortis
Eripe Chriſte, crucis pro qvo tormenta ſubiſti.
Hinc in ſupremo ducens ſpiramine vitam,
Cum jam vinciret vocis defectio lingvam,
Hæc vice verba ſui de fratribus innuit uni
Dicere. Sic altum vibranti lumine cœlum
Aſpectans, animam paradiſi miſit ad aulam.
Corpus ad Eccleſiam cum deferretur humandum,
Ingens luctus erat, modus in lachrymis viduarum
Non fuit, orbatos, inopes, cleruinqve videres
Flere, genas alapis contundere, vellere crines.
Cujus enim gemitum poſſet compeſcere pectus,
Qvo præſente gregis paſtor foret ille ſepultus,
Qvem licet in Domino nullus dubitaret obiſſe
Officium pietatis erat tamen ingemuiſſe
Cultor enim Domini, nulli virtute piorum
Aut meritis dispar, ſpeculum tulit omne piorum,
Chriſti pauperiem primis imitatus ab annis,
Ut vir Apoſtolicus, qvæ ſunt peritura, reliqvit,
Seqve monaſterii placida ſtatione retruſit,
Amatus turbis ſtudium zelando *Joannis*,
In qvo gymnaſio laurum virtutis adeptus,

Alter

(k) ɔ: *faces & cerei* in exſeqviis S. Anscharii adhibiti.

Alter ut in verbi ſudet certamine *Paulus*
Gentibus æternæ Deitatis nuncius eſſe.
Aſſertor Chriſti decernitur; inde regendi
Officio *Simonis* curam ſuſcepit ovilis.
Altior iſte gradus fuit, illi plurima virtus
Qvod valet eſſe palam; ſi qvidem libramine qvondam
Ætheris & terræ medio ſuſpenſus, utrinqve
Discurrens interqve Deum populumqve ſeqveſter,
Nunc celeri penna mentis ſuper aſtra volabat,
Nunc commiſſorum ſibi cauſas conciliabat.
Hujus enim geminæ pennam virtutis utramqve
Induit ipſe Deum, ſi mundis corde videndum
Credimus, hic virgo primævi floris ab ipſo
Electus, fœdam labem non pertulit unqvam
Corporis aut animi, ſed compar virgo *Joanni*
Manſit in æternum. Jam vero tantus in illo
Fervor mentis erat, pietas in corde benigno
Tanta redundabat, veluti *Prothomartyr*, ut iſte
Non minus oraret ſævo vallatus ab hoſte.
O ſanctum vere, dignumqve per omnia laude,
Qvem multiformi virtutum dote beari
Contigit, & ſolum ſimul obtinuiſſe bonorum,
Qvicqvid in antiqvis partim fuit. Ergo pudoris
Lilia contexens, ac virgo cohortibus hærens.
Virgineis, agnum ſeqvitur, qvocunqve per altum,
Ætherа tendit iter, gemmisqve micantibus inter
Fulcra ſacerdotum radiantem tollit amictum,
Juris apoſtolici ſortitus in ordine ſedem,
Judicio dirimet qvem ſprevit parvulus orbem.
Martyribus vero vitæ conſortus in albo,
Victricis palmæ potietur ovanter honore.
Martyrii ſiqvidem duplex genus eſſe fatetur,
Hoc in pace latet, patet illud, & enſe dicatur.
Hoc albet lachrymis, illic rubet unda cruoris,
Hæc tenuit votum ſpecies, tulit altera fructum
Fletibus, eſurie tabeſcens excubiisqve,
Dum carnis vitulam cordis mactavit ad aram.
Martyrii calicem, non effundendo cruorem,
Ebibit effectu martyr non temporis uſu.
Qvamvis ergo caput ſibi non avulſerit enſis,
Obtulerat jugulum, ſed voto defuit hoſtis.
Attendendo tamen, qvanto ſua membra labori
Subdiderit, violam non inficiabimur illi,
Qvid juxta Paulum creberrimus ille viarum
Sudor & undarum fragor, incurſusqve latronum?
Qvid genus & gentes, mare qvid eremusqve, qvid urbes,
Qvid fratres falſi? qvid mille pericula lethi,

Algor, acerba fames, ſitis, excubiæqve freqventes,
Tot ſimul ærumnæ pepererunt nonne coronas,
Victricem laurum, & rubicundi ſangvinis oſtrum?
Præter bella, virum qvæ per momenta dierum
Vallaverê foris, timor anxius Eccleſiarum
Excoxit mentem; qvis enim fuit æger, & ille
Non ægrotavit violenti flamma doloris?
Ergo tot internis facibus torrente camino
Pectoris exuſtus, per tot diſcrimina ductus,
Palma Martyrii fruſtrabitur? anne putandum
Eſt, occiſorum tantum genus eſſe beandum?
Nonne ſacrum Domini calicem bibit ille *Joannes*,
Verbera carnificum qvem non rapuere nec enſes?
Qvod ſi Martyribus disjungit nemo *Joannem*,
Laurigeris ducibus hunc inferat oppilionem
Martyr qvippe fuit, qvoniam ſibi mortuus iſte
Mundus erat, mundoqve crucem conſcenderat ipſe
Gloria Martyrii merito decernitur illi.
Namqve dolis ſathanæ, carnisqve vaporibus actus,
Inter gentiles animos mundiqve tumultus,
Dum neqve terreri, neqve ſicut arundo moveri
Prævaluit ſemper, tot fluctus præſtitit inter
Invictus Chriſti vita confeſſor in omni.
Dum martyr græca, qvod teſtis voce latina,
Innuit, & ſpeciem translatio reddit eandem,
Obtineat nomen, tenuit qvi martyris omen,
Teſtis Chriſte tuus, tua ſed puer arma ſecutus.
Ergo qvod ardenti voto cupiebat, & ipſi
Promiſſum fuerat diademate nemo refellat
Eſſe coronatum, palmamqve cruoris adeptum.
Forſitan in ſtadio poterat præire cruoris
Urtica, privandus ob hoc mercede laboris.
Liber ab hoc moderante Deo diſcrimine juſtus,
De meritis nihil imminuit, nec humillima virtus,
Qvæ dat cautelam reliqvis, eſt paſſa ruinam.
Jam qvoniam plane prædicta probaſſe videntur,
Qva viguit bonitate ſenex, qvicunqve movemur
Ad laudes ejus, ſupereſt imitemur ut actus.
Sic qvoqve nobiscum verſabitur ipſe per altum
Sic virtutes iter nos viderit ire magiſter.
Nos qvoqve poſt mundi momenta merebimur illi
Conregnare polo, ſi pectore ſemper anhelo
Tendimus ad Dominum per blanda, per aſpera Chriſtum,
Ex qvo procedit patri qvem ſpiritus unit.
Ecce procelloſis tibi ſancte cucurrimus unde
Sit rimoſa licet, jam tandem littora puppis
Attigit, & madidum collegit navita velum,

Fluctibus

Fluctibus in mediis te fæpe vocavimus ambo (1),
Anschari, fer opem, ne nos Acheronte ſub uno
Sorbeat infernus, ſed poſſideat paradiſus.
Anschari præſul nobis, & civis & exul,
Luminis ad fontem nos transfer ad omnipotentis
Regna, qvibus habitas in deliciis orientis
Floridior palma, ſpecioſus ſicut oliva
Ante thronum Domini, qvo Rex cum patre perenni
Jure triumphat, amen, flos virginis & Deus idem.

F i n i s

Vitæ S. Anscharii a Gvaldone Monacho Corbeienſi compoſitæ.

(1) *Rembertus* ſcil. & *alter ille*, qvi eum in conſcribenda S. Anscharii vita adjuvit.

XXXIII.

Legendæ veterum de Sancto Anschario.

Supplementi loco ad *Vitam Sancti Anscharii*, addere lubet *Legendas* aliqvot, *Lectiones*, *Hymnos* & *Orationes*, qvibus ſub Papatu memoriam ſancti hujus viri, *Danorum Svecorumqve Apoſtoli*, in eccleſiis ſuis, præſertim in feſto ejus anniverſario, majores noſtri coluerunt. Sunt eædem exſcriptæ partim ex Manuſcriptis, partim ex Libris impreſſis rarioribus, ut ſunt *Miſſalia*, *Breviaria*, *Legendæ Sanctorum*, qvotqvot mihi ad manus fuere. Ea, qvæ ſub No. 1. occurrit, deſumta eſt ex Collectione Mss. Magnæana in Biblioth. Acad. Hafn. Faſcic. No. 670. in 4to, cui Tit: *Hiſtoriales Lectiones de Sanctis.* Legendam hanc Arnas Magnæus, ante incendium Hafnienſe Anni 1728, exſcribi fecit ex Codice membran. in 4to, qvi in eadem Bibliotheca Capſ. Ambroſ. Part. I. Ord. 4. No. 26. fuit aſſervatum. No. 2. eſt fragmentum vetus, ſed unde ſumtum, neſcio, niſi ſit ex ſchedis qvibusdam Grammianis. No. 3. ex *Miſſali Othinienſi* exſcripta eſt, qvi Liber rariſſimus in Bibliothecula mea comparet. No. 4. ex *Breviario Aroſienſi Svecico* (a) deſcripta, in plurimis convenit cum ea Legenda, qvam Clar. *Arrhenius* ex Libro vetuſto Ms. *Laurentii Olonis* ſuæ Vitæ Anſchariana Editioni pag. 270. ſq. ſubjunxit, paucis tamen mutatis & ordine paululum inverſo. No. 5. ex *Breviario* qvodam *Svecico*, qvod *Skarenſe* (b) autumo; Hymni, Antiphonæ & Reſponſoria maximam partem cum iis ex Breviario Aroſienſi conveniunt, Lectiones autem differunt. No. 6. ex *Miſſali Hamburgenſi*, cujus etiam exemplum ipſe poſſideo. No. 7. Legenda iſta habetur in *Paſſionali Lubecenſi*, Lingua Saxonica ſcripto, qvod *Vitas Sanctorum* continet. Ex hiſce omnibus Hiſtoriæ S. Anscharii haud multum novi accedit. Ad varias tamen in Vita ejus obvias circumſtantias confirmandas aliqvantum conducunt. Videmus ex iisdem Legendis, *Vitam S. Anschari*, a *Remberto* compoſitam, in Septentrione noſtro olim, & ante inventam Typographiam, cognitam fuiſſe.

1. *De*

(a) De *Breviario Aroſienſi*, vid. *Sriernmans* Tal om Lærda Vetenſkapers Tilſtand p. 60. Libri hujus rari exemplar in parva qvoqve mea ſupellectili habetur.

(b) Exemplaris, qvod poſſideo, & principium & finis deeſt, unde dubius ſum, cujas hoc ſit Breviarium; Qvum vero prolixius ſit de *Sancta Helena Weſtgothiæ Patrona*, credo illud *Skarenſe* eſſe, de qvo vide *Sriernmans* Tal om Lærda Vetenſkapers Tilſtand p. 60.

1. *De Sancto Ansgario.*

Deus, qvi nos annua Beati *Ansgarii* Confeſſoris tui atqve Pontificis ſolempnia celebrare concedis, præſta, qvæſumus, ut devotis ea mentibus celebremus, &, ejus patrocinio promerente, plenæ capiamus ſecuritatis augmentum. Per Dominum.

Imperator LODOVICUS, armis ſtrenuus & fide devotiſſimus, immenſo repletus eſt gaudio, pariterqve recolens, qvæ olim apud *Danos* circa Dei cultum incepta fuerant, & laudes Deo referens, ardore fidei accenſus qværere, qvomodo in *partibus aqvilonis*, in fine regni ſui, ſedem conſtituere poſſet Epiſcopalem; unde cognitum eſſet Epiſcopo ibi conſiſtenti, illas freqventius prædicationis cauſa adire partes, & unde etiam omnes inter *barbaras nationes* facilius capere valerent divini miniſterii ſacramenta.

Cum itaqve pro hujusmodi ſollicitudine cura vigilanti inſtaret, qvibusdam fidelibus ſuis referentibus, innotuit ei, qvod, qvando glorioſæ memoriæ pater ſuus KAROLUS Auguſtus omnem *Saxoniam* ferro perdomitam & Chriſti jugo ſubditam per Epiſcopatus diviſit, ultimam partem ejusdem Provinciæ, qvæ citra aqvilonem *ultra Albiam*, nemini Epiſcoporum commiſit, Sed ad hoc reſervare decrevit, ut ibi Epiſcopalem conſtitueret Sedem, ex qva, Dei gratia referente, etiam Chriſtianæ fidei ſucceſſio in extraneas proficeret nationes. Qva de re primitivam ibi etiam *Eccleſiam* (c) per qvendam Epiſcopum Galliæ, *Adelegardum* nomine, conſecrari fecit. Præterea ipſam Provinciam cuidam Presbytero commiſit, nomine *Heridago*, ſpiritualiter gubernandam. Nec voluit, ut vicini Epiſcopi aliqvid poteſtatis ſuper eum locum haberent. Qvem Epiſcopum etiam conſecrari diſpoſuerat Epiſcopum, ſed velocior de hoc mundo ejus tranſitus, ne hoc fieret, impedivit.

Poſt obitum igitur tanti *Auguſti*, filio ejus ſupradicto, ſc. Imperatore LODOVICO, in Sede regni ejus collocato, ſuggerentibus qvibusdam, partem illam Provinciæ, qvæ *trans Albiam* erat, in duo diviſit, & duobus vicinis Epiſcopis interim commendavit. Non enim ſatis attendit patris ſui ſuper hoc conſtitutionem, aut certe omnimodo ignoravit. Iſta vero facta occaſione, qvia jam fides, Chriſti in partibus *Danorum* atqve *Sveonum* per Dei gratiam fructificare cœperat, cognito patris ſui voto, ne qvid ejus ſtudii imperfectum remaneret, una cum conſilio Epiſcoporum ac Synodi, in præfata ultima regione *trans Albiam* in civitate *Hammaburgh* Sedem conſtituit Archiepiſcopalem, cui ſubjaceret omnis *Nordalbingorum Eccleſia*, & ad qvam pertineret omnium *regionum aqvilonarium* poteſtas, ad conſtituendos Epiſcopos ſive Presbiteros, in illas partes pro Chriſti nomine deſtinandos. Ad hanc Sedem igitur Dominum & patrem noſtrum ſanctiſſimum *Ansgarium* Imperator Sollempniter conſecrari fecit Archiepiſcopum (d) per manus *Drogonis* Metenſis Epiſcopi.

Interim qvoqve Dominus & Paſtor noſter *Ansgarius* in Dioceſi ſibi commiſſa & in partibus *Danorum* ſtrenue ſuum implebat officium & odore bonæ converſationis multos ad fidem Chriſti convocabat. Cœpit qvoqve ex gente *Danorum* atqve *Sclavorum* nonnullos pueros emere, aliqvos etiam ex captivitate redimere (e), qvos ad Dei ſervitium educavit. Qvorum qvosdam ſecum hic retinuit, qvosdam vero ad cellam *Thurholt* nutriendos poſuit. Fueruntqve hic cum eo ex ſocietate ſancti patres, venerabiles Magiſtri, qvorum doctrina & inſtitutione feliciter nobiscum divina religionis crevit opinio.

Verum

(c) Vid. ſupra p. 449. 503.
(d) Vid. ſupra p. 450. 515.
(e) Vide ſupra p. 455.

Verum cum hæc in utraqve parte laudabiliter & digne Domino agerentur, contigit ex improviſo, piratas *Hammaburgenſem civitatem* navigio circumveniſſe. Qvod cum inopinate & ſubito accidiſſet, ſpatium nullum pagenſes congregandi, qvippe cum & *Comes*, qvi eo tempore Præfecturam habebat, vir illuſtris *Benebarius* (f), tunc deeſſet, Dominus Epiſcopus ibi poſitus cum his, qvi aderant, in urbe ipſa, vel in ſuburbio manentibus, primo eorum audito adventu, locum ipſum continere voluit, donec majus ei auxilium veniret. Sed impellentibus paganis, & civitate jam obſeſſa, cum ſe eis reſiſtere non poſſe conſpiceret, qvonam pignora ſanctarum reliqviarum aſportarent, præparavit, ſicqve ipſe Clericis ſuis fuga huc illucqve diſperſis, ſine cappa ſua vix evaſit, & pleriqve perempti ſunt. Deniqve hoſtes, arrepta civitate, & ſuccenſis omnibus ac direptis, egreſſi ſunt, cum qvo qvisqve caſu arripere & ſecum aſportare poterat. Dominusqve & pater ſanctiſſimus nullatenus vel animo moleſtabatur vel labiis peccavit, ſed fere omnia, qvæ ab initio Epiſcopatus congregaverat, in momento perdidit, beati Job verba ſæpius replicat: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſic Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum, Amen.

Qvaliter vero Beatus *Ansgarius* in ſeipſo & pro ſalute animæ ſuæ exſtiterit, qvaliterqve corpus ſuum afflixerit, jam nunc eſt tempus enarrandi. Qvaliter namqve apud nos in Monaſterio, omni devotionis ſtudio effulſerit, vobis compertum eſt. Tamen, ut habemus auditum, ipſe adoleſcens & juvenis ſenibus & grandævis mirandus & imitandus videbatur. Jam vero ſumpto apud nos Epiſcopatu, hunc animum, qvem in Monaſterio inchoaverat, omnibus modis augmentavit, & vitam omnium ſanctorum unitam ſtudebat, ſpecialius tamen *Beati Martini;* Cilicio namqve ad carnem indutus erat, non ſolum in die, ſed etiam in nocte, & magno opere populis viam Domini prædicando prodeſſe ſtuduit. Interdum tamen, ut ſemetipſum in divina prophetia exerceret, in ſolitudine manebat. Qvodqve opus, Cellam aptam conſtitutam habebat, qvam appellabat *Qvietum locum* & amicum memoriæ (g). Ubi cum paucis demoratus, qvotiescunqve & prædicatione & eccleſiaſticis officiis & ab inqvietudine paganorum liberatus eſſe poterat, illic habitavit. Ita tamen, ut nunqvam commodum proprium & ſolitudinis amorem gregis ſibi commiſſi præponeret utilitati. Porro qvousqve juventutis aliqvatenus potitus eſt robore, perſæpe panem in pondere & aqvam in menſura ſumebat. Qvo tempore, ut ipſe aſſerebat, etiam non modice temptatus eſt a ſpiritu cenodoxiæ.

Studebat namqve inimicus humani generis peſte jam dicta animam illius interficere, & magnus oculis ſuis videbatur; Qva de re triſtis factus & ad Domini pietatem in oratione converſus poſtulabat, ut ſua cum gratia ab hoc pernitioſiſſima liberaret peſte. Qvod & factum eſt. Qvia vero in ſenectute ſolita neqvivit uti parcimonia, ſtuduit hoc elemoſinis & orationibus multisqve bonis operibus compenſare. Præterea cum debilis ei eſſet vita, infirmitate tamen corporis pene aſſidue laborabat. Omnis qvippe vita ejus *Martyrium* fuit. Nam *ætatis* ſuæ *anno ſexageſimo qvarto*, *Epiſcopatus* vero *trigeſimo qvarto* (h), gravi cœpit corporis morbo laborare, jugi ſc. *diſinteria.* Qva cum per multos dies, *menſibus* videlicet *qvatuor* & amplius, acriter laboraverat, & ſe ad mortem urgeri ſentiret, ſemper Deo gratias agebat, minoremqve dicebat eſſe laborem ipſum, qvam ſua mereretur iniqvitas.

(f) Rectius *Bernarius* ſ. *Bernbarius*, vid. ſupra p. 455.
(g) Pro *memoriæ* legendum *meerori*, vid. ſupra p. 485.
(h) Vid. ſupra p. 491.

Deniqve cum ſæpius de eadem re cum diſcipulo, qvi ei bene conſcius fuit in omnibus, colloqveretur, & eum ſummopere conſolari voluit, ad memoriam ei revocare ſtudens, qvantum in Dei ſervitio, qvantam in corpore pertulerit moleſtiam, & qvod ipſa confirmitas novisſima gravis nimium & diutina ſatis, ei pro *Martyrio* reputari potuiſſet; Ipſe tamen nullo modo recipiens conſolationem, in ſupradicto permanebat mœrore. Unde factum eſt, ut Dominus ſervum ſuum aperte conſolari voluit, qvatinus tanto mœrori gratiæ ſuæ remedium portaret. Nam cum qvadam die ad Miſſam in Oratorio conſiſtens, pro hoc ipſo nimium ſollicitus eſſet, ſubito in exceſſu mentis raptus, audivit vocem qvandam, ſic vigilans, qvæ ipſum vehementer arguit, qvod qvaſi de Dei promisſione dubitaret, qvod aliqva iniqvitas Dei poterat pietatem vincere: Firmisſime crede, inqvit, nullatenus dubites, qvia utrumqve tibi Deus ſua gratia faciet, & peccata, pro qvibus modo ſollicitus es, dimittet, & omnia, qvæ promiſit, implebit.

Qva ſuſcepta conſolatione, ipſe qvoqve conſolabatur ſemetipſum. Porro cum per tres menſes continuos prædicta laboraſſet infirmitate, & *Epiphania Domini* transisſet, optare cœpit, ut in *die Purificationis Sanctæ Mariæ* ad Domini gloriam tranſire ſibi liceret. Qva feſtivitate appropinqvante, præcepit Clero & pauperibus convivium præparari, ut in ipſo ſanctisſimo die epularentur. Juſſit etiam, ut fierent cerei tres magni ex ſua ſpeciali cera. Qvibus factis, in ipſa vigilia prædictæ feſtivitatis fecit eos ante ſe ferri, & unum ante *altare Sanctæ Mariæ* accendi præcepit, alterum in *altari Sancti Petri*, tertium ante *altare Sancti Johannis Baptiſtæ*, optans, ut ipſi eum de corpore ſuſciperent egredientem. Cæterum prædicta infirmitate erat fatigatus & attritus, ut pene jam nichil in ejus corpore remaneret, exceptis oſſibus, nervis ligatis & corio tectis. Attamen ipſe ſemper in Dei laude ſe exercebat. Illuſceſcente jam vero dictæ feſtivitatis die, pro eo Miſſas, ſicut cottidie ſoliti erant, omnes, qvi affuerê, Sacerdotes celebrabant. Ipſe vero ordinare cœpit, qvaliter ad populum ſermo fieret, aſſerens, ſe nichil eo die guſtaturum, donec Miſſa publica eſſet. Qva finita, cum parumper comediſſet & bibiſſet, per diem totam ſtudioſius ſuos commonere & ad Domini ſervicium accendere ſtuduit, nunc generaliter, nunc ſingillatim qvemqve, ut poterat, ad Dei ammonens ſervicium. Maximè tamen ejus cura & ſollicitudo fuit de ſua *Legatione ad gentes.* Noctem qvoqve ſeqventem in talibus ammonitionibus duxit continuam. Fratres vero, qvi aderant tunc, & letaniam fecerunt, & preces pro ejus exitu ex more decantarunt. Ammonuit ipſe, ut etiam hymnum ad Dei laudem compoſitum, ſc. *Te Deum laudamus*, pariter cantarent, *Fidem* qvoqve *Catholicam* a Beato Anaſtaſio (i) compoſitam. Mane vero facto, omnibus, qvi aderant, ſacerdotibus ſacra Miſſarum ſollempnia pro eo celebrantibus, Dominici Corporis & Sangvinis percepto Sacramento, elevatis manibus precabatur, ut, qvicunqve in eum qvocunqve modo deliqviſſet, divina pietas ei remitteret. Deinde verſiculos iſtos cœpit freqventius repetere: Secundum miſericordiam tuam memento mei, Tu, propter bonitatem tuam, Domine, &, Deus propitius eſto mihi peccatori, &, in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Cumqve hæc ipſe repetere & freqventi anhelitu jam ea non valeret freqventare, fratri cuidam præcepit, ut hæc eadem vice ipſius freqventando cantaret. Sicqve oculis in cœlum intentis divinæ gratiæ commendatum ſpiritum exhalavit.

2. *Novæ*

(i) Leg. *Athanaſio.*

2. *Novæ Legendæ de Ansgario Episcopo.*

Beatus *Ansgarius* ab infantia divino instinctu monitus est cælestem vitam acceptare. Nam cum qvinqve esset annorum, Mater ejus devotissima defuncta est. Deinde cum a Patre ad scholas esset positus atqve cum aliis coævis pueriliter luderet, habuit visionem in sompnis qvadam nocte, qvod ipse in cænoso loco positus esset, viditqve non longe a se viam amœnissimam, in qva procedebat qvædam Domina omni gloria refulgens, qvam matrem Domini indubitanter credebat, seqvebanturqve eam multæ dealbatæ, inter qvas vidit & matrem suam.

Lectio II. Cum ad eam pueriliter vellet accurrere, dixit prædicta Domina ad eum: fili, vis ad matrem tuam venire? Cui, cum respondisset, se libenter velle, illa intulit: si nobiscum esse volueris, omnem vanitatem & jocos pueriles debes dimittere, ac te ipsum in gravitate vitæ custodire, valde enim detestamur vana & otiosa, nec in nostro conventu poterit esse, qvi his fuerit delectatus. Igitur post hanc visionem puerilia consortia vitans, maturitatem sectabatur, atqve Monasterium intrans, orationibus & vigiliis & abstinentiæ operam dedit.

Lectio III. Accidit post hæc, ut qvidam HARALDUS *Rex Danorum* per æmulos a regno fugaretur. Qvi supplex ivit ad Christianissimum Imperatorem LUDOWICUM, qvi patri suo KAROLO MAGNO in imperio successerat, petens ab eo auxilium pro recuperatione regni sui, Imperator promisit auxilium, dummodo fidem reciperet Christianam. Fidem igitur recepit, qvem Imperator de sacro fonte levavit, ac in filium adoptavit, eiqve auxilium delegavit.

Lectio IIII. Dum autem HARALDUS versus *Daciam* redire deberet, petivit ab Imperatore virum industrium, qvi ipsum & populum suum in spiritualibus edoceret. Dum autem de tali viro Imperator inqvireret, Abbas sancti *Ansgarii* de ipso svasit, qvod pro hoc tamqvam summe ydoneus mitteretur. Veniens igitur servus Dei cum HARALDO in *Daciam*, cœpit constanter verbum Domini prædicare, multiqve ejus exemplo & doctrina ad Dominum convertebantur.

Lectio V. Post hæc venerunt *Legati Svecorum* ad Imperatorem, qvi inter alia postulabant ab eo prædicatores fidei Christianæ. Qvod audiens religiosissimus Imperator gavisus est, misitqve iterum *Ansgarium* Dei, ut etiam *Svecis* communicaret viam veritatis. Dum autem in via esset, incidit in piratas, amissisqve libris & rebus, cum magno labore prædicando in *partes Sveciæ* venit, ubi fide Christi prædicata ac Ecclesia constructa, post annum & dimidium rediit ad Imperatorem, indicans, qvanta per eum fecerat Deus.

Lectio VI. Audiens devotus Imperator fidem Christi seminatam in partibus Aqvilonis, exhilaratus gaudio cogitare cœpit, ubi in illis partibus poneret sedem Episcopalem, ut noviter conversis sacramenta fidei non deessent. Habito igitur Consilio cum multis Episcopis & aliis solempnibus personis, in ultima regione *Saxoniæ Transalbianæ* in *Civitate Hamburgensi* Sedem constituit Archiepiscopalem, cui subjaceret universa *Northelbingorum Ecclesia*, & ad qvam pertineret instituere Episcopos sive Presbyteros illarum regionum.

Lectio VII. Ad hanc autem Sedem consecrari fecit Imperator *Beatum Ansgarium* per manus *Dragonis* Præsulis Metensis, astantibus Episcopis & aliis Ecclesiastici ordinis viris. Deinde misit ad Sedem Apostolicam, ut summus Pontifex Dominus *Gregorius IV.* sua auctoritate, qvod factum fuerat, in perpetuum confirmaret. Qvi consentiens, *Beatum Ansgarium* coram se stantem gentibus *Danorum*, *Svecorum*, *Sclavo-*

Sclavorum (k), & omnium *aqvilonarium* & *orientalium nationum* Archiepiſcopum delegavit.

Lectio VIII. Regreſſus autem a Domino Papa cum ad ſedem ſuam perveniſſet, qvendam *Gaubertum* conſecrans Epiſcopum ad partes direxit Svecorum, ipſe vero in Dioceſi ſibi commiſſa, ſcilicet in partibus Danorum, ſuum officium exercebat, verbo & exemplo ad Dei cultum populum inducendo, viamqve virtutum, qvam in Monaſteriis cœperat, in Epiſcopatu ſervare curabat. Cum autem XXXIIII. annis Epiſcopatum rexiſſet, cœpit morbo gravi laborare. Cumqve IIII. menſibus infirmitas perduraſſet, ſenſit ſibi mortem imminere, Deoqve ſe vocanti ſemper gratias agebat.

Lectio IX. Fratres vero, qvi aderant cum Letaniam & Pſalmos ſecundum morem pro ejus exitu canerent, monuit, ut etiam hymnum ad laudem Dei compoſitum ſc. *Te Deum laudamus*, Fidemqve Catholicam, qvam Athanaſius compilaverat, recitarent. Sumpto vero Dominici Corporis ſacramento elevatis manibus invocavit Dominum, ut qvicunqve in eum deliqviſſet, divina ei pietas indulgeret, deniqve freqventer repetens hos verſiculos: Secundum miſericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam, Domine, & in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, erectis ſurſum oculis obdormivit in Domino.

3. *Ex Miſſali Othinienſi*, impreſſ. Lubecæ per Lucam Brandis 1497. in 4^to.

Antiph. Sacerdos & Pontifex.

Verſ. Amavit.

Collecta. Deus, qvi populo tuo ſalutis eterne *beatum Anscharium* miniſtrum tribuiſti, preſta, qveſumus, ut, qvem doctorem vite habuimus in terris, interceſſorem ſemper habere mereamur in celis.

Cantus de Confeſſore & Pontifice.

Sanctus Anscharius ab infancia divino inſtinctu monitus eſt celeſtem vitam accitare. Nam cum *qvinqve* eſſet *annorum*, *mater* ejus devotiſſima defuncta eſt. Deinde cum ad *Scolas* eſſet poſitus, atqve cum aliis coëvis ſuis pueriliter luderet, habuit viſionem in ſompnis qvadam nocte, qvod ipſe in loco cenoſo eſſet poſitus, viditqve non longe a ſe viam amenisſimam, in qva procedebat domina, omni gloria refulgens, qvam matrem Dei indubitanter credebat. Seqvebanturqve eam multe dealbate, inter qvas vidit & matrem ſuam. Tu &c.

Lectio II. Indeqve ad eam modo puerili vellet occurrere, dixit predicta domina ad eum: Fili, vis ad matrem tuam venire. Qvi cum reſpondiſſet, ſe libenter velle, illa intulit: Si nobiscum eſſe volueris, omnem vanitatem & jocos pueriles debes dimittere, ac temetipſum in gravitate vite cuſtodire. Tu &c.

Lectio III. Vana enim deteſtamur & ocioſa, nec in noſtro conventu poterit eſſe, qvi his fuerit delectatus. Igitur poſt hanc viſionem puerilia conſortia vitans, maturitatem ſectabatur, atqve *Monaſterium* intrans, orationibus, vigiliis, & abſtinenciis operam dabat. Accidit poſt hec, ut qvidam HARALDUS *Rex Danorum* per emulos a regno fugaretur. Qvi ſupplex iuit ad chriſtianisſimum Imperatorem LODOWICUM, qvi patri ſuo KAROLO MAGNO in imperio ſucceſſit, petens ab eo auxilium pro recuperacione ſui regni. Imperator promiſit auxilium, dummodo reciperet fidem chriſtianam. Tu &c.

Lectio IV.

(k) Hinc patet, exemplaria *Vitæ S. Anscharii*, qvæ olim Septentrionales noſtri habuerunt, fuiſſe incorrupta & a notis illis interpolationibus *Islandon*, *Gronlandon*, *Scriteſindon* &c. libera. Vide ſupra p. 451.

Lectio IV. Fidem igitur recepit, qvem Imperator de fonte levavit ac in filium adoptavit, eiqve auxilium delegavit. Cum autem HARALDUS versus *Daciam* rediret, petivit ab Imperatore virum industrem, qvi ipsum & populum suum in spiritualibus edoceret. Dum autem de tali viro Imperator inqvireret, Abbas *Sancti Anscharii* de ipso svasit, qvod pro hoc tanqvam summe necessarius mitteretur. Tu autem &c.

Lectio qvinta. Veniens igitur servus Dei cum HARALDO in *Daciam*, cepit constanter verbum Dei predicare, multiqve ejus exemplo & doctrina ad Dominum convertebantur. Post hec venerunt *Legati Sueuorum* ad *Imperatorem*, qvi inter alia postulabant ab eo Predicatorem fidei christiane. Tu &c.

Lectio sexta. Qvod audiens religiosissimus *Imperator*, gavisus est. Misitqve iterum *Anscharium* servum Dei, ut etiam *Svevis* annunciaret viam veritatis. Dum autem in via esset, incidit in piratas. Amissisqve libris & rebus, cum magno labore predicando in partes *Svecie* venit. Ubi fide Christi predicata, & *Ecclesia* constructa, post annum & dimidium rediit ad *Imperatorem*, indicans, qvanta per eum fecit Deus. Tu autem &c.

Omelia de Sancto Anschario. Sint lumbi vestri &c.

4. *Ex Breviario Arosiensi*, Basil. 1513. 8.

Sancti Ansgarii ad vesperas Capitulum. Ecce Sacerdos.

Resp. Ansgari dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea. Usqve ad extremum terre Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt dominum.

Vers. Ego elegi te, ut eas, & fructus afferas, & fructus tui maneant.

Hymnus.

Ansgari, Pater optime, errantes nos in devio
Reduc tuo munimine, servans sub Christi gremio.
Danis & *Sueuis* gratie donum fidemqve predicans
Pugil fortis in acie gentes Deo sanctificas.
Notam facis incredulis doctrinam evangelicam,
Lucem ministras populis, ducis in viam celicam.
Bonus pastor viriliter gregem pascis dominicum
Informans qvod veraciter Christum colat magnificum.
Prudens talenta gratie & lucri magnitudinem
Adducis Regi glorie in pacis pulcritudinem.

Super Magnificat Ant.

LUDOVICUS Imperator dirigit *Ansgarium*,
Ut sit *Danis* legislator, docens evangelium,
Celi spargit ex thesauro veritatis gratiam
Ex doctrine profert auro fidei constantiam.

Collecta. Exaudi, qvesumus domine, preces nostras, qvas in sancti Confessoris tui atqve Pontificis *Ansgarii* solemnitate deferimus: & ejus, qvi tibi digne meruit famulari, intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per &c.

Invitatorium.

Summo Regi supernorum jubilemus pariter,
Ejus laudes & sanctorum psallentes solenniter.

In I. nocturno Antiphona.

In etate juventutis crevit cum *Ansgario*
Decus morum, lux virtutis, Dei benedictio.

Antiphona.

Factus frater monachorum, per virtutes floruit,
Ad conventum ſupernorum ſe totus diſpoſuit.

Antiphona.

Primo *Danis*, tandem *Sueuis*, fidem Chriſti predicat,
Nec formidat, qvod hec ſevis gens ſe factis implicat.

Lectio I. Sanctisſimi patris *Ansgarii* religioſa ſanctitas, divina largiente gratia, ab juventute creſcere cepit etate: & per ſingula etatum momenta ſua multiplicavit augmenta. Nam ab infantia ſua ſpiritalibus revelationibus celitus inſpiratus: & per domini gratiam ſepius eſt ſuperna revelatione admonitus: ut mentem ſuam a terrenis disjungens toto corde celeſtibus inhiaret.

Reſponſ.

LUDOUICO preces ferunt *Legati de Suecia* (l),
Et doctores ſibi qverunt predicandi gratia.

Verſ.

Doctor mitis, Dei vitis, offertur *Ansgarius*,
Prædicandi gratia.

Lectio II. Cum adhuc puerulus eſſet, & cum coëvis ſuis pueriliter ageret, & discurſibus inanibus atqve jocis operam potius qvam diſcipline diſcende daret. Videbatur ſibi qvadam nocte, qvod eſſet in qvodam loco nimis lutoſo & lubrico, ita qvod inde ſine difficultate magna exire non poſſet.

Reſponſ.

Profert verbum vox divina radiando celitus,
Qvod procedat in doctrina, & virtute ſpiritus.

Verſ.

Preveniſti eum, domine, in benedictionibus dulcedinis.

Lectio III. Extra illum locum vidit viam amenisſimam & precedentem dominam, omni ornatu & honeſtate ornatam, & plures alias dominas, inter qvas erat mater ſua, ad qvam cum vellet occurrere, dixit ei principalis domina, qvam ille beatam Mariam indubitanter eſſe credebat: Si noſtre ſocietatis particeps eſſe volueris, omnem vanitatem debes fugere, & jocos pueriles dimittere, & te ipſum in gravitate vite cuſtodire: Valde enim deteſtamur omnia, qve vana & ocioſa ſunt, nec poteſt in noſtro conventu eſſe qvicunqve his fuerit delectatus.

Reſponſ.

Tribulatus ex labore, *Bircum* (m) tandem attigit,
Qvem *Rex Sueuo* cum honore reverenter colligit.

Verſ. Deduxiſti eum, domine, in via tua, & ingreſſus eſt in veritate tua.

In II. nocturno, Antiphona.

Pro paganis convertendis fervida devotio
Cor accendit & extendit in doctrine ſtudio.

Antiphona.

Monſtrat ſurſum inſpirando dei revelatio,
Qvod procedit germinando ſua predicatio.

Antiphona.

Stans in *Berca* per doctrinam fideles multiplicat,
Offert pravis medicinam & Chriſtum magnificat.

Lectio IIII.

(l) Vid. ſupra p. 442. 514.
(m) Vide ſupra p. 444. ſq.

Lectio IIII. Post hoc apud *Corbegiam* tonsoratus atqve in monasticis disciplinis positus cepit ad se redire & omni postposita levitate devotionis divine cepit amore langvescere, totumqve in Dei servitio se convertens orationibus atqve vigiliis & abstinentie operam dabat.

Respons.

Prefectus Dei inclytus, fidelis *Erigarius* (n),
Totus in fide floruit, miraculisqve claruit.

Vers.

Domum suam magnificat & templum domini dedicat.

Lectio V. Beatus igitur *Ansgarius*, inter paganos constitutus, cepit verbo Dei insistere: & qvoscunqve poterat, ad viam veritatis movere. Multi etiam doctrina ejus & exemplo ad fidem convertebantur, & crescebant qvotidie, qvi salui fiebant in domino.

Resp.

Benigne *Bercam* respicit, dans *Symonem* (o) Pontificem,
Qvi lapsos fide reficit, scandens virtutum apicem.

Vers.

Verbis, factis & moribus, dat fidem infidelibus.

Lectio VI. Cujus glorioſi Pontificis sanctitatem Reges honorabant, pastores ecclesiarum in magna celebratione celebrabant, clerus multiplicabatur, & admirabatur populus universus, cujus exempla si qvis imitari voluerit, conversationem in terris qvodammodo celestem habebit. Si qvis doctrinam ejus servaverit, viam mandatorum Dei sine errore tenebit. Si qvis exhortationes ejus attenderit, laqveos inimici precavere poterit.

Resp.

Hunc *Symonem* vi depulit pravorum persecutio,
*Nitardum*qve mors sustulit, in fidei martyrio.

Vers.

Vitam duxit feliciter hic *Nitardus* presbyter. In.

In tertio nocturno, Antiphona.

Danis in *Sleswik* fabricat *Ansgarius* Ecclesiam,
Fidem Christi fortificat *Rex* mitis per potentiam.

Antiphona.

Illic diversi confluunt nationum populi
In fideqve proficiunt, Deo servire seduli.

Antiphona.

Hic sanctus *Ripam* eligit, Ecclesiamqve constituit,
Illic fideles colligit, presbyterosqve statuit.

Lectio VII. Totus igne divine contemplationis succensus meditabatur celestia, & totis desideriis ferebatur sursum in celum cupiens dissolvi & esse cum Christo. Et tandem etate & laboribus fatigatus. *Anno etatis sue sexagesimo* (p) gravi corporis infirmitate laborare cepit, qve infirmitas per *qvatuor menses* & amplius perdurabat: & sic attritus & consumptus fuit, ut pene jam in corpore ejus nihil remaneret, exceptis ossibus & nervis. Tu autem &c.

Resp.

(n) De *Herigario*, vid. supra p. 448.

(o) *Gautbertum* scilicet, qvem *Simonis* nomine in consecratione honorarunt; vid. supra p. 454.

(p) Vide supra p. 491.

Resp. In excelso sedens throno, sic ait *Ansgario:* Audite Insule, & attendite populi, de longe dominus ab utero vocavit me.

Vers. De ventre matris mee recordatus est nominis mei.

Lectio VIII. Et cum in Dei laudibus perseverans, Deo semper gratias agebat, & astantes nunc omnes singillatim qvemqve ad puritatem fidei & divinum servitium animabat. Sacra communione percepta, elevatis manibus precabatur, ut qvicqvid in eum qvoqvo modo peccasset, divina pietas indulgeret. Sicqve in celum oculis intentis divine gratie commendatum spiritum exhalabat.

Responsorium. Posuit os tuum dominus qvasi gladium acutum, in umbra manus sue protexit te. Et posuit te qvasi sagittam electam.

Vers. Ansgari servus meus tu, qvia in te gloriabor. Et posuit &c.

Lectio IX. Beatus *Ansgarius* dum adhuc viveret, suis sanctis orationibus sacri olei unctione plurimos a diversis languoribus & morbis curabat. Cum certatim ad eum non solum de ipsius diocesi, sed etiam de longinqvo confluebant infirmi, medicinam ab eo poscentes & recipientes integram sanitatem, & confirmationem fidei in gentibus & ad laudem & gloriam domini nostri Jesu Christi, qvi cum sanctis suis est mirabilis & glorioſus & benedictus in secula.

Resp. Ansgari &c.

Ad laudem Antiphona. Missam sibi prophetiam audit vir angelicus, qvod at *Sueuis* celi viam, dux sit apostolicus.

Antiphona.

Ad *Sueuones* iterato missus, sacerdotibus
Voto semper astat grato pro Dei cultoribus.

Antiphona.

Tam etate qvam labore consumptus *Ansgarius,*
Gravi cepit ex langvore infirmari fortius.

Antiphona.

Tandem pellis sola restat cum nervis & osibus
Totus tamen fervens extat in divinis laudibus.

Antiphona.

Ad augendam fidem Christi fratres omnes excitat,
Infra fidem grates sisti Deo plorans supplicat.

Hymnus.

Vidit puer *Ansgarius* qvandam raptus in spiritu
Prefulgidam decentius celorum in exercitu.
Ipsam constanter credidit Mariam esse virginem,
Qve sibi mitis edidit talem sermonis ordinem:
Si vis nostro consortio & nostra frui gloria,
Vitabis omni studio jocos & puerilia.
Vanus qvivis displiceat discursus & lascivia,
Maturus sis & faciet te Christi sapientia.
Nam detestamur ocia, contempto vaniloqvio,
Virtutum excellentia nostro servit palatio.
Post hec crescens appetere cepit virtutum federa,
Christum ferventer colere fide transcendens sydera.
Deo patri sit &c.

Super Bened. Antiph.

Langvidorum multitudo ſuis ſanctis precibus
Surgit ſana fortitudo daturqve debilibus,
Infirmantes apportantur ex diverſis partibus,
Omnes Chriſtum confitentur, reſtitutis viribus.

Ad Magnificat Antiphona.

In extremo terre ſita eſt *Sweuonum regio*,
In pagana ſorde trita traditur *Ansgario*
Per doctrinam qvod polita fiat habitatio
Chriſto qvi eſt ſalus & vita ſummaqve protectio.

5. *Ex Breviario qvodam Svecico*, forte *Scarenſi*, impreſſo Nurnbergi 1498. 4^to.

De ſancto Ansgario Epiſcopo & Confeſſore.

Ad veſperas Reſponſio. Ansgari dedi.

Hymnus.

Ansgari, Pater optime, errantes nos in devio
Reduc tuo juvamine, ſervans ſub Chriſti gremio.
Danis & *Sueis* gratie donum fidemqve predicas,
Pugil fortis in acie gentes Deo ſanctificas,
Notam facis incredulis doctrinam evangelicam,
Lucem miniſtrans populis, ducis in viam celicam.
Bonus paſtor viriliter gregem paſcis dominicum,
Informans qvod veraciter, Chriſtum colat magnificum.
Prudens talenta gratie cum lucri magnitudine,
Adducis Regi glorie in pacis pulcritudine.
Deo Patri ſit gloria, ejusqve ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito in ſempiterno ſeculo.

Ad Magnificat Antiphona.

LUDOUICUS Imperator dirigit *Ansgarium*;
Ut ſit *Sweis* legislator, docens evangelium,
Celi ſpargit ex theſauro veritatis gratiam
Ex doctrine profert auro fidei conſtantiam.

Collecta. Exaudi, qveſumus Domine, preces noſtras, qvas in ſancti Confeſſoris tui atqve Pontificis *Ansgarii* ſolennitate deferimus, & ejus, qvi tibi digne meruit famulari, intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum &c.

Invitatorium.

Summo Regi ſupernorum jubilemus pariter,
Ejus laudes & Sanctorum pſallentes ſolenniter

Pſalmus. Venite.

In I. nocturno Antiphona.

In etate juventutis crevit cum *Ansgario*
Decus morum lux virtutis Dei benedictio.

Pſalmus de uno Confeſſore & Pontifice.

Antiphona.

Factus frater Monachorum per virtutes floruit,
Ad conventum ſupernorum ſe totum diſpoſuit.

Antiphona

Primo *Danis*, tandem *Sueis* fidem Christi predicat,
Nec formidat, qvod hec seuis gens se factis implicat.

Legenda reqvire infra post historiam.

Respons. I.

LUDOUICO preces ferunt *Legati de Suecia*,
Et doctores sibi qverunt, predicandi gratia.

Vers. Doctor mitis, Dei vitis, affertur *Ansgarius* Predic.

Respons. II.

Profert verbum vox divina radiando celitus
Qvod procedat in doctrina & virtute spiritus.

Vers. Preveniſti eum domine in benedictionibus dulcedinis, &.

Respons. III.

Tribulatus ex labore *Bircham* tandem attigit,
Qvem Rex *Bero* cum honore reverenter colligit.

Vers. Deduxisti eum Domine in via tua, & ingressus est in veritate tua, qvem.

In II. nocturno Antiphona.

Pro paganis convertendis fervida devotio
Cor accendit & extendit in doctrine studio.

Antiphona.

Monstrat sursum inspirando Dei revelatio,
Qvod procedit germinando sua predicatio.

Antiphona.

Stans in *Bircha* per doctrinam fideles multiplicat,
Offert pravis medicinam & Christum magnificat.

Respons.

Prefectus Regis inclitus, fidelis *Erigarius*
Totus in fide floruit, Miraculisqve claruit.

Vers.

Domum suam magnificat, & templum Deo dedicat. Mi.

Respons.

Benigne *Bercham* respicit, dans *Symonem* Pontificem,
Qvi lapsos fide reficit, scandens virtutum apicem.

Vers.

Verbis, factis & moribus dat fidem infidelibus. Sancta.

Respons.

Hunc *Simonem* vi repulit pravorum persecutio.
Richardum (q) morte sustulit in fidei martirio.

Vers.

Vitam duxit feliciter hic *Ricardus* presbiter. In.

In III. nocturno Antiphona.

Danis in *Sleswik* fabricat *Ansgarius* Ecclesiam (r),
Fidem Cristi fortificat Rex mitis per potentiam.

Antiphona.

Illic diversi confluunt nacionum populi
Et in fide proficiunt Deo servire seduli

Antiphona.

(q) Pro *Richardum* lege *Nithardum*, vid. supra p. 456.
(r) Vide supra p. 470.

Antiphona.

Hinc Sanctus *Ripam* elegit Ecclesiamqve construit,
Illic fideles colligit presbiterosqve statuit.

Respons.

In excelso sedens throno sic ait *Ansgario:*
Audite insule & attendite populi de longe,
Dominus ab utero vocavit me.

Vers. de ventre matris mee recordatus est nominis mei. Ab.

Respons. Posuit os tuum dominus qvasi gladium acutum, in umbra manus sue protexit te, & posuit te qvasi sagittam electam.

Vers. Ansgari servus meus es tu, qvia in te gloriabor. Et po.

Responsorium. Ansgari, dedi te in salutem gentium, ut sis salus in ea usqve ad extremum terre, Reges videbunt & consurgent Principes, & adorabunt dominum.

Vers. Ego elegi te, ut eas, & fructus afferas, & fructus tui maneant. Et.

Ad laudem Antiphona.

Missam sibi prophetiam audit vir angelicus,
Qvod det *Sweis* celi viam, dux fit apostolicus.

Antiphona.

Ad *Sueones* iterato missis sacerdotibus,
Voto semper astat grato pro Dei cultoribus.

Antiphona.

Tam etate qvam labore consumtus *Ansgarius*,
Gravi cepit ex langvore infirmari fortius.

Antiphona.

Tandem pellis sola restat cum nervis & ossibus,
Totus tamen fervens extat in divinis laudibus.

Antiphona.

Ad augendam fidem Christi fratres omnes excitat,
Infra fidem gentes sisti Deo plorans supplicat.

Ymnus.

Vidit puer *Ansgarius* raptus qvandam in spiritu
Prefulgidam decentius celorum in exercitu.
Ipsam constanter credidit Mariam esse virginem,
Qve sibi mitis edidit talem sermonis ordinem.
Si vis nostro consortio & nostra frui gloria,
Vitabis omni studio jocos & puerilia.
Vani qvivis displiceat discursus & lascivia,
Maturus sis & faciet te Cristi sapientia.
Nam detestamur ocia, contempto vaniloqvio,
Virtutum excellentia nostro servit solatio.
Posthec crescens appetere cepit virtutum federa,
Cristum ferventer colere fide transcendens sydera.
Deo patri sit gloria.

Ad Bened. Antiphona.

Langvidorum multitudo suis sanctis precibus
Surgit sana fortitudo daturqve debilibus

Infirmantes

Infirmantes apportantur ex diverſis partibus
Omnes Criſtum confitentur reſtitutis viribus.

Super Magnificat Antiphona.

In extremo terre ſita eſt *Sueonum regio*,
In pagana ſorte trita traditur *Ansgario*
Per doctrinam, qvod polita fiat habitatio
Criſto, qvi eſt lux & vita ſummaqve perfectio.

Seqvuntur jam lectiones ex geſtis ejusdem.

Lectio I. Anno ab incarnatione Domini *Octingenteſimo qvadrageſimo qvinto* (s), contigit, *Sueonum Legatos* ad criſtianiſſimum Regem & Imperatorem LUDOVICUM, *Karoli Magni* Imperatoris filium, directos veniſſe: Qvi inter alia legationis ſue mandata dixerunt, multos eſſe in gente ſua, qvi criſtiane religionis cultum ſuſcipere deſiderarent, Regis qvoqve ſui animum ad hoc ſatis benivolum eſſe, ut Predicatores eis deſtinaret ydoneos. Tu.

Lectio II. Igitur ad Imperatoris inſtantiam beatus *Ansgarius* ſibi *Sueonum Legationem* aſſumpſit, cepitqve toto cordis fervore in Dei amore exardeſcere, & omne gaudium exiſtimare, ſi lucrandis Deo animabus ſibi liceret inſiſtere, & in hac Legatione, ſi qvid adverſitatis accideret, propoſuit patienter tollerare pro Criſto.

Lectio III. Unde in qvadam nocte ſubito in extaſi raptus vidit immenſi luminis claritatem ſupra ſolis radios. Et audivit vocem dicentem: Vade & annuncia gentibus verbum Dei. Fratri vero venerabili *Vicmaro* (t), ſibi in ſocium adjuncto, apud *Danos* autem, qvibus jam idem verbum Dei predicaverat, loco ſui devotiſſimum patrem, fratrem *Gildemarum* (u), fide & operibus bonis probatum, & in zelo Dei ferventiſſimum reliqvit.

Lectio IIII. Cum gravi itaqve difficultate & in mari & in terra maximis tribulationibus fatigati, & a piratis ſpoliati, devenerunt ad *portum Sueonum*, qvi dicitur *Birchoe*, ubi benigne a Rege eorum, qvi *Biorn* (v) vocabatur, ſuſcepti ſunt. Adepta eſt itaqve licentia ibi manendi & evangelium Criſti predicandi. Conceſſa qvoqve libertas, ut qvicunqve vellent, eorum doctrinam libere audirent, & devote baptismi gratiam ſuſciperent.

Lectio V. Inter qvos Prefectus loci & Conſiliarius Regis amabilis, *Erigarius* nomine, qvod nunc communiter dicitur *Ericus* (x), ſacri baptismatis donum ſuſceperat, atqve in fide catholica ferventiſſimus extitit. Ipſe namqve non multo poſt *Eccleſiam* ex ſua hereditate fabricavit, & in Dei ſervitio ſe religioſiſſime exercuit.

Lectio VI. Peracto itaqve anno cum dimidio, ſervi Dei ad Imperatorem reverſi ſunt, narrantes, qvanta cum eis dominus fecerat: & qvod hoſtium fidei in illis partibus ad vocationem gentium patefactum eſſet. Qvibus auditis, Imperator immenſo letificabatur gaudio de fidei profectu tam apud *Danos* qvam apud *Sweones:* & gratias omnipotenti Deo referebat.

Lectio VII. A Sede etiam apoſtolica obtinuit, qvod *Hamborgh* eſſet Metropolis pro terris illis, ad qvam beatus *Ansgarius* Archiepiſcopus conſecratus eſt, & in partibus aqvilonis multa pro lucrandis animabus diſpenſavit, ac plures religioni chri-

ſtiane

(s) Hic Annus 845, qvi & paulo infra occurrit, omnino falſus eſt: Legati autem Svecici Anno 829. ad Imperatorem venerunt, Vid. ſupra p. 442. 514.

(t) Supra p. 443. legitur *Withmarus.*

(u) Nomen recte ſcribitur *Gislemarus*, ſupra p. 443.

(v) In Vita S. Anſcharii ſupra p. 445. *Bern*, alias *Bero*, Conf. p. 447.

(x) De *Herigario* ejusqve nomine, vid. ſupra p. 448.

ſtiane adjunxit, atqve in fide catholica roboravit. Tandem viſum eſt ſibi neceſſarium, qvod aliqvis ſibi ordinaretur adjutor, qvi in partibus *Sueonum* miniſterii Epiſcopalis officii fungeretur: qvi in regione *Suenonum* tam longe poſita ſemper preſens eſſe deberet Pontifex.

Lectio VIII. Itaqve auctoritate apoſtolica qvendam *Simonem* ordinavit Epiſcopum, & ad *partes Sueonum* direxit. Qvi honorifice a Rege, BIORN vocato, & a populo ſuſceptus eſt. Cepitqve cum benivolentia omnium inibi *Eccleſiam* fabricare & publice evangelium Dei predicare. Fiebatqve gaudium chriſtianis ibidem degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur.

Lectio IX. Beatus eciam *Ansgarius*, dum adhuc viveret, ſuis ſanctis orationibus & olei ſacri unctione plurimos a diverſis langvoribus & morbis curabat. Unde certatim ad eum non ſolum de ipſius dioceſi, ſed etiam de longinqvis, confluebant infirmi, medicinam ab eo poſcentes, & recipientes integram ſanitatem. Ad confirmationem fidei in gentibus & ad laudem & gloriam domini noſtri Jheſu Chriſti: qvi in ſanctis ſuis eſt mirabilis & glorioſus & benedictus in ſecula. Amen.

Sequentia de S. Ansgario, ex eodem Miſſali, ad Feſtum Patronorum Sveciæ.

Lectio III. Anno igitur incarnationis dominice *Octingenteſimo qvadrageſimo qvinto* (y), facta eſt manus miſericordie Dei ſuper *Aqvilonis extrema:* ut a gentilitatis errore converterentur ad Dominum. Cum enim per idem tempus criſtianiſſimus Princeps LUDOUICUS, *Karoli Magni* Imperatoris filius, arcem teneret imperii, ipſe paterne pietatis circa dilationem fidei devotiſſimus imitator, ſubacta jam fidei per Patrem Saxonia, ſollicite ſtuduit *Danorum gentem* cum eorum confiniis, apud *Albeam* poſitis, & aliis maritimis regionibus adjungere fidei criſtiane. T.

Reſponſ.

Poſt doctrinam Salvatoris ſuccedit Apoſtolica
Veram fidem creatoris Lex docet evangelica,
Ad ovile redemptoris concurrit plebs catholica.

Verſ.

Eccleſia dominica cum jubilo multiplica
Devota laudum cantica. Ad.

In II. nocturno, Antiphona.

Rex celorum incarnatus & in mundo converſatus
Elegit terre medium,
Hic ſalutem operatus ad extremos incolatus
Diffudit beneficium.

Antiphona.

Dum de Syon lex exivit verbumqve vocis domini,
Succesſive acqviſivit gentes ſuo nomini.

Antiphona.

Ab extremis aqvilonis intrat ſanctis cum patronis
Plenitudo gentium:
Salus ex Judeis nata ad extremos dilatata
Vite confert premium.

Lectio IIII. Cum vero hujus rei gratia prelatorum & principum multitudinem congregaſſet: & miſterium conſilii ſui aperuiſſet eisdem, omnium unanimi conſenſu

(y) Vide paulo ſupra Not. (s).

ad tante pietatis officium assumptus est venerabilis pater & Deo dignus *Ansgarius*. Qvi cum Imperatoris & Principum congregatorum rogatu verbi divini semina prefatis populis eroganda susceperet. Accidit interim, *Sueorum nuncios* ad eundem Imperatorem directos, inter cetera sue Legationis archana referre, multos esse in gente sua, qvi cristiane religionis cultum vellent suscipere, Regisqve sui animum ad hoc plurimum inclinatum. Tu.

Respons.

Vasti orbis extrema latera sic fundavit divina dextera,
Ut dilata salutis munera non inferrent electis vulnera.

Vers.

Fremunt hostes, turbantur infera,
Viam Cristus pandit ad ethera. Ut dila.

Lectio V. Qvo audito, piisimus Princeps exultans in domino, beatum *Ansgarium* rogavit instantius: ut qvi jam vicinarum gentium Legationem susceperat, eciam *genti Sueorum* annunciator evangelicus esset & pastor. At ille qvi totus saluti studebat animarum, sponte se periculis obtulit & labori. Et tandem cum multo dispendio ac labore in *Sueciam* se transferens, ad *Civitatem Byrkö* (z) cum difficultate pervenit.

Respons.

Hora cene paratis omnibus mandat Cristus extremis gentibus,
Missis servis verbo potentibus, ut electis intersint fratribus.

Vers. Ad hoc negocium tam necessarium elegit nuncium *Sanctum Ansgarium.*

Lectio VI. Benigne autem cum suo collega *Witmaro* susceptus a *Rege*, concessa licentia evangelium predicandi, cepit cum fiducia seminare verbum Dei, multiqve credentes in Cristum baptizati sunt. Inter qvos Prefectus loci Regisqve Consiliarius, *Erigarius* nomine, vocabulo ipso in nomen *Ericus* (a) exinde mutato, sacrum baptisma suscepit, & fidelis usqve ad finem permansit, qvi, fundata in hereditate sua *Ecclesia*, multis dabat monimenta salutis.

Respons.

Provocatus inimicus, servus hostis & antiqvus
Nostre salutis invidus,
Septem secum neqviores veritatis subversores
Coassumit lividus.

Vers.

Demonia neqvissima procurant qvod novissima
Peiora sint prioribus. Septem.

In III. nocturno Antiphona.

Inter *Patronos Suecie* primatum tenet curie
Celestis Imperatrix,
Qve multiformi gratia depressis in angustia
Succurrit miseratrix.

Antiphona.

Baptista Cristi previe *Laurenti* martyr inclite,
Sit vestrum patrocinium semper nostrum presidium.

Antiphona.

(z) Paulo supra nominatur *Portus Sveonum*, qvi nominatur *Birchoe*, qvod nomen, æqve ac *Byrkö*, convenit cum hodierno Insulæ *Biorkö* nomine. In Vita S. Anscharii dicitur *Byrca* sive *Birca*, vid. supra p. 444.

(a) Vid. supra p. 448.

Antiphona.

Qvos direxit *Anglia* noſtre ſalutis gratia,
Et qvos produxit *Suecia*, qvi modo ſunt in gloria,
Hos petimus humiliter, & credimus ſtabiliter,
Qvod noſtra ſint refugia.

Omelia dominicalis habeatur.

Lectio VII. Hiis itaqve rite peractis, ſervus Dei *Ansgarius* ad propria remeavit. Poſt cujus dormitionem facta eſt fames audiendi verbum Dei in terra *Sueorum*. Factaqve ſunt noviſſima peiora prioribus, populo ad ritum paganitatis & ad ydola redeunte. Qvod cernens ille celeſtis agricola, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, vineeqve ſue deſolate compatiens, excitavit cor fidelis athlete ſui *Sancti Sigfridi* Eboracenſis Archiepiſcopi, qvi, relicta ſublimi archiepiſcopali ſede, parentibus & amicis, miniſterium ad Spiritum Sanctum cum aſſumpſerat, letus aggreditur, elegitqve peregrinari pro Domino, non veritus incredule gentis experiri feritatem &c.

6. *Ex Miſſali Hamburgenſi*, impreſſ. Argentinæ 1509. fol.

Ansgarii Epiſcopi.

Introitus. Statuit ei Dominus.

Collecta. Deus, qvi hodiernam diem ſacratiſſimam nobis beati *Ansgarii* Confeſſoris tui atqve Pontificis ſolennitate tribuiſti, adeſto propitius eccleſie tue precibus, ut cujus gloriatur meritis, muniatur ſuffragiis.

Epiſtola. Ecce Sacerdos magnus, qvi in vi &c.

Gra. Juravit. Alleluia.

Verſ. Sidus aureum aule Chriſti, *Ansgari* pater, funde pro nobis preces ad Deum.

Trac. Beatus vir, qvi timet dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

Verſ. Potens in terra erit ſemen ejus: Generatio rectorum benedicetur.

Verſ. Gloria & divitie in domo ejus, & juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.

Seqvent. Ad laudes ſal. &c.

Evang. Homo qvidam peregre.

Credo. Propter patronatum. *Off.* Veritas.

Secr. Sacrificium tibi, domine, laudis offerimus pro *Sancti* celebritate *Ansgarii* Pontificis, ut propitiationem tuam, qvam noſtris operibus non meremur, pii ſuffragatoris intercesſionibus aſſeqvamur.

Communio. Domine qvando &c.

Compl. Tua ſancta ſumentes qveſumus domine Deus noſter, ut *beati Ansgarii* Confeſſoris tui atqve Pontificis nos foveant continuata preſidia.

In Octava Ansgarii.

Collecta. Deus, qvi populo tuo eterne ſalutis *beatum Ansgarium* miniſtrum tribuiſti, preſta, qveſumus, ut, qvem doctorem vite habuimus in terris, interceſſorem ſemper habere mereamur in celis. Per &c.

Secr. Hoſtias, qveſumus domine, qvas tue majeſtati offerimus, intercedente beato *Ansgario* Confeſſore tuo atqve Pontifice, ad perpetuam atqve preſentem fac nobis pervenire leticiam. Per &c.

Compl. Preſta, qveſumus, omnipotens Deus, ut qvos celeſti miniſterio refeciſti, per glorioſum Antiſtitem *Ansgarium* eternaliter facias intereſſe conviviis Angelorum. Per.

7. *Ex Pasſionali* ſ. *Leuent der Hyllighen*, impreſſ. Lubecæ ap. Steph. Arndes 1507. fol.

Sunte Anscharius van ſinen kintliken jaren hadde van der gnade Gades gheyſtlike ynvlöte, welke en reytzeden vnde röghen to allen dogheden, ſo dat alle ſyne ſinne weren entfenget in der gotliken leue, vnde ſik gaff van allen wertliken dingen. Do he was van V. yaren, verſtarff ſine Moder, eyne yunghe criſtene denerinne Gades. Nicht lange darna ſettede ene ſyn Vader thor ſchole vp dat he lerde doghede vnde Kunſte, der he nicht vele en achtede, men wylde ſpele mit lopende, vnde to ander wildicheyt mer was geneghet wen to der lere, vnde de kyntlyke wildicheyt nicht konde vorlaten. Des ſach he vp eyne tiid in deme gheſte, wo he were in eyner vnreynen vulen ſtede, vnde mit groten arbeyde dar nicht konde vth kamen. To der ander ſyden ſach he eyne ſchone luſtighe ſtede, in welker eme duchte wo he ſach eine ſchone perſone mit koſtliken klederen getzyret, vnde vele ander yunkfrouwen gekledet in wytten klederen, mank der ſcare was ſyn Moder, ſo em duchte, vnde he louede gansliken, dat de ſchone yunkfrowe were de moder Gades, de ſede to em: Sone wultu tho diner moder kamen vnde vnſer ſelſcop mede deelaftich werden, ſo giff ouer de wildicheit vnde di ſuluen vnde dyn leuent beware mit vorſichtiger ſwarheyt. Do he dyt ſach vnde horde, he darna ſyn leuent in dogentſamen dingen jo mer mit der tiid, yo mer he dat to den beſten kerde, ſo dat dat ſyne gheſellen vorwunderde, dat he in ſo korten tiiden was vnmekert in einen anderen minſchen. Darna to hant he leet ſik kleden in dat *Kloſter Torbeia* (b), vnde wart dar ein gheyſtlik monnek, vnde gaff ouer alle kyntlyke wyldycheyt, dar he anhoeff ſyn leuent in doghentſamen werken to beterende, alze mit vaſtende, wakende, vnde bedende, vnde anderen guden werken.

Int yar vnſes heren VIII. hundert vnde XXVI. (c) LODEWICUS de Keyſer in Saſſen lande buwede eyn nye Kloſter, welck he ock nomen heeth de *Torweyen* (d), dar he ynne vorſamelde vth Frankryke ynnighe gheſtlike monneke, mank den was de hilghe man *Sunte Anscharius*, van leuende vnde doghede louelyk, vnde den gantzen lande leeff vnde anname.

Int yaer DCCC vnde XXXIII (e) helt *Anscharius* mit den anderen geiſtliken perſonen eyn ghemene capittel, dar LODEWICUS yegenwardich den gheloffte ſynes vader KAROLI wolde ghenoch doen, de Stad *Hamborch* by der *Elue* he ſettede eyn houet alleme volke ouer *Dennemarken*, *Sweden*, vnde *Wenden*, vnde allen anderen landen vmme heer lyggende, vnde dar to *Hamborch* den erſten Erſzebyſſcop leet wyen vnde benedyen *Sunte Anscharium*, vnde he wart conſecrert van *Dragone* den Byſſcoppe van Metze in der yeghenwardicheyt *Otgario* Byſſchop to Mentze, *Ebrone* (f) Biſſchop to Remmenſi, *Hetheo* Biſſchop to Trere, *Willerico* to Bremen, *Hillingando* Biſſchop to Verden, den to voren beuolen was dat Stychte to regerende.

Dyth

(b) Legendum *Corbeia*; vid. ſupra p. 429.
(c) Pro An. 826. legendum eſt An. 822. Vid. ſupra p. 435. 509.
(d) Lege *Cormeyen*, i. Nova Corbeia.
(e) Pro An. 833. lege 831. Vide ſupra p. 448. 450. 515.
(f) Legendum *Ebbone*. De eo vide ſupra p. 401.

Dyth mede beleuede den Pawes *Gregorius de IIII.* vnde dat beſtedighede mit paweſtliker macht.

Alzo nu *Sunte Anscharius* dat Byſſcopdom hadde, deme leuende der olden vedere he volghede mit alleme vlyte, beſunderghen deme leuen *Sunthe Marten*, eyn haren kleeth he dach vnde nacht droch negheſt ſyner bloten huth, deme volke he preddikede dath wort Gades, vp dath he ſik ok mochte gheuen to lerende de hylligheſchrifft, he mydede alle ſelſchop, vnde ghaff ſik in de woſtenye daer he eyne *Celle* hadde, welke he nomede eynen *vrund der droffniſſe*, vnde eyne *vredeſame ſtede*. Do he noch yunk was van ſynen yaren, ath he ſyn broet by der wicht, vnde dranck dat water by der mate. Do he ouerſt older wart, konde he zodane mathe in etende vnde in drinkende nicht holden, men dat mit bedende vnde almiſſen gheuende wedder vorvullede. He was den vanghenen gans barmehertich vnde vorlozede ſe wor he konde. He arbeydede ok vaken mit ſynen handen, wente in den tiiden he plach nette to makende. In dem Pſalter hadde he de Pſalmen ghedeelt, etlyke laſs he des nachtes, etlyke wen he ſik to der miſſe bereydede, etlyke wen he ſik andede, etlyke wen he to bedde gynk, wen he ouerſt to waſſchende ghynk ſyne hende, denne laſs he de letanie, denne gynk he to der kerken, dar leet he ſik lezen IIII. miſſen. Ok was he mylde almiſſen to geuende, nicht alleyne in ſynem ſtichte, men ok in anderen vernen vremmeden landen. Allent dat gegeuen wart in kerken vnde kloſteren to teygheden, van ſuluer effte an golde, in queke efte wat ghaue dat dat was, dath deelde he myt den armen wedewen vnde weiſen, vnde mit gheſtlyken perſonen. He alletiid by ſik droech eyn büdel mit gelde, ſo dat nicht eyn arme mynſche van em bleeff ofte gynk ane beghauet. Syn Stychte na wanheyt ſo eynen Biſſcoppe to behoret, wen he dat viſiterde, ſo ghink he nicht to der taffele, ſunder de armen weren erſten gheſettet, den he in ſyner eghenen perſonen water plach to gheuende ouer ere hende. wen he dat ghedaen hadde, denne ſettede he ſik to der tafelen to etende mit ſynen gheſten. Syn ſermon der predicacien was mit guden vorgheuynghen mit ſcharpheyt mede in gemenghet, dath me mochte merken in ſynen ſermonen de barmehertigheit der beruwer, vnde de grote varlicheyt der ſundere. In den ſermonen, de he ſyneme volke dede, wart he van alleme volke vor eynen ynnighen vnde hilghen man gheholden, vnde eynen erwerdighen vader.

Vp eyne tiid in *Fryſzlant*, in eynen dorpe, gheheten *Aſtergio* (g), he preddikede vp eynen ſondach deme volke, na veler lere he beſunderghen vorhoeff en, dat ſe in den hilghen daghe nenerleye wiifz arbeyt ſcholden doen, dar ſe ere vyre mede breken, etlike mank en vnhorſam ſynen baden van homodighen ſinne ginghen to hufz vnde ſeghen eyn ſchone klar weder quemen to velde vnde brochten ere houw to ſamende. Do ſe dat hadden ghedaen, des ſuluen auendes alle dat houw van en to hope gebracht, vorbrande dat vüer van den hemele, vnde dat ander houw dat vp den hylghen dach nicht was to hope ghemaket, bleef vngheſerighet. Do ſe den roeck ſeghen in deme lande, ſe menden, dat dar vyende hadden ghewezen, vnde bevruchteden ſik ghans ſeer. Alze ſe nu vlitich weren to wetende, vornemen ſe dat dat Got den vnhorſam tor wrake dede.

(g) In Vit. S. Anscharii *Oſtargao*, vid. ſupra p. 490.

Dat ſcach vp eyne tiid dath de vnderſaten *Sunte Anſcharii* ſwarlyken ſeer ſundigheden, in dem dat vele criſten ghefanghen van den heyden, vnde van en worden ouermate ſeer vordrukket, ſe van en lepen, vnde quemen in dat Stychte *Sunte Anſcharii*, vnde menden dar troſt vnde vorhach to hebbende. Dar worde ſe ghefangen vnde in torne gheſlaten, etlyke worden den heyden wedder verkofft, etlike van en to denſte eghen worden ghegheuen, etlyke worden den criſten verkofft. Do dyt den hyllighen man to weten wart, dar vmme wart he ſere bedrouet, dar in ſynen Stychte zodane eyn quaed was beghaen. In eyner nacht de gotlyke troſt entſcheen em, vnde em duchte wo vnſe leue here Jheſus Criſtus hyr vp dyſſer erden was, vnde *Anſcharius* mit em in den weghe in vrouden vnde vrolicheyt weren, vnde alze em duchte, ſo bevruchteden ſick alle de yennen, de ſyn vnderſaten weren, vnde alle de yenne, dede vorkoft weren, worden gelozet, vnde dede weren to eghen ghegheuen, de worden alle ghevryet, vnde na der tiid zodane ſunde nicht meer ſcholde ſcheen. Na dem dage krech de hyllighe man ſo grote gnade, dat eme nemant dorſte entyeghen wezen, he was eddel, efte othmodich. Dar worden ghefocht de vangen, de vorkoften, vnde dede eghen ghegheuen weren, de worden alle ghelozet vnde ghevryet, ſo dat ſe mochten gaen woer dat ſe wolden. Dat hyr nene bedrechniſſe mede were zodane quaed meer to doende, wart mit nenen eyden beueſtet offte tuchniſſe bewart, men id waert beualen vnde ghegheuen den gherychte Gades. Do dyt gheſcheen was, dat ſik God hadde bewyſet vnde gheapenbaret den vnhorſamen dit ſcach, dat Got ſinen vtherkaren hefft gelauet: Yk bin mit yw wezen wente in dat ende der welt.

Wo vele ſint ſunt gheworden dör dat ynnighe beth vnde des benedyeden olyes *Sunte Anſcharii*, der is neen tal na veler lude ſeggende, nicht alleine in ſynem Stichte, men ok vt anderen vremmeden landen, dede to em quemen, ſochten by eme de *arſtedye* der ſuntheyt. Dyt wolde he hebben hemelyken vnde vorborghen nycht gheapenbaret, wen ſyne denre in ſyner yeghenwardicheyt ſe den van zodanen teken vnde mirakulen de he hadde ghedaen, ſo antwordede he vnde ſede: O were yk werdich by Gade to biddende, dat he my einer bede wolde entwyden, dat ſine gnade vnde barmhertcheit van my wolde maken eynen guden mynſchen. Do was ſyn leuent, dat he van ſtrengicheyt wegen alletiid was krank, alle ſyn leuent was alze eynes mertelers in velen arbeyde ſyner vnderſaten in ſynem ſtychte, wente de vnlouighen en ouervyllen, vnde berouenden en vnde de ſynen.

Alze nu de hylghe man na velen arbeyde vnde in groter ſtrengicheit ſines leuendes hadde vor ghewezen ſynem Stichte, en Got van hyr wolde eſſchen in *ſynem LXIIII. iar*, vnde in ſynem *XXXIIII. ſines Byſſchopdomes* (h), do wart he gans kranck vnde lach *IIII. maente*, vnde daer entbauen ſwarliken. Alze he vornam, dat he ſteruen ſcolde, vnde God wolde en eſſchende wezen, ſede he ſtedes, Gade ſy dank, loff vnde ere, vnde ſede ſtedes, dath ſyn arbeyt nicht were gheachtet yeghen ſine ſunde. Alze he nu dat vaken ſede yeghen ſyne yungher de em hemeliken was, dar to he em antwerdede mit allem vlyte, vnde ſede eme to troſte, wat vlites he hadde ghedaen to deme denſte Gades, vnde wo grote caſtigynge he ſynem lyue ghedaen

hadde

(h) Vide ſupra p. 491.

hadde, daer to de krankheyt, daer he ynne gheleghen hadde, were eme grot vordenſt. dat he alle nicht enachtede, men ſtede bleeff in der moye vnde bedrofeniſſe.

Id ſcach, dat God ſynen denre wolde troſten vnde nicht verlaten in ſyner droffniſſe. Vp eine tiid alze he miſſe horde, wart he vorrukket in den gheſte, he horde eyne ſtemme ene gans ſwarliken ſtraffen, dat he nenerleyewiis ſcolde twyuelen in den loffte, dat em God hadde ghelauet, vnde ſede mer. Dat nene boſsheit mach vnde kan ouerwynnen de myldicheit vnde barmehertigheyt Gades, worumme hebbe vaſten louen, darumme du byſt ſorchuoldich, wert dy God vorgheuen dine ſunde, vnde ok he wert dy holdende allent dat he dy heft ghelauet. Des gheſichtes unde troſtes waert he to vreden. Darna wart he ſorchuoldich to beſtellende dat ſynem Stichte anligghende was, vnde ſyn ambegyn wo de beſtendlyk bleue, vnde wo de *Priuilegia des Pameſes* eyne beueſtinge bleue ouer ſyn Stichte, de leet he ſchryuen in vele breue (i), vnde ſende de den Keyſer LODEWICO (k) vnde ſynem Sone, vnde velen anderen Biſſchoppen, vnde bath ſe dorch ſyne breue, dat ſe ſynem Stichte byſtant deden, wen deme wes anlyggende were.

Alze nu de hylghe man III. maente in krankheit hadde ghearbeydet, vnde de *dach der hilligben dre Kommynge* was vorſchenen, he begheerde van Gade, dat he vp den dach *Lychtmyſſen* (l) en van hyr wolde nemen in dat ewighe ryke. Do ſik de tyd nalede des *Feſtes vnſer leuen vrouwen to lychtmiſſen*, he boet ſyner Kereſye vnde den armen tho makende vnde to bereidende eyn gheſteboet, vp dat ſe den feſt dach to ſamende etèn, he ok heet maken III. ſcone waſskerſen, do de weren ghemaket, de leet he entfenghen. Vp den auent des vorbenomeden feſtes leet he de eyne ſetten vp dat *altaer vnſer leuen vrouwen*, de ander vp dat *altaer Sunte Peters*, de drudde vp dat *altaer Sunte Johannes Baptiſten*, vnde begherde van ene, dat ſe ſyne Zele entfenghen, wen ſe vth ſynem lycham gynghe, de he to voren in dem gheſte hadde gheſeen, alze ſyne beſchermers. He vorgynk in der krankheyt ſo ſeer, dat me nicht enſach alze huth vnde knaken, doch allyke wol he was in deme laue Gades. Do de dach quam vnſer leuen Vrouwen des vorbenomeden feſtes, dar leet he vor ſik miſſen lezen, ſo he wonliken alle daghe plach van allen preſteren, de dar yeghenwardich weren, vnde he beſtellede, dat dar predicacien vnde ſermoen to dem volck ſcheen ſcholde, vnde dat ghemene bed to Gade den heren vor em to doende. Do de miſſen vthe weren, vnde he gar weinich ghegheten vnde ghedrunken hadde den gantzen dach, he de ſynen lerde vnde reyrzede to den denſte Gades. Do de brodere, de by em weren, welke de litanien ſungen vnde de pſalme, welke deme ouer de kranken vnde de vorſcheiden ſcholen plecht to lezende, de bath he, dat ſe ok dat *Te Deum* ſunghen vnde de *Louen*. Des morghens alle preſtere, de dar yeghenwardich weren, myſſe lezen, vnde vor em beden. do he entfanghen hadde den hellighen lycham vnſes heren Jheſu Criſti, da hoef he vp ſyne hende, vnde bat mit groter andacht, ofte dar

(i) Vid. ſupra p. 492.

(k) In Vita S. Anſcharii ſupra p. 492. rectius habetur *Regi Ludovico*; Erat enim ille *Ludovicus Rex Germaniæ*: Qvem tamen etiam Adamus Bremenſis *Cæſarem* minus recte appellat.

(l) Vide ſupra p. 492. 493.

dar eyn were, dede wedder em hadde gheſundiget, dat eme dat de barmehertigheyt Gades vorgheue. Darna las he de verſche vaken: *Na dyner barmhertigheyt denke here myner nā dyner groten güde, here wes gnedich my ſundere. In dyne hende here beuele yk mynen gheſt.* Alze he diſſe verſche vaken hadde ghelezen, vnde to den laſten van krankheit weghen he nicht meer konde lezen, eynen van ſynen broderen both he, dat he de van ſiner wegen leze. Do ſloech he ſine ogen vp in den hemmel, mit den gaff he to Gade ſynen gheſt.

Sunte Anscharius (m) ſath Biſſchop to *Bremen* XVIII yar, to vorne ſath he Biſſchop tho *Hamborch* XV. yar, dede toſamende to hope bringen XXXIIII. iar. Syn dechtniſſe wert alle yar begaen mit groter werdicheyt in der *III. Nonas Februarii.* Vp *Sunte Blaſius dach* he vorſtarff, int *yar vnſes heren DCCC. in deme XXV. yar* (n), vnde wart begrauen to *Bremen* in de kerken Sunte Peters vor dat *altaer vnſer leuen Vrouwen.* Des ſulfften dages, alze he begrauen was, wart *Robertus* (o) van gheſtlyken vnde wertliken to Biſſchope ghekaren, de ok dat *leuent des hilghen Vaders beſchreuen heft*, wente he in der warde wol wuſte alle ſyne beleghenheyt, darumme he van eme wuſte warafftighe tüchniſſe.

(m) Hæc, qvæ ſeqvuntur, deſumta ſunt ex *Adami Bremenſis* Libro I. Cap. 31.

(n) Legendum omnino *DCCC. in deme LXV. jar*, vide ſupra p. 493.

(o) Legendum *Rembertus*, ſive, ut alii ſcribunt, *Rimbertus.*

FINIS TOMI PRIMI.

Addenda & Corrigenda.

Pag. 8. Not. (o) adde: Confer p. 3.

P. 12. Not. (h) pro *qvod vix fidem meretur* legendum eſt: *qvod vel ita ſit, teſtante Snorrone Sturl. T. I. p. 105.*

P. 20. lin. 26. adde: Conf. Grammii Orat. in Dan. Bibl. T. VII. p. 492.

P. 31. lin. 29. lege *vivebant* pro *videbant.*

P. 34. lin. 30. poſt *ſemper habuit* adde: *præter Diplomata.*

P. 52. lin. 51. adde: Niſi malis everſionem illam Civitatis Slavorum per Danos circa An. 850. factam, de qva vid. infra p. 461. 536.

P. 53. l. 33. pro *Wolunenſi* legendum *Wollinenſi.*

Ibid. l. 38. poſt *incepit* adde: Vid. Muſeum Reg. Hafn.

P. 66. Præfatiunculæ ibi adde: Hæc Regum Series cum illa, qvæ ſupra ſub No. V. inſerta eſt, in multis convenit, eundemqve forte agnoſcit auctorem.

P. 75. l. 2. pro *Conwerebi* forte legendum *Conwerki.*

P. 80. l. 1. pro *Danos* lege *Danis.*

P. 89. l. 35. pro *non* lege *nec non.*

P. 98. l. 30. pro *filium* lege *filiam.*

P. 125. l. 14. errat Auctor; non *Margareta*, ſed *Sophia*, erat nomen uxoris Regis Waldemari.

P. 149. ad Not. (b) adde: Conf. ejusdem Orat. in Dan. Bibl. T. VII. p. 507.

Ibid. ad Not. (c) adde: De Congeſtis Menvedi conf. Grammii Orat. in Dan. Bibl. T. VII. p. 498.

P. 156. l. ult. adde: qvi eſt Islandorum *Sigurd Ring.*

P. 157. l. 46. adde: Vid. infra p. 544. & Tab. Geneal. p. 496.

P. 159. l. 24. lege *Sancti Olavi.*

P. 175. l. 23. legendum 1140.

P. 213. l. 7. pro *referat* lege *refert.*

P. 228. l. 17. pro *filius* legendum filiis.

P. 251. l. 10. pro *chronologia* lege *chronologica.*

P. 268. l. 13. lege: Anno Domini DCCCXIX.

P. 334. l. 19. adde: aliqvot voluminibus in folio comprehenſos.

P. 380. l. 30. poſt 264. adde: & in Dan. Biblioth. T. VII. p. 459.

P. 384. Not. (i) lege: *tres ſolum Ericos.*

P. 400. ad Not. (h) addendum: Hinc Helgo Rex Daniæ olim *Rex maris* appellatus eſt, qvod piraticam ſemper exercebat teſte Sven. Agg. ſupra p. 45.

P. 401. l. 26. pro *Decreto* lege *Decretum.*

P. 407. l. 32. lege *Junii.*

P. 413. l. 43. adde: De *Haraldo* juniore, ſub Lothario Imp. baptizato ejusqve filio *Manigoldo*, vid. infra p. 540.

P. 416. l. 1. pro *aeqve* lege *aqvæ.*

P. 421. l. 45. lege *Streitburg.*

P. 429. l. 16. Cogitaveram Chronologiam Textui Remberti præmittere. Mutata poſt ſententia, mutandus qvoqve heic ita ſenſus: *Poſtqvam demum ipſum Remberti Textum in medium protuli, placuit ad calcem ſubjungere Chronologiam Vitæ Anſchariane, eo ſcilicet fine, ut Acta temporum* &c.

P. 439. l. 15. pro *Sede* legendum *Sedi.*

P. 440. l. 4. lege *dediſſe.*

P. 444. l. penult. legendum: aut additis aut mutatis.

P. 447. *Hauga*, qvæ in diviſione regni Svecici inter *Ericum* & *Biornonem* facta eſt Sedes Biörnonis, videtur ſita fuiſſe in vicinia *Birca.* Et nonne *Hauga* fuerit primum & antiqviſſimum nomen loci illius, in qvo *Birca* fundata fuit?

P. 462. Not. (l) adde: Conf. ſupra p. 439.

P. 481. Not. (t) adde: Conf. ſupra p. 469. Not. (i).

P. 485. Not. (v) pro *ant* lege *an*, & pro *aud* legendum *aut.*

P. 499. l. 44. lege *Reginonem.*

P. 523. ad Not. (e) adde: Conf. ſupra p. 441.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Langebek, Jacob [Herausgeber] / Suhm, Peter Frederik, 1728-1798 / Engelstoft, Laurids

Scriptores rerum Danicarum medii aevi

Bd.: Tomus 1

Hafniae 1772

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/2Hist.pol.287(1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11055079-3